HIERONYMI CARDANI MEDIOLANENSIS ... OPERA OMNIA: TAM...

Girolamo Cardano, Josè Maria Fonseca de Evora

Digitized by Google

37
5 G
10

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

HIERONYMI

CARDANI

MEDIOLANENSIS

PHILOSOPHI AC MEDICI CELEBERRIMI

OPERVM

TOMVS SEPTIMVS,

QVI EST

MEDICINALIVM SECVNDVS.

CONTENTORVM HVIVS TOMI SERIEM
Index Titulorum exhibet.

EDITIO VT CÆTERIS ELEGANTIOR ITA ET ACCVRATIOR.



LVGDVNI,
Sumptibus IOANNIS ANTONII HVGVETAN,
& MARCI ANTONII RAVAVD.

M. DC. LXIII.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

INDEX

Librorum, Tractatuum, & Capitum Tomi VII.

I.

De vsu ciborum.

CAP. 1. QVo ordine Ars medica sit constituenda. fol. 3
2. Artis medicæ diuisio. 4
3. Alterius partis quæ sanitatem tuetur, commendatio. ibid.
4. Sanitas quid & eius latitudo. 5
5. Docendorum tractandorúmque ratio. fol. 7
6. Humani corporis natura & digressio. 8
7. Temperamenti & eiusdem diuersitatis explicatio. 10
8. De spiritibus. 13
9. De animi facultatibus. 17
10. De humoribus. 27
11. De membris & corporis partibus. 29
12. De aëre. 30
13. Exercitationum differentiæ & vtilitates. 34
14. De frictionum differentiis ac viribus. 37
15. De balneis ac eorum præparatione. 39
16. De quiete. 41
17. De alimentorum facultatibus. 42
18. Condimentorum ratio & vsus. ibid.
19. Saporum natura & temperamentum. 44
20. De odoribus. 46
21. Ciborum copia & qualitates. ibid.
22. Ciborum congruens explicatio. 49
23. Particularia alimenta pro diuersa hominum natura dari. ibid.
24. De Tritico. 52
25. De hordeo. 53
26. De Alica. 54
27. De Olyris & Typhis. ibid.
28. De Auena, Milio, Panico, farre & Oryza. ibid.
29. De fabis, lentibus, pisis, Cicercula, ciceribus, Phasiolis & Lupinis. 55
30. De herbarum in alendo facultate ac diuersitate. 57
31. De Cucurbitis, cucumeribus, Peponibus & Meloponibus. 63

II.

De causis signis ac locis morborum. à 65. ad 108

III.

De vrinis.

CAP. 1. CAusæ concretionis vrinæ. 109
2. Vrinarum quæ concrescuntur numerus, & reliquæ generales differentiæ. 110
3. Causa cur calor separet, frigus conturbet. ibid.
4. Obseruationes circa vrinas. 111
5. Vrinæ concretæ an eadem turbidæ, cur etiam iumentorum vrina turbida. ibid.
6. Iudicia ex turbulentia & claritate vrinæ. 113
7. Confusa vrina quid, vrinæ partes quot. 114
8. Turbidum ab humore fieri & quali. 115
9. Turbida vrina in quo à crassa & concreta differat. ibid.
10. Turbidæ vrinæ, quibus in casibus non omninò sit lethalis. ibid.
11. Sedimentum & confusionis materiam eandem esse. Ideo & plerumque turbulentiæ. 116
12. Sedimentum quomodo fiat & vbi. ibid.
13. Cur initiis morborum crudæ vrinæ appareant. 117

Index Capitum.

14. *Vrina vbi tingitur.* 118
15. *Quæ his libris de Vrinis non determinantur.* 119
16. *Vrinæ color qualis, & in quo à sero sanguinis & sudore differant.* ibidem.
17. *Sedimentum quid sit & vbi fiat.* 120
18. *Contenta vrinarum, cur alba & quomodo.* 122
19. *Non omnis alba hypostasis bona.* ibidem.
20. *Vniuersalis eorum quæ subsident partitio.* ibid.
21. *Hypostasis bona differentia.* folio 123
22. *Crudi humoris hypostasum referentis natura.* ibid.
23. *Vrina non esse signum fallax.* folio 124
24. *Vrinam vices gerere signi & excrementi.* 125
25. *Quænam per vrinam potissimè expurgari soleant.* ibid.
26. *Per vrinas quæ partes magis expurgentur.* 126
27. *Materia quæ per vrinas educuntur, aut in eis continentur.* ibid.
28. *Retrimentorum cognitio atque differentia.* 129
29. *Actuarij reprehensio, & de ordine horum librorum.* 130
30. *De urnila & Ephelcide.* 132
31. *Vrinæ generatio & substantia.* ibidem.
32. *Vrina quomodo retineatur aut emittatur.* 134
33. *Vrinarum quæ concrescunt varietas.* ibid.
34. *Vrinarum concretarum discrimen.* folio 135
35. *Vrinarum turbidarum differentia.* ibidem.
36. *Causæ moræ & tempus vrinarum in corpore.* 136
37. *Vrina quo tempore contemplanda; & quomodo seruanda.* 137
38. *Substantiæ vrinarum varietas.* 139
39. *Vrinæ nigræ causæ.* 140
40. *Vrinæ sedimentum.* 141
41. *De Hypostasi.* 142

IV.

Ars curandi parua; quæ est absolutissima medendi methodus. à fol. 143. vsque ad 199

V.

De methodo medendi.

Sectio I.

CAP. 1. *Quod insanabiles morbos curare aggrediuntur.* 203
2. *Quod in victu procedunt augendo versus statum.* ibid.
3. *Quod nimium pingui vtuntur dando carnes & oua.* 204
4. *Quod contusa & aquam carnis exhibent.* ibid.
5. *Quod laudant olera, tanquam cibos.* ibid.
6. *Quod vinum negant ægris.* ibid.
7. *Quod melones præponunt multis fructibus.* 205
8. *Quod cibum vberiorem dant in prandio quam in cœna.* ibid.
9. *Quod omni leui causa consultant medicinas.* 206
10. *Quod carnes piscibus præponant in omni febricula.* ibid.
11. *Quod auxilia simplicia & composita corrupta habeant.* ibid.
12. *Quod aquis destillatis vtuntur.* 307
13. *Quod vtuntur simplicibus.* ibid.
14. *Quod nunc modus medendi sit diuersus.* ibid.
15. *Quod nunquam à principio purgant eradicatiuè.* 208
16. *Quod à principio semper à leuioribus inchoant.* ibid.
17. *Quod vitant aut procrastinant sanguinis minutionem.* ibid.
18. *Quod partem materiæ purgant in morbis quietis.* 209
19. *Quod nutriunt & purgant in statu.* ibid.
20. *Quod omnibus purgationem post statum saltem expedire putant.* ibidem.
21. *Quod non vtuntur medicinis nisi quas appellant benedictas.* 210
22. *Quod materiam semper cunctanter paulatim ac cum quunt.* ibid.
23. *Quod*

Digitized by Google

Index Capitum.

23. Quod dicunt non omnes morbos ad Physicum spectare. ibid.
24. Quod luna positiones obseruant, vt non dent medicinas. 211
25. Quod de inutilibus quibuscunque rebus decertant. ibid.
26. Quod frictiones dimittunt frequentes. ibid.
27. Quod roborationem ventriculi praetereunt. ibid.
28. Quod in Bubonibus extrinsecus venam incidunt. 212
29. Quod in lateralí morbo minuunt ab aduersa vel in pede. ibid.
30. Quod in vrinis turbatis sanguinem mittunt. ibid.
31. Quod in hemoptoicorum curatione sunt segnes. 213
32. Quod in cognitione hemoptoicorum proprie aberrant. ibid.
33. Quod administrant pulueremcordialem cum cibis. ibid.
34. Quod in vermium cura, dant res leues & incognitas. 214
35. Quod in febre pestilentiali procedunt cum infrigidantibus. 215
36. Quod pulicem morborum morbillum credunt. ibid.
37. Quod in morbi Gallici dignotione caussis & cura peccant. 216
38. Quod non expectant apparentiam maturarum. ibid.
39. Quod in doloribus non vtuntur propriis. ibid.
40. Quod in vehementibus doloribus timent mittere sanguinem. ibid.
41. Quod in nephritis vtuntur diureticis cibis. ibid.
42. Quod concoquentia trina faciunt. 217
43. Quod in hydrope vtuntur soldanella. ibid.
44. Quod fluxibus cum febre dant cassiam. ibid.
45. Quod catapotia dant proximè à cena, vel ante cenam. ibid.
46. Quod in matre puerorum cum febre dant rutam & castoreum. ibidem.
47. Quod sape derelinquunt agros, qui postmodum sanantur. 218
48. Quod nouiter quedam medicinalia dant. ibid.
49. Quod thermarum aquas sepenumero dant, & malo modo. ibid.
50. Quod in destillationibus ex igne cautoria exhibent. 219
51. Quod aloem proficuum ac salutarem in vita regimine credunt. ibid.
52. Quod in vere purgant, & minuunt plurimos quibus nocent. ibid.
53. Quod balnea crurium & manuum in febribus persuadent. ibid.
54. Quod cibant in nocte. 220
55. Quod vitant creticos, qui non sunt dies cretici. ibid.
56. Quod purgant in morbis iuncturarum. ibid.
57. Quod vtuntur temperatis in complicatu affectibus. ibid.
58. Quod serum imponunt equine. 224
59. Quod non obseruant momentaneam concoctionem. ibid.
60. Quod accidentibus curam exhibent. ibid.
61. Quod vitant hyemem in detrahendo sanguinem. 225
62. Quod dant cassiam post incisionem venae. ibid.
63. Quod fluentibus mensibus timent venam incidere. ibid.
64. Quod non audent scalpere in cucurbitulis absque purgatione. ibid.
65. Quod curant phtisicos sucosa cura. 226.
66. Quod exturbant agros à somno. 227
67. Quod inungunt renes ex unguento Galeni. ibid.
68. Quod quandoque praponunt medicamentum sectioni venae. ibid.
69. Quod vtuntur turibus in confortando ventriculum. 228
70. Quod in hectica dant medicinas. ibidem.
71. Quod derelinquunt vsum incisionis arteriarum. ibid.
72. Quod prohibent aerem liberum ab egris. 229
73. Quod exercitationem à cibo noxiam existimant. ibid.
74. Quod dant in articulari morbo & podagra decocta cum vino. ibid.
75. Quod in capitis vulneribus ossis terebrationem frustrà molimentur. folio 230
76. Quod in renum lapide à precipuis abstineant auxilius venae sectione & purgatione. 231
77. Quod medicamenta venenum continentia refugiunt. ibid.
78. Quod purgationem venae sectioni preferunt. 232
79. Quod instrumenta plurima ad chirurgiam necessaria ignorant. ibid.
80. Quod in febribus pestilentibus, vitæ tenuitatem perperam imperant. 232

ā 3 81. Quod

Index Capitum.

81. Quod in deloribus partis quæ ad ventrem attinet, enemata intempestiuè exhibent. ibid.

82. Quod in cholica oleis exterius ac pinguedine vtuntur. 234

83. Quod exhibent album cibum ægris, deinde obseruant res nullius momenti. ibid.

84. Quod rhabarbarum in cholica, in ascite, in podagra & siccis temperaturis nocet. 235

85. Quod ægris & sanis consulunt vt super plumam dormiant. 236

86. Quod sal & acetaria ab ægris remouent. ibid.

87. Quod vinum in exhibitione ligni Indi coquunt. 237

88. Quod expurgantia medicamenta in diuersorum purgantium natura conficiunt. ibid.

89. Quod rarò & oscitanter administrationem exercent Anatomicam. 238

90. Quod laserpitij succum ignorant, præcipuis verò carent auxilijs. 239

91. Quod loco sectionis ac cauterij, eschaticis exemplis vtuntur. 240

92. Quod sæpius in febrium fine balnea prætermittant. ibid.

93. Quod in capitis & superiorum membrorum percussionibus ac vulneribus, non purgant validis medicamentis. 242

94. Quod in pectoris morbis conantur medicamenta expurgantia exhibere. 243

95. Quod potum inter cibos administrant. ibid.

96. Quod ptisanæ vsum prætermiserunt, tum maxime secundum propriam rationem. ibid.

97. Quod in attoniti morbi cura seu apoplexia, non vno modo curant. 244

98. Quod in hydrope, ascite, secando ventrem, aberrant. ibid.

99. Quod frustra timent lac & ova in febribus, curque abstinuerim à difficilibus quæstionibus. 245

100. Quod scriptores horum temporum plus consuluint ornamento orationis, quam vtilitati legentium. ibid.

SECTIO II.

De simplicium medicamentorum nocumentis. à 247. ad 252.

SECTIO III.

De admirandis curationibus & prædictionibus morborum.

CVRATIO 1. De Atra bile & lepra. 53

2. De antiquato vlcere cruris cum aliis symptomatis. ibid.

3. De melancholia & comitiali morbo. ibid.

4. De tabe simplici. 254

5. De Phtoë exquisita, & sanguinis sputo. ibid.

6. De Phtoë febre, tussi, sputo paris & spirandi difficultate. ibid.

7. 8. & 9. De Empyemate. 255

10. De summa tabe cum fluxu ventris. ibid.

11. De distillatione & febre continua. ibid.

12. De morbo Gallico, hectica, duplici tertiana & aliis. ibid.

13. De Spirandi difficultate. 256

14. De renum calculo. ibid.

15. De Opisthotono. ibid.

16. De articulorum morbis. 257

17. De Sciæ morbo. ibid.

18. De omnium membrorum contractione. 258

19 De Podagra. ibid.

20. De exciatate. ibid.

21. De febre singultuosa & de continua. ibid.

22. De vertigine. 259

23. De febre & catalepsi. ibid.

24. De quartana duplici. ibid.

25. De vteri antiquis doloribus. ibid.

26. De inexpugnabili dolore præcordiorum. ibid.

27. De vrina profluuio & sanguinis mictu. 260

28. De dolore capitis cum tussi & difficultate spirandi. ibid.

29 De Hectica, athridite, tabe, hydropisi & vlcere perforante vesicam. ibid.

30. De Hectica, lepra & ascite. 261

VI.

De Radice Cina. 265

VII.

De Cyna radice seu de decoctis. à 266. ad 270

VIII.

De Sarza parilia. 271

IX.

De oxymelitis vsu in pleuritide. ibid.

X.

Index Capitum.

X.

DE VENENIS.

LIBER I.

Qui est de essentia & causis illorum.

CAP. I. VEnenum quid sit, & quomodo à Iurisconsultis accipiatur. 276

2. Medico an liceat tractare de venenis, & quatenus, & quomodo cum Principibus excusare se debeat. 277

3. Quæ sint cognoscenda de venenis. 279

4. Quæ propria ratio agendi venenorum. ibid.

5. Prima diuisio venenorum ex ratione ortus. 281

6. De veneno per se genito. 282

7. De putredine & corruptione. 283

8. De Natura corruptorum. 284

9. De veneno contracto ab aëre & aqua, & causis & differentiis eius. 285

10. De febribus variis ex corruptione eorundem. 288

11. Secunda diuisio veneni in contagiosum & proprium. 289

12. Quæstiones & Problemata de contagio. 291

13. De quinque partibus nostri corporis, quibus maximè contagium communicatur. 291.

14. De febre, bubonia, & in quibus rebus potissimè communicetur. 292

15. De veneno, à morsu, ictu vulnere. 294.

16. De veneno illito, aut ex contractu, odore & umbra. 295

17. De veneficio, fascino, præstigio. 297

18. De veneno epoto. 299

19. De veneno calido. 300

20. An detur venenum frigidum. ibid.

21. De veneno à substantia. 301

22. De veneno Tabefaciente. 303

23. De veneno putrefaciente. 304

24. De veneno rodente. 305

25. De veneno ab occulta qualitate, & quænam sint hæc. 306

26. De tertia diuisione veneni in præsentaneum & temporaneum, & de causa eius. 307

27. De quarta diuisione veneni, in lethalem & non lethalem. 309

28. De quinta diuisione veneni materia ratione. 310

LIBER II.

De Venenis.

CAP. I. DE signis generalibus veneni, ratur, dum iam assumptum est congeniti, de prognosticis. 310

2. De signis veneni assumpti, iuxta species suas, & etiam temporanei. 314

3. De signis venenorum, & specierum & potentia illorum. 316

4. Signa morsus, & ictus venenati, vbi de cane rabido. 317

5. Signa animalium venenatorum. 318

6. Signa vulnerum venenatorum. 319

7. Signa affectorum veneficio & fascinatorum. 320

8. Signa latitantis in rebus veneni aut veneficij. 321

9. Signa morborum pestilentium. 322

10. Signa aëris & aquæ corruptorum. 323

11. Signa pestilentia bubonia. 324

12. Signa mortui ex peste. 325

13. Signa mortui ex veneno. ibid.

14. Alexipharmaca quæ sint, & eorum cognitio. ibid.

LIBER III.

De cura Venenorum.

CAP. I. CVstodia à venenis. 326

2. Ea quæ nos defendunt à noxa venenorum. 327

3. De cura venenorum generali. 328

4. Cura veneni calidi. 330

5. Cura veneni, quod frigidum esse dicunt. 331

6. Cura veneni à substantia, & tabefacientis. 332

7. Cura veneni putrefacientis. 333

8. Cura veneni rodentis. 334

9. Cura veneni à proprietate agentis. 335

10. Cura morsus, & ictus venenati animalis. ibid.

11. Cura morsus canis rabidi. 336

12. Cura vulnerum venenatorum & in quo differant à morsibus & ictibus. 337

13. Cura noxarum ex inunctionibus & suffitibus facilis cum hydrargyro. 338

14. Cura venenorum illitorum, odorum venenatorum, umbrarumque lethiferarum. 339

15. Cura veneficiorum philtrorum, frigidorum, præstigiarum & fascinationum. 341

16. De cura veneni temporanei. 342

17. De

Index Capitum.

17. De modo tractandi venena sine noxa. 343
18. De cura indice luis, elephantiasis, scabiei, pediculorum, phthisis, atque similium. ibid.
19. De custodia ab aëre pestilenti. 344
20. De cura febris pestilentis ab aere. 345
348
22. De custodia tractantium huiusmodi egros. 349
23. De Alexipharmacorum compositione & numero. ibid.
24. Succidaneorum communium Alexipharmacorum nostrorum. 351
25. De lateràli morbo pestifero curando. ibid.
26. De cura dispositionum venenis succedentium. 353

XI.

Commentaria in librum Hippocratis de Alimento, à fol. 356. vsque ad finem huius Tomi.

HIERONY

HIERONYMI CARDANI, DE VSV CIBORVM LIBER.

PROOEMIVM.

MIRVM Creator perfectissimus Deus, cuius perfecta sunt opera. Cùm illam Mundi naturam omnia continentem, & diuina quadam ratione Mundo toti, & partibus eius insertam creauerit, quæ hanc rerum immensitatem certo quodam ordine, atque immutabili constantia regeret, & vniuersa gubernaret, singulá que foueret. Quæ omnia vt prudenter administraret, diuinam quandam mentem ei indidit, summámque vim impressit; quæ ipsius ratio est naturæ lex, qua vniuersa gubernantur, atque existunt, & singula conseruantur. Quæ vis summa in natura insita, ab omnipotenti Deo profecta est, vt quicquid in hac inferiori regione comprehensum est, id peculiari quadam natura constaret, quæ quod genuit tueatur, ac regat. Demum ad cuius similitudinem, & simulacrum quoddam Medicinam condidit, quæ naturæ legem semper intuens opus omne dirigit, vt homini firmam valetudinem conseruet, & tueatur; & in dies magis, magísque eius imbecillitati subueniat, atque vitam incolumem quàm fieri potest longissimè producat, lapsam & affectam erigat, & in integrum restituat Maxima profectò est huius artis dignitas, atque præstantia, qua nihil mortalium rerum vtilius, aut iucundius esse potest. Quid enim prodest regibus regnandi suauitas? Ducibus gloria fortitudinis? Eruditis Sapientiæ oblectatio? Si sanitatis beneficio priuentur, & infirmo existente corpore, variisque doloribus ac molestiis afflicto jaceant? Nihil mirum si veteres illam adeo acuratè excoluerint; eandemque sic illustrarint, atque auxerint recentiores; vt innumera scripta exstent, Priscorum scilicet & Iuniorum: Adeò vt ridiculum, superuacaneúmque videatur denuò id genus argumenti tractare, ac veluti refricare? Sed reuera vnum non deterruit nos ab opere colligendo, vt qui nostris temporibus dignotionem, & curationem morborum, necnon & modum, ac rationem conseruandi valetudinem conscripserunt, omnia fermè ex placitis veterum tantummodo desumpserunt: qui etsi plurima de re medica & de escarum facultatibus disseruerint, stricim tamen, & sparsim, & quæ nunc ob temporum, ac regionum varietatem nec supplent, nec interdum ad propositum faciunt. Idcirco nos qui verè, ac fideli semper opera artem tractauimus, atque exercuimus, posteritati consulere cupientes, præter ea quæ est Priscorum monumentis, ab aliis antea fuere

collecta adiecimus eaque ab iis qui hac tempestate floruerunt, probata sunt. Alia etiam à nobis longa experientia inuenta, & maiori quam diligentia, & studio exculta sunt, ordine ac solertia in societatem adiunximus: itavt in hoc volumine tanquam in penu, ac promptuario quodam, omnia quæ tum ad tuendam valetudinem, tum ad cognoscendos fugandosque morbos opportuna, & necessaria colligere statuimus, & compendiosam Hippocratis & Galeni doctrinam, multis locis disparatam diligentissimè complexi sumus: & cuncta methodo quæ rationi nititur, & experientia, quæ & ratione vtitur, explanauimus, vt fructuosissimam artem posteris afferamus. Per hanc etenim morbi omnes quibus humana natura tanquam semper inter eorum discrimina est constituta, profliguntur, Animi etiam, tum corporis, necnon & fortunæ bona expetuntur, sicque hæc inter se connexa habet, vt omnium incommodis fœlicissimè succurrat. Quo sanè haud mirari debemus, si tam vtilis semper futura mortalibus nobis eadem omnipotenti Deo, qui genuit omnia, in cuius tutela positi viuimus curæ semper fuerit, atque interea tot eam pugnantibus inter se sectis in diuersa distracta, & aduersis factionibus acta Medicinæ studia præcipitia ferebantur, dubio procul pessum itura prorsus, nisi Dei numine ac fauore Hippocrati, Galeno, ac Principi Mauritano, aliisque sapientissimis tam priscis, tum recentioribus viris Prouincia hæc delegata fuisset: noxisque ab eisdem omnibus repurgata, & ad nos vsque per tot iam ætates sustentata peruenisset. Quare spreto iam Empyricorum, atque Circulatorum consortio, ad grauissimos authores hac nostra tempestate se contulit, qui eam cum dignitate ita pertractarunt vt ab omnibus in honore habeatur. Quis enim est qui non admiretur ex magna hominum multitudine vnum existere, qui admirabili naturæ beneficio confecta mortalium corpora moderari, & regere valeat, præsentibusque libere incommodis, & imminentes ac multò ante futuras ægritudines prospicere, & propulsare, atque omnia tum animi, tum corporis remouere incommoda, & tandem efficere, vt sit mens sana (vt dici solet) in corpore sano. Magna equidem res est sanitas, & cunctis mortalibus expetita. Quis enim vnquam inuentus est, qui sanitatem repudiauerit, & qui cum sanus sit, non consentiat sanitatem summum bonorum esse, à qua tanquam perenni quodam, & purissimo fonte quicquid est in hominum vita iucundum, & laudabile continuo effluat. Liquidò ergo constare debet hanc artem cæteris vtiliorem, digniorem, & cœlitus nobis concessam, dimissam, ac propemodum diuinam esse, vt nihil in omnium rerum natura reperiatur, quod humano generi iucundius atque optabilius sit, cui Imperatores, summique Reges, & cæteri Principes, ac cuiuscumque generis viri parent, aut certè non impune refragantur, tanta est eius necessitas atque præstantia. Eam igitur summatim, & per prima capita amplecti studuimus, vt quod in præsentia vtile est, in memoriam reuocemus, atque ordinem quendam ac obseruationes pulcherrimas, quæ de tuenda sanitate & corrigendis, curandisque affectibus præter naturam, tractationi spectant, breui ac facili compendio comprehensam proponamus; vt sanitas (quæ est Medici finis) præsens custodiatur, vitiata emendetur, prorsusque amissa recuperetur. Quæ omnia quamuis actiones sint, finis tamen est vnus scilicet sanitas; & sic omnia vnum, idemque sed alio modo significant: Nam vt habetur à Galeno in lib. ad Thrasybulum, Et qui sanare dicit, & qui sanitatem facere, & qui sanitatis affectionem, & qui sanitatem, medicationem morborum, aut curationem, aut ægrorum medelam, aut mederi, aut morbos extirpare, aut sanitatem morbo pulso inducere, & causas morbificas expellere vnum idemque dicit. Ergo non ex particularibus rationibus ars medica iudicanda est, sed ex vniuersalibus, & proximè, ad finem recurrendum est, & ab illis ipsis finem, & non materias distinguere tentandum est. Omni igitur conatu debet Medicus ad finem properare, atque ab eo artem ipsam iudicare; Propter hunc enim & communibus actionibus, & propriis præceptis, atque principiis differunt artes. Nam hæc & secundum artium fines variant. Quandoquidem sanitas finis est; hæc vero in calidis frigidis, siccis humidisque ac optima constitutione consistit. In istis planè materiæ, & contemplationis circa huius cognitionem principium versatur, sed dissimili ratione Philosophus, Medicusque id tractat. Finis ergo noster in hoc volumine est sanitas: vt præsens conseruetur, ideo omnia continet præcepta, quæ

ad

ad victus nostri institutionem sunt necessaria, quæ ab vniuersalibus, ac sex rebus non naturalibus deducuntur. Item ab ætate, sexu, regionibus, ac temporum mutationibus: vt amissa recuperetur, ideo omnes affectus præter naturam diligenter, & recta ratione, ac methodo percurrit à capite vsque ad pedes. Et ne quicquam prætermittatur, quod ad hoc negotium pertinere videatur, de Neutro, ac conualescentium regimine agit modúmque docet, quo possint tueri, ne in recidiuam incidant; qui licet specie sanè videantur, ad ægrorum potius rationem pertinent. Sigillatim itaque totam Medicinæ commentationem in hoc volumine diligenter per capita, & velut conclusiones conscribemus, partemque illam prius aggrediemur, quæ sanitati tuendæ incolumámque producendæ vitæ dicata est, quæ maximè ad hominum vtilitatem se profert, nec vllo in loco prodesse desinit

CAPVT PRIMVM.

Quo ordine Ars Medica sit constituenda.

CVM omnis Doctrinæ quæ ordine nititur triplex sit dispositio; vna quidem in qua finis in ea resoluitur, quæ ad ipsum referuntur, quæ vel à toto ad partes, vel à composito ad simplicia, vel ab effectu ad causam, vel à posterioribus ad priora deducens altiores abditioresque causas inuestigat. Altera autem in qua ad ipsum finem per eandem viam sed contrario ordine sit reditus: ex eorundem enim compositione quæ resoluendo inuenta fuere quàm maximè natura, interdum & ars ipsa sequitur, ex partibus nimirum totum ex simplicibus compositum; ex causis effectus, ex prioribus posteriora nectit, atque quod dissoluendo postremum fuit peruestigatum, id omnium primum statuit. Tertia verò in qua definitio in suas partes dissoluitur, à qua Philosophi initium suæ doctrinæ duxerunt: quibus curæ fuit omnia dilucidè, atque certo demonstrationis nexu confirmare. Nobis itaque qui cum totam Medicinæ contemplationem amplexi sumus, his ordinatis doctrinis, provt dabitur occasio, vti licebit: à fine enim nobis cognito, intellectoque auspicati, per ea omnia, quæ ad ipsum referuntur, ordine collecta procedemus, atque doctrinam ipsam in suas partes quas optima definitio continet, distribuemus per sola capita, & velut conclusiones, cum impossibile sit totam medicam artem sola definitione tradere. Et quamvis Gal. in præ. art. med. videatur polliceri se totam artem modo definitiuo traditurum, tamen non fecit. Imò ipsemet 4. de differ. puls. cap. 2. in fin. reprehendit eos, qui omnia definitionibus docere conantur. Resolutionis itaque ordine disciplinæ, omnes magis inueniuntur, compositionis autem traduntur: Definitionis verò memoriæ mandantur, quæ verò methodo carent nullum ex his ordinem seruant, sed varias mistasque res sine ordine continent; Cuiusmodi sunt Hipp. Epidemia, Prognostica, Aphorismi, quæ nullo ordine nituntur. Finis enim notio principium est artium, quæ via ac ratione docentur; Resoluitur autem finis in ea quæ ad ipsum referuntur sibi semper proxima, dum ad vltimum sit peruentum. De fine nihil deliberatur: nihil enim Medicus consultat an sanitatem tueri aut morbum profligare debeat, sed simpliciter finem nempe sanitatem animo concipit, deinde quæ ad eam spectant, omnia ordine resoluit, donec ad vltimum sit peruentum, quod primum est in compositione; quibus ita resolutis Ars constituta esse dicitur. Cùm etenim in vita hominum multæ actiones, atque artes exerceantur, hinc factum est, vt varij fines pro actionum, artiumque & scientiarum conditione spectentur. Nam naualis fabricæ finis nauigium; facultatis militaris finis victoria; Medicinæ verò finis sanitas: De qua etsi hactenus quamplurimi verba fecerint, nonnulli tamen impudenter & perperam de ea fecisse videntur, quippe qui cum de morbis agendum sibi proposuissent, generales, & publicas quasdam rationes attulerunt, & quàm eorum graues cruciatus sint, quámque iis affectus malè habeant prosecuti sunt: ea verò quæ ad eorum salubritatem faciebant remedia, oscitanter prætermisere: cum nulla pars magis expeti soleat aut nihil prius Medicina polliceatur. Nam quòd aër malè haustus, & pestilens, quodque ciborum intemperies pleriſque mortis causam afferant, non ita gratum est audire, quàm est scire quomodo vtrumque vitari possit; aut si iam æger infestetur, corrigi deinde indicetur hoc enim totius operæ pretium existimatur. Ridiculum namque prorsus est, vt quàm graues, acutoſque dolores afferat ægritudo ostendatur, si nulla merces prætera accedat. Quæ omnia quàm difficilia sint, & multarum rerum cognitionem requirant, vnicuique etiam mediocriter in re medica exercitato, patere liquidò potest. Nobis itaque hoc loco decretum est, quanta fieri poterit facilitate, Medicinæ seminaria recta methodo explicare, atque excutere, vt & Theoreticæ & Practicæ veram scientiam, & artem operandi adipiscamur, iuxta Galeni scientiam 9. art. cur. cap. 6. dicentis: Non licet artem aliquam adipisci, nisi primùm methodum inueneris, deinde in illam te exercueris: comparatque eum qui horum altero caret, claudo homini ambulanti. Hæc igitur sunt huius Artis ornamenta pulcherrima, quæ ingenuos, ac bene natos adolescentes, ad ea amplexanda hortantur, vt publicæ vtilitati

consulere valeant, & abdicatis à se vitiis fœlicem illam demum libertatem assequantur, quam aut nullo, aut certè solo virtutis præsidio comparare possunt.

CAPVT II.

Artis Medicæ diuisio

CVm vna sit Ars Medica, quæ corpori hominis tuendo dicata est, vt habetur à Gal. 1. de san. tuen. cap. 1. Eius primæ ac maximæ partes sunt duæ: quarum alteram sanitatis tuendæ, alteram morbi profligandi facultatem appelles. Eandem diuisionem proposuit lib. ad Thrasy. ex scientia Platonis dicentis, Vna cùm sit corporis curatio, duas eius partes appello, vnam Gymnasticen, alteram Curatricem; Sanorum quidem Gymnasticen, Ægrorum verò Curatricem. Quandoquidem in dividendi methodis didicimus, eiusdem generis res per opposita membra partiri. Vnus autem cum sit huius artis finis, vt supra demonstratum est, sanitas nempe, hanc inquam Ars Medica perpetuò intendit; siue præsentem tueatur, siue amissam recuperet in humanis corporibus, quæ duæ tanquam præcipuæ sunt partes ad quas reliquæ omnes tanquam in finem referuntur. Et quoniam humana natura ex quatuor elementis conflata est, propter quæ ægrotat & valet. Valet quidem cum permista virtutes & copiam habent inter se mediocriter temperatas: Contra autem laborat, provt decretum reliquit Hipp. lib. de Nat. hum. Partes autem omnes nostri corporis ex sanguine non syncero generantur, sed aliis humoribus confuso. Vtraque videl. bile, & pituita, vt Gal. sentit, 8. de decr. Hip. & Plat. cap. 4. Quam primùm igitur corpora nostra in lucem edita sunt ex ipsis incrementum & perfectionem accipiunt, & hinc fit quod ex eorum temperatura sanitas efficitur, ex eorumdem verò intemperatura morbi contingunt. Verùm quoniam duabus transmutationibus corpora humana continuò sunt obnoxia, alterata simul atque fluente eorum substantia, Alteratur refrigerata, calefacta, exsiccata, atque humectata, fluit autem & secundum sensibiles excretiones, & per insensibilem transpirationem. Hinc quoque duplici eget restauratione. Altera quæ excedentes qualitates temperet, altera quæ locum inanitum repleat. Impleat quidem quod euacuatum est, cuiusmodi est nutrimẽtum; quod verò per excedentes qualitates quæ inuicem agunt & patiuntur alteratum est medeatur, quod medicamentum est. Namque impossibile est quòd corpora humana integra atque illæsa ex toto maneant talia qualia ab initio fabricata fuere. Quocirca Ars Medica inuenta fuit quæ illa gubernaret, cuius officium est, quod in eis deest, farcire, & quod superuacaneum est detrahere. Et hac ratione illam Hipp. definiens lib. deflatib. dixit, illam esse appositionem & detractionem: nam hæc continent res quæ homini administrantur tam ad sanitatem tuendam, quàm ad præcauendũ à futuro morbo, & præsentem profligandum, cuiusmodi sunt quæ Galen. Assumenda facienda, foris incidentia, & exernenda, seu euacuanda vocauit, quæ si rectè corpori fuerint administrata adiiciunt quæ desunt, & detrahunt quæ superuacua sunt. Vt autem probè administrentur, necessaria est corporum & morborum cognitio, deinde signorum, postea causarum. Et ideo Gal. lib. art. med. cap. 2. dixit, Medicinam esse scientiam salubrium, & insalubrium & neutrorum; quorum vnumquodque tripliciter dicitur, Hoc quidem vt corpus, Hoc autem vt causa, Hoc verò vt signum. Eandem sententiam confirmat eodem in lib. cap. 8. dicens Medicinæ subiectum remotum esse corpus humanum, Propinquum verò corporis dispositionem, atque subiungit. Diuisiones corporis humani sunt per materiam, Dispositionum autem per formam, velut cùm dicimus sanum vt nunc, aut simpliciter, aut neutrum, aut ægrum. Illum itaque valere dicimus qui optima corporis constitutione præditus est, & cuius omnes corporis partes suas edant secundum naturam actiones, & citra vllam offensam eas obeunt. Illum verò ægrotare, cui malè affecta pars aliqua, & eius actio læsa, & vitiata est. Ob id Hipp. & Gal. cæterique tum prisci tum recentiores Medici, totius Artis Medicæ duas maximas partes agnoscunt. Salubrem scilicet atque Curatricem. Inter ambas autem Instaurativa nominata ponitur, quæ Neutra appellatur. Ab ea itaque parte tanquam præmagis digna incipere decreuimus, quæ sentem sanitatem defendere docet.

CAPVT III.

Alterius partis quæ sanitatem tuetur, Commendatio.

QVoniam non dignitate minùs, quàm natura ac tempore, sanitas morbum præcedit, Ideo hæc pars primò sumenda, docendaque, ac tractanda nobis sit, quæ quàm maxima, ita est præstantissima est, atque adeò necessaria vt non parum alteram antecellere videatur. Cùm hoc enim quod præsentem tuetur sanitatem, ne etiam periculum vllum nos adeamus, præstat, longéque id submotum repellit, adeo commodus imprimis est huiusce partis vsus. Cùm autem ordo rerum id præstet, vt quod ad tempus accepimus, quodam etiam tempore reddamus, donec tandem vnumquodque Elementum liti ac discordiæ exemptum alieno de loco in proprium migrat, cùm nullum reperiatur corpus quantumlibet optima constitutione præditum, quod vt primum in lucem editum est, fluoribus semper quibusdam obnoxium sit. Quamprimùm enim calor cœlitus nobis instillatus agere incipit, exsiccamur ipsi, donec tandem absumpta omni materia, nec quo vlterius

calor

calor innatus vnde alatur foueaturque habeat, nos prorsus in ficco destitutos relinquit, dissoluta fermè penitus corporum nostrorum substantia, quæ senectus est, & mortis iam vicinæ prænuncia. Et hæc est illa mortalitatis nostræ necessitas, quæ nulla ratione euitari potest. Omnium enim quæ Mundus habet, vnumquodque ex duabus naturis conflatum est, quæ nullo pacto sciungi queunt; sed vtraque sic alterius est appetens, vt ei annexa foueatur alioquin moritura. Vnde subiectum ex quo aliquid factum est, ex materia, & specie conditum est, cui tum principia tum elementa insunt, quæ permistione confusa gignendis rebus se subiectum exhibent, substernúntque, atque multa compositione, & confirmatione instructa, corpus physicum pariunt, quod proprium subiectum appellant, in quo quatuor Elementorum substantiæ incorruptæ persistunt. Nam etsi ex hoc intereunte corpore aliud proferatur, illa tamen elementa, tanquam alia proportione aliaque permistionis lege integra manebunt, dum extrema tandem dissolutione in suas naturas quæquæ redeant, vt restituantur vniuersitati, tanquam antiquæ matri. Et hoc fuit à rerum omnium æterno, & perfecto Conditore summa cùm sapientia, & potentia institutum, alioquin si quando naturale corpus obliteſcit, illius materia simul interiret, & dissiparetur, & elementorum substantiæ, quæ ad rerum procreationem in vnum confluxerunt, illarum rerum interitu vanescerent, neque in suam naturam remearent, iampridem absumpta foret omnis elementorum substantia, nec ea satis fuisset rebus innumeris hactenus generatis. Vt autem quælibet pars ad suum principium redeat, necesse est vt harmonia hæc atque concretio diuellatur, corrumpaturque; vt per extremam dissolutionem quælibet pars in suas naturas redeat, atque propino fonti restituatur: & hæc est nostri interitus necessitas. Verùm quoniam natiuus calor qui radicitus semini inest, nosque semper quoad viuimus concomitatur, & est instrumentum, quo alimur foueműrque, ac omnibus fungimur operationibus, dum vitali suo spiritu cunctas corporis nostri particulas irrigat, cùm neutiquam ex se esse valeret, sed vt aliquid haberet, quo sustentari, indéque nutriri posset, necesse erat, ideo à Natura ei inditum fuit solidioribus partibus humidum, quod & breui temporis spatium totum absumpturus esset, nisi noua subinde aspertione suggereretur, proinde alimentum fuit necessarium, quo sanguis generaretur; cuius pars è venarum osculis egressa, ceu ros quidam nutriendis mox partibus aspergitur; iisdem affixa, ac assimilata substantia vna fit, & hæc est nutritio. Cætera autem quæcunque hanc præcedunt pro præparatione materiæ huic muneri ita futuræ aptæ habenda sunt, cuius assidua subministratione humidum hoc primegenium sustentatum alitur, quod viscidum, oleaceumque & tanquam glutino compactum sortitum est; ne facilè vi caloris dissolueretur. Vt verò continuò reſarciatur, nec tam cito absumatur, recta, & idonea viuendi per omnia ratione, curaque opus fuit. Quis enim vel optimè à Natura constitutus, ac sibi quoque vni inseruiens, multa horum per se aut aëris ambientis sibi commodam temperiem, aut se exercendi oportunitatem modumque aut rectum ciborum ordinem, oportunumque vsum, & quamplurima alia eiusmodi nisi huius artis peritis assequi poterit. Quotidie enim experimur quamplurimos in tempore non admonitos, in multa incommoda incidere, & præsertim in excremẽtorum (vt ita dicamus) Oeconomia, nec alibi magis crebriusque peccatur. Copia enim & varietate seducimur tam anxiè ad saporum auiditatem palatum irritamus, nullamque nec aëris nos ambientis, nec exercitij, nec cæterarum sex rerum non naturalium in quibus salubritatis materia petitur differentia ponitur. Et hinc fit quod tam breue & exiguum est nobis vitæ curriculum, non tamen natura (vt aliquibus placuit) insitum sed iam dictis erroribus comparatum. Inordinatè enim immo insanè vt plurimum. Homines nunc temporis viuunt, viuenteſque in aëre prauo ipsum horis intempestiuis subeunt; tristitiis etiam, curis, vigilia, venere, ac laboribus se perperam excruciant, immodico cibo ac potu ac sæpius quam oporteat, & intempestiuè necnon & male præparato & vario se replent vt plerunque, imo ferè semper contingat, ij non naturali morte absumpti, sed inopinatè aut vi aut morbo intereant; itavt negare non possimus quod si recta ratione homo viueret, aliquantò diutiùs vitam extenderet. Quamobrem clarè patet non minus necessariam hanc artem humano generi esse quàm salubrem, tum vt noxas qua parte possumus repellamus, tum quas non possumus saltem vt minuamus, ac præsertim nobis tueamur sanitatem, & sic pars hæc instituti nostri omnium maxima, atque in primis tractatu iucunda erit. Nam etsi nulla arte naturæ decreta auferre valeamus, quin (vt diximus) exsiccati tandem soluamur, nemo tamen ambigat naturæ necessitatem adhibita arte & diligentia meliùs sarciri posse, & nisi propositis aliquibus homines vitæ suæ obseruatione nitantur, in noxas, offensasque incurrere, cùm sæpissimè in his falli contingat.

CAPVT IV.

Sanitas quid & eius latitudo.

CVm sanitas sit Medici intentio, finis autem illius adeptio, Ideo in primis quid sit sanitas cognoscere debet, quandoquidem nec præsentem seruare, nec amissam restituere poterit, si quænam ea sit penitus ignoret. Eam igitur Galen. definiens 1. de san. tuen. cap. 1. inquit; scripsimus de hoc alibi ostendimusque similarium quas vocant, partium sanitatem calidi frigidi, sicci, & humidi Symmetriam ideſt conuenientiam inter se quandam esse instrumen-

talium verò ex similarium ipsarum compositione, numero, magnitudine, figuraque constare; Et non simpliciter esse debitam quatuor elementorum conuenientiam, ac temperaturam vt nonnullis visum fuit, idemque innuit primo de morbis vulg.com. 2.sec.46. dum dixit. Atqui meministis omnem concoctionem morborum fieri in alteratione humorum, etenim protensa est per solida corpora natura, quæ illorum est virtus, concoctionemque à solidis corporibus sanis humores consequuntur: Nam si hæc ipsa ægrotent in habitu, iam hic est morbus, & nonnullos in extremum adducit. Curari autem prius nequit, quàm suam virtutem solida ipsa recuperauerint corpora, quæ in Symmetria, & cómoderatione posita est; calidi, frigidi, sicci & humidi. Et sic patet solidorum etiam corporum sanitatem in horum Symmetria positam esse. Et ex his colligitur sanitatem non in actione & operatione simpliciter, sed in corporis constitutione ac temperatura consistere; dicant quid velint illi qui sibi persuadent recte valere, & Medicis minime egere, cum citra offensam omnium corporis partium actiones obeunt, propterea quod perfecta sanitas vt dictum est posita est in optima, & secundum naturam corporis constitutione, ex qua perficitur actio, quæ vim & rationem obtinet causæ. Et quamvis Gal. in lib. art. med. cap.8. doceat corpora illa sana esse quæ in solitas possunt exire operationes, quæ vero non possunt alia quidem ægra alia verò neutra, provt impedimentum leue aut graue fuerit. Et ante cap. 7. Corpora quæ sana sunt vt nunc, quæ & bene valentia dicuntur, non tamen ob id vult Gal. sanitatem simpliciter in actionibus consistere alioquin sequeretur, quod cæcus à natiuitate sanus diceretur, & similiter mancus, cum ipsemet lib. de differ. mor. cap.7. dicat. Ægri sunt quicunque laborant aliquo morbo, at hic quidem duplex inquit à generatione & contractus post natiuitatem; quare cæcus à natiuitate æger est & non sanus. Sanitas enim cùm Symmetria sit quædam, Symmetria verò duplici ratione non solùm perficiatur, sed etiam dicatur, vt habetur ab eod. Gal. 1. de sanit.tuen. cap.5. Aliàs quæ ad summum peruenit, verè prorsusque Symmetria est, Aliàs quæ ab huius absolutione perfectionéque paululum deficit, ita & sanitas Symmetria duplex erit. Hæc quidem exacta, optima, absoluta, & summa illa paulò ab hac deficiens non tamen eatenus vt animali sit grauis, sed vsibus nostris adhuc non sit inepta. De prima haud quaquam sermonem habebimus, cum potiùs sit imaginaria quàm quod verè subsistat. Et esto quod reperiri posset corpus tam iusto præditum temperamento, atque partium suarum omnium ita inter se exactum, vt omni ex parte inuicem reuera responderent, id tamen in suo statu haud diutius perstare posset: Cùm corpora perpetuis fluoribus obnoxia sint, quod & maxime probatur. Nam si in temperamenti qualitate ac optima corporis constitutione sanitas constituitur (vt superiùs demonstratum fuit) qualitas autem ipsa non permanet eadem, nec ipsam sanitatem eandem seruari est possibile. Temperamentum enim proprium, priuatumque vniuscuiusque quod videlicet ab ortu suo quisque natus, per ætatem omnium decursum semper aliqua in qualitate mutari est necesse: immo si temperamentum hoc peculiare, cum alterius alicuius temperamenti hominibus recte cóferatur pro ætatum, locorum, consuetudinum, atque huiusmodi omnium conditione, vtique longè diuersum, variumque reperies. Hac igitur prætermissa quæ in animantium corpore potius cogitatione (vt dictum est) vsurpatur, quàm quod verè existat; cùm vix possibile sit dari corpus cuius singula membra suas absolutissime obeant actiones. De illa solum agere intendimus, quæ nec planè absoluta, optima, summaque est, sed paulò ab hac defuit; quæ nec vnica, nec indiuisibilis, sed maioris minorisque ratione diuidua notabilem habet latitudinem. Et hac de causa Galen. loc. cit. cap.5. aperte demonstrat, quod totidem sunt temperamentorum diuersitates, quod sunt functionum differentiæ. Hæ verò sunt numerosæ, ita & constitutiones æquè multæ erunt. Quare sanitates multæ, variæque, & maioris, minorisque ratione diffidentes exstiterint. Quæ dissimilitudo non aliunde oritur, quàm ab ipsa constitutione, vnde actio proficiscitur. Et licèt sanitas, & membrorum constitutio in Symmetria consistat; hæc tamen Symmetria indiuisibilis non est, sed amplam habet latitudinem, vt superiùs diximus, & Gal. comprobat multis exemplis loc. cit. Quapropter in naturali nostri corporis constitutione illa maximè seruanda sunt, quorum beneficio functiones obimus, & si contingat eas imbecilles fieri, non tamen ob id censendum absolutè morbosas esse; nisi hæ à media temperie longissimè distauerint, & à consuetis actionibus obeundis propter noxæ magnitudinem desisterint. Qua de re in hac constitutione non parua latitudo erit constituenda, quam Gal. 2. art. med cap. 8. in tres partes diuisit; quarum & vnaquæque non exiguam habet latitudinem. Prima quidem salubrium corporum erit, Secunda neutrorum, Tertia insalubrium. De illorum ergo conditione nobis agendum est, qui paulùm prolapsi, aut in similaribus, aut instrumentariis partibus deflectunt: cuiusmodi videmus plurimos, qui pro sanis vt nunc habentur; qui quamvis tantùm bonitatis nondum assecuti, vt perfectè & absolute sani existant fortiter, nihilominus munia sua semper obeunt; quique etsi vlli vitio obnoxij sint, morbificis tamen causis succumbere possunt, licèt eisdem maximè resistant, qui robustiores habent operationes: nam qui robustiores sunt, eò magis vicini existunt corpori absolutissimè temperato, quod potiùs cogitatione inueniri diximus quàm esse. Atque ij sunt, quos Gal. lib. de differ. morb. cap. 2. appellauit optimè constitutos, & optimi habitus, atque distinxit in 1. art. med. salubres simpliciter & semper; & in salubres vt multum; & in salubres vt nunc. Et postquam

signa

signa optimæ constitutionis declarauerit, tradidit differentiam inter corpora salubria multum & semper, licet reuera vix sensu comprehendi possit lapsus, cum sit valde exiguus. In salubribus verò vt nunc, lapsus haudquaquam cognitu difficilis; quamvis & ipse sit paruus, non tamen ita insensibilis. Cùm salubria corpora vt nunc magis recedant à salubribus semper, quàm salubria vt multùm. Non desunt tamen (vt Hali. & Iac. de Forli. quo nemo est dilucidior in experimenda sententia) qui tenent quod sanum semper, & vt multùm in extremo magnitudinis sanitatis sint; proximum verò illis sit sanum vt nunc. In oppositio limine sunt corpora ægra vt semper & vt multum vix aliquid sanitatis habentia quibus proximum est ægrum vt nunc. Media inter hæc neutra sunt, quæ æqualiter fermè ægritudine & sanitate participant, sed si ex eadem parte id accidat. Neutrum sit primi modi. Si autem neque his, neque illis simul, sed diuersis temporibus, Neutrum constituitur tertij modi. Sed ij euidenter extorquere literam Galen. in duobus locis in lib. art. med. cap. 4. cùm dixit, salubre esse corpus quod tale est à generatione. Igitur non quod intensam sortitus sanitatē. Et infra c. 8. cum dixit Quod sit vt tota sanitatis latitudo in tres partes diuidatur; quarum singulæ latitudinem habent non paruam; atque in prima quidem salubria corpora, in secunda neutra, in tertia insalubria constituuntur. Post quæ deinceps sequuntur quæ iam ægrotant corpora, quæ sensibilibus operationum læsionibus distinguuntur. Nemini igitur dubium esse potest, ægra corpora sub latitudine sanitatis nulla continere: quin etiam alia esse ægra alia verò insalubria. Propter hæc Thrusian. credidit sanum, Ægrum, & Neutrum esse talia quidem simpliciter, si à generatione originem habeant; verùm nunc sanum cum Neutro, vel Ægro simpliciter idem facit, adducitque Gal. testimonium ex superiore citato loc. cùm diuisit latitudinem sanitatis in tres partes: nam vbicunque est sanitas ibi & sanum corpus; igitur insalubre & Neutrum sanitatem cùm habeant, sanum erit & non simpliciter. Non enim posset esse simpliciter Ægrotum vel Neutrum; igitur sanum est vt nunc Galen. etiam non pertractauit designis nec causis sani vt nunc: Igitur præsupponit in lib. art. med. quòd comprehendatur sub Ægro, vel Neutro simpliciter, adducit & rationem quam demonstrate supponit. Sana corpora à generatione, quæ debilem sunt consecuta sanitatem, sana tamen sunt; quæ cum non possint simpliciter esse sana vt nunc necessariò erunt; quia nulla alia sunt sani genera. Sed hæc quidem à mente Galen. aliena sunt: cùm sanum vt nunc à generatione constituat, Ægrum verò & Neutrum à tempore præsenti sumat. Propter has tamen rationes intelligendum est Gal. non permiscere sanum vt nunc cum simpliciter sano, nec multò minùs cum Ægro vel Neutro? cùm simpliciter sana insalubria vocat; & simpliciter ægra, insalubria; quæ verò vt nunc sana vel ægra. Itaque sana corpora à generatione debilem consecuta sanitatem ea ratione vt nunc nullam sortiuntur appellationem nec sani, nec Ægri nec Neutri; sed salubria vel insalubria, vel quæ Neutrius dispositionis vim habent. Nec tamen nos latet per salubre sanum intelligi, per insalubre ægrum. Cùm verò quis vult alterum ab altero distinguere absque verborum ambitu, Ægrum vocat corpus quod à propria recessit temperie, insalubre quod Ægrum dicitur simpliciter, è non à principiis generationis sanum seu non rectè temperatum, aut non apte compositum.

CAPVT V.

Docendorum, tractandorumque ratio.

INnumera sanè sunt in Medicinali Arte singularia: sed generale quoddam opus omnibus commune est. Nam & corpori aliquid vt superuacaneum detrahens, aut aliquid quod deficiat, adiiciens, vnum vterque in vniuersum præstat; corpori scilicet naturalem modum comparans, qui nil aliud est, quàm sanitas. Natura namque corpus fabricatur, & ipsum imbecillum rursus confirmat, ipsius verò naturæ ministra est Ars, quæ in præsentia vestigatur, quæ & correctiua à Galen. nuncupatur. Hæc autem aut multum corrigit, aut pauxillum. Pars verò quæ semel multum corrigit, medicatiua, curatiuaque nuncupatur ab eodem lib. ad Thrasyb. Quæ verò pauxillum conseruatur. Et hæc quoque insignibus differentiis in tres partes distingui videtur. Aut enim corpus ipsum exacta, perfectaque sanitate fruens conseruat, & hanc partem (inquit Galen.) Euecticen, scilicet boni habitus conseruatricem vocant, Aut quod iam morbum euasit reficit, atque instaurat, & hanc partem Analepticen appellant, Et inter eas tertia est quæ pars salubris nominatur. Quæ tres partes Analeptice, Salubris, & Euectice sub ea Medicinæ parte continentur, quæ sanitatis conseruatiua dicitur, & inter se maioris, minorisque ratione dissentiunt. Quamvis non desit, qui quartam Prophilacticen vocatam, lib. præseruatoriam addunt. Et quoniam Galen. supponit lib. ad Thrasyb. cap. 5. duplicem esse sanitatem, quarum vna dicitur secundùm habitum, dequa supra, Altera secundùm affectionem, quam corpora illa adepta sunt, quæ licèt actu non ægrotent, eam tamen instabilem infirmam, atque inutilem habent, & nihil? Sana sunt atque eis pars quædam artis conseruatricis competit. Vt igitur omnia, quæ huic conseruatrici parti competunt, exequamur, primo omnem rationem, modum, generaque ac differentias eorum omnium extra intusque corporibus incumbentium, quæ prodesse, obesseque possunt, proponemus simul diligenter sed breuiter, tamen erit dispotatio

vniuersæ materiæ salubris, ad sanitatem generis cuiuscumque tuendam, in qua de Aëris natura, locorum, Aquarum, Ventorum, Anni temporum; necnon de Cõstitutionibus, Consuetudinibus, Animi moribus, Vitæ institutis, de Cibis, Potibus, & exercitationibus agemus; (his enim victus ratio quam dietam Græci vocant integratur) de Idoneo etiam tempore, Magnitudine & qualitate non modo exercitationis, sed etiam frictionis. Item de Ira, Tristitia, Metu, Inuidia disseremus. De cibis autem non omnibus, sed de illis tantùm, qui ad secunda fruentes valetudine pertinent. Hæcque separatim, seorsumque & in vniuersum primò tradentur cuncta, quandoquidem docendarum, tractandasque rerum is modus sicuti conditionis, ita & commodissimus, & ad docendum, & ad discendum habitus semper fuit. Atque tandem vniuersalia hæc tanquam magis particularibus applicabimus, vt quoad eius fieri poterit, Ars, cuius actio circa singularia semper & indiuidua est per ætatum, regionum, temperaturarum, studiorum, ac huiusmodi diuersitatem ab vniuersalibus ad particularia magis deducta transferatur; Vt quod cuique his in rebus conueniat pro viribus tradamus, doceamusque subiecta quæ sint, sic & res adhibendæ quæ sint & fugiendæ, & modi atque causæ. Quæ etsi ad disciplinam reduci possint, atque in methodum redigi, in illis tamen describendis non parum insudarunt primarij Medicinæ authores, & Hipp. omnium princeps, qui dixt, Propria omnium curandorum corporum natura, neque in artem vel methodum referri possit, neque voce doceri. Idque non solum Medicinæ euenit, sed omnibus etiam professionibus, quæ in actione versantur; cùm alius sit modus in docendo & scribendo, alius in operando, & curando. In tradendis enim scientiis omnia nitimur resoluere ad prima & generalia principia, in operatione autem omnia nitimur particulatim indiuiduis accommodare, quod difficillimum est; quoniam priuata cuiusque natura experientia potius atque vsu & conuersatione cum eo, cuius est natura, cognoscenda est. Sed eò reuertamur, vnde digressi sumus. Subiecta igitur sunt humana corpora, & eorum species iuxta ætates & sexus, atque regionis. Quæ verò adhibentur sex res non naturales fermè continent. Fugienda autem sunt medicamenta, & omnia cibaria horum participantia, veluti & cruda, quæ praui sunt succi, & multi excrementi, aliaque huiusmodi. Modi, vt somni diurni à repletione. Venus, labor, condimentorum præparationes & varietates, & ordo. Causæ etiam sunt necessariæ alioquin & errata contingerent, & doctrina esset incerta, atque parùm fructuosa. Et vt omnia breuiter, & quodam veluti compendio deprehendantur atque intelligantur, disputationes præscindere iuuabit, & ne opus in immensum augeatur, non quorumcumque inscriptiones & tituli per capita superscribentur; sed omnium eiusdem naturæ ac speciei augumenta vires, & naturam indicabunt, atque cuncta per tabulam tanquam totius operis ideam quisque reperire poterit. Porrò cùm duo sint scopi huius partis, vnus ad seruandam bonam valetudinem, Alter ad producendam vitam, Ideo scire conducet, An podagra, scabies, hæmorrhoides, fistulæ, fontes, & alij huius generis affectus vitæ longitudini conferant. Quæ autem omnia iam prædicta, vt rectè administrentur necessaria erit corporum cognitio; pro qua indaganda in primis quænam sit hominis natura disquirere oportebit: deinde de eiusdem elementis, humoribus, spiritibus, temperamentis, artibus, earumque facultatibus, & actionibus agendum erit, & sic eam partem absolutam habebimus, quæ victus rationem continet; quæ in agendis, assumendis, foris incidentibus, ac educendis consistit.

CAPVT VI.

Humani corporis natura & digressio.

QVàm hominum naturæ cognitio sit necessaria Medico vt est artifex docet Gal. 1. Glauc. cap. 1. Non potest sciri (inquit) morbus, nisi quis temperaturam nouerit, neque cura parari. Et quamvis in lib. de Subfiguratione Empyrica, quem librum scripsisse dicit, vt ostenderet Medicam artem empyricè posse constitui dimissa omni cogitatione de rei substantia. Tamen concludit Medicum non posse esse perfectum absque cognitione temperaturatum saltem ratione modi scilicet tutò, celeriter, & sine dolore. Ab humano ergo corpore exordium sumemus, quod & Artis Medicæ subiectum existit. Est autem homo animal rationale, mortale, mentis capax, & scientiæ, ex quatuor Elementis tanquam primis apparentibus & simplicissimis, minimisque constitutus & in quæ vltima apparentia, & simplicissima, & minima resolutionem capit. Qui non solùm ex Platonis sententia ex terra, aëre, aqua & igne constat, verum etiam ex his mensura quadam inter se contemperatis secundum naturam se habet. Deficiente verò aliquo ex iis, aut redundante aut etiam in alienum locum migrante ægrotat. Nemini enim dubium est, quod excessus & defectus æquabilem temperaturam corrumpit. Ex quibus manifestè apparet Platonis mentem esse, quòd homo constet ex quatuor Elementis; igne scilicet terra, aëre, & aqua, cuius officium perfectum & absolutum erit vt in primis naturam suam animaduertat, deinde ab illa tanquam ab imagine & ab effectu ad diuinam mentem exemplar eius & causam conuertat, qua animus illustratus ipsum bonum, ipsum vtile, ipsum pulchrum, & ipsum iustum intelligat: suumque bonum, vtile, pulchrum, iustum perfectè comprehendat. Quare Platonis opinionem non esse ad Hipp. mentem ostendit Galen. 8. de plac. Hipp. & Plat. inquiens, Accuratiùs & Medico vtilius de ipso corpore humano videtur sensisse Hipp. quippe qui

cùm

cùm ex quatuor Elementis corpus noſtrum dicat conſtare ab effectricibus qualitatibus ſicca, humida, calida, & frigida omnino ea appellat. Neque tamen de morbis ſecundum eandem rationem ſermonem facit. Poteſtate ſiquidem in corporibus, non actu inſunt. Actu verò inſunt quæ ex ipſis per media alimenta gignuntur, ſanguis, pituita, flaua, & atra bilis. Igni flaua, Atra terræ, Pituita aquæ correſpondet; atque idcireo calida & ſicca flaua bilis facultate ſicut ignis, Atra frigida & ſicca ſicut terra. Pituita non ſecus atque aqua frigida & humida euadit. Solum autem aëreum alimentum in animalium corporibus iuxta materiam ſuam tum in reſpirationibus, tum in pulſibus cernimus perſtitiſſe. Quin etiam in palpitoriis affectionibus, inflationibus, tumoribus, atque iis quos flatus dicere conſueuimus, Æquabilis autem ex quatuor Elementis temperatura exquiſitum ſanguinem creat. Melius igitur eſt vt de humoribus dicamus, quod de Elementis Plato ſcripſit. Nam Hipp. cùm dixiſſet, Corpus hominis in ſe habet ſanguinem, pituitam, flauam, & atram bilem, deinceps ſubiungit, & propterea dolet & valet. Valet maximè cùm moderata hæc inter ſe tum facultate, tum multitudine & miſta optimè fuerint. Quænam hæc? Non Elementa ſanè, ſed quæ continenter & proximè corporis membra producunt; ſanguis ſcilicet pituita, & geminæ biles. Dolet autem cùm aliquid ex his plus vel minus ſeperatum in corpore nec benè, nec omnibus confuſum exſtiterit, Id quod Plato paraphraſticè imitatus ait, Et ſedis à propria in alienam facta mutatio. Sed hic (vt dixi) errat; cùm addit ignis ſcilicet & aliorum; cum plus ex vno habuerint partes. Non enim ſunt hæc quæ tranſmutantur; & ſedem in animalium corporibus variant, ſed pituita, bilis vtraque, & ſanguis. Nam ſanguis ſæpenumero aliena ſede occupata lethalium morborum cauſa efficitur. Cùm enim è propriis vaſis effuſus eſt, in pulmone, & inter pectus (& pulmonem collectus putreret, tabem affert: Cùm in ventre concretus eſt, & in magnis vulneribus extremis periculis homines exponit, ſic pituita tumores inducit; flaua bilis ignem. At terram nuſquam videmus per ſe ſolam in corpore congregatam eſſe, nuſquam ignem; nuſquam aquam. Videmus tamen humores in quolibet membro ſingillatim collectos, morborum cauſas exiſtere, non ergo Elementa ſimpliciter. Haud enim ex qualitatibus ſolis poteſt fieri animalium generatio, cum hæ ſeorſum à corporibus exiſtere nequeant. Verùm ſit ex ipſis corporibus, quæ ſcilicet ſummas habent qualitates. Illa enim ſunt communia omnium corporum Elementa. Quæ vero propter horum exuperantiam nominantur, ſingula ſeorſum exiſtunt. Verùm hic non eſt locus vt quæramus illam difficillimam enodare quæſtionem iamdiu agitatam de elementis, Num videl. actu in miſtis contineantur, Etſi non deſint qui auſi ſunt docere quonam pacto nutriantur quæ viuunt; cum ex quibus corpora viuentia conſtent adhuc eis incertum ſit, Nam ſi dicant, quod miſta animata conſtent potius ex qualitatibus Elementorũ quam ex Elementis, quia ſi ex Elementis, ſequeretur, quod miſta omnia violenter mouerentur: patet nam ignis & aër in homine deſcenderent. Tum iſta ab interna cauſa cõrumperentur, à pugna ſcilicet Elementorum. Tum & miſti vnius multiplices formæ eſſent. Tum etiam ſequeretur quod daretur corporum penetratio, vel non perfecta fieret miſtorum miſtio. Pari ratione ſi affirment, quod ſolæ qualitates exſtent in miſto, ergo ignis erit calidus & humidus. Cum enim ex aëre fieret ignis, remaneret humidum, & multa alia ſequerentur inconuenientia; quæ cum Medico ſcitu non ſint neceſſaria, vt etiam 1. art. cur. cap. 2. Galen. affirmat inquiens, Ariſtoteles exiſtimauit ſolas qualitates miſceri non ſubſtantias; ſed hoc Medico ſcire non eſt neceſſarium. Auerroïs tamen opinio, quam tribuit Principi 3. Cœ. eſt, quòd ſubſtantiæ integræ maneant, ſed qualitates ſint refractæ, & quod ſubſtantiæ hæ Elemẽtorum ſint ſolùm potentia, qualitates verò in actu. Sunt & qui neque formas neque qualitates Elementorum in miſtis remanere affirment, ſed tamen vnam qualitatem, quæ ex illarum proportione, & adinuicem contemperatione efficitur per virtutem ſeminis vel alterius quomodolibet agentis, & generantis cum concurſu cauſarum ſuperiorum, & iſti hanc vnicam qualitatem effectiuam ex contemperatione, complexionem vocant, ſiue temperaturam. Omiſſa igitur omni diſputatione ſciendum quòd Elementa quadrifariam ſunt in miſto. Vel vt aceruus, ſicut in luto, aqua, terra, aër; Vel vt in potentia, vt vinum & aqua in vino diluto; Vel vt in potentia ſimpliciter, vt in genito, Vel vt corrupta, vt in corrupto. Quæ verò ſunt in miſto differunt ab his quæ ſunt in genito; quia quæ ſunt in miſto ſunt in potentia, quoad ſenſum noſtrum, in actu verò in ipſa re. Et ſunt per modum principis; habent enim integras ſubſtantias, & refractas qualitates. At quæ ſunt in genito, ſunt in potentia vere, quia habent vnam formã ab omnibus diſtinctam conſimilem tamen Elementis ſuperantibus mole, aut viribus. Sunt itaque omnino in potentia. In potentia verò quo ad ſubſtantias, & refractæ qualitates vt in actu. Sed de his ſatis, reuertamurque ad propoſitum. Homo igitur ex Hipp. ſententia ex primis & ſimpliciſſimis ſenſui Elementis conſtat; quæ ſimilaria dicuntur. Fibra nempe, membrana, carne, adipe, oſſe chartilagine, ligamento, neruo, medulla, & aliis omnibus quorum partes vniuerſæ eandem inuicem retinent formam. Hæ vero factæ ſunt ab aliis quibuſdam proximis Elementis ipſis, ſanguine & pituita, & vtraque bile, quæ ex cibis & potibus generantur. Qui rurſus ex aëre, igne, aqua, & terra ſunt geniti. Hæ rurſus non ex aliis corporibus, ſed ex materia, & qualitatibus conſtant, ac propterea ignis quidem & terra, & aër & aqua principia eſſe à nonnullis dicuntur, & non Elementa. Hæc autem ipſa aliorum omnium ſunt Elementa. Sunt enim particulæ minimæ,

mæ, aliorum omnium primæ, simpliceſque. Omnes enim herbæ, & plantæ, & fructus omnes ex Elementis originem habent; ſunt tamen omnium animalium cibi, & ex his humores nobis ſunt generati, qui ſecundum naturam in corpore apparent: & ex his humoribus ſingulæ partes ſunt generatæ, ex quibus inſtrumentariæ partes efficiuntur. Quam ſententiam comprobauit Gal. 1. de Elem. cap. 9. ſequutus Hipp. mentem, qui lib. de nat. hum. diſputauit, inquiens, Propria, & proxima corporis Elementa quatuor humores eſſe: communia autem hominum ſiccum, humidum, calidum, & frigidum. A qualitatibus enim nominat Elementa, per quas etiam facta ſunt Elementa. Nam ſumma caliditate adueniente materiæ iam totum eſt Elementum. eadem ratione & frigiditate & ſiccitate, & non per aliam qualitatem vt caloris, vel leuitatis, ſed per ſolas has quatuor, quæ ſubiectam ſubſtantiam alterant, & quæ cauſæ ſunt, vt Elementa inuicem tranſmutentur. Quod demonſtrauit Hipp. per illa verba, Non deberemus ſi homo vnum eſſet. Vult itaque quod propria hominis Elementa ſint quatuor humores, vt dictum eſt; Nam ſanguis, & pituita, & vtraque bilis Elementa, & materia ſunt generationis omnium animalium ſanguineorum, (& non hominis tantum) omnium verò entium communia eſſe Elementa, calidum, frigidum, ſiccum & humidum. Hominis verò propriæ particulæ & minimæ ſunt quæ ſimilares vocantur: & ſic corpora mutuò adhærentia in ſe inuicem tranſmutari natura apta ſunt, dum vel calefiunt, vel humectantur vel exſiccantur. Conſtat igitur quam vnuſquiſque naturales quorumcumque corporum differentias compertas habere debeat, ſi debitam cuique ſalubrem victus rationem aſcribere putat. Verùm cùm hominum natura ſit duplex; Vna videl. omnium communis, Altera cuiuſque propria, ideo natura corporis hominum idem erit quod temperamentum in humido primigenio, in ſpiritu, & in calore ſitum quæ tria temperamentum noſtrum, noſtramque naturam comprehendunt; quæ natura quãuis efficiat quod opus eſt, indoctam tamen & ineruditam vocat Hipp. 6. de morb. vulg. à Gal. tamen ponitur, eam eſſe artificem, & vim quandam inhabitantem in ipſis corporibus, quæ ab ea reguntur. At quæ ſit ipſius naturæ ſubſtantia, quæ nos & finxit & gubernat non auſus eſt Hipp. pronunciare: quamquam naturæ creationis auctorem naturam appellat & Gal. eam eſſe inquit vniuerſam ſubſtantiam, & temperiem quæ ex quatuor Elementis conflatur; quæ humani corporis particulas non modo effinxit, ſed ſenſim adauget, & per eas totas omnino eſt extenſa. Qua de re non ſolùm totius corporis eam eſſe temperamentum declarauit 2. de nat. fac. cap. 3. ſed vniuſcuiuſque etiam particulæ proprium. Cuius temperamenti tria ſunt quæ ſubſtantiam compleuerunt; ſpiritus, ſanguis, & ſeminalis humiditas, vt 1. Aphor. comm. 15. Immo X. meth. cap. 1. dixit Naturam ex tribus conſtare partibus, ex ſpiritus videl. & ſolidarum partium ſubſtantia quę partes ex genitali ſemine conditæ ſunt, & tertiò ex carnoſa ſubſtantia, quæ ex ſanguine gignitur non tamen puro & ſyncero, ſed aliis humoribus confuſo ex quo ita per miſto non modò partes hæ corporis noſtri genitæ ſunt, atque in lucem editæ, ſed incrementum etiam & perfectionem accipiunt, veluti ex quadam materia. Et hinc patet quod ex horum humorum temperatura ſanitas in humano corpore efficitur & contra ex eorundem intemperaturis morbi accidunt. Sed notandum quod ſicuti ex ſanguine non puro & ſyncero formantur corporis noſtri partes potiſſimum carnoſæ, ita ex ſemine ſolidiores in primo ortu; quorum omnium calor innatus maximus eſt opifex, qui & coctionem & alimenti diſtributionem, & ſanguinis generationem adiectionem, agglutinationem, atque aſſimilationem operatur & efficit, vnde nutritio oritur. Sed quomodo nutritio fiat non ita clarum eſt apud omnes. Nam cum elementa in homine potentia exiſtant, forma autem hominis in actu, neceſſarium eſt quod nutrimentum ſpolietur forma corporea, & ita trahatur ad quamcumque partem ipſius quod trahitur. Et ſicut videmus quod qualitates actiuæ præcipuè penetrant in intima corporum, Ita eſt ſubſtantia priuata actu & forma corporea & cùm eſt in membro, acquirit vtrumque ſcilicet actum, & formam corpoream, & ideo antequam nutrimentum ingrediatur membrum amittit actum Elementorum, & actũ propriæ cuiuſdam formæ ſcilicet vt puta pomi, vel chili, ex quo factum eſt, & formam corpoream, & hoc eſt momentaneũ. Factum eſt autem à diuina virtute, quia aliter fieri non poterat vt viuentia nutrirentur, & augerentur. Dicamus igitur quod nutrimentũ vbi exiit ex venarum oſculis, ſubitò trahitur ad membrorum partes vniuerſim, & non fit appoſitio, (vt nonnullis placuit) ſed ſicut qualitas ingreditur & ſubito in ſubſtantiam membri tranſmutatur. Et ſi contingat quod pars aliqua exſiccata non trahat, tunc corrumpitur membrum, & nutrimentum ſolet ad cutim expelli, vel per viam ſudoris ſi natura ſit robuſta, vel tranſit in formam Oedematis. Et idcirco natura hominis in rerum ordine declinat ad calidum & humidum manifeſtè vt nutrimentum liberè ſuſcipere valeat, & cùm exſiccantur corpora nutrimentum ceſſat, & ſenium aduenit, vt infra declarabitur.

CAPVT VII.

Temperamenti & eiuſdem diuerſitatis explicatio.

PRinceps prima p. doctr. 3. cap. 1. definiens temperamentum dicit, quod eſt qualitas. In qua definitione ponitur genus quod eſt qualitas. Gal autem poſuit ſubſtantiam 1. de vſ. par. cap. 9. Carni eſſe aç neruo nerum accidit ob primarum qualitatum

tatum certam temperiem. Et de vsu. par. cap. 5. inquit. Vniuscuiusque membri propria substantia est temperatura quædam calidi frigidi, humidi, & sicci. Et sic videtur Galen. velle quod sit quoddam valde proximum temperaturæ substantiæ ipsius mẽbri & quod ab eo proueniat. Et ex inde oritur dubitatio illa, An qualitates sint forma substantiales Elementorum. Nam si sunt, temperamentum est substantia, sin autem aliud, erit qualitas. Pro cuius dubitatione nonnulli Classici authores respondent quod temperatura quædã resultat ex primis elementis, & hæc est proptia, (vt iam superiusostensum fuit) quædam ab aliis vt in lacte, cum ad sint colostra, butyrum, serum, & caseus erit tẽperatura lactis ex illis resultans, quarũ quælibet haud dubie ex mistione quatuor elementorum prouenit. Erit igitur temperamentum concursio principum qualitatum, quod non per illam mediocrem mistionem simpliciter, sed potius per rationem illius mistionis progignitur, & exinde non fieri ex sola mistione efficientium qualitatem, sed ex substantia eorundem elementorum, itaut sit temperamentum concentus quidam quatuor principium qualitatum ex omnium elementorum permistione, non autem esse quintam illam qualitatem simplicem quam ex primarum qualitatum mutua affectione emergere imaginatus est Auicenna, quæ potestate omnium vires, reliquis pereuntibus amplectitur ac retinet. Quia si ex vna tantum qualitate quæ omnium vires retineret, temperamentum constaret, nullam vtique contrarietatem in eo remaneret, nec vllam mutationem recipere posset per singulas ætates, dum plura in eo non insint, atque ea contraria, nec ægrotandi occasiõnem haberet, nec senij atque interitus causam insitam, nec possent elementa ad sua principia redire. Et si quis obiiciat, cur summæ qualitates cum inter se sint contrariæ, similiter non sese prorsus interimant, Dicendum quod summæ qualitates si inuicem permisceantur tepotem ingenerant, ea ratione quæ & remissæ & mediæ. Quod palàm confirmat. Arist. dum inquit Media extremorum congressu nasci: fit enim tepor ex confusione calidi frigidique pari portione. Contraria namque si permisceantur ac confundantur, quasi victa exhibentur, ne suas vires summas exhibeant. Et si quis iterum inficiat, quod contraria non possint eodem subiecto contineri, dicamus quod illa etsi inuicem confundantur, non idcirco eandem simul sedem occupant ac dominantur, nec idem potest nomen obtinere ab vtroque contrariorum, sed ab eo duntaxat quod præstat ac vincit in virtute. Et si inter initia non ita ad amussim distinguantur, temporis tamen diuturnitate in permistione detegitur. Sic per ætates fit temperamentorum diuersitas: sic morborum ac senij causam nobis ingenitam circumscribimus. Dicendum igitur temperaturam esse causam formæ membri; quæ cum bona fuerit, vis illa diuina melius & comptius membrum formabit: si contra, deterius, vt videmus in rusticis, & morbosis parentibus, tum filiis. Præterea quod actiones omnes fiant per qualitates temperatus, patet; quia membrum congelatum non potest aliquid agere, nec manus apprehendere, nec pes bene ambulare. Calor etiam naturalis, qui proximior est temperaturæ, quàm compositioni est author omnium operationum; vt habetur 1. Aphor. comm. 15. licèt operationes sint virtutum, & facultatum, quæ à tota substantia procedunt: vt si quis ambulando per loca duriora magis defatigetur, quoniam lacerti, & nerui magis lædantur, & sic de reliquis passiuis operationibus, de quibus nulla est difficultas, quòd fiant per similes partes. At de actiuis principium est in parte simili; operatio verò perfecta est in toto instrumento sed de his satis. Tempus est vt ad temperamenti diuersitates transeamus. Volens igitur Princeps prima pi. doct. 4. cap. 1. ostendere corpus humanum esse calidum & humidum, sic ostendit: Cùm tria sint membra principalia, Cor, Iecur, Cerebrum; Et ex his duo calida, Cor, & Iecur; & duo humida, Iecur, & Cerebrum; & vnum tantum frigidum scilicet Cerebrum & vnum tantum siccum, scilicet Cor, quod etiam dicit esse modicè siccum. Igitur temperies totius hominis, ad calidum & humidum manifeste declinabit. Gal. autem in art. med. cap. 50. vult quòd corporis totius temperamentum sequatur Cordis, ac Iecoris temperiem, & ratio est quia cor subministrat sanguinem subtilem tenuam ex arteria, Iecur ex Vena, Cerebrum nihil; Igitur temperies totius hæc tantum duo membra sequitur. Immo Gal. contra Principis opinionem ostendit, ex primo de temperam. cap. vlt. quod Cor calidum, & humidum, licèt parùm; non autem siccum: & ideo totum corpus est calidum & humidum. At Cerebrum cum sit frigidum, immo frigidissimum inter membra, apud omnes fermè existimatur: sic ob multitudinem arteriarum, quoniam necessario oportebat in eo gigni spiritum animalem, tum ob substantiæ mollitiem, calidum non leuiter euasit, quamvis suapte natura sit frigidum, vt per neruos temperet calorem corporis vbique, & præsertim calorem cordis per se; in hoc secutus Arist. & humectat pari ratione corpus, ita augendo humidam qualitatem & remittendo calorem immensum, reddit totum corpus ex æquo fermè calidum & humidum, & addidit ferme cum vix possibile sit quod detur corpus æquale temperatum, quod est Haliab. Galenum interpretatur 1. Theor. cap. 1. dicens; Et æqualis temperatura de vere æquali dicitur, cuius distantia ab extremis vna est, & hanc vix inuenire est omnino. Rationes autem in oppositum adduci possunt, quæ probare videntur, hanc posse dari æqualitatem in temperamentis hominum. Et primo quia sensus tactus debet esse in medio qualitatum omnium vt iudex 2. de ani. tex. comm. 118. Sed homo habet perfectissimum sensus tactum. 3. de anima tex. comm. 94. Igitur homo est naturæ temperatæ in medio qualitatum & propter hoc dixit Gal. 2. de temper. cap. 1. quòd maxime vola manus talis est.

Gal.

Gal. quoque 1. de Tempera. cap. vlt. inquit, si terra aquæ misceatur, & glacies aquæ fermentissimæ, nonne ex prima mistione medium inter siccum & humidum progignetur? Quod autem tale est, etiam medium & æquale ab hominis sensu, percipitur, & dijudicatur. Sensus igitur hominis in temperie exactissima constat. Item homo habet perfectissimas operationes, belluarum temperatione. Ipsæ autem calidiores sunt vt leo, & canis; aut frigidiores vt lepus vel formica; vel ficciores, vt auium rapacium genus, & insectilia; & humidiores, vt pisces. Cùm igitur homo in medio horum consistat verisimile est medium illud ad amussim obtinere debere. Sed debiles hæ sunt rationes, & in oppositum est Gal. sententia primo de temper. cap. 1. dicentis constare animalium corpora calidi, frigidi, sicci & humidi mistione; nec esse horum omnium parem in temperatura portionem, ab antiquis abunde demonstratum est, tum Medicorum, tum Philosophorum præcipuis. Et Princeps 1. p. doctr. 3. cap. 1. Medicus debet Philosopho credere in his, quæ ab illo accipit: & hoc est quod non datur temperatura æqualis, & verè ad pondus, sed solùm ad iustitiam, ei homini maximè conueniens pro suis operationibus. Cui sententiæ Philosophus etiam subscribit, dum inquit, Temperatum quod Medici contemplantur non est verè temperatum, sed pro operationibus conueniens, & forsitan quod hominis temperatura est proxima valde illi temperato vero, quod rarò tamen reperitur, & non nisi in ætate consistentiæ, & in puncto siue exiguo temporis momento, & in cute solùm habetur; & cutis adhuc pars temperatior est, quæ in manus vola; & huius adhuc iudex digitus; atque huius iterum summæ partis cutis optimum tenet temperamentum: Et id debet concedi quoad sensum, Nam si verè daretur temperatum æquale, sequerentur absurda multa, & quod quiesceret actio in quolibet elemento, nec daretur graue, nec leue, nec adesset elementum prædominans. Sed forma misti & forma elementi prædominantis, vt habetur 4. Meteor. Qualitas enim actiua prædominans in misto continet passiuas, & illis dominatur, & sic mistum manet, nec corrumpitur. Et Auerr. scilicet collec. probat, quòd in omni misto perfecto prædominatur calidum & humidum. Et ideo patet quod homo non leuiter est temperatus, per Principem, & Auerr. sed multum ab æqualitate temperantiæ remouetur versus calidum, & humidum. In generatione etiam oportet esse aliquid quod misceat, & agat, quia ab æqualibus in virtute non fit actio, & si actio in via Auerr. detur non tamen in misto cum necesse sit adesse motorem. Oportet igitur quod in quolibet misto prædominetur aliquod elementum, ergo non conceditur temperatura hæc æqualis, nisi vt dictum est, ad iustitiam siue quoad vires constat; & temperamento maxime proxima vbi operationes absolutissimæ exstiterint, sed non ad pondus cum illa fermè potius sit imaginaria. Quapropter dicamus continentia ipsa, carnes, ossa, neruos, venas, neruosa, membranas, cartilagines, ligamenta, & pinguedinem simul sumpta declinare ad frigidum, & siccum, sed eò magis quo moles horum maior est contentis. Contenta autem sunt calidioris, & humidioris temperamenti, hæc autem omnia simul iuncta æquale mistum in omnibus reddunt, cauitates ipsæ calidiores omnes, & humidiores quam par sit, vt os, venter, pectus; cutis verò manus absolutissimum obtinet finis causa vt percipere possit qualitates; quia tantum recipit de calore influente, quantum illi est necessarium ad temperamentum medium. Ob id etiam intemperatorum leuiter tactus dicitur absolutissimus iudex, temperatorum verò certus. Cætera enim membra vel ob propinquitatem nimis inflammantur; vel ob cauitatem nimium replentur sanguine; vel ob soliditatem ab eo destituuntur. Relinquitur igitur vt sola cutis temperata esse possit, & quod possit dari hæc æqualitas cum quadam latitudine iuxta modum traditum à Gal. 1. de tuen. sani. cap. 5. & 6. vbi dat exemplum de Citharistis, quod & 2. demper. cap. 1. his verbis declarauit. Temperatum est quod operationibus præcellit ei, quod minimè morbis obnoxium est. Sed clariùs paulò post. Temperatum corpus omnes tum animales, tum naturales virtutes inculpatas habet, cum & sensuum facultatibus, & membrorum motibus optimè præditum est. Et lib. art. med. dat exemplum de Phycleti statua, quæ omnibus membris absoluta fuit. In primo etiam de tuen. sani. cap. 5. cum Gal. docuisset, quod quamvis homo non sit robustus, vt Milo Crotoniates; nec videat, vt lynceus lupus, tamen debet dici robustus & benè videns, quãdo hæc pluſquam mediocriter illi adsunt: eodem modo inquit, est de sanitate tuenda quamuis enim omnino non sit illa perfectissima, tamen homo debet dici sanus, si igitur homo tẽperatus perfectissima vtitur sanitate, atque etiam solus; & perfectissima sanitas non est nisi cum operationibus perfectissimis, tam vitalibus, & naturalibus pro toto, quam etiam sensilibus pro sensibus, & rectricibus pro crebro, ac motiuis, igitur corpus temperatum omnes operationes perfectissimas habet, quæ secundum naturalem cursum procedunt planè, & perfectè. Et si hominis natura cum aliis animabus conferatur, temperatissima omnium est, quæ non solum æqua quatuor elementorum mistione constet, (vt iam probatum est) verum etiam corporatura in eo partiumque omnium inter se compositio seruata pro viribus mensuræ proportione respondent, nec habet vnde à temperie sua lubens decidat; cibo nempe, potu, cœlo siue regione; reliquisque aliis huiusmodi: si vero in sua specie humana corpora inuicem conferantur, non exigua adhuc reperitur differentia, quæ oritur ex viribus quatuor elementor, quæ si æqualiter in vnam coierint, ita vt & pares sint calidi, frigidi humidi & sicci portiones iustum ac temperatum (vt & superius ostensum est) conficietur temperamentum. At si eorumdem vires inter se fuerint dispares, intemperatum

ratum immoderatumque temperamentum fiet. Et ſi ſingulorum vnum exſuperetur, quatuor poſſent fieri temperies; Calida quidem, in qua calor frigori antecellit; frigida, in qua vincit frigus, & ſic deinceps. Paritratione ſi duo ex his quatuor ſimplicibus extulerint, atque ex ſuperauerint, quatuor inſurgent coniugatæ temperaturæ, vt ſi calida & humida, vel calida & ſicca, vel frigida & humida, vel frigida & ſicca principatū obtinuerit. Nouem igitur erunt temperamentorum genera, quæ permiſtionis differentias conſequuntur. Vnum temperatum, & octo intemperata; ſimplicia quatuor, totidem cōpoſita. Quæ intemperata dicuntur quia à tēperato recedunt, & cum par receſſus non ſit exinde magis & minus ſuſcipient, vt vniuſcuiuſque innumerabilia poſſint oriri diſcrimina ex maiore, minoreque receſſu. Nec mirum ſi exinde tot atque infinitæ corporū naturæ ac proprietates conſurgunt. Sed notandum, quod licèt temperamentum ſit cōſtans, & firma corporis habitudo; Huius tamen aliud ex ætate homini ineſſe patet: Aliud ingenitum & ex ipſa natura: Aliud ex temporis & victus conſuetudine, quæ diuerſa cùm ſint, & plerumque pugnantia, in vno corpore interdum conſtituuntur; licèt corpus primam ſemper naturam redolens, in id ingenitum facilius ſe referat. Ex quo fit, vt quia prima origine ſit intemperatus, quamvis arte & victus regimine in meliorem ſtatum reducatur, verè tamen nunquā temperatus eris velut ille, cui temperies ingenita eſt. Nec is etſi ab ortu temperatus effugere poterit quin in dies detrimentum patiatur, donec extremum vitæ ſpiritum edat. Nam etſi optima viuendi ratione, ſumma arte, humanaque induſtria vtatur vt ſemetipſum ſaluum & incolumem tueatur, plurimas tamen hoc interim mutationes ſuſtinere eſt neceſſe. Vnde ætatum diſcrimē quod non ſolum ab externis cauſis, aut æſtu immodico, aut cæli ardore, aut intemperatrice viuendi conſuetudine, ſed ab interiore, quæ ſemper intus aſſidet, cauſa ortum ducit. Quocirca ætatum differentiæ plurimùm inter ſe diſſimiles fiunt, donec tandem corpus areſcat, atque contabeſcat. Conſtans igitur atque diuturnum euadet temperamentū illud ac mediocre fiet, ſi pares in permiſtione fuerint qualitates. Inconſtans verò ac prorſus mutabile, ſi diſpares nec affines. Id namque celeriùs diſſoluetur. Illud verò diutiſſimè perdurabit. Quamplures igitur ſunt temperamentorum differentiæ ob variam elementorum portionem inſertam in concretis, quorum vires nobis occultæ ac penitus abditæ ſunt; & ſiquid certum haberi poteſt, id non niſi ſenſuum beneficio (per quos notiones rerum in intellectu imprimuntur) poterit aſſequi. Quicquid enim animo concernimus, id omne originem traxit à ſenſibus. Et hæc de temperamentorum diſputatione dicta ſufficiant. Quæ verò de corundē ſignis, quibus temperamenti nobis æqualitas vna, octoque præterea inæqualitates indicentur, quibuſcunq; ea in locis, aut quacūque ætate, aut ſexu, aut vitæ inſtituto reperiantur, ſubiungere ac perſequi videretur, in propriam tamen tractationem vbi de inſalubribus agemus, commodiùs referemus.

CAPVT VIII.

De Spiritibus.

NArrat Hipp. l. de flat. pag. 2. Corpus noſtrum ex tribus nutriri, ſpiritu, cibo, & potu: cibo quidem ſolida nutriri; potu humores; ſpiritu autem calorem naturalem. Idem etiam l. de nat. fet. docuit, demonſtrauitq; quod ex aëre ſpiritus nutritur. Eſt enim ſpiritus corpus æthereum, caloris, facultatiſque ſedes, & vinculum, primumq; obeundæ functionis inſtrumentum. Gal. verò inquit ſpiritum eſſe corpus quoddam calidum tenuiſſimæ ac leuiſſimæ ſubſtantiæ ex aëre, & tenuiſſima, leuiſſima, ac ſyncerisſima parte ſanguinis ſeu ſeminis genitum, vt 3. de facult. natural. c. 14. & 6. de vſu part. c. 17. idēque ex multis aliis locis colligi poteſt. Verùm vt id melius declaretur, notandū quòd tria ſunt ſunt quæ parti cuique inhæreſcūt, atque aſſident; Innatus calor, ſpiritus, & humidum primigenium. A natura namq; vnicuique animantium generi datum eſt, vt vi inſiti caloris vitam agant, cuius temperatione omnia continentur ac reguntur; eo verò extincto refrigerantur, vt ſenſus manifeſtè declarat. Nam ſicut omnia viuentia hoc calore innato formantur, formans namque virtus non agit niſi per calorem qui eſt in ſemine non eo modo, vt hoc virtus in illo calore ſit vt anima in calore naturali, ſed eſt vt intelligentia in corpore cœleſti, ex his colligitur manifeſte quod ſemen non habet animam in ſe in potentia remota. ſemen enim eſt excrementum vltimi alimenti, non autem res animata, nec virtutem habēs nutricem in actu, ſed in ſemine relinquitur calor qui effingit animum, atque ad viuum eius effigiē exprimit ex virtute (quæ eſt ſimilis arti) quæ proficiſcitur ab intellectu ſeparato, qui eſt alius à 1. motore, & hæc virtus cæleſtis eſt, quam intellectus ille largitur calori ſine inſtrumento corporeo. Conſeruantur etiam eadē & eius beneficio alimentum trahunt, conficiunt, eoque nutriūtur, augeſcunt, procreant, ſenſu & motu valent: quæ operationes quantò perfectiores fuerint, eò vberiorem huius ſalutaris caloris vim atque ſubſtantiam denotāt animalibus ineſſe, ita eo extincto mori atque diſſolui eadē eſt neceſſe, adeò vt quamdiu calor iſte in corpore conſeruatus fuerit atque inerit, tamdiu vita fruetur. Nec frigus, quod intēperamento dominatur poteſt huius caloris vires ſuperare poſtquā omnia viuentia, quæ ex propria natura frigidiſſima ſunt, vt ſerpentes, mandragora, papauer, & alia huius generis hoc ipſo viuunt, tanquam vitæ functionum auctore ob præſtantiā ſiue originis, quæ non ignea, nec ab elementorum miſtione, ſed aliunde ortum ſuum reconditum habet. Et quoniam ſine ſede, ac vehiculo in ſingulas corporis partes permeare non pote-

rat, cùm sit simplex & in qualitatis genere constitutus, vt huc illucque temporis momento diffundi posset. Ideo cor eidē à natura largitum est & ab illo tanquam à radice & fonte per arterias toti corpori impartitur, & tanta celeritate, vt meritò censendum sit calorē hunc corpore aliquo substantia tenuissimo ac profluente contineri, quod simul illum foueat, sitque familiare; ob id aëreum, alij & rectius æthereum appellarunt. Et is naturalis calor ab Arist. interdum spiritus dictus est, desumpta nominis ratione à viribus & effectu, vel à tenuitate & velocitate. Hip. etiam hunc nuncupauit spiritum tanquam auram aëream quæ oculorum sensum effugit. Et quoniam nonnulli substantiam hanc adeò perspicuam, nec aspectabilem contemplantes ausi sunt eam (falsò tamen) naturæ, tum animæ substantiam pronunciare, cùm ea quid præstantius, immo quid diuinius sit, quòd recte Arist. cōfirmat 2. de animal. gen. c. 3 dum inquit. In semine, spumosoque corpore spiritū, in spiritu naturā contineri, quæ proportione respondet elemento stellarum. Quasi dicat spiritum hunc inter corpus & diuinam illam naturam tanquam vinculum cōmune interponi. Per hunc etenim anima corpori insidet, & omne officij munus exequitur, quod Arist. inuiere videtur eodē 2. de gen. animal. c. 3. quærens quid est corpus illud proportionem habens cum elemento stellarum quod animæ coniungitur? Respōdet, non igneus, sed naturalis calor. Cum igitur anima sit cum calore naturali, & hic in spiritu, vt ibidem dicit, manifestum est animā esse in spiritu secundum Arist. Huius autem spiritus sedes in arteriis, in cordisque sinu, & in cerebri ventriculis à natura condita est. Atque hic aëris inspiratione indiguit, qui nō modo corpori refrigerationem, sed pabulum quoque subministraret. Virtutes enim omnes in ipsis spiritibus sunt: quia spiritus secundum Arist. recipit principium primum, & animam primam ex qua aliæ profluunt virtutes. Sic & Gal in l. de vsu respir. vult quòd spiritus sit primū animæ instrumentū, & qua nvis ipsemet videatur oppositū apertè declarare in 7. de plac. Hipp. & Plat. c. 3. dicens, seu anima corporea sit, aut incorporea, ipsa in cerebri substantia non in spiritibus sita est, adducitque rationem. Vacuato vt in vulnere ventriculi cerebri vniuerso spiritu sic concidit sensus & motus, vacuata anima mori hominem necesse esset; quod tamen falsum est. Nam hæc Gal. ratio oppositum concludere videtur. Vtroque siquidem vēntriculo vulnerato, iravt exhalet vniuersus spiritus homo moritur. In arteriis quoque plurimus asseruatur alius etiam qui sensibus delegatus est regredi posset, & sic anima denuò instaurari. Præterea spiritus, qui est animæ fundamentum est in corde. Verum spiritus & calidi innati duæ primæ differentiæ assignari possunt. Est enim innatus proprie qui membris insitus tanquam quartum elementum. Est & influens qui ex cibis gignitur non quòd alius sit ab innato, sed prout extenditur ad alia mēbra vocatur influens, & quia exēditur medio sanguinis, & spiritū, quorum auxilio perseuerantiā acquirit l. de sec. ven. c. 5. Igitur cùm sanguis & spiritus ex cibis restaurentur influens solet dici, quòd ex cibis generetur, cùm tamen eadem ratio de innato dici non possit, vt in l. de Tabe c. 5. Vbi vult Gal. quod cordi nūquam desit alimentū etiam in maxima fame. Etsi verè innatus etiam cibis sustineatur; solus influens dicitur ex cibis gigni. Solitarius igitur non est spiritus is, sed tenui substātia ac ætherea insito calori perfusa constat, ita vt ambo societate quadā conditi sint, quos alit, sustinetque humor pinguis oleo perquam similis, aëreus tamen, qui etsi visus sensum effugiat, arte tamen cōprehenditur in partiū similarū substantiā distributus. Fundamentū igitur & substantia prima tum ipsius spiritus, tum calidi innati erit humor hic, quem primigeniū appellāt, qui cùm in similaribus quibuscunque particulis insit, citra eius opē spiritus calore perfusus diutius permanere nō potest. Pinguis etenim est ne calido facilè arescat nec facilè refrigeretur. Immo dū humor hic calorē cōtinet, solidarū partiū substantiā mat. Humido enim isto pingui nutrimur; quod tres in se habet partes. Tenuem nēpe, mediocrē, & corpulentā seu crassā. ex tenui spiritus nutriuntur, ac quoquomodo humores reparantur. Ex mediocri parte fit generatio humidi membrorum solidorū ex crassa verò & corpulenta generatur ac reparatur substantia solidarū partium. Et hæc pars si solida seu densa & pura ac plurima exstiterit, vitam in lōgissimū tempus producit, & præsertim si paucus associetur cibus, cum exigua fiat ipsius resolutio à calore innato (qua de re qui plurimo cibo & potu se ingurgitant cito corruūt) At contra si impurius & faculentum tenuiusque fuerit, facilè à calore excipietur & breui temporis spatio absumetur, in nihilumq; reducetur licet copiosus assumatur cibus potusq; ad instar eorū qui voluptuosam ducunt vitam; qui etsi lubricam habeāt aluum, commodaque fruātur valetudine, breuis tamen sunt vitæ, quia eorum iecur in dies debilitatur ob copiam excrementorū quæ generant. Quapropter notandum quod similarium solidarumq; partiū triplex est humor. Elementaris vnus, Primigenius, & tertius elementarius. Ex primis duobus propria illorum substantia cōpletur. Tertius aduentitius, & quoquomodo exterius est, qui siccari, & absumi potest, citra animalis interitum. At reliqui duo nec maiori ex parte resolui possunt quin animal è vita excedat, dissipata spiritus ac caloris materia tanquam propria sede, quæ spiritum continet, ac seruat, cum (vt dictum est) sit proprius viuentium humor, & portio quædam substantiæ nostræ à principio generationis contracta. Et hinc fit quod si aliqua ex parte dissolutionem patiatur homo haud quaquam superstes manebit, etiam quod spiritus substantia, & natiuus calor remaneant. At si contrarium cōtingat, quod 5. caloris & spiritus substantia dissipetur, vt in vehementi animi deliquio euenire solet, non extinguitur animal dum accidens sit citra vllam primigenij humoris iacturam, quem alij humidum radicale, alij vitale & salutare humidum appellant, quod

spiritus

ſpiritus,& calotis(vt diximus) totiuſq; vitæ fundamentum eſt. Cauſa autem cur homo ſeneſcat eſt quoniam id quod conſumitur puriſſimum eſt, id verò quod additur,cùm à parte terrea omnino nequeat ſeparari, non poteſt æquiparari humido quod conſumitur, aliter non eſſet nullũ ex quatuor elementis. Quare neceſſariò humidum innatum in dies magis terreſtre ſit & imperfectum,dum quotidie reparatur ab humido miſto. Sed notãdũ quòd per calorem innatum Gal. intelligit eum qui eſt in ſanguine & ſpiritu vt patet 5.de ſimpl.med.c.9.& 2.de cauſ.ſympt. c.5. vbi ait,in his qui perterrentur refugit innatus calor ad principium. Verùm 1. Aphor. 15. dicit quod ipſe calor innatus eſt qui cuncta perficit naturæ opera appetendo, conficiendo,agglutinandoque. Et hac de cauſa Auen. vt bene animaduertit Concil. Draconia. 59. 2.collec.c.7. poſuit duos calores;alterum qui eſt ex elemento in vnoquoque membro, & reliquum qui vocatur innatus, & eius fundamentum eſt in corde, & cum tranſmittitur ad membra vocatur influens, vt ſupra dictum eſt. Vnde innatus ſubiecto eſt idem cum influente,differtq; ſola ratione. Concil. etiam draconia 27.59. & 311. influentem calorem ex cibis generatum, & concoctionibus membrorum maximè in corde poſuit, præter Gal. ſententiã. Sed circa hoc dubitatur an humidum innatũ conſumatur à calore innato. Reſpondet. Gal. 1. de ſan. tuen. c. 11 quod ſic. Verba eius iuxta initium ſubiungere libet: ſunt autem hæc. Ergo ſtatim in generationis initio coniectum copioſius elementum oportuit,quod ſiccandi vim habẽt. Eſt verò id natura maxime ignis, ſed tamen & terra: eſt enim ea quoque res ſicca. Verùm plus huius immiſceri principiis non erat, ſi modo hæc humida erant futura. Ignis certè quominus plus ſit admiſtũ, nec obſtat quicquam, & ſanè admiſtum eſt tãto plane plus in vtroque principio quantum ne terreat, vratve & tamen abunde ſiccet. Quippe etiã tantus calor adhibitus agilitatem ad motiones præſtare ſat erat. Ab hoc igitur primùm cogitur, paulatimque concreſcit quod in vtero conceptum eſt, mox ſiccius redditum veluti lineamenta quædam, rudimentaque cuiuſq; membri obtinet. Vlteriùs verò etiam ſicceſcens, nõ modo lineamenta,& rudimẽta,ſed etiam exactam vniuſcuiuſque ſpeciem oſtendit. Iam verò in lucem editum, & magnitudine proficit, & cum ſiccius, tum valentius ſemper efficitur, donec ad ſummum incrementum ἀκμὴν Græci vocant) ſit peruentum, cum verò & incrementum omne ſiſtitur,oſſibus nimirum ipſis per ſiccitatem non vltra ſequacibus,& ſanguinis, ſpirituſque vaſa ſpiritus ipſius flatu in latum aguntur: cuncta denique membra non ſolum robuſta fiunt,ſed etiam vires ſuas ſummas obtinent. In eo verò,quod ſequitur, tempore, omnibus iam partibus ſupra iuſtum ſiccescentibus,non ſolùm cuiuſq; officium minus probè adminiſtratur,ſed etiam corpus ipſum macilentius graciliuſque quàm ante redditur. Ergo vltra ſiccatum non macilentius modò,verum etiam rugoſum efficitur. Artus quoque ipſi imbecilli atque ad motus ſuos inerti inconſtanteſque redduntur. Affectio hæc in animalibus ſenium appellatur, ei quæ in ſtirpibus γῆρας Græcè dicitur proportione reſpondens. Et enim illa ſtirpis ſenium ſiccitatis exceſſu proueniens. Vna hæc igitur eſt omni genito corpori corruptelę,interitusque neceſſitas. Altera eſt, quæ etiam in animalibus præcipuè cernitur totius ſubſtantiæ flu or, quem inſitus calor excitat (eo modo quo ſupra declaratum eſt.) Hæc itaq; incommoda nullũ quod genitum ſit corpus effugere poteſt, reliqua quæ ſequuntur prouidentia, conſilioque certè poteſt. Hæc Gal. In quibus humidi primi conſumptione ab innato calore fieri declarauit. Ahbi verò cõtinentem nos aërem eidem calori adiidit, dum dixit, quia corpora humana ab ipſo calore innato,& calore aeris nos exteriùs ambientis diſſolutionem continuam patiuntur ideo neceſſaria fuit ciborum ac potuum adminiſtratio. Eiuſdem ſententiæ fuit Princeps 1.p.doc.3.c.3. Præterea ſciendum eſt quod caliditas poſt tempus conſiſtendi minui incipit propterea quod aër circundans materiam eius quæ eſt humida exiccat. Calor quoque innatus qui eſt intus ad hoc adiuuat, & labor proueniens ex motibus corporeis & animalibus qui neceſſarij ſunt in vita, & defectus naturæ ad reſtituendum illi ſemper: Omnes enim virtutes corporeæ sũt finitæ,quæ operatio earum non poteſt eſſe perpetua. Ex quibus verbis luce clarius eſt. Principem velle aërem eſſe eam immo principalem exſiccandi corpora noſtra; calorem autem naturalem quaſi per conſequentiam. Eſt autem ratio ex Auicenna clara; nihil agit in ſeipſum, igitur cùm calor naturalis ſit in ipſo humido, non aget corrumpendo illud. Item calor noſter eſt calor non igneus ſed cæleſtis. Vnde Gal 11. art. cur. c. 8. calor naturalis conſeruat corpora, ſed præter naturalis corrumpit & depaſcitur carnes, & pinguedinem. Et licèt Galen. videatur aliter cenſere lib. de vſ. reſpir. vbi vult calorem noſtrũ eſſe igneum, ſumpta ſimilitudine quod non ſecus ac in fornacis ignis trãſpiratione prohibita extinguatur. Non ob id tamen concedendum, etiam quòd ſi calor animalis eſſet igneus debeat agere in ſubiectam materiã, cum ſit ſub forma miſti, tum quia elementa (vt ſuperius demonſtratum eſt) ſunt in potentia in miſto, & ideo non poſſunt concurrere vt agentia ad corruptionem tum quia Auerr. 2. collec. diſp. 4. vult quod cauſa corruptionis ſit materia, & non dicit quod ſit forma elementi. Verùm cum nobis propoſitum ſit omnes effugere diſputationes, ſat erit Ariſt. mentem proponere, qui lib. de long & breu. vit. cap. 1. vult quod agant in ſe inuicem contraria, dicens: Si igitur quando actiuum, & patiens ſimul ſunt, ſemper alterum agit, alterum patitur, fieri non poteſt quin fiat mutatio. Vult igitur quod omnis oppoſitio ſeu interior ſeu exterior corruptionem pariat. Præterea corpus fœtus dum eſt in vtero perpetuò exſiccatur & ibi non ab aëre ſed à calore proprio, igitur & extra. Oſſa etiam ſenum & chartilagines, cùm inciduntur, inueniuntur ſicca, igitur humidum radicale

in eis consumptum est. Quare pro conciliatione authorum dicendum, quòd calor in sanguine, vt est in corde, innatum vocat Arist. in de long. & brev. vit. cap. 1. qui in membris, est à temperatura, qui verò in illa influitur, à corde influentem. Calor membris proprius non exsiccat ratione motus; Nam calor ille est refractus & continetur à forma mesti; sed nec calor innatus proprie agit in humidum nisi ratione motus sicut & influens. Hic autem motus fit vel innatur ab aëre, Ideo aër erit causa potissima consumendi humidum. Quare non parùm confert habitare in regione calida, & humida ad vitæ longitudinem, vt circa mare. Galen. autem considerans eundem calorem, vt includit omnia sibi necessaria motum siquidem & aërem, ideo dixit ipsum consumere humidum membrorum & ita nihil agit in se ipsum nisi per accidens. Philos. tamen vult quod antequam cor ad tantam siccitatem perueniat, vt cogatur calor extingui, quod priùs pulmo siccescat, & sic motus refrigerationis impediatur: Nam si rectè contemplemur originem nostram, inueniemus vitalem calorem vna cum humido primogenio à semine, carnosam verò substantiam à sanguine materno deriuari permanet verò humidum hoc primigenium in substantia solida donec annorum ætatisque decursu iacturam acceperit, nec restaurari possit, quod clare ostendit Gal. lib. med. cap. 59. Ipsæ solidæ corporis partes, quæ verè solidæ sunt atque primæ nullo modo possunt effici humidiores, & satis est, si quis eas celerius exsiccari prohibeat. Intercepta autem in ipsis spatia hoc vel illo humido complere possibile est. In 7. etiam art. cur. cap. 6. Triplex cum sit exsiccatio, harum vna est, cùm humidum quod in omnibus animalibus partibus consumitur: proxima cùm adeps, & caro ipsa colliquatur, & exsiccatur; quæ etsi difficillimæ sint curationis, & non nisi nutrimento restaurari possint, reparationem tamen admittunt: Vltima quæ insanabilis est, & ei quæ in senio fit proportione respondet, cùm solida similium partium substantia reddita est siccior. Ideo vitæ longitudo in hoc consistit ne siccitas hæc est quæ ineuitabilis est, humidum celeriter absumat. Causa igitur breuitatis vitæ erit passio caloris, qui cùm maior fuerit in animalibus, quia non sunt sine motu qui innatur ab aëre, ideo necessariò celeriùs siccitas aduenier; quæ dum agit in primum illud corporis temperamentum, quod à prima statim origine ex elementorum, & caloris diuini perfusione contractum est, membra sensim exsiccat, alia citiùs, alia tardiùs pro diuerso partium similarium temperamento, quod à spirituum ac calidi innati copia, & substantia diuersa profectum est. Os enim cùm frigidius ac aridius sit neruo, neruus verò frigidior carne velut & membrana, ideo fatendum est spiritum in osse instructum distare ab ab eo qui in neruo, & carne inest: sic & humidum primigenium, & ipsam calidi innati substantiam. Si etenim partium functiones & præsertim earum quæ corporis principatum obtinent, vt iecori, cordis, & cerebri contemplemur, eas vtique diuersas reperiemus. Hæc enim tum natura, tum spiritu præpotente admodum valent, non modò vt ipsis gubernandis studeant, verùm in totum corpus distribuant, vt functiones omnes edere possint. Præter enim innatos spiritus qui in vnaquaq; corporis particula fixi sunt, tres alios insuper principales errantes, influentesque natura fabricauit; Vnus naturalis è iecore qui per venas in intima corporis diffusus est, Alter vitalis, quem cor continuò per arterias emittit. Tertius animalis in ventriculis cerebri contentus, & per neruos permeans sensum, motumque largitur. Hinc tres insurgunt principales facultates, Naturalis, Vitalis, & Animalis, quæ vniuersum animal gubernant per influentem spiritum. Ex puriori namque atq; magis aërea portione alimenti gignitur substantia, quæ per coctionem in tenuiorem corporis substantiam transit, quæ speciem quandam vaporis præbet, & hæc à spiritu iecori ingenito vim accipiens, spiritus fit naturalis, tantò præstantior reliquo sanguine, quantò iecoris vis validior, atque præstantior fuerit. Qui spiritus cum sanguine per cauam venam dum in cor inuehitur, ac diligenter ibi elaboratus, attenuatusque in aëris prope speciem mutatus, vim caloris vitalis acquirit, qui per arterias toti corpori diffusus vitalem spiritum profert, eumdemque conseruat, cuius portio per ceruicis arterias in cerebrum rapitur, atque in eius ventriculos confertur, ibique à vi spiritus qui cerebro ingenitus est, conuersus animalis fit spiritus qui & sensum (vt dictum est) & motum, ac cæteras denique functiones animales edit, atque perficit, authore Gal. 6. de vsu part. c. 17. qui ibi asserit hunc spiritum animalem esse exhalationem quandam benigni sanguinis, ex quo & transpiratione nutritur, ac custoditur. Erit igitur spiritus in iecore natus alimentum ferè & tanquã materia spiritus tum vitalis, tum animalis; qui cum natura seu essentia permanentes non essent, aliquo ideo indiguerunt principio. Sola igitur tenuitate spiritus ii differre videntur, cum naturalis vaporem æmuletur, siue vaporosus sit vitalis aëreus, animalis verò æthereus, qui omnium functionum sunt opifices. Cùm igitur corpus nostrum (vt diximus) perpetuo exsiccetur, si cõtingat quod exsiccatio acerrima in membris reddatur, dum omnia vorans, humoris primigenij substantiam dissipat, & sic sui exitium molitur proprio exhausto pabulo. Quare calor non per se & ex instituto agit in se ipsum, verùm ex accidenti sui interitus est causa, quia semper de propria calidi innati substantia aliqua fit deperditio, & ei quod euanuit similem, atque pristinam instaurationem reficere est impossibile, quod & probatur. Nam cùm triplex sit humidi consumptio, quæ illius est, quo solida animalis membra constituuntur, irreparabilis est; cætera verò quæ vel pinguedinem vel humidum in poris contentum consumptum habent, etsi ægrè, sanabiles tamen sunt. Nam si membra verè

possent

possent humectari, nihil est quod illa quin ad iuuentutem retrocederet, prohibere possit. Vt igitur dictarum partium virtus in proprio temperamento custodiatur, necessarium est vt similia exhibeantur, & contraria subtrahantur. Virtutis etenim substantia cùm in tribus iam enumeratis, spiritu scilicet carnosa specie, ac solidis ipsis contineatur, si eam custodire velimus, ex his quæ similia sunt, moliri cuique suam custodiam conuenit, vt propria cuiusque mensura quoad fieri potest seruetur, Et sic peculiare Medici munus erit, vt quæ portio substantiæ defluxerit, eam similibus resarcire conetur, quod verò alteratum fuerit, in debitam temperiem per contrariam alterationem vindicet.

CAPVT IX.

De Animi facultatibus.

QVoniam dum refraguntur Elementa, miscentur ad tenuissimas partes, inde perfecta facta mistione, æqualitas quædam atque coniunctio sequitur ex qua admirabiles illæ facultates proueniunt quæ à multitudine prouenire nequeunt: quoniam ex temperamento nascitur facultas & ex facultate actio. Et quamvis vulgata iam sit propositio illa, Quod ab æqualibus actio non fiat, debet tamen ea intelligi de his solum quæ manent, vt mouens & motum, & pondus, & medium, non de qualitatibus quæ agendo etiam generant sibi simile. Nam in his non potest dari æquale præsertim quod vnum semper est per se velut frigidum, aliud ex alio, velut calidum: Nam in elementis, & quæ ab eis sunt nisi iuuentur à Sole aut igne aut motu, calor per se extinguitur. Et quoniam in homine conspicimus quandam actionum promptitudinem atque habilitatem, quæ propria est corporis functio quæ actiones per se non subsistunt, sed in genere accidentium, (velut & quiuis motus) consistunt. Ideo statuenda est causa quædam stabilis, qua præsente vita, actioque omnis perficiatur, eadem verò ab eunte pereat atque dissipetur. Huius verò essentia cum sensibus naturis sit imperceptibilis, nequeantque eam aliter cognitam habere, nisi ex effectibus, qui conspicui sunt sensibus, ob id animam illam Prisci Philosophi nuncuparunt. Quicunque enim de natura scripserunt, animam aut naturæ authorem esse dixerunt, aut ipsam naturam. Interrogantibus siquidem quid sit homo, aut quæ illius natura, animal dicunt vtens ratione, manifestum est autem quod & animal ab anima dicitur, & ratio ipsa vis quædam ipsius animæ. Videtur igitur nunc animatum dici quod præclaram habet aliquam functionem à simplicibus corporibus abiunctam velut, ali crescere, moueri cognoscere: Nam generari his etiam conuenit, quæ communi appellatione animata esse dicuntur. Et quod sponte mouetur necesse est ab incorporea substantia moueri. Hæc enim anima est, nam neque aliquid se ipsum mouet, quoniam idem moueret, & moueretur, & est simplex; & corporeis vinculis soluta, omnibus fons & principium mouendi, quia se vt dictum est mouet, & non à quocunque alio mouetur. Qua potissimum ratione cognosci potest, Animam immortalem esse, tum etiam quia innumerabilium rerum cognitionem capit memoriámque retinet. Quodque res occultas ab omnique sensu, & corpore seiunctas inuestigat. Quo fit vt eius cognitio nobis sit eo difficilior quo ipsa est intimior, & res prorsus diuina penetrans in corpore creato de qua veteres Philosophi diuersissimas scientias pro sua quisque secta reliquere. Qui tamen omnes in hoc conueniunt quod ponunt eam immortalem esse, & principium omnium operationum, quas in nobis conspicimus, & præsertim earum quæ à materia non pendent. Ea propter ex Philosophorum ac sapientum optimorumque virorum monumentis colligitur quod principales sectæ, Academici, Stoici, atque Peripatetici id existimarunt ac prodiderunt atque inter hos magis Plato, Speusippus, Xenocrates, Plotinusque, necnon & Stoici, Tenon, & alij authores huius phrasis non inelegantes; qui omnes eam post obitum supersesse volunt, immo & esse immortalem. Præter illos qui tenent quod illud quod format sit vis materiæ seminis, quod est absurdissimum; quia sequeretur quod aliquid se ipsum perficeret. Præterea sequeretur quod in quouis viuente esset immortalis, quod esse non potest: cùm vis illa cum toto corpore confundatur, & perit ad corporis perniciem. Existimant igitur Stoici, postquam aliquot annis vagata fuerit adiungi animæ cuidam, atque vt pars aquæ cum tota permisceri. Id agunt vt spectris quibusdam satisfaciant, Alij redire in corpora rursum. Ita multas ac fabulosas de anima habent opiniones. In hoc tamen concordant quod parum mihi non videtur eam esse immortalem, addentes nonnulli Æterna cum sint elementa, quia etsi partes corrumpantur, totum successione manet, velut de hominibus, At cum par sit nobiliora supersesse, ergo mortuo homine cum nullum elementum, nulla pars quæ substantia sit, pereat; sed omnia ad suum fontem redeant, quis dubitare potest de Anima ipsa, quæ longè nobilior est quouis elemento. Præterea addunt illud in medium Plotini morientis, Annitor vt quod est in me sempiternum ei quod est in toto coniungam. Quinimo Hippocr. in 1. de dicta pag. 3. De hoc inquit, Equidem nullum omnino corpus perit, neque fit quod prius non erat. Verùm permista & discreta permutantur. Homines autem putant hoc quidem ex Orco in lucem auctum generari, Illud verò ex luce in orcum imminutum perire ac corrumpi. Oculis autem magis credere oportet, quam opinionibus. Inde paulo post; Generari & interire, vt misceri, ac separari idem sunt inter

ter ſe: velut ſydera oriuntur, & occidunt, atque iterum ad Ortum redeunt: ita & in animalibus. In lib. etiam de carnibus in principio ponit calidum ſempiternum quod omnia intelligit. Et hac ratione non admittitur Animam eſſe incorpoream, & immortalem velut & aquam & aërem, quoniam vnumquodque horum diſſoluto homine non ſeorſum manet ſed adiungitur toti, & in illo confunditur ac diſſipatur, nam ob mentem ſeparata eſt. Cùm enim mens prorſus ſit ſeparata à corpore non poteſt confundi, quia eſt hoc vnum, anima autem vehiculum habet rationem, & omnino quantitatis eſt expers. Igitur eſt ante corpus & cauſa illius, & virtus extra materiam, quare immortalis, incorporea, & ſapientiſſima. Et quamuis hæc omnia à Peripateticis referantur in vim ſolis, allucinantur tamen, quia ſi vi animæ ſolis, igitur anima ſolis eſt plurium ſpecierum, quia operatio oſtendit formam; operationes diuerſorum animalium diuerſæ, igitur, & formæ. Et hoc vt euitent, dicunt Animam non eſſe formam corporis, ſed aſtare illi, vt nautam naui, illi igitur aſſiſtit, & non eſt in corpore quod format, ſed cùm duo ſint parentes, & duo ſemina, quomodo fabricabunt vnum; eùm ſemen fœmineum vim vllam, habeat niſi quatenus dirigitur à vi maſculini ſeminis, quoniam ordine illi ſubiicitur. Nec negandum Solis calorem & Lunæ etiã eſſe inſtrumenta fabricandi animalia, & præparandi illorum materiam; Sol quidem ſanguinea, vt quadrupedia, & aues, Luna autem ſerpentes, exangula, & piſces. Et ex his manifeſte colligitur Animam immortalem eſſe, & fabricare corpus præparando per vim luminis aſtrorum ſeu per ſe, ſeu per impreſſionem. Immo & Hipp. videtur animam noſtram cenſuiſſe immortalem, dum hæc in libro de carnibus pag. 2. ſcripſit. Et videtur ſanè mihi id quod calidum vocamus immortale eſſe, & cuncta intelligere, & videre, & audire, ſcire omnia tum præſentia tum futura. Huius igitur plurima pars eùm turbata eſſent omnia in ſupernam circumferentiam ſeceſſit, Et videntur mihi ipſum veteres æthera nominaſſe: Altera pars infirma appellatur terra, frigidum quid, & ſiccum, & multis motionibus obnoxium, Et in hac ſanè multum calidi ineſt: Tertia pars Aëris medium locum occupauit, calidum quid & humidum exiſtens. Quarta verò pars Terræ proximum locum cepit, humidiſſimum quid, ac craſſiſſimum. Cùm igitur cenſeat hominem ex his quatuor conſtare, & animam eſſe calidum illud, haud dubie Animam poſt obitum ſupereſſe, & immortalem eſſe voluit. Idem in primo de Dieta, vbi cenſet nihil corrumpi, ſed ſolum ſeparari aut diſſipari. Liquet Animam iuxta Hippocratem eſſe immortalem nec poſſe corrumpi, nec diſſipari. Quod pulcherrimo argumento videtur demonſtraſſe in lib. de ſeptimeſtri partu pag. 4. hoc modo; Infans in prima die in ſomnis ſapiens eſt. Id eſt cognoſcit & iudicat, & probat hoc; quia in ſomnis dicit, infans ridet, & plorat, ſed dum vigilat, non ridet niſi exacta quadrageſima die, probat hoc; quoniam ante illam diem non ridet etiamſi titilletur, Ergo riſus ille ſit ex cognitione, & ſapientia in ſomnis eorum, quæ cognoſcit, non motu corporis, ſed eorum quæ cognouit antequam in corpus infunderetur. Nam plorat à die in vigilia non ridet, quia ploratus contingit ob moleſtiam corporis. Igitur ante cognitionem per ſenſus exteriores, cognoſcit per interiores: Ergo anima noſtra eſt antequam in corpus infundatur; & ſubſtantia quæ cognoſcit omnia, & eſt calidum illud ſempiternum, & immortale omnia ſapiens. Idemque decuit Princeps in libris de Animæ, ſed dilucidiùs in Compendio cap. 8. in fine docens primò ſine demonſtratione quod Anima hominis intelligit ex ſola coniunctione cum Deo, & abſque ratione vlla, & vocatur ſpiritus ſanctificatus (ita enim ille vertit) hoc autem contingit ob vehementem amorem diuinum. Subiungit poſtea Princeps eodem in compendio cap 9. aliam rationem qua oſtendit Animam eſſe immortalem hoc modo. Intellectus cùm intelligit aliquid, non intelligit, vt hoc ipſum, quia hoc pertinet ad ſenſum; ſed generaliter, & non vt comprehendit ſingula; tum quia illa ſunt infinita, extenderetur enim ambitus non ſolùm ad præſentia, ſed ad præterita & futura, & illa etiam non ſunt digna vt intelligantur. Igitur intellectus obiectum caret omni diuiſione, & non recipitur niſi in intellectu, quia non eſt forma per ſe ſubſiſtens: ergo non recipitur in aliquo habente magnitudinem, cum vniuerſale non poſſit diuidi niſi in genus, & differentiam, & in hoc etiam ſit neceſſe, vt perueniat ad formam omnino indiuiduam ſcilicet ſupremum genus. Si ergo reciperetur in forma materiaria poſſet diuidi ad diuiſionem ſubiecti. Cùm ergo non recipiatur niſi in anima intelligente, ſeu humana, erit Anima humana ſubſtantia indiuidua, & materia carens; quare immortalis. Et eſt ſubſtantia, aliter oporteret aliam ſubſtantiam inuenire, in qua reciperetur, quæ materia & diuiſione careret & eſſet immortalis tandem quæcunque illa foret. Quòd verò ſit ſubſtantia, quatuor rationibus probatur. Virtus, cuius inſtrumentum eſt corporeum debilitatur ab excellenti obiecto, velut viſus à luce Solis, Auditus à fragore deſcenſus Nili, & ſtrepitu machinarum ignearum bellicarum; ſed intellectus ab vltimo obiecto, quod eſt Deus perficitur: Ergo intellectus inſtrumentum non eſt materiarium, ſequitur autem ex hoc quod intellectus apprehendit per ſe, & non ſit facultas; aliter vteretur inſtrumento, & ita inſtrumentum corrumpitur: igitur non eſt facultas ſed ſubſtantia. Tertio intellectus actiuè operatur, & ſine auxilio corporeo, ergo eſt ſubſtantia, nam tranſmutat ſe ex vna contemplatione in aliam. Quarta ratio eſt, quoniam homo ad quadrageſimum annum nulla virtute corporea augetur ſed tamen augetur intellectu quaſi inciperet, tum enim primùm quaſi ſapere videtur. Igitur intellectus eſt ſubſtantia non facultas corporis, & hoc eſt quia præſupponunt nonnulli, quod non poſ-

ſit

sit esse intellectus nisi corpus: & hoc non; quia non reciperet formam indiuiduam: nec facultas corporis; quia diminueretur diminuto robore corporis: nec facultas incorporea; quia non posset recipi in corpore, nec per se esse: Igitur relinquitur vt sit substantia incorporea. Cuius opinionis fuit Gal. 7. de decret. Hypp. & Plat. cap. 7. Vbi inquit, Animam vel esse spiritum, aut incorpoream substãtiam, quę vtitur spiritu, eamque primo instrumento. Idem etiam affirmat in lib. de format. fœt. cap. 6. in princ. vbi piè loqui videtur, inuiens. Quid sit quæ format fœtum, respondet non posse esse Naturam, seu corporea, sit sed Deũ vel Animam. Vnde patet Animam esse nobiliorem etiam incorporea substantia; quare incorpoream esse necesse est. Nulla enim substantia corporea potest esse nobilior incorporea. Et quamvis lib. Quod animi mores sequan. corpor. temperam. contrarium sentire videatur cap. 3. & cap. 5. dum dixit. Multas cerno differentias temperaturarũ, facultatum, functionumque corporearũ inter tot corporea cum diligentissimè inspexerim nihil incorporeum, nec quod functio sit incorporei cerno. Nam omnia quæ apparent, partes sunt aut corporis, aut partiũ functiones, vtpote motus ille perennis ignei caloris indicium est, Nam & flamma sic mouetur, quàm constat animatam non esse. Hæc igitur est opinio Gal. ad quã inclinauit hoc in loco, quia considerauit facultates tamen provt sunt corporeæ, & instrumentales, & sensibus conspicuæ. Ratione igitur constat. Animam nostram immortalem esse, atque omnium principium, & causam functionum corporis viuentis, cuius est species. Eiusdem verò cùm tres sint principales facultates, ex quibus duæ comparantur; cùm alia sint viuentia, quæ solus Naturæ beneficio viuunt; alia quæ sentiunt; alia quæ ratione & intelligentia prædita sunt: Tres quoque iisdem animæ species nominibus insignitæ statuuntur. Naturalis, sentiens, & intelligens; quibus respondent stirps, Brutum, Homo in homine autem tres hæ animæ tanquam partes spectatæ atque connexæ comprehenduntur, quæ in vnam totius & integram substantiam conspirant. Intelligens, sentiens, & Naturalis, vt partes, non autem vt genera; vt Geometricis figuris has partes denotasse videtur Arist. exemplũ sumens à Trigono, Tetragono, & Pentagono. Tetragonus enim sicuti Trigonum potestate concludit, & Pentagonus Tetragonũ, atque Trigonum, qui cum simplex sit figura, Trigonus tamen & Tetragonus ei vt partes insunt potestate duntaxat, non re ipsa, sic animam intelligentem quæ homini inest sentientem, & Naturalem tanquam partes potestate duntaxat continere censendum est. Et sic patet quænam sit partium enumeratio, quæ partes etsi inter se sede, instrumentis, & substantia sint seiunctæ, fieri tamen potest, cùm sint in vno eodemque corpore, quod mutua conspiratione inter se connexę sint, & vna quælibet aliarũ ope constitat. Quocirca facultates magni momenti in homine, Vitalis nempè, & insitus calor princeps, sentiens, & mouens, & demum nutriens, alterans, & augens singulæ suam adeptæ sunt sedem; & earum prima Vitalis cor arteriasque obtinet, per quæ tanquam canales quosdam innatus, vitalisque calor in vniuersum animalis corpus deducitur. Princeps cerebrum tenet, spinalem medullam, neruosque qui inde exoriuntur, ac per quos principes actiones sensusque omnis ac motio voluntaria oboritur, Naturalis siue nutriens lecinori inest ac venis per quas sanctificatio ac nutritio perficitur. Atque hæ & reliquæ partes instrumentales ac dissimulares quatuor facultatibus naturalibus præditæ sunt Attractrice, Retentrice, Concoctrice, & Exeretrice. Quælibet enim pars familiare sibi alimentũ distributum attrahit, retinet, deinde alterat, & idoneum ac sibi accommodatum, apponit, agglutinat, ac temporis progressu assimilatur, atque in proprium membri augmentum ac nutrimentum cedit; quod verò alienum est excernit, nec vlla est corporis pars, quæ omnibus hisce facultatibus prædita non sit; quarum cuique suum inest temperamentum, aliud enim coctioni, aliud aliis debetur. Quarum quatuor facultatum naturalium inseruientium Gal. meminit lib. de caus. morb. cap. 6. & 8. de Med. sec. loc. cap. 8. & 5. de loc. affect. cap. 7. & 1. de facultatibus naturalib. cap. 12. & multis aliis in locis hoc repetit. Tamen alibi videtur quintum adiecisse, qua fiat separatio. Quarta enim Aphor. comm. 22. inquit. Siquidem præirę oportet coctionem, subsequi verò discretionem, demum euacuationem, sed & in 1. de natural. facult. cap. 10. & 12. cum docuisset concoctionem esse in venis ac membris, subiicit. Secretrice demum opus esse, & in 3. de sympt. caus. cap. 1. & alibi cùm omnium aliam facultatum detrimenta quæ illis accidunt, narrasset, demum subiicit, etiam de his quæ separatrici. Quæ virtus necessaria est propter tria vt noxium quod cõcoquitur segregetur ab vtili quod nutrire potest. 2. vt separetur superfluum ab alimento, vt in iecore, 3. vt separentur partes medicamenti, quæ conueniunt calido iecori, & frigido lieni. Verùm virtus hæc quæ separat seu quæ discernit non est alia ab ea, quæ consequitur ad attractionem similis. Idem esset dicendum de facultate appetendi de qua 1. de caus. sympt. cap. 7, quæ licet sit solùm manifesta, & euidens in ventriculo, in omnibus tamen membris adest, vt ibidem colligitur. Et hæc cum Attractrice non est eadem, quia attracti, fit per fibras, appetitus sine fibris. Præterea vna quandoque erit valida, alia prorsus fracta euersa. Nec satisfacit, si quis dicat hanc facultatem animalem, & non naturalẽ esse, quia Galen. 1. de Caus. Sympt. ponit vtrumque appetitum & naturalem, & animalem. Ideo dicendum, quod hæc facultas & functio quia non habet opus per se, sed solùm ordinatum in attractionem, ideo non numeratur vt vna ab aliis distincta, cæterùm natura non vno, eodemque modo omnes suas functiones molitur: à calido enim & humido probè fit coctio, reliquæ verò functiones perfici non possint nisi cum

motu,robuſtum idcirco requirunt inſtrumẽtum,ſed in ſiccitate mediocre, vt probe flectatur,atque ſtringatur, dum munus ſuum obire intendit. Hinc factum eſt quod quatuor facultates naturales ſequuntur quatuor qualitatum temperamentum,& vnaquæque ſuum vt dictum eſt,ipſas verò facultates ſequuntur actiones. Ab actionibus igitur notæ quibus facultates primùm, deinde temperamenta dignoſcuntur, quæ diuerſa ob id eſſe oportet; quia diuerſæ ſunt inter ſe cuiuſque partis actiones.Et hæc eſt ratio, cur vna actio, & interdum plures infirmæ ſunt, reliquæ verò validæ.Et licet vna ſit Animæ ſubſtantia,atque eſſentia.multis enim facultatibus ac viribus ſe demonſtrat, & plura de ſe profert opera tanquam inſtrumenta quibus diuerſos edit effectus.Nam licet facultas vis illa ſit, atque poteſtas, quam Anima tamquam de ſinu ſuo promit,& ad munerum functiones profert cum ſit eidem ingenita; tamen nec eius ſubſtantia nec illius pars exiſtit, immo animæ accidit atque inhæret cum quandoque facultatis pereant integra permanente ac ſuperſtite animæ eſſentia.Quapropter dicendum animam eſſe primariam cauſam. Facultates eſſe adiuuantes cauſas, quæ facultates ſunt tanquam inſtrumenta quibus vtitur ad omnia, quæcunque obit, ita vt ſint proximæ operum cauſæ, atque ex operibus internoſcantur.Verùm de his facultatibus quam plurima obſeruantur implexa, quibus præclari Philoſophi contendunt vnam tamen vitalis facultatis ſubſtantiam in nobis ſeorſum inſidere,& partim Ariſt.qui ſtatuit naturalem vim omnium primam, cunctorumque viuentium communem, quam nunc Altricem, nunc Vitalem appellat,ita vt vnum ſit,atq; idem vita & nutritio,itemque viuere,& nutriri,neque à naturali diuerſam facultatem vitalem eſſe per eum. Vitalem quoque appellat calorem inſitum cuius beneficio natura omnia concoquit & nutrit vt inde ſit omnium viuentium ortus, eodemque deficiente,ſit omnium interitus, atque ita vim omnem naturalem in corde collocat, quoniam hanc vt omnium primam in vitali eo calore conſtituit, ita & vitalem iure dici contendit, corque eſſe officinam primam & ſummam conficiendi ſanguinem, hincque venas & arterias propagari,& in corpus vniuerſum proferri vt huius caloris ope alimentum conficiatur,atque corpus nutriatur,qui vbi plurimus, & vberrimus exſtiterit,in omne corpus diffunditur. Vult igitur quod cor ſit fons & origo prima, ac ſedes tum vitalis, tum naturalis facultatis. Sentientem quoque vim in corde intruſam eſſe, multis rationibus comprobare nititur. Omne enim (inquit) Animal, qua animal eſt, viuit, & ſtatim quod animal eſſe incipit.tunc idipſum viuere, neque principia hæc ſeiuncta ac diſtincta eſſe, alioquin vt duo principia diuerſa ſic duæ fierent cuiuſcunque animantis animæ, & ſi vna ex qualibet cùm diſſolueretur, ac extingueretur,alterius ope animal viueret, atque conſtaret. Vna ergo,eademque eſt ſubſtantia qua viuit & animal eſt, licet varia diuerſaque ratione atque cogitatione.Et tandem planè conſtat per Ariſt. omnes ſentiendi, cogitatione effingendi, appetendi, mouendique vires è corde duci, externorumque ſenſuum in capite poſitorum originem à corde accipi, omneſque eum mouentes,eum ſentientes neruos ab eo, tanquam à fonte deriuari. Quapropter anima facultatibus his inſtructa, potiſſimum in corde (inquit ipſe) inſedit, ex quo tandem in omne corpus æquabiliter ſe fundit, partibuſque omnibus & ſingulis inhæret. Et ſicuti in toto reuera tota eſt, & in qualibet parte tota eſt poteſtate, ſic in integro reipſa vnica eſſe dicitur, ac poteſtate complures, quia ex ea multæ fieri poſſint ob varias ac diſſimiles,quas edere poteſt functiones, eo quod diuerſas facultates & diſparia partium temperamenta ad illas anima accommodat, quemadmodum vnus artifex qui eſt idem, variis tamen inſtrumentis diuerſa plerumq; opera, & diſſimilia condit, ſic principium vnum eſſe debet,vt 3 de part. animi. cap.4. Cor autem conſtat eſſe vitæ principium, igitur & ſenſuum & motuum, & præſertim cum prius generetur quam cerebrum vt 2.de gener.animal.cap.4. videtur etiam ſenſuum magis principium,quoniam ipſum & ſentit, & maximè ſentit(cerebrum autem ſenſus eſt expers. His & ſimilibus nititur. Ariſt. demonſtrare vnicam eſſe cuiuſcunque viuentis vim quæ corpus vniuerſum continet, & eius facultates in cerebro,iecore,atque aliis corporis partibus tantum manifeſtari, ſed in corde initium habere, velut & de reliquis quoque ſentit animalibus functionibus.Quæ tamen nequaquam veritatem habere poſſunt,cum planè conſtet, atque omnes etiam concedunt, & ſcriptum reliquit Gal. 3.de plac.Hipp.& Plat.cap.7. quod ſicuti tres ſunt viuentis animæ partes, ſubſtantiis,facultatibuſque non modo differentes,verùm, & ſedibus corporis. Ita hæc tria quoque erunt principia quæ corpus noſtrum regunt,ſedibus diſtincta. Quorum vnum in capite,cuius munus per ſe eſt vt imaginationem & cogitationem memoriam & intellectionem efficiat. Per aliud verò vt ſentientibus animalis membris ſenſus, iis autem quæ per appetitionem mouentur,motus originem præſtet.Alterum in corde, cuius opera ſunt animæ tenor atque ordo, & in his quæ ratio iuſſerit, inuicta conſtantia, & in huius perturbationibus ſit quaſi feruor quidam inſiti caloris cum anima ſumere vindictam cupit, & ita dicitur. Et per arterias calorem omnibus membris ſingillatim ſuppeditat, Tertium in iecore ſedem obtinet, quod nutritionem animalibus procurat,cuius propria functio nobis & ſanguineis omnibus eſt procreatio ſanguinis; quæ facultas ſi vehementius moueatur ad appetitum iucundarum rerum,incontinentiam, intemperantiamque parit. Harum verò facultatum ac virtutum prima Rationalis,& præſtantiſſima eſt; aliæ verò duæ irrationales appellantur, Immo quæ virtutes in irrationalibus partibus exiſtunt, habitus quidam tantùm, & potentiæ ſunt. In rationali autem non modò habitus, & potentia,ſed ſcientia

etiam

etiam est virtus, cùm hæc sola animæ pars scientiæ sit capax: reliquæ verò potentias & habitus siue bonos, siue malos acquirere possunt. Et licet Galen. 5. de loc. affect. cap. 1. dicat, quòd facultas cordis maximè sit principalis, & nobilior quia pereunte eius virtute aliæ pereunt, oppositum tamen sentire videtur 9. art. cur. cap. 10. Quacunque facultate cerebri, seu Iecoris, seu cordis sublata, reliquæ tolluntur & corruunt. & nobiliorem facit facultatem cerebri, verum tamen est quod sublata vitali statim homo moritur, & reliquæ facultates pereunt, non ita sublato motu, aut sensu aut nutritione, sed potest aliquot diebus viuere. De nobilitate cerebri operatio est nobilior, sed cordis magis necessaria, secundùm Galen. qui etsi 7. de decret. Hipp. & Plato. cap. 3. dica, quod vitalis facultas est duplex, quæ vitam nobis subministrat, & quæ pulsus causa est, vna tamen est pulsus causa, quoniam dum pulsum instruit, vitam conseruat. Tres itaque hæc facultates non modo essentia, sed & sedibus & principatu distinctæ, cùm non possint in eodem solio considere, vt ex functionum proprietate & instrumentorum situ, ac ductuum ortu, & derivatione vnicuique satis in promptu esse debet, ita vim & facultatem naturalem in iecore, sentientem in cerebro, vitalem in corde, quasi in sede propria constituere oportet, & non omnes vires in corde reponendas esse, vt Philosophi censuerunt, qui tenent (vt dictum est) ac contendunt cor nobilissimum & vitæ fontem esse, principium & sedem animæ omniumque eius facultatum, cerebrum autem, Iecur, & ventriculum, reliquasque partes illarum esse instrumenta dumtaxat, & in corde defixas habere radices, eorque omnium functionum ac facultatum esse originem, omniumque subiectorum vires comprehendere, non considerantes quod principalia membra sunt quatuor. vt testatur Gal. lib. art. med. cap. 3. cor. Cerebrum, Iecur, & testes, immo & in sex lib. de decr. Hyppoc. & Plat. ostendit tot esse principia. ibi enim est principium facultatis vbi ex quo illius instrumentum oritur, sed arteriæ à corde, venæ à Iecore, Nerui à cerebro oriuntur, & hæc sunt instrumenta facultatum vitæ nutriendi & sentiendi; Igitur illa à quibus oriuntur sunt principia. Et si quis obiiciat, quod omnia à corde conseruantur per pulsum, qui fit à corde, & ita ab illo pendent, respondet Gal. quòd & cor conseruatur spiratione, quæ pendet à cerebro, cùm sit motus voluntarius. Nec sufficit asserere quod hæc virtus transmittatur à corde, & indicium est, quod arteriæ magnæ à corde ad cerebrum permeant quæ calorem illum deferunt. Nam in morbo attonito non est sensus nec motus, & tamen vis arteriarum viget. Et si quis dicat quod tunc vis illa non perficiatur in cerebro, ideo non sentit, respondet Gal. quòd illa virtus non est virtus cùm non possit perficere operationem. Et pari ratione dicere possemus quod virtus generandi sanguinem esset in ventriculo, aut generandi chilum in iecore quamvis perficiatur in ventriculo. Verùm tamen Arist. opinio probabilis est nec prorsus contemnenda. Nam sanguis arteriarum, vel est vnus cum sanguine venarum, & cum constet etiam per Gal. arterialem in corde generari igitur sanguis in corde generabitur, vel dissident; & tunc vel erunt duo humores aut vnus, si duo humores, igitur erunt quinque humores scil. sanguis arterialis, & venalis; flaua bilis, & nigra, ac pituita; quod Hipp. & Gal. repugnat, atque omnibus fermè qui de natura locuti sunt Relinquitur igitur vt distinguantur inter se, & vterque sit sanguis, vnusque perfectus, ac dignus nomine proprie sangninis, & propter se genitus, alius imperfectus & propter reliquum genitus, indignusque sanguinis nomine. Videndum est igitur diligenter quis horum duorum sit magis perfectus, an videl. arterialis, vel venalis. Et diceret Arist. vt & author libri de Anatomia viuorum pag. 6. Quòd arterialis continet spiritus & vitam, & vim pulsandi, fitque ex venali non vt excremento, igitur arterialis sanguis solus meretur dici & appellari sanguis & erit perfectus, & hic generatur in corde. Igitur cor est verè principium sanguinis, & de hoc sanguine & his venis propriè ideſt arteriis intellexit Arist. non de his quæ non pulsant. Quia Arist. sententia est interpretanda eo modo quo ille eam demonstrat. Neque enim torquet Arist. quòd alius sanguis imperfectus in iecore generetur, nec quòd sint aliæ venæ quæ ipsum vehant, sicut neque quod chilus generetur in corde, sed in ventriculo, nec per arterias, sed per venas mæsarei deferatur. Nam quæstio est quis sit verus sanguis, atque perfectus, & vbi ille generetur. Non de mutationibus, quæ ante illius generationem fiunt, Immo diceret Arist. quòd cùm imperfectum & perfectum non in eodem loco generentur quòd sanguis venarum generari non posset in corde. Cor autem, & Pulmo cùm sint membra solum per se necessaria (immo cor verè solùm est homo) nutriuntur substantia veri sanguinis ideſt arterialis tantum vt testatus est Gal. 2. Aphor. 26. & 3. de facul. nat. cap. vlt. Lien autem melãcholico, ventriculus chilo, & reliqua pars corporis venali sanguine nutritur. Imò secundum Arist. venalis nutrit, provt transmutatus est ab arteriali, & hac ratione natura conuinxit arterias cum venis, ideo nulla alia videtur posse assignari causa quàm quia venalis sanguis solus nutritioni aptus non erat, atque ideo qui frigido sunt corde, & in quibus hic calor per febres, aut alios morbos resoluitur in anaxarcam transeunt. Et si dicas, cur totus sanguis in corde transmutatus non sit, dicet Arist. quia necesse fuisset cor longè maius reddere, & totum corpus ob id à debita proportione remouere. Concedamus igitur arterialem sanguinem nutrire, & eum clarum, & in corde generari, & qui nutrit verè sanguis est. Quare verùm sanguinem, & perfectum in corde generari censuit Arist. Imperfectum verò in Iecore. Verùm Gal. 4. de vsu part. cap. 13. apertè declarat quòd sanguis in iecore ab illius carne generatur, quodque illa sit primum eius generationis instru-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

instrumentum. Et licet adsint venæ è iecore in ventriculum pertinentes, in quibus primùm sanguis gignitur eodem authore 2. de decret. Hipp. & Plat. cap. 8. 4. etiam de vs. part. cap. 3. tamen iecur postquam è venis mesæreis velut à famulis iam præparatum ac quasi obscutam, & rudem sanguinis formam referentem alimentum acceperit postremum ei inducit ornatum, ita vt sanguis solum in mesæreis generetur non in aliis venis extra iecur, nec ille perfectus. Perfectus verò ac ruber & exactus in solo iecore generatur. Clarè igitur patet sanguinem non generari in corde, & pari ratione virtutem animalem ex eodem ortum non habere. Nam quis est etsi in arte medica quàm leuiter exercitatus, qui non cognoscat quod concusso cerebro ac compresso, animans sensu, motuque priuetur, & quòd ex cerebri affectione fiant obliuio, stultitia, delirium, apoplexia, quibus impediuntur principes actiones ab hisque liberantur remediis cerebro, & non cordi adhibitis? Igitur à cerebro ortum ducunt. Immo abscisso neruo à parte qua cerebro annectitur, non qua cordi, amittitur sensus, & motus. Affecto etiam iecore corpus non rectè nutritur, & atrophia contabescit; & remediis iecori destinatis ad salutem corpus reducitur, & non cordi. Vbi enim actiones plurimum eminent, & apparent, verisimile est facultatem earum effectricem dominari, suumque principatum habere Præterea principalia membra à conformatione, & figura, necnon & à temperamento facultatem recipiunt sed plus à substantiæ proprietate, & à temperie, quàm à conformatione procreatur vis illa & facultas, vt testatur Galen. sanguis enim in iecore à substantiæ potiùs proprietate, & à tempore quàm à conformatione generatur. Ergo iecur est principium nutritionis, quia corpus ex sanguine nutritur. Quòd autem sanguis (vt dictum est) in iecore generetur, ex septem coniecturis colligitur. Prima quia ibi sunt vasa quæ sanguinem purgant, aut proprè, vt vesica fellis, & lien. Secunda quia multa membra sub peritoneo ex sanguinæ venæ portæ nutriuntur, Nam dissertio ostendit ad illa ex caua nullum ramum deriuari. Tertia quia sanguis est similis substãtiæ iecoris in colore, & caro iecoris est velut sanguis concretus. Quarta, quia in iecore sunt venæ tenuissimæ instar riuulorum fontis, quæ attestantur origini illarum, & humoris in eis contenti vt in fontium initiis, videmus; & in corde nihil huiusmodi apparet. Quinta est, quòd caua ibi est valde magna. Sexta, quia ibi diuiditur bifariàm parte vna descendente. Septima quia ostiola cauæ in corde clauduntur ab intus extra; ergo cor recipit sanguinem & non transmittit: recipit ergo vt transmutet in sanguinem arterialem & spiritus, ac vt nutriat pulmones. Non igitur cor erit principium atque principale membrum facultatum omnium licet subministret spiritus vitæ cerebro. Tamen circa cor notandum quod ex temperamento (vt superius demonstratum est) vis quædam & facultas enascitur, quæ est causa efficiens in vna quaque particula vt temperamentum. Sic & ingenitam oportet esse quandam facultatem, quæ functionum eius sit opifex. Vnde etsi ex corde spiritus Vitalis per admirabilem contextum in cerebri ventriculos efferatur, illicque in animalem conuertatur, hæc conuersio fit ex vi cerebro propria & ei ingenita. Et hic cerebrum dicetur proprium & principale membrum, non autem instrumentum cordis vt Philosophi putarunt. Allucinatur etiam Princeps quidam Arist. cum conatus in multa absurda incidit. Habet enim & ipse Spiritum omnium vt & facultatum vnam, eandemque substantiam esse, quæ cùm vitalis spiritus sit in corde, portio quæ ad cerebrum & eius ventriculos contendit, temperationem quandam ibi acquirit obeundis animalibus functionibus idoneam, verum spiritum hunc nullam nouam adipisci substantiam ab ea differentem, quam antea habebat, sed qualitate tamen mutari, & noua constitutione, vt ex vitali se accommodet ad functiones animales præparatione quadam obeundas, primam tamen substantiam quàm in corde habebat, eandem retinet, nec potuit à vi facultatis parti insitæ nondum ea orbari. Quod etsi probabile videatur, falsum tamen est, quia si spiritus in cerebri ventriculis propriam mutauit temperiem, nonne & substantiam, & speciem simul? Et speciem, nonne & facultatem? aliàs nulla fieret spirituum specie distinctio, nec vlla humorum specie differentia, sed solo accidente distarent quod si hoc esset verum, sequeretur quòd sanguis, lac, semen cibi & potus nullam subirent in ventriculo, iecore, & venis aliam mutationem nisi in qualitate, & omnium vna esset substantia ac species, quod absurdum esse patet, ideo vt cerebrum à corde distat, ita & eorum spiritus specie & substantia ac facultatibus distabunt, & ita vnumquodque ex membris principalibus proprias habebit vires, quarum aliæ sunt quæ inseruiunt, Aliæ quæ regunt, & fere dominantur. Inseruientes sunt quatuor facultates naturales, quæ trahunt, retinent, concoquunt, & expellunt. Quæ regunt sunt tres animæ facultates, Vitalis, Naturalis, & Animalis essentia, sede, instrumentisque distinctæ (vt iam dictum est) quas Arist. coniunxit, dubitans, ne plures animas cum Platone in corpore vno construere, conatus esset; & animæ partem vnam immortalem, caducam alteram institueret. Harum verò trium nobilior ac principalior censetur Animalis, cuius functiones sunt sentire moueri, ratiocinari, contemplari, sapienter viuere, quià altioris sunt gradus quàm viuere simpliciter: vitalis verò & prima statuitur in actionum, & vitæ necessitate, cùm alias facultates suscitet, atque perficiat, foueat, atque tueatur; ita vt cum eis concurrat dum spiritum influit vt eis materiam suggerat; alioquin languidæ otiarentur ac perirent. De nobilitate igitur cerebri operatio nobilior est, sed cordis magis necessaria. Naturalis verò & altrix ignobiliorem locum tenet, cùm & vilium stirpium sit communis, quàmvis & hæc prima ob id statuatur, quia omnium viuentium est communis

munis cuius tres sunt effectrices facultates, Procreatrix, Altrix, & Nutrix. Procreatio, seu generatio est motio, quæ ad nouam substantiam perducit, & calor cœlestis est ille qui generationem adiuuat. Vnde 2. de Gen. & corrupt. cap. 10. Incuruus autem obliqui orbis habitus profectionis & reuersionis auctor est, ita enim accidit solem modò remotum, modo propinquum existere; cuius aduentu & propinquitate rerum ortum excitat; digressu, & longinquitate interitum. Et 2. de Gen. animal. cap. 3. calor in animalibus non igneus sed proportione respondens Elemento stellarum. Generationis autem duæ censentur partes; Commutatrix, & formatrix, ita vt quælibet pars etiam similaris suam habeat speciem, quæ propria quadam commutatione substantiam extulit: quoniam videmus quod alia compleuit essentiam ossis, alia nerui & sic vniuscuiusque partis substantiam sua quædam facultas ingenuit. Altrix quæ adiectum alimentum in propriam substantiam conuertit, eique assimilat, vt dissipatum, & absumptum resarciat: Nutritio enim adiecti alimenti in corporis substantiam est conuersio, & assimilatio. Nutrix verò seu augendi facultas circa solidas corporis partes agit, & corpus quoquo versum secundum tres dimensiones profert, Augeturque donec integram suæ formæ absolutionem obtineat. Quicquid autem per alimenti appositionem & assimilationem quotidie fit, id potius, vt quantum effluxit restauretur atque pristinum solidatum partium robur conseruet laxioresque capacitates impleat. Alimentum enim cùm iam in partem influxit, primùm ei apponitur, deinde agglutinatur adhæresciteque, demum perfecte assimilatur. Quocirca vnicuique corporis parti duplex erunt naturales actiones; Aliæ propriæ, cùm nulla sit pars quantumvis minima, quæ se ipsam non alat, atque conseruet; Aliæ communes, quæ in gratiam cæterarum partium comparatæ sunt, veluti quæ in ventriculo, & iecore præter proprias consistunt ad totius corporis commodum, & vtilitatem natæ. Sic æsophago facultas est trahendi alimentum, sic ventriculo, & iecori concoquendi, sic denique aliis membris condita est vis ad publicam vtilitatem. Vt verò facultas hæc naturalis commode exercere vim valeat, [illes natura ei indidit, tanquam instrumenta quædam, quorum alij sunt recti, & in longitudinē porrecti, per quos fit attractio; Alij transuersi, & per hos fit expulsio; Alij obliqui, vt facilè retineant. Aliquæ tamen sunt partes quæ nullo villorum genere indigent, sed tantummodo vis quædam illis ingenita est, vt se alere possint; veluti sunt ossa, cartilagines, & aliæ, quæ cùm dumtaxat priuatis commodis operam dent, ob id naturalium facultatum species omnes sunt assecutæ. Virtutes verò principales, seu rectrices & animales facultates quæ animantibus solis conuenientes, à quibus nomen sortitum est, in duplici sunt differentia. Aliæ enim rationis sunt participes. Aliæ huius sunt expertes, quæ sensuum tantummodo impetu feruntur a quadam vi supranaturali, quam sentiens anima regit ac gubernat; ob cuius simplicem operam animalia rerum extra existentium mirabili modo possint species ac simulacra in se suscipere absque vlla reali susceptione corporum illorum quorum apprehendunt simulacra, dum cernunt, odorant, audiunt gustant, tangunt atque tractant, quia etiam mouentur, rerum discrimina cognoscunt, cogitationem fingunt, somniant, memorantur. Quæ omnia munera sunt vnius eiusdemque essentiæ, non tamen semper vno, eodemque modo ob organorum instrumentorumque varietatem. Alio enim vtitur animal instrumento quo videt, alio quo audit: & sic nec facultas est eadem quæ omnibus quinque sensibus exterioribus inest. Facultas enim est forma instrumenti: nam quocumque sentimus, id quemadmodum cæterorum corporum vnumquodque ex subiecta materia & specie constituitur, sentiendi instrumentum tanquam materia est; sensus tanquam forma, & ratio. Et externi dicuntur sensus, non quod foras promineant, sed quia externarum rerum cognitionem propriis organis capiant, & hoc habent commune, vt vnusquisque sit potestate talis quale idipsum est, quod est percepturus. Hoc enim extrinsecus positum sensum impellit ac mouet: quod si sensus ab subiecta re afficiatur, necesse est tum similitudo, tum dissimilitudo quædam intercedat. Præterea vt subiectas sibi res cognoscat, tum rum priuationes, tum excessus immoderatos, sed diuersa via ac ratione, quamvis nō circa læsionem excessus sustinere possit, sicuti propria obiecta quisque blande impulsus excipit, & suam sensationem in proprio organo per medium operatur. Quare distant sensus omnes inter se non modo facultatibus & natura, verùm etiam proprio vnius cuiusque instrumento. Hanc autem sentientis animæ facultatem externam, in quinque sensus distributam interna altera insequitur, cuius species vim habet discernendi communem, (& dicitur sensus communis) vim fictricem, & eam quæ meminit & recordatur, quas non tanquam partes habere sed facultates vnius huius animæ perspicuum est, sentientis verò ac cognoscentis animæ propria sedes in cerebro tanquam in arce residet. Quare proprium tum sentiendi tum cognoscendi instrumentum appellatur, & per neruos in omne corpus dispersos anima vires suas effundit, in cuius cerebri corpore locum habet præsentia eorum omnium quæ per sensus externos fuerint apprehensa. Quæ cum sit æque communis omnibus exterioribus sensibus, ob id communis sensus appellatur. Per hunc enim subiectam multorum sensuum materiam non modo homines, sed & belluæ quoque internoscunt. Hanc ob causam eius facultas præstantior sensibus particularibus censetur, quoniam vim quandam communem habet, quæ varias sensuum imagines complectitur; quæque interior facultas, & animæ sentientis substantia similia, & discrepantia diiudicat, simulque cognoscit, & omnes rerum imagines à sensibus externis ante se positas contemplatur, atque eorundem actiones obseruat.

obſeruat. Et hic eſt quo nos viſu videre, & auditu audire cognoſcimus, & de omnibus imaginibus certum fert iudicium. Qua de re idem eſſe dicitur cum ſenſibus quinque, & hos omnes tanquam à fonte riuulos deriuari; propter quod ab Ariſt. comparatur centro circuli ad quod tendunt omnes lineæ à ſuperficie circuli protractæ. Sic per neruos recipientes à cerebro ſpiritus ſenſitiuos per quos ſuas exercent in propriis organis operationes, ſenſatorum ſuorum ſimulacra ſinguli ad eundem ſenſum communem reducunt. Duo itaque huius communis ſenſus erunt officia, ſenſibilia videl. exteriora ſenſibus externis diuiſim percepta vna apprehenſione cognoſcere, atque de actibus ipſorum ſenſuum iudicare. dum enim in lacte viſus albedinem cognoſcit, guſtus dulcedinem, tactus caliditatem, ſic homo iũdicat ſe videre, guſtare tangere, & ſic de reliquis ſenſuum exteriorum actibus quorum impreſſiones, & veſtigia non ſolùm excipit ſẽſus communis, ſed etiam continet ac conſeruat, etiam quod penitus ſublata ſint recondit, atque ideo ei inhærent, vt res abſtractas cognoſcat, ac percipiat. Poſt hunc autem ſenſum communem proxima eſt alia quædam potentia ordinata ad conſeruandas ſpecies in ſenſu communi à ſenſibus exterioribus receptas, quam fictricem facultatem, ſeu Phantaſiam, & imaginationem dicimus, quæ interiorum obiecta ſpectraque apprehendit, & concipit, atque huius officium eſt, ſpecies abſcedente obiecto, exteriori ſenſu à ſua operatione deſiſtente in ſeſe conſeruare. Eſt enim imaginatiua velut cellarium ſpecierum à ſenſu communioni præſente obiecto ſuſceptarum contentiuum, atque conſeruatiuum, & hæc propriè efficio nuncupatur, nempe motio facultatis circa rerum dumtaxat ſimulacra, atque veſtigia, vt ſæpe ſibi fingat multa quę numquam ſub ſenſu venerant, vt homines volantes, boues alatos, & multi eam formarum Theſaurum appellant, quæ potentia ſiccitate quadam perficitur & duritie ad benè conſeruandum. Nam ſicut humidum benè recipit, ita ſiccum bene conſeruat. Hinc fit quòd ea quæ ob humiditatem leuiter cerebro impreſſa ſunt, ſtatim euaneſcunt, quæ verò ſiccitati coniuncta, tanquam in theſauros recondita ſunt, vt habitus & affectiones inſiſtunt, atque conſeruantur, hæc autem imaginum conſeruatio memoria eſt, ſiue vis memoratiua quæ theſaurus intentionum rectè appellari poteſt quæ intentiones ab æſtimatiua ex ſpeciebus in imaginatiua ſeruatis iuxta ſpecierum naturam, & conditionem eliciũtur. Quis enim dum audit vocem nati ſui balantis, ex illa vocis ſpecie intra imaginatiuam ſuſcepta elicit intentiones & exiſtimationem defectus pabuli, mouetur ad præbendum vbera: qui quidem pabuli defectus nullo ſenſu fuit ab oue perceptus. Quemadmodum igitur imaginatiua conſeruat ſpecies rerum, & æſtimatiua elicit intentiones non ſenſatas, ſic memoria conſeruat eaſdem intentiones ſpecierum. Memoriam autem confirmat tuetur-que meditatio, & cogitatio, quæ crebra eſt repetitio imaginum quatenus aliorum imagines ſunt. Eſt enim memoria rei abſentis per imagines ſpectationem cum cognitione temporis præteriti repræſentatio, & potentia. Quæ intentiones ab æſtimatiua recipit, & retinet, cuius facultas conſeruandi à cerebro, ſeu ab eius conſtitutione intelligi poteſt qualis quantaque ſit, locumque habet virtus hæc in poſteriori parte cerebri, vnde ex occipite Phyſionem rectè de memoria coniiciunt. Qui enim bonum (inquit) occiput habent, & quaſi tumorem quendam magnum in occipite, hi plerumque bonam habent memoriam. Et quoniam ſicci eſt benè conſeruare, oportet hanc partem cerebri magis ſiccam eſſe, & aliquantulum duram minuſque humidam & mollem, quàm ſint partes aliæ cerebri priores & ob id obſeruatur plerumque eos non admodum memoria valere, qui bonæ ſunt apprehenſionis propter nimiam cerebri humiditatem, ob quam celerrima ſit apprehenſio: qui verò tardè apprehendunt, & plurimum memoria pollent, maioris argumentum eſt ſiccitatis. At qui adeo tardæ ſunt apprehenſionis, vt tanquam hebetes, & obtuſi vix quicquam percipere ac retinere valeant præ nimia duritie, hi memoria carent. Ex quibus patet ratio cur pueri & ſenes infirmam atq; incõſtantem memoriam habeant; illis quia imaginum impreſſionem ob nimiam humiditatem ſeruare atque retinere; his vero, quia admittere atque recipere non poſſint ob defectum humiditatis ac caloris naturalis. Ariſt. verò in lib. de memo. & remin. aliam aſſignat cauſam vtriſque; ſenibus inquam & infantibus communem, quòd videlicet in continuo ſint motu; illi quidem propter decrementum, hi verò propter augmẽtum. Verùm cauſa ſuperius aſſignata potiſſima, ac veritas magis conſona eſſe videtur, quod Ioannes Damaſcenus videtur apertè declarare dicens; ſenes priùs amittunt memoriam, quia frigidior cerebri pars frigiditate prius afficitur: Et ſi ad mediam (inquit) cerebri partem peruenerit detrimentum, fiunt ſtolidi; Vnde adagium, Bis pueri ſenes Haliabb. quoque magnus Gal. interpres huius ſententiæ fuiſſe videtur. Et Gal. etiam in lib. Quod Animi mores ſequan. corpo. temper. cap. 10. inquit Pituitam in cerebro facere memoriæ iacturam. vbi abſque dubitatione, & 7. de decret. Hipp. & Plato. cap. 3. Virtutum ſedem, rationiſque vim & ſenſibilium imaginum, eorumque quæ à conſilio & voluntate prodeunt, in toto cerebro locat; atque ſubiungit ſatis eſſe ad probe curandum noſſe ſedem affectam eſſe cerebrum, atque in eius ventriculis humorem contineri. Quare abſurdum eſſe videtur aſſerere cogitatiuam in parte priore, in poſteriore memoriam exſtare, cùm vtraque totius eſt cerebri, in cuius toto corpore fuſa eſt princeps ſentiendi Anima, licet functiones interiores varia ratione atque diſcrimine quodam ex operibus diſcernantur; Nam cerebri ſubſtantia mollis ſiue dura memoriæ ſedes eſt, & inſtrumentum pro excipiendis ſpectris, vt dictum eſt. Eius verò temperamentum quantitas figura, ſpiritus inſitus

inſer

inſeruiunt facultatibus diſcernendi,cogitandi, atque memorandi. In appetitu autem exultat cerebrum,interiores ſinus,& capacitates quatenus receptaculæ ſunt ſpiritus pro inſtrumentis quæ ſenſui & motioni deſtinãtur,& ſunt ventriculi cerebri, priores duo ſenſui, medius & poſtremus motioni accommodati. At quoniam facultates foras opus ſuum proferunt, externis indigent adminiculis, quæ à communi illo fonte cerebri deriuantur. Viſus etenim, Auditus, & Guſtus foris cùm ſint, neruos habent concauos per quos vis,& facultas influit; ſic & Olfactus qui nerui molles ſunt, & à priore cerebri parte orti; Tactus verò duriores paulò ſunt,quos ſexta cerebri coniugatio ad interiora viſcera,foraſque ad cutim diffundit,qui nullius motus ſunt auctores. Mouentes verò exquiſitè duri ſunt,qui etſi motum voluntarium non efficiant,tamen vim motus effectricem in muſculos deuehunt; qui muſculi propria ſunt mouendi inſtrumenta, vt 7.& 9. de vſ. part. cap.14. & 16.eiuſd. cap. 2. Natura dedit partibus indigentibus motu neruos duros, & muſculis munitos, molles autem & ſine muſculis ſenſu indigentibus. Quo in loco intelligit de neruis, qui proprio alicui ſenſui ſunt addicti videndi,audiendi,guſtandi, natura enim reliquis omnibus neruis vtramque vim dedit. Quod Gal. affirmat 1.de ſympto. cauſ.cap 5. vbi inquit: Natura omnibus neruis vtramque facultatem largita eſt;ſentiendi, atque mouendi: ſed cùm mouere quædam ſit actio, ſentire autem ſit paſſio; Ad motum quidem multis ſpiritibus opus eſt, ad ſenſum autem paucis,vnde fit vt facile quidem quis motum amittat,ſenſu manente, ſenſu autem carere muſculum qui moueatur numquam deprehendens. Et ſic patet ſenſiferos neruos bifariam dici, ait Gal. 5. de vſu part. cap. 9. alios quidem qui proprio alicui ſenſui ſunt addicti,& hoc modo non omnes actiui ſunt ſentiferi; alio modo ſenſu communi tactus atque tunc actiui omnes ſenſiferi ſunt,inde de ſenſiferis omnes ſunt actiui, quo ad facultatem,quia omne quod ſãtit mouetur; & verſa vice. Igitur nerui qui ſentiunt,motum habent quoad facultatem, quo ad functionem non: quoniam nõn mouent niſi qui muſculis inſeruntur ſeu inferti ſunt. Quæ facultas quoad operationem diſtincta, & non vna eſſe videtur; cùm alia in actione,alia in paſſione conſiſtat; alia eſt cum cogitatione,alia ſine;alia cum muſculo adminiſtratur,alia ſine eo;alia tota eſt corporea;dum alia melior ſit, alia poteſt fieri imbecillior. Eſt tamen eadem pluribus modis: 1. quia in eiſdem ſemper reperitur tebus,& etiam in neruis,& per idem ſeu eadem fit.5. temperamentum & ſpiritum. Et ſicut lux reflexa cauſa eſt ignis,& recta ſplendoris,& ſunt eadem lux, ita facultas nerui in neruo eſt cauſa ſenſus,& diffuſa per muſculum eſt cauſa motus:nec erunt plus diuerſæ inter ſe, quam idem radius rectus, & reflexus. Muſculus enim eſt proprium inſtrumentum motus voluntarij,& à neruo propriam recipit functionem mouendi, qui neruus aut in tendonem, aut in os,aut in membranam intruditur. Verùm cùm cerebri corpus ſenſus ſit expers, multò magis quæ in ſpina, ac neruis medulla, quomodo poſſunt vim ſentiendi conferre quam non habent? Et hæc fuit potiſſima cauſa quæ induxit Philoſophum ad credendum quòd nerui à corde,& non à cerebro ortum habeant,quoniam non animaduertit quòd cerebrum non ſimpliciter accipitur,ſed prout triplici conſtat ſubſtantia;dura nempe,& tenui membrana, & cerebro ipſo,& ex tribus his ſubſtantiis neruos oriri. Et ſicut cerebri corpus motu agitatur aſſiduo, nullo tamen tangendi ſenſu præditum, ſic quæ ipſum ambiunt meninges, immobiles per ſe ſunt,quæ, craſſior præſertim ac ſenſu exquiſitiſſimo valẽt. Ideo dicendum cerebrum,vt motus eſt author,ita meninges ſenſus; ſiue vim mouendi à cerebro eſſe, vim ſentiendi à meningibus quam aliis corporis particulis per neruos conferunt. Omnium igitur animalium functionũ efficiens cauſa eſt cerebrum ſuis meningibus conueſtitum,inter ſentiendi autem animæ facultates ſumma illa atque ſuprema eſt appetiendi vis,& functio, quæ eſt interior agitatio,& animæ motus:quæ licet à diſcretione,memoria, & effectione diſſideat, eas tamen comitatur, & dicitur appetitus communis & ſentiens in cerebro ſitus,cuius ſeminaria funduntur in teſtes,pudendaque,& os ventriculi, ac alias partes;fomitémque in cor coniecit. vnde excandeſcentiæ author,& ſic vnus cupiditatis,& libidinis, alius excãdeſcentiæ appetitus qui ſentiens & animalis dicitur. Vnde animantiũm vniuerſum genus ſentiente hoc appetitu ducitur, non minùs quàm appetitu naturali qui tanquam finis, & veluti Princeps cunctis inſidet non ſolum hominibus & beluis, ſed ſtirpibus etiam & inanimis ineſt, ita vt nihil natura conſtare poſſit quod appetendi facultatem non habeat; qua apprehenſa amare, vel odire;proſequi,aut fugere,& de præſentibus gaudere, vel triſtari valeat. Cuncta enim animantia (licet peramplo diſcrimine) alimentum proliciunt, & proprio quodam motu aguntur concitato naturali appetitu,ita vt vna quæquæ corporis particula à venis alimentum quod ſibi familiare eſt, ad ſe rapiat, atque conuertat. Huius vis in iecore conſiſtit, vt ſupra oſtenſum eſt. At humanum genus non ſolùm craſſa iſthæc & corporalia ſenſibus ſubiecta, verùm etiam ſpiritualia & inſenſibilia apprehenſione intellectiua cognoſcere poteſt, & per hanc potentiam ſiue appetitum intellectiuum, & voluntatem homo appetit,vult,& non vult, iudicátque ſecundum intellectum bona vel mala. In homine igitur duplex eſt vis appetitiua. Altera quæ ſenſui coniuncta eſt,& ad ſenſus iudicium mouetur,& appetitus ſenſitiuus dicitur, qui & animantibus brutis etiam, & vbicunque fuerit ſenſus dum ab æſtimatiua mouentur conuenit: Altera verò ſuperior,& intellectui coniuncta, & corpori nullo modo immerſa, per quam homo, id quod intellectus iudicat bonum, amat & proſequitur;quod verò malum, odit & fugit. Atque hæc cùm intellectui iungatur appetitus intellectiuus vocatur, & rationalis

qui mentis, rationiſque conſilio obtemperat, inordinatoſque & importunos refrenat, & hic appetitus libera eſt voluntas hominum quidem familiaris omnium princeps & regina. Quem appetitum animalem concitare quæcunque ſunt veſ videntur bona. Erunt igitur appetituum ordines tres, ſicut tres ſunt animæ partes; Naturalis, Animalis, & Rationis particeps: Vnaquæque enim facultas non niſi proprio appetitu ad agendum impellitur, vt & in moralibus patet. In pueris autem manifeſtatur appetitus qui rationis eſt expers; qui dum iracundia æſtuant, & rationis non ſunt compotes, immo & adulti ac prudentes quandoque importuna cupiditate flagrant. At ratio inſurgens diſſuadere conatur & ſic duplex facultas eſſe videtur, vna rationis obtemperans, altera voluptatum amica. At cùm ratio adeo euicta fuerit vt vitiorum blanditiis ac voluptatibus ſuccumbat, vt iratus ſe ipſum obiurgat, & propria voluntate impetus & iratus oppugnet, ita vt tres fiant ſintque in nobis facultates morales; Appetitio nempe rationis particeps voluntas nuncupata quæ prudenter conſtanterque res optat; Quæ verò Rationis eſt expers duplex eſt, vna cupiditas dicta, Alia Ira, & vltio, quæ variis perturbationibus agitantur & patibiles ſunt. Eſt & anima rationalis, quæ cùm rationi obtemperet, nulliſque perturbationum fluctibus iactetur, prorſus impatibilis & immutabilis cenſetur: & cum ſit vis incorporea cõditione mentis ſuperna contineri debet. Eſt etenim mens & intelligentia inter cæteras animæ partes princeps, & regina; qua præditus cùm ſit homo, cæteris animantibus antecellit: per hanc quidem intelligentiam præclara omnia opera edit, atque res incorporeas ab omni materia ſeiunctas & vniuerſales rerum motiones atque formas cognoſcit. Incorporea namque & ſimplex eſſentia indiuidua eſt intelligentia quæ nullius corporei inſtrumenti opera indiget, alioquin corporis particeps fieret. Quamobrem à ſenſu maximè diſtat, atque impatibilis eſt, & immortalis. Verùm cùm quælibet actio atque cognitio quæ in nobis fit deducta ſit & procedat ab his, quæ ſub ſenſum cadunt, hoc argumento, quòd quæ non ſentiunt nihil diſcere, nihil intelligere poſſent. Ob id ex ſpectris atque imaginibus rerum externarum quæ ſub ſenſum communem continentur, primas & ſimplices intelligendi notiones proficiſci notum eſt, & ſicuti qualitates rerum externarum ſunt materia ſubiecta ſenſuum, itaque imagines illarum interiore ſenſu conceptæ atque ab omni materia expurgatæ intelligentiæ ſubiiciuntur: quæ dum in illas agit, intellectiones alicit, & de illis multas cognoſcit, quæ ſenſum nullo pacto mouere poſſunt: ab imaginibus tamen primum mouetur (quemadmodum ſenſus à rebus externis) & ſecundum rectum ordinem prius eſt rem intellectu percipere, poſterius autem velle vel nolle. Et veluti ſenſus potentia eſt quædam apprehenſiua abſque reali ſuſceptione ipſarum per ſolam ſpecierum receptionem. Ita & intellectus potentia per quam homo ea quæ extra ipſum ſunt, intus apprehendit, non rem ipſam vel eius partem vel vllam corporalem eius qualitatem, ſed tamen ſpeciem rei quam apprehendit intra ſuſcipiendo, & omnia indifferenter apprehendit ad differentiam ſenſuum, qui ſinguli ſpeciem proprij ſui ſenſibilis ſuſcipiunt. Intellectus igitur virtute mirabili intelligit formas ſeparatas, naturas vniuerſales, angelicas mentes, immo & ipſum Deum, & affirmando, & negando; tam in vniuerſalibus quàm in particularibus; tam in abſtracto quàm in concreto, & multipliciter ratiocinando mirabili quodam ordine operatur. In duas autem diuiditur potentias intellectus, in agentem videlicet patientem. Agentis autem, proprium eſt, intelligibilium rerum ſpecies efformare atque efficere, vt intellectiones rerum fieri poſſint. Patientis verò eſt in ſe ſuſcipere ſpecies virtute ipſius intellectus agentis efformatas. Quapropter hic materiæ rationem habet, ille verò formæ; quia poteſt efformare in paſſibili tanquam in materia omnium intelligibilium ſpecies vt eas conſeruet, & quaſi pro ſubiecto illis ſubſternitur, & poſſibilis hæc intelligentia ab agente digniori & præſtantiori perficitur; atque his duabus intelligentiis tanquam ex materia & ſpecie fit res vna. Nec multùm refert nouiſſe, an duæ hæ intellectus potentiæ realiter ſint diſtinctæ, an ſolùm diſtinguantur ſecundum diuerſam rationem; videlicet, vt idem numero intellectus dicatur agens quatenus hoc illi competat officium efformare, & efficere ſpeciem intelligibilem, idemque patiens, quia non in alio aliquo ſed in ſeipſo hanc ſpeciem per ſe effectiuam recipiat dummodo intelligatur duplex hoc officium intellectui competere, veluti quod nullam poſſit efformare ſpeciem intelligibilem in poſſibili, quæ non habuerit exordium à ſenſu medio intentionum in phantaſia, ſine in æſtimatiua exiſtentium ad quas ſe conuertit tanquam ad imagines quaſdam ſibi præſentatas, & ſua virtute abſtrahens ab impuro, & materiali phantaſmate ſpeciem immaterialem eam efformat quæ illi conuenit pro ſua operatione exercenda. Atque habita vnius notitia ex illa aliam formar, atque ita conſequenter donec ex notitia intellectuali ſingularium vniuerſalium cognitionem efficiat. Et ſic mediatè omnis notitia intellectiua à ſenſu eſt, ſed non immediate, cum ex paucis rebus poſſit mirabili ſua virtute plurima progignere dum ſubſtantias etiam angelicas apprehendat abſque magnitudine, accidente, mutatione, & motu & abſque omni generatione & corruptione, & paſſibilitate, initio, & fine; & abſque omni tempore & loco, compoſitione, & permixtione, cùm ſolius ſit intellectus (vt dictum eſt) formam à materia, & accidens à ſuo ſubiecto diuidere, atque abſtrahere, adeoque per intellectum homo ſuam excellentiam (quæ in ipſo ab optimo creatore poſita eſt) ſuamque nobilitatem, &

dignita

dignitatem cognoſcit vt ſe ipſum etiam intelligat, ac ſuper ipſum reflectatur, atque ſuper actum proprium, quod nulla alia inferior potentia facere poteſt. Quapropter dicimus ens, adæquatum eſſe obiectum intellectus; quia per lumen intellectus agentis poſſunt imprimi in poſſibilem intellectũ ſpecies totius quod ſub ente continetur. Ex his itaque duabus naturis tanquam ex materia & forma mens conſtat incorporea, impatibilis, immortalis, tota quidem diuinitus nobis adiecta.

CAPVT X.

De Humoribus.

CVm Hipp. in lib. de Nat. homin. declaraſſet quòd elementorum vnio, & commiſtio communis eſt omnibus naturalibus corporibus, & præſertim ſanguine præditis, inter quæ eſt homo, ideo in hunc modum ſcripſit de eo. Corpus hominis habet in ſe ſanguinem & pituitam & bilem tum flauam tum atram, ex quibus natura eiuſdem corporis conſtat: & propterea debet, & valet. Valet maximè (vt ſuperius tetigimus) cùm moderata hæc inter ſe tum facultate tum multitudine & mixta optime fuerint, Dolet cùm aliquid ex his plus vel minus ſeparatum in corpore fuerit, nec benè confuſum exſtiterit. Galen. quoque poſtquam modum docuerit, quod corpora ex quatuor elementis conſtituuntur, ex quibus plantarum etiam ortus, fructuumque ac ſeminum exiſtit, inquit; Et hæc alimenta præſtant animalibus, quæ vel herbis, vel arborum fructibus vel ramis, vel radicibus veſcuntur. Atque ipſa hæc animalia hominibus nutrimento ſunt, ex quibus quidem cibis ſanguis in ipſis gignitur & pituita, & geminæ biles, ſed ſanguis plurimus, Vnde ſolus ex omnibus in veris apparet, alia pauciora creantur, atque hic ſanguis eſt noſtræ generationis quaſi materia; qui ex quatuor quidem humoribus conſtat, à dominio tamen ita appellatur. Hinc patet corpus noſtrum ex quatuor his humoribus conſtare; qui ex cibis quibus veſcimur, generantur. Et quamvis Gal. aſſerat 2. de element. cap. 2. Quod quæſtio an corpus nutriatur ex omnibus humoribus, ſit difficilis, nihilominus probabilior eſt quàm ſua contraria. Secundo etiam de facult. natur. cap. vltimo dicit quòd lien trahit partem craſſam, & veſica flaua omnia, At membra ſingula trahunt nutritionis cauſa, igitur talia membra ex his humoribus nutriuntur. Nutriuntur enim vtili miſto excrementitio. Sed difficultas eſt de chylo ex quo nutritur ventriculus. 3. de facult. nat. cap. 13. Tamen dicendum quod chylus ille priùs in ſanguinem tranſmutatur Et pari ratione de chyſti fellis, de quo infra. Hipp. quoque 3. de nat. hum. textus 18. vult quòd corpus humanum generetur ex quatuor humoribus, igitur ex eiſdem etiam nutrietur. Verùm non ex quibuſlibet generatur, ſed tamen modò ex his qui ſunt partes ſanguinis & non excrementis; & ita lien generabitur ex ſanguine atro non excremento. Atque ſic nutritur ex excremento ratione ſanguinis excrementitij conuincti. Antequam enim perueniat ad lienem eſt ſanguis excrementitius non excrementum. Patet igitur membra à ſolo ſanguine puro, vel cum ſuis partibus generari ac nutriri, nam humores qui ſecundum naturam in ſanguine ſunt dulces, vt non liceat bilem guſtu aut melancholiam à ſanguine ſecernere. Igitur ſi dulciſſimum nutrit, & totus ſanguis dulciſſimus eſt, igitur ſanguis totus nutrit. ſanguis verò duo habet ſignificata, ſecundo in ſextum de morb. vulg. cum 39. Velut quartus humor quem vix in animalium corporibus reperire licet, vel vt aggregatum ex omnibus. Poteſt igitur humor multipliciter conſiderari. Et primo ac principaliter dicitur de ſanguine arteriali, ſecundò de omni puro ſanguine arteriali & venali, Tertiò de excrementitio qui eſt in venis, quartò de excremento vtili vt de Melancholia quæ deligatur ad lienem nutritionis cauſa. Vltimò de excremento inutili, & hi omnes ſunt naturales. Dicitur & ſimpliciter de præternaturali, cum eſt ſuperaſſatus, aut crudus, & hic poteſt eſſe cum ſanitate, Demum de humore corrupto & per putredinem facto. Humores præterea non differunt ſpecie, nec membra, vt primò de Anima habetur. Nec humores fortuito ſunt in ſanguine, verùm neceſſarij, & illi in quos reſoluitur ſanguis per putredinem non ſunt eiuſdem naturæ cum his, quibus nutrimur & ſic purus humor & ſuccus mediocris erit animantis alimentum quod in omnes partes diſtribuitur. Adſunt propterea & ſicci tertiæ concoctionis, nutritioni accommodati qui ſecundarij appellantur; atque hi primum in exilibus partium venis exiſtunt, & tanquam res in partes influunt, eiſque apponuntur, dein affiguntur, & tandem in ſubſtantiam conuertuntur dum eiſdem aſſimilantur. Horum ſuperuacanea ſunt vapores qui per inſenſibilia cutis ſpiracula exhalantur, & qui in ſordium ſpeciem cuti extrinſecus adhæreſcunt, Et ſudores ſeroſi humoris reliquiæ, qui ſponte & naturaliter erumpunt. Sunt & pili, & vngues ſolidarum partium excrementa. Eſt & bilis tertium excrementum quæ in fellis veſiculam reconditur ex tenuiſſima, calidiſſimaque chyli portione, excrementum omnino ſuperuacaneum, nec alendo corpori accõmodatũ. Sed difficultas eſt de pituita, quam generari ex frigidiore iecinore & venarum anguſtia aſſerit Gal. lib. Art. Med. cap. 38. & Princeps in prima part. doct. cap. 2. cùm dixit, Illud quod coctionem ſubterfugit eſt pituita. Verùm Gal. met in lib. de atra bile cap. 8. inquit, Declaratum eſt pituitoſum humorem ex pituitoſis cibis in prima ventriculi concoctione generari vti bilioſum, & melancholicum in iecinore. Idem etiam

etiam concedit 5. de Vſ. par. cap. 4. & alibi, Addens etiam illam in inteſtinis non ſolùm in ventriculo generàri. Ventriculus enim cùm cibos aſſumpſerit, antequam diſtribuat, concoquit; velciturque eorum optima parte, quæ ſanguinis formulam ex propriis vaſis acquiſierit, vt teſtatur Gal. 4. de vſ. par. cap. 19. demum emittit in inteſtina. Igitur ſi nutritur ventriculus interiore parte à cibo, & non niſi ab humore, igitur ventriculus humorem generat, & non niſi pituitam. Verùm vt omnes euitemus difficultates, dicamus ex mente Gal. quòd duplex eſt pituita ſiue duas habet formas ſicut & bilis. Altera, provt eſt humor extra venas, & generatur in ventriculo, & nutrit eum, ſicut nigra bilis ſplenem, & flaua ſuam veſicam, & ſic trium humorum tria ſunt vaſa, & ventriculus erit conceptaculum, & lacuna pituitæ, Aliud genus pituitæ eſt humor perfectus & à Gal. appellatur ſanguis pituitoſus. Et ita humores actu erunt quatuor in toto corpore & in ſanguine potentia, ſicut elementa in mundo actu ſunt, & in miſto potentia. Sanguis enim totus dulcis eſt (vt iam dictum eſt) in corporibus ſanis, qui tamen ſi amara bile, & ſyncera perfunderetur, vtique eius ſapore inficeretur, quemadmodum contingerèt ſi tantillum fellis in lactis copia inficeretur Humores etiam in ſanguine à cauſis præter naturam manifeſtantur; à quibus multæ ſortiuntur differentiæ: & hinc fit quòd cùm corrumpitur ſanguis, quod ſubtile eſt, tum aqueum cum bile conſentit permiſtione facta: pituita etiam & portio ſanguinis craſſior cum melancholia. Patet itaque quatuor humores qui in ſanorum ſanguine continentur ſynceros, & puros non eſſe nec eorum naturam exprimere, ſed tamen potentia & à cauſis præter naturam manifeſtari. Vna igitur cum ſanguine cæteri humores naturales & nutritioni accommodati progignuntur, nam chylum ope venarum meſæntèrij præparatum & rudi quadam ſanguinis forma adumbratum iecur accipit. Hunc per eam moram & corragionem propria ſubſtantia effectrice ornat, ac in veram & perfectam ſanguinis ſpeciem exprimit dum in propriam naturam commutate ſibique prorſus aſſimilare inſtitut, primùm quidem craſſiorem reddit & colore rubrum: & cùm ad quandam mediocritatem acceſſit, tunc verus ſanguis appellatur; qui non modò caloris beneficio, ſed iecinoris ingenita quadam proprietate completur, veluti & reliquis corporis partibus in quibus & lac & ſemen & cæteri humores per concoctionem gignuntur. Eſt autem concoctio per Ariſt. perfectio à naturali, & proprio calore ex oppoſitis paſſiuis quod Alex. in 3. natural. quæſt. q. 14. ſic explicat: quòd ſit perfectio acquiſita in paſſiuis oppoſitis à calore proprio: nam hanc diuiſit poſtmodum ratione finium. Quædam enim nutritionis cauſa eſt, quædam euictionis, vt in tuberculis ac excrementis. Non igitur omnis coctio nutritionis cauſa, neque aſſimilans, quamvis omnis coctio eodem modo in paſſiuis fiat & ab eodem calore: diſſident tamen ſolùm ratione finis. Quod & Auerr. 7. Collec. Concoctionem nocitiui eſſe ad expulſionem non ad nutritionem tanquam ad finem: formam verò eſſe facilitatem expulſionis, & non aſſimilationem membri; attenuendo craſſa, inſpiſſando tenuia, diuidendo quæ tenacia ſunt: & hæc operatio dicitur maturatio ſeu præparatio. Natura namque agit ad finem proprium, ſed proprius finis noxij humoris qui emendati non poteſt, eſt expulſio, erit itaque coctio morbi maturatio quædam eorum quæ ſunt præter naturam. Idem Gal. ſuper primam. Epid. comm. 44. Cùm enim dixiſſet Hipp. maturationes excrementorum vndique tempeſtiuæ aut bonæ & decretorij obſeſſus ſunt conſiderandi Gal. itaque declarans inquit, Coctio quæſtam eſt, eorum, quæ præter naturam, morbi maturatio. Subſequuntur autem, Hæc autem concoctio in coquentis ſubſtantiam deductio quædam eſt eius quod concoquitur. Ergo vbi corpus bene habet, cumque ei quod concoquitur, naturæ intercedit familiaritas cum concoquente, mutatio fit totius concoquendæ materiæ, aut maximè eius partis, minimúmque ſuper eſt ſemicoctum. At verò cùm propter naturam affecta fuerint, quòd accidit cùm à natura immutatis aliena fuerint, quod aſſimilatur paucum eſt, excrementum verò ſemicoctum multum, & vt in ſanis corporibus excrementa, ſic etiam in ægris concoctionem indicabunt. Quare liquido apparet iuuantis humoris & nocentis vnam eſſe concoctionem à natura intentam, non ſolùm ratione caloris agentis, ſed finis, qui eſt nutritio, & forma quæ inducitur, eſtque aſſimilatio: nam ſemper natura intendit aſſimilare vnumquodque naturæ membri; & antequam humor ſyncerus euadat, natura operatur in eum per ſe, per accidens autem in partem quæ concoctioni veræ rebellis eſt. Et hæc eſt cauſa, quod in tertianis, & quartanis in initio acceſſionis apparent ſpontaneæ expurgationes; quia humor ille iam eſt ſeparatus. Calor igitur agit in humorem corruptum ſed non per ſe, verùm vt agat in vtilem; & ſi non adſit, non agit, nec fit concoctio, ſed putredo. Iecur igitur cùm ſanguinem generauerit, portionem eius ſibi familiarem adiungit, agglutinat, & aſſimilat, ac perfecta nutritione illam in propriam naturam connertit; reliqua verò ſanguinis pars redundans in cauam venam prolabitur, in totumque corpus diſtribuitur. Dum verò ſanguinis formam alimentum nanciſcitur, reliqui humores pariter oriuntur vno, eodemque naturali calore authore, licèt humorum differentiam quandam ex alimentorum varietate fieri atteſtetur Gallien. & rei natura planè oſtendit. Calor enim iecoris, dum in chylum varium, ac multi formem agitur, rationi conſonum eſt varios exinde humores procreari. Ab efficiente enim & ſimplici cauſa complura, diuerſaque gigni

ob

ob dissimilitudinem, quæ est in materia, quotidie obseruamus. Ex portione enim temperata ac mediocri substantia chyli sanguis fit; ex calido, & tenui bilis; ex frigida humidaque pituita; ex frigida atque terrena melancholia; & sic quilibet humores certam temperamenti latitudinem consequuntur, dum iecur, vel alimentum, vel vtraque ad magis vel minus calidum vergunt: & hoc modo dicimus sanguinem alium alio calidiorem, frigidioremve esse, & bilem bile calidiorem, pituitamque & melancholiam alia frigidiorem esse, cùm nullus cuique ad vnguem diffinitus sit gradus. Et quamvis Gal. ostendat sanguinem esse natura calidum & humidum 2. de fac. nat. cap. 9. ex combinationibus reliquorum humorum, dum vult probare dari humorem frigidum & siccũ contra Erasistehr. 1. tamen de nat. hum. cap. 1. inquit, sanguinem esse temperatum. Princeps etiam 1. part. doc. 3. cap. 2. dicit quòd sanguis est calidus & humidus, & post dicit quod gignitur à calore temperato. Immo & Hipp. 1. de morb. pag. 12. ponit ipsum calidissimum esse. Et in lib. de Cord. pag. 5. esse expertem caloris, consequi autem à corde, quam sententiam sequutus est Arist. 2 de part. ani. cap. 3. Quapropter dicendum sanguinem ex se habere calorem quendam temperatum. 5. ex generatione in iecore comparatum, sed feruet in corde postmodum. Aliter etiam potest, solui, quòd sanguis prout est quartus humor in comparatione ad alios humores, est calidus & humidus, sed in comparatione ad hominem est temperatus, quia illi similis, nam hominis natura in rerum ordine declinat ad calidum & humidum manifestè & hoc modo dicimus Ver esse calidum & humidum in comparatione ad ordinem rerum; temperatum verò quia nos non immutat. Erit igitur sanguis calidus & humidus actu & potentia; Nam si solùm esset potestate talis; non posset deferre calorem naturalem. Secundò quia videmus sanguinem esse calidum, liquidum, & feruidum Præterea ex 6. Epidem. comm. 8. Reliqui humores à sanguine quia prodire possunt extra venas tales fiunt actu cum prodeunt, quales erant potentia. At sanguis cùm non possit extra venas prodire quin corrumpatur, duplicem naturam quam habent alij humores loco mutato ipse in venis retinet, vt sit actu simul, & potentia calidus. Actus verò cùm sit duplex, Alius à generatione, & sic sanguis calidus calore tepido, Alius vt sensui obijcitur, & tunc calidissimus est, quia feruet in corde. Quo fit vt sanguis non purus, sed pro aggregato etiam & melancholia calidissima sit dum potestate talis est. Dicimus itaque humores in sanguine potentia esse solùm, non actu, & potentia tales posse esse frigidos aut calidos; Calidos autem omnes esse actu quia actu sunt sub forma sanguinis, qui est calidus & humidus ideo etiam humidos, frigidos si extra venas proderint, & siccos. Ex vi ergo efficientis caloris, & alimenti materia omnes fieri humores atque ab eisdem illorum varietatem petendam esse satis conspicuum est: & quamvis omnes ex eodem chylo; & vnius caloris beneficio te lucantur, atque simul vno eodemque temporis spatio gignantur non tamen eiusdem chyli partes omnes parem mutationis modum subeunt, & hinc diuersi eodem tempore consurgunt humores. Pituita autem etsi dicatur sanguis leuiter & modicè coctus, aut sanguinis rudimentum non tamen quælibet pituita est veluti sanguinis adumbratio, quod & Princeps prima pars doctr. 4. cap. 1. declarauit dicens; Pituita naturalis dulcis est, & apta vt aliquando in sanguinem transeat, cùm sit sanguis non plenè coctus, & sumpsit à Gal. 2. de facult. nat. cap. vult. Pituitæ quod dulce est, id naturale & animanti salutare; quod verò alterius saporis præternaturale. Sed notandum, quod pituita naturalis quæ conuerti debet in sanguinem, continetur in venis & est dulcis; sed non est humor in actu vt superius ostensum est immo dulcis est per admistionem sanguinis: aliter esset insipida. Cùm enim transit per iecur, & iecur cùm sit agens naturale, agit in illam, & forma quam introducit iecur manet in ea dum est in venis, igitur pituita quæ est in venis, in iecore generatur in secunda concoctione; quæ concoctio cùm triplex sit, tribus etiam in locis celebratur: prima in ventriculo, secunda in iecore, tertia in venis & singulis particulis, & quamlibet præcedit præparatio, subsequiturque absolutio ac humorum & excrementorum varietas pro alimenti varietate tanquam subiectæ materiæ. Crudorum autem humorum duplex est genus, perfectè crudorum qui prorsus opus naturæ subterfugiunt; & semicoctorum: vtrique planè sanguine frigidiores, vt 4. de tuenda sanitate cap. 6. & 1. de alim. cap. 2. succus crassus, ac frigidus est, quem propriè crudum solemus nominare, quem natura vix euincere potest, quanquam sit excrementum.

CAPVT XI.

De Membris & corporis partibus.

HVmanum corpus vnum cùm sit, non tamen simplex efficitur, sed varium & diuersi generis partium structuram subit, vt totum in caput, thoracem, ventrem, & artus, & horum vnumquodque rursum in alia plurima tã simplicia, & similaria, quàm composita & organica dissolui possit. Ex simplicium autem compactione partes organicæ constant, atque instrumentales dicuntur; quia eorum opera omnes corporis actiones fiunt, & exactionum differentia & ordine instrumentorum differentiæ ponantur: ob id in eis statuitur modus vt aliæ minus aliæ magis compositæ videantur, sic enim vni-

uersum corpus animæ instrumentum statuimus, oculum visionis, concoctionis ventrem, & ita de cæteris quæ formata & instructa sunt ad aliquod opus obeundum. Triplex est autem corporis compositio, secundum Gal. lib. de morb. diff. cap. 3. similium partium & elementis, & instrumentorum ex similibus, & totius ex instrumentis. Et est sumpta ab Arist. 2. de part. anim. cap. 1. Quartam autem compositionem addit 2. de Elem. cap. 1. membrorum nempe similium ex humoribus; nam humores ex elementis constare vult. sed vera compositio est solùm triplex, alia verò addita est per viam generationis in vtero matris, & nutrimenti dum augentur; augentur enim ex sanguine. Plurima verò continentur in humano corpore simplici, vt spiritus, lac, semen, sanguis, vtiles humores, & quæ ab his superuacanea defluunt propriis receptaculis concepta: ossa præterea, cartilagines, membrana, nerui, venæ, arteriæ, cutis, medulla, pili & similia simplicia, quæ corporis partes appellantur, & eius functionibus vsibusque accommodantur, quæ tribus illis substantiis constant; solida nempe, carnosa, & spirituosa. Per solidam enim toti robur inest & firmamentum: hanc carnosa vndequaque circumfundit: spirituosa substantia & ætherea quæ partis similaris essentiam complet, omnium functionum opifex, vt supra satis abundè ostensum est. Principalia autem membra ex Gal. sententia in art. med. cap. 9. sunt quatuor; Cor cerebrum, Iecur. Testiculi. Verùm in 6. de vsu part. cap. 3. dixit, Membra trium sunt generum; quædam vitæ necessaria, vocanturque principalia; Alia quæ ad bonam vitam & commodam faciunt; Alia verò quæ ad horum vtilitatem & custodiam. Quare testiculi non erunt membra principalia; non enim vitæ sunt necessaria: erunt autem vetriculus & Pulmo; quæ tamen non illico vitæ inseruiunt, sed his, in quibus vita primò consistit membris. Testiculi verò sunt ad salutem speciei. Vel possumus etiam dicere, ventriculum & pulmonem inter principalia collocanda esse: oculos, aures, testes inter ea quæ faciunt ad commodum vitæ vsum. Vngues & palpebras, & cartilagines aurium inter ea quæ ad custodiam faciunt. Quòd autem cor, cerebrum, iecur, & Testiculi sint principia, ostendit Galen. in sex primis libris de decr. Hipp. & Plato. Ibi est principium facultatis vbi & ex quo illius istrumentum oritur, sed arteriæ à corde, venæ à iecore, nerui à cerebro oriuntur; & hæc sunt instrumenta facultatum vitæ nutriendi & sentiendi: Igitur illa à quibus oriuntur, sunt principia. Constant igitur corpora nostra ex solidis & humidis & spiritibus. Solida sunt ossa, cartilagines, nerui, musculi, venæ, arteriæ & quæ in contactu sunt viscera: humida sunt humores, & excrementa: spiritus verò natiuus calor in corde desitus.

CAPVT XII.

De Aëre.

GAlenus 1. de tuend. san. in duo genera distinxit causas mutationis, corruptionisque nostræ; Alterum earum quæ nobis sunt congenitæ, internæ atque ineuitabiles; Alterum earum quæ sunt externæ nobisque forinsecus incidunt: quarum aliæ necessariò, aliæ non necessariò, corpus nostrum afficiunt. Quæ necessariò nobis occurrunt sunt sex res non naturales inter quas primum obtinet locum aër nos ambiens à quo corpus nostrum necessariò afficitur, & quem velimus nolimusque contingimus, inspiramus, arteriarum motu trahimus, nec quicquam reperitur quod nobis æque prodesse vel obesse possit. Eius igitur tractationem aggrediamur; non vt Philosophis, sed vt Medicis tamen vtilis & necessaria, & quæ pacto ad sanitatem, aut ægritudinem faciat. Nobilissima enim est tractatio hæc non solùm ob finem qui per se est necessarius ac vtilis, sed quia demonstrationes, quæ in his habentur vt naturales perfectissimæ sunt, causam rei & rem ostendentes simul. Sat nobis itaque erit suas qualitates perquirere vt corporibus nostris commodi incommodive aliquid inferre possint. An igitur calidus, frigidus, humidus, siccusque sit, an ex his mistus aut temperatus, aut tranquillus, aut ventis agitatus, aut crassus, aut tenuis, aut nubilus, aut serenus sit aut esse debeat à nobis est considerandus vt prosequi aut si opus fuerit incommoda euitare queamus. Aëre liquidem, cibo, & potu substantiam, quæ necessariò è corpore effluit, restituimus atque ita senectam remoramur, dum natiuo calori & spiritui conueniens pabulum ac refrigerium præstamus. Calor etenim noster quanquam ætherius, frigidi tamen aëris appulsum continuò desiderat; & si aliqua occasione deficiat, prorsus extinguitur, vt si fauces animanti præcudantur, omniaque cutis spiracula occludantur, mox caloris extinctio sequitur. at dum nobis circunfusus est, si arteriarum pulsu spirandoque eum trahamus, vniuersi corporis calorem conseruat, atque interdum solis qualitatibus, calore nempe, frigore, humiditate, siccitate, interdum non his solis sed & tota substantia corpus immutat, atque afficit, idque bifariam, vel corrumpendo corporis sustantiam, vel contrariam temperiem citra corruptionem inducendo. Calida enim & humida temporis constitutio putredinem vt plurimum in corpore gignit, sic vnicuique aëris constitutioni varij contingunt morbi, vt ex Hipp. 5. lib. Aphor. colligi potest. Aër autem in quo viuimus, non est purum elementum, sed potius ventus quidam & commistus atque impurus: & verùs corpus elementare quàm elementum. Elementum enim si esset purum, aër respirationi non esset aptus; cùm misto corpora simplicibus minimè nutriri

possint.

poſſint. Elementaribus igitur corporibus & non elementis vtimur. Eſt autem aëris regio frigidiſſima, non vt multi exiſtimarunt, ob vapores, & vocatam antiperiſtaſim, ſed ex natura ſua, & frigidiſſimus qui in concauo lunæ eſt, ſed téperatus propinquitate ſyderum, & maximè Lunæ & ille eſt temperatiſſimus inde etiam puriſſimus ac limpidiſſimus, & totus ſyncerus, qua de cauſa ipſum æthera antiqui & rectè appellarunt. Verùm expedit vt doceamus, quinam ſint loci (habita aëris ratione) ſalubres; tum qui morbi & mores loca ipſa conſequantur, demùm quibus modis in noua regione habitatio ſalubrior haberi poſſit. Hipp. igitur tres in ſuo lib. de Aëre, Aquis & locis in principio, conſiderationes affert: A mutatione primam, à ventis ſecundam, vltimam à ſitu. A mutatione temporum regulam generalem dabat eodem in libro de Aëre, Aquis, & locis. Vbi tempora magnam ſuſcipiunt permutationem, corpora non ſunt adeò pulchra ſed ſunt robuſtiora, neruis validis, agilia, audacia, mente induſtria pollent; crudelia, morbi acuti & vehementes. In temperatis verò locis pulchra, languida, fluxa, timida, mitia, pinguia, non magni ingenij, non ſolertia, & quæ facilè decipiantur. Cauſam ingenij & ſolertiæ dabat Hipp. quoniam admiratio eſt cauſa ſtudij, & inquirendi, vbi verò permutantur tempora, ibi multa & magna, nouaque apparent; coguntur etiam ſe præmunire aduerſus iniurias temporum: ſi verò frequens mutatio ſit vt Romæ, neceſſarium eſt multos apparere morbos, vt in 3. par. l. Aphor. 1. & etiam quia homines aduenæ non poſſunt eſſe adeo cauti in permutandis veſtibus. Sed ſi mutationes validæ cum hoc ſint, erunt morbi etiam difficiles, non ſolùm frequentes; ingenia verò virorum mobilia, quare etiam infida: Vbi verò raræ, leuesque mutationes, erunt fideles magis, ac conſtantes, morbi lenti, ac diuturniores. Si autem in temporibus veniãt conſuetis, erunt ſalubres regiones, in contrariis verò inſalubres; vt ex Hipp. colligitur 3. Aphor. 8. & 15. Ex permutationibus verò generaliter, quæ ad ſiccitatem ſunt, ſalubriores ſunt; quæ ad imbres morboſæ magis. Ventorum verò ratio ſic ſe habet; Borealis omnium ſaluberrimus hoc augmento probabat Plin. lib. 17. cap. 4. quòd arboribus Auſtrum ſpectantibus celeriùs diffluant folia, ſeriùs Aquilonem. Dicitur regio ſpectare Boream, quæ montem habet ab auſtro, ipſa vero ab aquilone detecta eſt & eleuata, vt inquit Raſis 3. ad Almas. cap. 26. Quia tamen Boreas nimis acer eſt, laudat ciuitates expoſitas Orienti potiùs quàm Boreæ, & hoc dicebat Ioſephus Indus in ſua nauigatione cap. 135. ibi connumerat ciuitates nõ admodum diſtantes ab Æquinoctij circulo, in quibus homines viuunt centenis annis, illæſis etiam dentibus. Dicit quoque quòd ibi Eurj toto fermè anno regnant. Poſt Boream igitur ponitur Eurus in expugnando aëre. Poſt Tephinus, qui ab occaſu ſpirat: Vltimus ac perniciosus eſt Auſter; vt etiam 3. Aphor. 5. Quare ſi Ciuitas in malo loco & in malo aëre ſit poſita, procurandum eſt quod domus exponatur Boreæ: ſi autem ſit in bono loco & aëre, Orienti exponatur. Sed conſiderandum quod Vitruuius docet in condenda ciuitate effugere omnes ventos, & hoc minus ſalubre eſt & impoſſibile: immo ſi à tribus partibus fuerit circũdata montibus, tunc vni tamen vento exponitur; & ſi ille ventus etiam ſit ſalubris vt Boreas, Euruſve, regio tamen incommoda erit & inſalubris, & maximè aduenis ob vehementiam illius venti. Salubres igitur Vrbes ſunt, quæ vel duobus vel tribus ventis, inter quos Auſter non numeretur expoſitæ ſunt; item omnibus etiam, vt quæ in cacumine montium. Vita enim in montium iugis perennis eſt, ob puritatem aëris; qui ſi nimis calidus ſit & miſtus, vt in Æthiopia, ac in vallibus, breuem facit vitam. In temperata igitur regione vbi venti orientales ſpirant, vita ſalubris, & diuturna erit, ſi nec ſtagni, nec paludis halitu ſit perturbata, nec infeſta peſtilenti aura ex profundo aliquo ſpecu, aut ex cloacis quæ magnas vrbes expurgant, nec ab exercituum, animalium, olerum aut leguminum putredine ſit coinquinata, nec nebuloſa ob ſtagnum, aut flumẽ vicinum. Boreas autem ſi vehemens fuerit, facit tuſſes, & fracturam vaſorum pecoris, anginas, & laterales morbos, & coli dolores, & Vrinæ difficultates, facit tamen corpora agilia, benè appetentia, colarata, denſa. Auſter autem facit grauitates capitis, vertigines, attonitum morbum, & articularem; fluxa, languida, & malè colorata corpora. Euri & Zephyri minùs mutant; ſed ex his ſalubrior eſt Eurus: At ſi ſingularem in his rationem conſideremus, frequentes & validi morbos pariunt. Auſtri auditui, Aquilo nocet oculis magis. Si etiam ſuis temporibus in ea regione flant, ſalubriores; ſi alienis, morboſi. Conſiderare etiam ſucceſſionem bonum eſt; Nam Boreas Noto ſuccedens magnos facit morbos peripneumonias, & phlegmones ſub coſtis. Similiter & à qualitate loci; nam ſi ex loco æſtuoſo & deſertis venerint Auſtri effectum malum gignunt etiam ſi ſint Aquilonares. At contra ex frigida regione Auſter etiam parùm aut nihil nocet. In Euro tamen & Zephyro hanc rationem obſeruare nos iubet Princeps 2. 1. doctr. 2. cap. 10. vt ſi Eurus mane ſpiret aut Zephyrus veſperi, ſalubriores ſunt, quoniam ex loco quem iam ſol repurgauit ſpirant. At contra inſalubres ſi Eurus veſperi, Zephyrus mane perflauerint. Eadem ratione ſi cui mons niuibus obſitus ab Auſtro poſitus ſit, Auſter illi Vbi humidioris cuiuſdam Boreæ vicem obtinebit. Ciuitates igitur quæ malè quoad ventos poſitæ ſunt, trium ſunt generum: aut enim omnino nõ perflantur à ventis, & hoc quia in humili loco ſunt; Et de his dicebat Raſis lib. 3. cap. 26. Quod incurrunt lippitudines & oculorum alios morbos, & ſimiliter ſi habuerint ventos humidos ſpirantes ac corruptos vt ex aquarum ſtantium & paludum locis, circa quod ſcire expedit quòd malus aër primò nocet capiti, ſecundò vitalibus membris, & vltimò naturalibus. Aqua verò mala nocet primò naturalibus

membris, & post capiti, vltimò vitalibus membris. Ideo vbi solus aër malus est, non fit hydrops, nec regius morbus Primò igitur nocentur illorum capita: quòd si caput valid um fuerit,& oculi mediocres aut debiles, oculi infestantur, cerebro quod illi noxium est ad eos expellente iuxta regulam generalem.Membra robusta superflua mittunt ad debilia,ex Gal.in lib.de sect. Quod ad situm verò, montuosa regio, aspera, & aquosa ac nuda facit corpora magna, robusta, crudelia, incolumia: excipit enim validas aëris mutationes, vnde etiam fortia animo sunt. At contra:concaua, æstuosa, & pratis abundans corpora eneruata facit,animos molles, ac mites:quòd si flumina, fontes,aquas deduxerint & perflata fuerit, incolumis habitatio erit, & colore bono indigenæ præditi: si autem aquæ stagnantes, morbi & vitia lienis, & ventris, & color malus indigenis. At si regio alta, aquosa, perflataque fuerit,corpora magna habet, & animos mansuetiores.Depressa verò, arida & non perflata aspera parua corpora efficit, flaua,animos verò rigidos, ac contumaces. Nudam autem vocat Hipp. regionem in lib. de aëre,aquis & locis, in fine, quæ lucis & arboribus non est obsepta. Montuosa ab alta differt,quòd inter lapides sit, & longè eleuatior,aliquando etiam depressior. Verùm vt ad singularem aëris cognitionem descendamus, Notandum qud ὰaër perpetuò mouetur quia perpetuo à nouo syderum lumine ob cœli motum irradiatur:facilè enim agitatur quia substantia est tenuis ac mobilis,moueturque ab Oriente in Occidentem iuxta cæli motum.In eo itaque tres differentiæ considerari solent; Vt sit bonus vel malus; subtilis aut crassus; & quæ qualitas ex primis in eò prænaluerit. Ille autem bonus nullique non ætati vtilis censetur, qui perflatus ventisque ex oriente agitatus est in quo homines diutissimè viuunt, & præsertim qui optimo temperamento præditi sunt,quique moderata viuendi ratione vtũtur.Nec mirum si in quibusdam regionibus reperiantur qui centum viginti,alij centum quinquaginta annis viuant. Probandus igitur est aër ille,qui purus, serenus, temperatus, & tranquillus est, vel qui maiori temporis parte talis fuerit etiam quod per interualla quædam temporibus conuenientia,pluuiis ventisque interdum perturbetur, quoniam non solùm salubris, & ad vitæ longitudinem vtilis est sed etiam ad vitanda senij incommoda maximè aptus; immo iis in quibus aliqua exuperans qualitas dominatur, valde oportunus:calorem enim natiuum ac spiritus fouet, in quo homines artibus, ingenioque florent, quique præclara monumenta atque opera semper meditantur; & dum ingenio maximè pollent, ad quæcunque studia seu domi, seu foris peragenda stabili firmoque dictantis semper rationis iudicio sponte & publicè se impellũt. Regio præterea temperata copiam rerum omnium (quæ ad hominum victum pertinent) parit,& gregibus,armentisque segetum, herbarum,ac fructuum fœcunditatem contribuit, & campi præpingues frugibus temperatissimis luxuriantes hybernos soles sentiunt, & æstatis caloribus suauissimis auris perflati recreantur, Atque tandem loca hæc benigno cœli aspectu salubritatem, puritatemque aëris nacta vllo modo insalubria vix esse possunt nisi ob noxios vapores ex stagnis aut paludibus exhalantes, & ventos qui ea infestent. Horum omnium signa ex duobus excipiuntur;ab effectu, & à causis. Causæ autẽ sunt vt mare flumina, ostia fluminum terræ qualitas,imbres,montes,specus,luci,arbores,herbæ,animalia. Ab effectu verò dignoscitur aër bonus ac malus vt Princeps docet 2.1.doc.2. cap. 11. & Rasis 3.ad Almans.cap.25. Quoniam malus aër præfocare nos videtur ac quasi os ventriculi,& cor comprimere:bonus autem delectabilis est, ac nos quasi recreare videtur. Aliud signum ab eodem ponitur, cùm mala qualitas percipitur in eo vt sit quasi puluerolentus, fœtidusve, aut turbulentus. Subiungit etiam Princeps quod abundantia reptilium declarat aëris corruptionem. Certius etiam signum sumitur ab euentu; nam vbi homines malè colorati,inualidi,& breuis vitæ,ac morbis abundantes, ibi aërem malum esse credendum est: sed quia hoc etiam vitio aquæ prouenire poterat,ad morborum differentias deuenire oportet; atque ob id certissimum signum ab authoribus est remissum:inquit enim Hipp. Morbi epidemij aëris, vel aquarum vitio prouenire possunt.Morbi igitur ex aëre cerebrum maxime (vt diximus) infestant, vnde grauedines,anginæ, lippitudines, resolutiones neruorum,attoniti morbi,surditates,capitis dolores,& phlegmones. Ex aqua autem hydrops propriè, & difficultates, ac leuitates intestinorum,regius morbus, vrinæ stillicidia ac vesicæ reliqui morbi, viscerum duricies.Sed & aliud signum à Principè positum est,aëris in die permutatio ad calorem, frigusve;turbulentiam, & claritatẽ; serenitatem & nebulas.Aliud ponitur à Vitruuio.& est antiquorum in castris deligendis ac vrbibus condendis; Victimas non paucas mactabant, & iecora inspiciebant. Si pingue, rubrum,cum adipe candido reperiebant, salubrem aërem,& aquam loci in quo victima depasta est, nunciant, lapidosum autem aquas terreas; adipe suberoceo aut flauo, corrupras;macilentum,malum aërem tamen magis si subnigrum fuerit vel liuidum, subalbidum rursus iecur malas aquas. Communes fermè aquarum & aëris vitiis sunt febres ac morbi alij quicunque ex putredine primò generari solent:Aër tamen magis acutis proprius est; Aqua diuturnis. Subtilitatis verò aëris proprium est signum quod vesperi ab occasu solis celerrimè refrigeretur,& mane ab eius ortus incalescat:Crassus vtrumque seriùs facit. Aliud est signum quòd exhalatione terræ à longè videantur; si quidem in crasso hoc fieri non potest, multò minùs in turbulento. Eadem ratione etiam minimæ stellæ atque ideo plures per noctem conspiciuntur in subtili quàm crasso aëre. Calidus ac frigidus aër, sensu percipitur; siccus & humidus vt naturalis ex lapidibus politis deprehenditur:Nam

in

in humido aëre ſemper madent, cùm in ſicco ſint ſicci. Dignoſcitur etiam ex ſpongia aëre in nocte expoſita ſubiecto; Nem ſi humeſcit, aër humidus eſt, & quantò magis etiam maduerit, eò humidiorem denunciat illum eſſe: ſi verò ſicca permanſerit, ſiccioris etiam Cœli eſt argumentum. Generatio etiam multorum reptilium non aëris tantum ſed ſoli etiam humidioris eſt indicium. Notandum inſuper quòd malus aër omnibus eſt malus maximè vero lãguidis aduenis capita habẽtibus debilia: corporibus etiam intemperatis malis humoribus plenis, otioſis, & ſtudioſis vitam decurtat, morbos parit, tædium cibi, triſtitiamque affert, langnidum corpus reddit, & malè coloratum, canoſque accelerat. Bonus non omnibus vtilis; cùm aliqui contrarium requirant ſuæ naturæ vltra bonitatem, temperiem; Oppoſita tamen prædictis generaliter efficit, Subtilis prodeſt ingenio, nocet diuturnitati vitæ, ſed per accidens prodeſt; nam plerumque & omnium malarum qualitatum expers. Malus in morbis vagantibus propriéque peſtiferis nocet capiti, Craſſus verò minus attenuat: ob id magis confert vitæ & capiti; nec acutos morbos, nec, contagioſos adeo fouet, hebetiora facit ingenia, ſed laboris patientia. Calidius facit corpora eneruata, decolorata, agilia, laboris non facilè patientia; ingenia facit acuta, mobilia, infida: cùm humido ſi iungatur, longitudini vitæ confert: cum ſicco plus nocet quàm frigidus. Garamantes enim cum in calidiſſima & ſicca ſint regione, non vltra quadrageſimum annum viuunt. Frigidus autem robuſta, colorata, laborum patientia, fidelia, pertinacia, non agilia, obtuſoque ingenio: cum ſicco vel humido mediocrem præſtat vitam. Siccus autem aër vt omnes morbos à putredine natos tollit, ſic vitam maxime decurtat; corpora verò facit hiſpida, parua, aſpera, non pulchra, macilenta, laborioſa, mores agreſtes. At humidus glabra, pinguia, magna, mollia, formoſa, eneruata, mores manſuetos, & ab iracundia, & crudelitate alienos, longitudini vitæ multum confert, ſed morbos à putredine plurimos generat, vlceribus maximè noxius. Mare verò ſalubres reddit habitationes, tum quia ſalſedine corruptioni reſiſtit, atque humore confert ad longitudinem vitæ; tum quia ſemper ſpirant venti perpurgantes aërem, eumque temperant vt hieme, & in frigida regione ſit tepidior, æſtate verò & in calida regione ſit manſuetior. Cuius cauſam docet Auerr. 2. meteor. cap. 2. Verùm circa oſtia vbi flumina mare ingrediũtur aër eſt malus & corruptus; quia dum mare æſtuat, ſingulo die fluminis aqua retinetur, & in halitus tranſit, aëremque non leuiter corrumpit. Omnis præterea ciuitas in radice collis poſita veſpertinos ventos nóxios habet, cum arctis vallibus proxima fuerit, vt Bononia. Aquæ verò thermarum calidæ aërem vitiant, ſed non adeo malè afficiunt, vt robuſta corpora quæ calida non ſunt lædant, quoniam à putredine procul abſunt: Febres tamen in debilibus accerſunt vitiata concoctione, & in calidis ob intemperiem. Verùm nunquid aër putreſcere poſſit, declarat illa aëris conſtitutio quæ in ſumma illius erat putredine qualis ab Hip. in 3. epid. lib. deſcribitur. Et 1. de differ. febr. cap. 4. iuxta fin. Et Zoar. dixit 3. Theiſir. tract. 3. cap. 1. Scias quòd aër calidus, & humidus eſt paratior ad ſuſcipiendam putredinem omni alia aëris temperatura. Idem Auerr. & clariùs 4. collec. cap. 14. ponit enim duo genera corruptionis aëris; alterum ex vaporibus, aliud in ſubſtantia propria quod dicit accidere ex multitudine imbrium. Sed Philoſophus in probl. part. 25. problem. 20. exiſtimat nullo modo aërẽ poſſe putreſcere, docetque huius cauſam dicens; Quod putreſcere debet, refrigerari prius conuenit, aër autem non poteſt refrigerari, cùm ignis plurimum ſecum habeat, quare nec putreſcere poteſt. Galen. etiam videtur intelligere de putredine vaporum non autem aëris quam excitari vel à paludibus vel à cadaueribus aut talibus exiſtimat. Princeps etiam exiſtimat p. 4. tract. 4. cap. 1. ſubſtantiam aëris non poſſe putreſcere, verũntamen qualitatem putridam poſſe à vaporibus putridis recipere. Si etenim aër ſecundum ſubſtantiã putreſceret, vtique omnia animalia, nedum omnes homines neceſſariò morerentur, at hoc nunquam accidiſſe compertum eſt. Igitur nunquam aëris ſubſtantia putreſcit, quicquid dicam illi qui tenent mentem Auerr. & Auenzoar fuiſſe quòd aër vt omnia reliqua præter ignem putreſcere poſſit, leuiſſima tamen putredine quæ ſenſu non percipitur. Sed difficultas eſt, & ſuperiùs tacta, an aër exſiccet, & ſic præcipua cauſa conſumptionis humidi innati; & præſertim cùm videamus homines qui in aliquibus regionibus ſeneſcunt quadrageſimo anno vt Garamantes in Aphnica, in aliis ſenium extremum aduenit iuxta centeſimum trigeſimum annum, vt in India iuxta Calecutum, in Goa ciuitate. tum locis propinquis, Ergo videtur aër eſſe cauſa potiſſima cõſũptionis humidi. Dicendũ quòd præcipua cauſa conſumptionis humidi innati eſt calor, qui & in hominibus & cæteris animalibus igneus eſt, & proprijũ ignei caloris eſt ſiccare, igitur humidum innatum ſiccatur à calore naturale vt ſupra demonſtratum eſt, & non par eſt vt ſiccetur à duabus cauſis, igitur non ab aëre; ſed quoniam aër imbutus eſt vi ſtellarũ, habet etiam motum, ideo non per ſe siccat, ſed vi illa, & ob motus violentiam, ſiccat autem non humidum innatum membrorum, ſed quod eſt in cauitatibus: at ſi plurimum conſumet ſiccat etiam ſubſtantiam membrorum. Aër autem humectat madefaciendo exterius membra, nunquam tamen humidiora illa ſecundum ſubſtantiam reddere poteſt. Quapropter aër Indicus facit ad diuturnitatem vitæ quia nullam ferme facit reſolutionem cum ſit temperatus, & etiam cauſa eſt ratio victus cum abſtineant à vino, à carnibus, & animalibus omnibus, & veſcantur optimis fructibus, ac pane. Quare dicendum quòd aër ciendo motum in calore naturali ſiccat. Atque hæc fermè ſint diſcrimina aëris temperati, calidi, frigidi, humidi, ſicci, craſſi, turbidi tranquilli, aut ventis perflati, peſtilentis, compoſitorumque

ex his. Cur autem calidus valde aut frigidus pestem potius sedet quàm irritet, cùm tamen qualitates primæ sint actionum omnium etiam reliquarum instrumenta, docet Galen. 1. de tuen. sanit. cap. 17. quoniam, inquit vir ille sapientissimus, etsi actionem calor adaugeat principale tamen agens putredinem scilicet extinguit. Frigus autem omnibus impedimento est; exprimit enim humidum in quo venenum seu contagium est opus tollit agentis condensat patientis substantiam nerecipiat. Vniuscuiusque ergo regionis aëris dispositionem, & qualitatem & quæcunque alia sibi pertinentia Medicus diligenter considerare ac contéplari debet.

CAPVT XIII.

Exercitationum differentiæ & vtilitates.

TRia sunt ex mente Principis humano perquam vtilia, vt sanitas custodiri quàm maximè possit; quæ singulis diebus quisque excolere, ac prosequi debet. Primùm vt superfluitates quæ in dies generantur, expurgentur; vt è corpore eductis calor excitetur, reseruetur meatus, membra ad suscipiendum conueniens alimentum disponantur roborenturque; secundum vt reparetur humidum radicale, prohibeaturque ne carnes vi caloris interni, externive tentatæ assidua consumptione tam cito corrumpãtur, imò per humidum cibale quantum fieri potest restaurentur atque earum consumptio differatur. Tertium vt calor & spiritus qui vigiliis diurnis atque labore imbecilles redditi, per somnium nocturnum refocillentur; sic enim animales virtutes, motrices, ac sensibiles defatigatæ quiescunt, coctio cibi adiuuatur, reuocatis ad interiora sanguine, calore, & spiritibus. Quibus cùm maxime conducat exercitatio vt ex Galen. colligitur 2. de tuen. sanit. cap. 2. Ideo de eius differentiis, ac viribus agendum est. Et in primis quid sit exercitium, quótve sint eius differentiæ inuestigabimus; mox quo tempore & quantum, & quale peragi debeat; postremo maximum eius vsum ostendemus, quantum tamen ad artem ac humani generis vtilitatem facere possit, Galenum insequentes, addentes quin etiam nonnulla, quæ ab aliis de exercitatione erudita sunt. Est autem exercitatio ex Gal. sententia motus quo respiratio mutatur, eumque laborem solet Hipp. appellare: Estque motus hic voluntarius, & à sensibili appetitu procedens; qui in magnitudine, ac frequentia anhelitum adiuuat, aucta nimirum secundum omnes dimensiones pectoris extensione ob quam cor pluri indiget aëre pro sui refrigerio; affirmante Galeno 2. de tuen. sanit. cap. 2 Quod vbi nulla fit in motibus anhelitus mutatio exercitationem non dici. Ea enim (inquit) exercitatio continenter vocatur ex qua maius, minúsve, celeriùs aut crebriùs respirare quis cogitur. Vnde cùm motus ad aliud referatur, hinc est quod idem alteri sit exercitatio ob vehementiam, alteri non vbi nulla fit vehementia: terminus autem vehementiæ est anhelitus alteratio. Et quamvis qui fodiunt, & qui metunt, & qui equitant & magnæ pilæ ludo se exuant, exercere dicantur, nihilominus illos potius defatigari ac laborantes se exeruciari censuit Gal. qui parùm se exercuit in perquirẽdo an iidem sint labor motus, & exercitatio. Plures insuper statuũtur exercitationum differẽtiæ quas percurrere oportet; cùm non quiuis motus suos præstet corporibus nostris vsus, sicut nec quæuis quies, sed moderationem in vtroq; expetere iuuat in qua simul quãcitatẽ qualitatemq; iustam & temporibus suis recte initam conuenire experimur: Quoniam motus aut celeriter, aut tardè aut mediocriter obitur; rursus aut robustè, aut imbecilliter, horumque in medio; postremò aut vehemẽter, aut tenuiter, aut horum neutrum. Quilibet enim motus his peragitur differentiis, quæ cùm suscipiant magis & minus, atque varias comitentur motuum species, hinc fit quod tot reperiuntur exercitationum modi à Principe distinctè enumerati 3. p. doctr. 3. cap. 2. Præterea necessum est eos aut continuato motu fieri, aut interpolato: & si continuato, aut æquali, aut inæquali: si interpolato, aut ordinatè aut inordinatè; & rursus aut sub dio, vel sub tecto, aut solis radiis illustrato, opacóue aut vmbroso. Item & per accliuia, aut per æquam planitiem fieri possunt. Quæ rursus loca ex calore, frigore, humiditate, & siccitate aliquid discriminis acquirere possunt. Omittimus innumera alia exercitationum discrimina, quæ fiunt æstate in vmbra, in Sole hyeme; habet enim Princeps æstate in arena, & loco frigido corpus exerceatur, hyeme perunćto corpore in loco tepidiore; in aqua, in ceno; à famelicis à cibo oneratis; cum ira, cum metu & huiusmodi, quæ satis fuerit adiam dictas differentias deduxisse. Nec parùm interest nouisse quænam sit robusta exercitatio, & quæ celer; Robustæ specimen est fodere, magnum subire onus: Celeris verò est rursus breuior, manuum gesticulatio velocior reliquo quiescẽte corpore. His si vehementia & temporis continuitas, & aliorum complexiones addãtur, vtique & varia, & multa iterum exsurgent exercitationum discrimina. Et harum quidem aliæ magis vnam quam aliam corporis partem exercebunt, aliæ verò totum aquę corpus. Remigare namque brachia magis, pilæ verò paruæ ludus totum æquè corpus fatigat. Tempus autem opportunum cõficiendi exercitationem est cum iam celebrata fuerit prima quæ fit in ventriculo concoctio, & est quando ventriculus, & cibus vnũ quasi corpus efficitur; & secunda quæ in iecinore, Et corpus ab earundem superfluitatibus necnon à crudis humoribus mundum exstiterit, eo enim tempore tertia concoctio quæ fit in venis per conuenientem exercitationem maximè perficitur, & tunc calor innatus augebitur, solidiores partes roborabuntur, & membris agilitas, atque alacritas quædam accedet. Natiuus nanque calor qui immodica quiete interdum torpescere solet, moderata commotione excitatus promptius coctiones celebrat ac molitur, & distributionem vehementius, melioremque nutricationem

nem peragit, dum humores attenuat, meatus reserat, atque excrementa educit, abstimitque, & robur tandē vniuerso corpori addit si exercitatio ad iustam metam quæ est reparationis immutatio producatur, & inde cerebrum onerosa ponderis mole degrauatum exhilaratur, & cutis tota florido quodam colore inducitur, atque animi tenebræ discutiuntur. Quæ omnia commoda ad tria reducuntur à Galeno 2. de tuenda sanitate cap. 2. sicut adnotauit doctissimus Galenus 1. de tuen. san. cap. 18. Inquit Gal. Ex membrorum enim attritu illorum duities, tum verò spiritus fit cōcitatior, calorque scil. innatus augetur. Vt verò hæc commoda vnusquisque in propias species dissecet è membrorum duitie robur maius ad labores, & vt minus ex ipsis afficiantur ex spiritus impetu concitatiore vt excrementa expurgentur, corporisque meatus omnes liberentur. At ex caloris innati augmento attractio, concoctio, nutritioque melior fit, adeo vt solidæ corporis partes quoquomodo humido vitali perfusæ videantur; cuius beneficio molescere, humida attenuari, corporis angustiores meatus laxiores fieri contingit. Verùm si priusquam secunda concoctio celebrata fuerit, quis se exerceat, crudis humoribus se replebit, qui ad membra principalia quandoque per vim tracti homines præparant ad graues morbos vt 2. de tuend. sanit. cap. 2. adnotauit Gal. & lib. de cib boni & mali succi, cap. 3. Pari ratione si quis exercitium prorsus neglexerit multa incommoda subibit. pigritiam nempe grauitatem, inappetentiam, & alia huiusmodi, & præsertim ea quæ à crudis succis, atque à superfluitatibus originem ducunt, quæ quotidie necessario ex assumpto alimento generantur. Nullum enim potentia alimentum secundum quamlibet sui partem potest in nutrimentum conuerti, cùm non sit prorsus simile parti quæ debet nutriri ob id in qualibet concoctione superfluitates fieri est necesse, quæ euacuatione indigent (quicquid sentiat Auerr. de test. b. gallorum ac luteis quorum) hanc cum semper natura haud moliatur, augeri superfluitates par est, quæ adauctæ corpus sanum disponere possunt ad grauissimos morbos, qui sæpè infœlices reddunt homines & breuis vitæ, & præsertim si præditi fuerint mala ventriculi & iecoris temperie. Nam si se exerceant valde, diu viuere non possunt; si non se exerceant excrementis replentur, & morbosi fiunt, & quamvis per medicamenta etiam benigna superfluitates expurgare tentent, læduntur tamen cum huiusmodi medicamenta quamvis benigna, naturæ tamen humanæ sint aduersa, dum violentiam inferunt, vires frāgunt, & senium accelerant, vt testatur Princeps 3. 1. doctr. 2. cap. 2. dum inquit, Medicina purgat, & inueterat accelerans senectutem. Rabarbarum enim, Agaticus, sena quamvis benigna sint, ingrati tamen sunt saporis, & solo odore interdum nauseam, & cibi fastidium mouent, immo nec euitari potest quin & humiditates naturales & vtiles cum superfluitatibus educantur. non sine maxima iactura virium membrorum principalium vel eis inseruientium, ideo exercitatio necessaria est, has enim tollit superfluitates, & prohibet quin corpus his euacuationibus egeat, & eo magis si nullus committatur error in reliquis quinque rebus non naturalibus. Reperiuntur nihilominus corpora quædam adeo lapsa siue à natura siue ex accidenti, quæ quantumvis optima viuendi ratione atque moderata exercitatione vtantur, euitare tamen non possunt, quin paulatim copiam excrementorum coaceruent, quæ artus beneficio indigent. Videmus & tussis homines in carceribus detinctos, qui quamvis aliquandiu resistere valeant ob victus moderationem tandem egrotant, nec solùm ob exercitij dimissionē, verùm & ob aëris Corruptionem. Nam constat multos eremitas vel sine, vel admodum leui exercitatione ad extremam senectutem peruenisse, modò habuerint liberum aërem. Quinimo per quietem ex quorundam opinione perficitur concoctio, cum quies faciat (per eosdem) ad concoctionem viscerum, & motus ad concoctionem musculorum & externarum omnium partium quæ exercitio calidiores euadunt. At Gal. de omnibus concoctionibus quæ in ventriculo, venis, & reliquo animalis corpore fiunt verum esse vult 3. de puls. cap. 9. exercitio tamen (inquit 5. de san. tuen.) excitatur in membris calor, vnde & alimentum melius attrahunt, & alterant, & apponunt, & excrementa expurgantur impetu spiritus qui foris fertur, membra autem emaciari, quæ non exercentur videmus, quod & probare videtur lib. de consuet. cap. 4. inquiens, singula membra fiunt solidiora, validiora, & robustiora quæ exercentur, nec solum membra robustiora euadunt, sed & mens & animi vires, vbi de memoria, ingenio, cogitatione, & cæteris intelligit, immo & de sensibus ipsis, visu, auditu, gustu, & aliis, qui per exercitium moderatū siue potius leue auctiores fiunt & humiliores. Confert præterea vtentibus lentis, & crassis cibis conciliando longos & profundos somnos, quibus cibi concoquuntur, & ideo dixit Gal. lib. de cib. bon. & mali succi cap. 3. Qui commodum non habent vt se exerceant abstinere debent ab omnibus cibis lenti & crassi succi, velut & vrbani homines qui ciuilem vitam agunt; quoniam facilè in dextri hypocondrii grauitatem aut saltem tensionem incidunt. Et contra si quis valde se exercens vtatur cibis tenuibus, vt oleribus, ptisana & similibus debilitabitur, & breui tempore corpus conficietur. Speciatim verò quinam motus infantibus, & senibus conueniunt, suo loco docebimus. Senes namque multa egerent exercitatione ob multa quæ generant excrementa, verùm ob imbecillitatem eam ferre non possunt, immo eis nocet ob siccitatem, ideo contenti esse debent inambulatione & gestatione. Ex quibus patet exercitationem non laudari simpliciter pro euacuandis excrementis, nam maiorem laudem haberet in senibus, quam in ætate florentibus cùm senes (vt dictum est) magis abundent excrementis, ideo melius est vt excrementa non generentur, ne exercitatione,

ne, & alia euacuatione fit opus. Si igitur quantum quisque concoquere valet, edat bibatque, minimo egebit exercitio, non igitur ob exercitationem, sed ob vitæ temperantiam aliasve causas homines diu viuunt. Adde præterea quam periculosa sit exercitatio, si tempore oportuno non fiat: fieri namque non debet dum cibus in ventriculo concoquitur, nec etiam in iecorem, nec si adsint eruditates nec si alui excrementa non fluxerunt, nec si vigilauerit quis nec si Venere sit exolutus, nec si immodice exinanitus, vel repletus, vt vix tempus commodum, nedum horâ inuenies exercitium peragendi quin tibi noceat. Iccirco Hippotrium nos admonet 3. de dicta pag. 2. Vt lassitudinem omni tempore diuitemus, ideo in exercitatione non perseuerandum vbi quis lassitudinem sentit. Secundum vt deambulationibus in mane corpus exerceamus. Tertium hyeme, & frigido tempore magis & diutiùs exercendum, sed tamen cessandum non modo antequam lassitudinem sentiamus, sed antequam corpus incalescat. Vitanda est igitur lassitudo præparans ad morbos, exercitium graue exhauriens vires, & in hyeme calefaciens corpus, exoluens robur. Prolixa verò & vehemens exercitatio vsque ad initiũ sudoris & eleuationis anhelitus (quamvis secundum quorundam opinionem videant bonæ valetudini conferre) in sanis corporibus non probatur, vt quæ necessario vitam breuiet, nam corpus ex ea nimis accenditur & humidum vitale absumi necessariũ est, nec expurgatur. Melius erit igitur se parum per exercere, donec corpus sine spiritus mutatione, & sudore leuiter incalescere incipiat: nã vehemens exercitatio, quæ vltra modum fit siue consuetis siue insuetis semper mala, nam etsi corpus per eam rubeat, & appetitus excitetur, illa tamen carnium humidiores partes colliquat, quæ dum calefiunt, & accenduntur innatum robur dissoluitur, & membra imbecilliora quàm prius erant euadunt, imo sæpe sequuntur febres, vel absessus, vel phlegmonis initium dum interiora incalescunt, & sanguis totus effervescere incipit, modus igitur exercitationis est non delassari, nec sudare, nec spiritum intendere. Verùm sat erit vt per eam deferatur singulis membris spiritus innatus, qui est instrumentum omnium facultatum. Et si contingat quòd quis interdum coactus sit vehementi exercitatione vti, caueat ne quiescendo à labore ac magna corporis calefactione corpus statim refrigeretur, ne liquati humores in venis statim congelentur; quia tunc ingens oritur putredo in humoribus, ex qua febris acuta, & maligna, quæ vt plurimum breui solet interficere. Sit igitur exercitatio adeò moderata ac leuis vt sufficiat ad expellenda excrementa quæ sub cute, & in solidis membris continentur: cui si abstinentia adiungatur, vtique & salubrius corpus reddetur & vita longior. Verùm si cum pauco exercitio, & multa quiete copiosus cibus adhibeatur, corpus succosius redderur ac pinguius, tum robustius, vita tamen breuior fiet, & quantò corpus pinguius, tanto magis inualidum reddetur. Hinc fit quòd senes qui carnosi sunt & rubicundi celerrimè corruunt, & ex tempore atque inopinatè pereunt, nisi ciborum moderatione, & vini potu parcissimo vtantur, Id euenit quia calor innatus robustus est, & iecur validum, vnde illis prospera valetudo, & bonus habitus contingit; sed breuis sunt vitæ ob consumptionem humidi à magno & multo calore. Macilenti verò, & pallidi ac curui, quia calor in eis nõ admodum magnus est, ad longissimam senectã perueniunt, vt in Xenobius sacras aliquot virgines videre licuit, quæ annũ 100. superauerunt. Qui igitur exercitio vtitur etiã moderato obire ante octuagesimum primũ annum necesse est ob humidi vitalis consumptionem. Igitur qui plurimum senescere debet, id est, celeriter à laboribus etiam in iuuenta, & curis & Venere multa, & multo cibo abstinere, à quibus senes abstinere solent; Atque eò diutiùs homines vitam protrahent, si ex familia fuerint, quæ ad longam ætatem peruenire soleat ex vtroque parente aut saltem ex altero. Indicium enim est quod possint habere principia omnia valida; solentque hos multa concomitari signa, quæ pollicentur bonam valetudinem & diuturnam vitam, vt parùm mingere in iuuentute signum robusti, & bene temperati iecoris; optimè iuxta ætatem videre, multos dentes pulchros, & firmos habere qui plurimum conducunt ad celebrandam optimam concoctionem. Parùm etiam ægrotare signum est benè temperatæ naturæ, & parum abundare excrementis: abundantia enim excrementorum morbus est, nec vires fractæ erunt à præcedentibus morbis. Plurimùm etiam confert ad vitæ maximam longitudinem cor habere humidum cum calore naturali modico obtusóque cum pulsu molli & non admodum veloci, & iecur robustum (vt dictum est) atque ventriculum, multum etiam in prandio comedere (& parum in cœna) & non conqueri de ventriculi mala coctione signum est optimi ventriculi, qui parùm in concoquendo laborat. Patet igitur exercitationem non solum valde necessariam non esse, sed plerunque inutilem, dummodo illa leuis non sit, & plusquam moderata, vt iam liquidò demonstratum est; Cuius rei testimonio est quod nullus qui multum se exercet diu viuit. Validè namque excitat calorem qui humidum vitæ consumit, mediocris plus commodi affert ad valetudinem corporis, sed ad vitæ diuturnitatem maximè obest. Leuis verò & bonæ valetudini, & vitæ longitudini prodest. Similiter & copia cibi cum exercitatione ad robur ac bonam valetudinem multum confert, Otiũ verò, & leuis deambulatio, ac tarda qua nec magnopere excitatur calor, & vix ad cibi descensum facit (si cibus moderatè fuerit ingestus) ad vitæ longitudinem plurimum conducit. Protrahitur namque vita dum humidum radicale in corde tũetur à corruptione, atque à dissolutione. Quod an possit expurgari à fæce vt diutiùs cõseruetur, & serò senescatur, non est præsentis instituti. Sat est, quòd qui diu viuere debent, necesse est vt humidum plurimum, & benè pingue in

cordis

cordis substantia habeant, Calidum verò quod in sanguine & spiritu continetur non multum, non tenue, non acutum. Tenuis enim calor celeriter mouetur: multus & celeriter mouetur, & plurimum ex humido resoluit velut & acutus. Qui igitur humidi, & frigidioris, id est, non admodum calidi sunt cordis, etsi ad vitæ munia parum sint prompti, longæui tamen sunt, & ad magnam senectutem perueniunt. Et sic caput longitudinis vitæ leuis exercitatio cum parcitate cibi, cum corde humido, & calore moderato, nisi aliqua mala intemperies obstiterit Cerebri, Iecoris, aut ventriculi, multæ etiam sunt exercitationes quæ cum agitatione fiunt. Est aut agitatio quoties corpus mouetur non ex se, sed ab alio, vt nauigatio, vehi asturcone, vel gradaria mula, rheda, lectica vehi, cunis; quæ dum mouent exagitant corpora citra exercitationem, velut & fictio. Sed agitatio simpliciter verum exercitium dici non potest, nam nec sudorem vnquam mouebit, nec calorem excitabit. Nil autem melius excogitari potest in administratione exercitij etiam leuis vt membra extrema exerceantur maxime brachia, pedes, & crura, quiescentibus principalibus. Atque illa demum erit omnibus numeris absoluta exercitatio, in qua simul iustus, & temporibus suis rectè initus fuerit motus: scilicet ante cibum? Quoniam tunc partes instrumentales præparat ad propria munia obeunda, & tuetur ne facile affectionibus præter naturam tententur, imò robustiores fiunt, & alimentum melius attrahunt conficiunt, atque assimilant, & quod superfluum remanet, & per sensibiles & per obscuros meatus expurgant, adeo vt nec humorũ crudorum nec ciborum incoctorum copia, neque in ventre, neque in intestinis contineri periculum erit, nec deduci ad aliquas animalis partes priusquam fuerint concocti. Signa autem cibi concocti sunt vrinæ in colore bonæ: Aquosæ enim significant humorem in ventre distributum inconcoctum esse; fuluæ & biliosæ perfectam iamdudum concoctionem notant. At si pallidæ fuerint, moderatæ concoctionis nuper factæ signum est, & tunc ad exercitationes prodeundum, ventris ac vesicæ excremento priùs depositio. Et quoniam nonnunquam à cibo leues commendantur in aliquibus exercitationes ab Hipp. immo & à Gal. atque Principe; ij de deambulationibus tantum intelligunt, vt cibus ad ventriculi fundum facilius descendat; atque melius postmodum conficiatur, & in his potissimum qui ventriculum admodum debilem habent. Nec existimandum laborem à cibo omnibus hominibus esse incommodum, Nam natura neque hominibus neque animalibus cæteris rectè consuluisset si à cibo absumpto illa coëgisset inertia iacere. Immo quicumque peruenerunt ad tempora illa incredibilis senectæ omnes fuerunt aut rustici, aut milites, aut venatores, qui violento vtebantur motu, sed assiduo, & non interpolato, vt multi faciunt; qui cùm otio sint assueti statim è cibo laboribus repentinis se frangunt, & sæpe grauiter ægrotant: quod non euenit iis qui continuis assueti sunt laboribus. Et ob id Romani nullã aliam artem adeo commodam militiæ putauerunt, quàm agriculturam, quæ in continuo motu vigentes homines detinet. Quam sententiam probare videtur Hipp. dum inquit, Non replen cibis, & impigrum esse ad laborem; Ideo exercitatio à cibo non omnibus & præcipuè assuetis semper est mala. In omnibus enim rebus consuetudinem plurimum valere non est dubium, insueta autem insignes perturbationes adferre solent; idque non solum homines, sed & armenta quoque experiuntur. Alexandri enim exercitum in India nouitate ciborum penè deletum referunt historiæ. Insueta pabula greges totos quandoque perdiderunt. Ideo à teneris (inquit Poëta) assuescere multum est.

CAPVT XIV.

De frictionum differentiis ac viribus.

INterea quæ corpus nostrum extrinsecus mouent, frictiones sunt: quæ sæpe in exercitationum loco adhibentur, tanquam earum vicariæ. vt testis est Gal. 2. de san tuen. cap. 11. Idcirco de eis hoc in loco agere tempestiuum videtur. Per illos enim excitatus paulatim calor foras euocatur atque concalescunt venæ, arteriæque & inde sanguis ac spiritus. Siccant etiam frictiones atque extergunt ea quæ circa carnem sunt, & operantur vt excrementa plurima auertendi genera ad cutim ferantur, nec corpus admodum conturbant, sed dum humores in extrema corporis effusi incalescunt, extenuantur, & liquefiunt, dein dissipantur, & euaporant, & ob id Gal. Aphor. 17. Posuit eas interea quæ euacuant omnes humores æqualiter. Mouentur igitur quæcunque partes perfrictæ linteolis, aut manibus oleo intinctis, aut alia quavis re; & modò maiori, modò minori frictione, prout ratio postulat. Cuius proprium peculiareque est, vt quiescentibus membris commotio perfrictis partibus adhibeatur, quæ commoditas quoties libuerit, vsúsve postulauerit modò vniuersum singillatim, modò circa quodcunque corporis membrum vtiliter haberi potest. Idque duriter, molliter, parùm multum, medioque inter vtrunque horum, donec artificiosa quadam coniectura percipies per hanc moderatam frictionem attenuata esse excrementa, laxatos meatus, emollitúmque corpus totum. Nam dum cutis concalescit, simul oleum intro emolliẽdi genera excipit, & statim floridus quidam rubor per eam diffunditur. Et sic primã hanc habes fictionis differentiam. Quæcunque enim partes fricantur, necesse est primò aut quod molliter, aut duriter aut medio inter hæc fricẽtur. Deinde aut multum aut parùm aut mediocriter. Erunt itaque duæ frictionũ differentiæ; Aliter quidem ex qualitate dura; mollis, & mediocris; Altera ex quantitate, multa, parua, & mediocris. Et hæ rursus variæ esse possunt supernæ inquam, deorsum, & infernæ. Sursum, partim in subiectum secundũ corporis longitudinem, partim in obliquum,

& tranſuerſum, partim quod ad vtramque partem declinat: ſunt autem hi potius modi quàm veræ frictionum differentiæ; quibus muſculorum fibræ vario modo pertractari, ac fricari poſſunt iuxta intentionum varietatem. Quandoquidem frictionem, iniectum, ac circumactum manuum corporibus qualitate aliqua afficiendis quæſitum eſſe patet, hinc ſequitur neceſſariò vt id fiat aut molliter, aut duriter, multo aut pauco tẽpore, aut mediocriter inter hæc. Et hæ quidem ſunt in hac arte vtilitates quas reportare debemus ex frictionibus; atque effectus etiam molliẽdi nempe aut durandi, augẽdi aut extenuandi, aut per mediocritatem inter hæc ſeruandi carnis habitum. Idque intendimus ſemper ſiue in longum, ſiue in rectum, ſiue in obliquum, ſiue in orbem agantur manus; ſiue ſub tecto ſiue ſub dio ſiue in perflato loco, & ſimilibus, dummodo finem propoſitum conſequamur iuxta affectionum diuerſas indicationes, quæ ſæpe occurrere ſolent. Aliquando enim quæ nimium emollita caro eſſe videtur, ſub Sole (exempli gratia) fricari debet, vt ſiccetur melius; ſub tecto autem vt ventorum occurſum fugiamus. Aliquando perflatum ventis loeum quærimus; rurſus frigiditatem ſiccitatemque aliqua de cauſa; aut calorem atque humiditatem optamus, ſecundum quod vſus poſtulat. Primæ igitur ac potiſſimæ frictionum differentiæ, & ad vſus noſtros quæſitæ, ſunt, Duræ pro duranda, denſandaque carne, vt ſi manus quæ fricant, linteolis aſperis compreſſiuque vehementi admoueantur: Molles pro emollienda, laxandaque cute ſi leniter tractentur partes, blandæque manus applicentur molles cum linteolis mollibus, aut oleo, aut pingui aliquo intinctæ: Mediocres vero carnem in ſuo ſtatu conſeruant. Accedunt ſecundæ quæ non minus ſuos effectus afferunt, multa quæ extenuat, Pauca quæ nihil effatu dignum facit; mediocris, quæ quoquomodo implet. Et ſicuti duræ cohibent, atque conſtringũt, ita molles membrum ſoluunt & laxum reddunt, mediocres mediocritatem ſeruant. Et ſi his ſecundæ addantur differentiæ quæ ex quantitate conſtant, vtique non paucæ fient connexiones; nam duræ & paucæ corpus ligant verùm gracile non reddunt; duræ & multæ corpus conſtringunt, & gracile reddunt; duræ verò & mediocres corpus ligant, & carnis incrementum faciunt: molles & paucæ corpus ſoluunt, ſed gracile non reddunt, nec carnis incrementum faciunt; molles verò & multæ corpus ſoluunt & gracile, reddũt; molles & mediocres corpus ſoluunt & carnes adaugent: Mediocres & paucæ mediocritatem ſeruãt; mediocres & multæ corpus gracile reddunt; mediocres & mediocres carni incrementum præbent. Frictionum præterea alia dicuntur præparatoriæ, quæ exercitationẽ anteerunt: Aliæ reuocatoriæ, & ſunt illæ quæ poſt exercitationem adhiberi ſolent pro euacuandis excrementis quæ retinentur meatibus conſtrictis; per illas enim aperiuntur craſſa excrementa ac ferè immobilia attenuantur, mouenturque loco, Atque educentur ſi molles eo leniori tantum manuum nudarum iniectu, aut mollium etiam linteolorum adhibitione factæ fuerint. Et hæ interdum hominibus pluſquã par ſit exercitatis conferre ſolent, velut & equis. Quotidie enim experimur quantum obeſſe ſoleat, ſiquis corporis excalefactione motu aliquo facta ceſſans ſtatim ſubſiſtat, nihilque ſe aduerſus ambientis occurſum muniat. Itaque equis defatigatis ſtatim mãdamus vt paulatim circũducãtur, donec fere calor illic reſideat, & poſtea vt cõmota excrementa, & ſuperuacanei humores de corpore per recluſos meatus exeant eoſdẽ fricari imponimus ſic & muſculorum tentio tollitur. Præparatoria autem frictio fieri debet ex Aëtij ſententia matutino tempore, ſuperfluitatibus excretis, inquit enim Antequam quis ſe exerceat, prius corpus vſu frictionis tum per lintea, tum per oleum calefacere oportet, & fricandum nudis manibus, donec probè caleſcat, & molliatur, ruborque floridus efflореſcat, & confricta particula in molem eleuetur: atque ſubiungit, & qui plus iuſto reſiccati ſunt, molli frictione cum largo oleo vti debet, velut & qui iter facere debent per loca admodum frigida etiam qui laſſitudinis ſenſum habent, quique cutis denſitatem corrigere putant. Immo qui cutis denſitatem ex frigore curare volunt, primò aſpera & ſicca frictione vti debent, deinde ex oleo, At ſi rarefacta fuerit cutis, vel ob balneorum aut frictionum aut veneris vſum, paucis frictionibus, illiſque ſiccis vtimur, poſtea ex oleo aliquo adſtringente. Cæterum ſi contingat humiditates fieri ex multo potu, ſiccæ fiant frictiones per lintea citra pinguedinem. Interea igitur quæ corpus noſtrum euacuant, ac per halitum digerunt, frictiones ſunt, quæ ex Gal. ſententia 2. Aphor. 17. omnes humores æqualiter (vt ſupra etiam admotatum eſt) euacuant, eo modo, quem ipſe docet 12. metho. cap. 3. fiant, dum eas loco medicamenti aut ſectionis venæ adhibet; & maximè in illis febribus, quas ſyncopales vocant, à crudis humoribus excitatas. Modum verò exactè docet, inquiẽs, A cruribus ad brachia, atque ab his ad ſpinam, ſic verò denuo ad illa reuerti eodem ordine docet, vt ſi quid per alias frictiones inferiùs deriuatum fuerit abſumatur, ideo diu illa fricari iubet. Adiicit etiam vt ſemper ſupernè deorſum id fiat, & brachia ab humero ad manum fricentur, Quod ſi laſſitudo ſuperueniat oleo relaxante inunguẽdenda ſunt. Clarius in libello de ſect. ven. aduerſus. Eraſiſtratum cap 9. Qui Romæ degunt frictio præſtantiæ non paulò ad euacuationem exiſtit, frequenti enim frictione non paucos iſtorum euacuauimus, cum alias quæ animi ignauia neque purgans medicamentum aſſumere auderent, nec ſectionem venæ ſufferrent. Nec vult eſſe impedimento quin ea pro ſectione, aut purgatione vtamur, niſi cùm vel non aſſueti minimè eam perferre poſſunt, aut denſa cutis cohibet ne ſufficienter euacuentur; quo in caſu in laſſitudines deueniunt, quas quiſquam deuitare debet quantum fieri poteſt, cùm multorum malorum in cauſa eſſe poſſint. Moleſtè igitur ferre frictionem, denſitatis cutis indicium eſt, atque ob

id

id nihil prope euacuari, sed magis in lassitudinem peruenturos. Multa igitur & assidua vt continuis diebus præcipiatur sufficienter euacuare potest, vt 12. ant. cur. Pauca, qualis est qua vtimur in apotheraphia non potest; immo si admodum modica fuerit, replet, eas partes, nedum vt euacuat. Verùm quoniam 5. de tuen. san. cap. 3. modo præponit crura brachiis in primo loco; in alio brachia cruribus; modò ab inferioribus partibus, modò à superioribus initium ducens, ideo concludendum quòd in sanis ordo non est necessarius; in ægris pro morbi ratione faciendus. Reuelluntur etiam perfrictiones leues ac deriuantur excrementa, & humores caput infestantes si à partibus superioribus ad inferiores fiant, sequunturque tria illa commoda ab Hippo. tradita. A partibus enim superioribus ad inferiores trahunt; à nobilioribus membris ad ignobilia; & à centro ad circumferentiam. Immo si rectè fiant, inter cæteras vtilitates quas præstant, somnum conciliant ex Gal. sentent. 12. meth. cap. 3. At frictionum numerus vix metiri potest. Cauendum tamen ne ex earum multitudine contusa iam carne, lassitudinis sensus superueniat, sed ad balnea transeamus.

CAPVT XV.

De balneis, ac eorum præparatione.

SEquitur balneorum explicatio; quorum naturam, & ad quem vsum atque commoditatem ea inuenta: quo tempore, qua ratione, ac præparatione, modove sint adhibenda, tam in vsum communem quam particulatim: & primùm de aquis dulcibus calefactis, quarum crebrior est vsus, agere intendimus. Earum namque natura bene perspecta & diligenter examinata, cætera facillime patescent; quoniam eadem fermè sunt, quæ circumambientis nos aëris. Quoquo modo enim ex vtroque pariter afficiuntur corpora nostra, quamvis non vsquam eo balneorum vsus vt aëris necessarius sit, nonnihil tamen & naturæ, & artificij in ambobus reperire experimur. Nam & aërem interdum quem volumus, cum non habeamus, arte nobis sæpe paramus; sæpe etiam eodem vtimur natiua sua qualitate prædito. Pariter & balneum & natiua, & sæpissime quæsita atque à scititia temperie aliqua calida paulo maiori ex parte, frigida interdum, & quandoque tepida, fernenti etiam, sed inter hæc temperata præditum optamus. Verùm vt aqua temperata euadat, frigida cùm sit, aut insolationem aut sæpe ignis beneficium expostulat, & tunc eius facultas est calefacere, & humectare, vt testatur Gal. 6. de simpl. med. facul. dum inquit, Dulcium aquarum calidarum facultas temperatæ quidem si fuerint, calida atque humida est (cùm frigiditas semper ei ingenita ac natiua sit) Tertio etiam de sanitate tuenda. Dulcium calfactarum aquarum si media temperie sint vis calida, & humida est; sin tepidiores sint humida, & frigida; quod si iusto calidiores fiant, calida quidem sed non perinde humida, contrahuntur enim tunc corporum meatus exiles ita vt madescere nequeant, nec excrementa exire, quæ intus latent. Quo fit, vt eo temperato lauacro partes intra substantiam caloris, humorisque acceptam temperiem intimiùs sentiant. Vnde somnum prouocat, mundat, atque purgat cutim, sordemque omnem ex illa detergit, humectat corpus, & tertiam coctionem adiuuat, atque corpus impinguat. Infantibus etiam prodest lauacrum hoc atque gracilibus magis quàm pinguibus ac corpulentis, atque vocem claram efficit. Hippoc. quoque 6. in 6. de morb. vulg. tria affert balnei temperati commoda; quod nempe os siccum humidum reddat, & sitim extinguat, & corpus calidum & arefactum temperet. Cutaneos namque meatus calor blandus, placiduſque occurrens aperit, ibique impressus squalorem quemcunque inuenit, demit, atque noxam contractam statim aufert, & sic sitim si quæ fuerit, atque æstum vt plurimum tollit propriâ aquæ dulcis humectatione; sudores etiam prolicit. Immo si eius largior fuerit vsus, duras, tensasque partes etiam solidiores emolliet, cutis quoque densitatem facilè discutiet. Funduntur quippe primò vi caloris perseuerantis humores inhærentes, difflanturque exitum quærentes donec siccescant. Præterea concoquendi & roborandi vires habent aquæ hæ temperatæ quibus spirituum resolutiones ac solidarum partium intemperies corriguntur præsertim quæ ex siccitate, nimio labore, aut intempestiua insolatione sunt contractæ. Ex balnei namque placidi temperati affusione statim recreantur membra refrigeranturque ac spiritus refocillantur, discutiunturque biliosæ materiæ per musculorum substantiam dispersæ atque exhalantur balnei potestate, sicque hicterus tollitur. Ex accidenti quoque refrigeratur corpus extraneis humoribus calidis (vi teporis) in vaporem solutis, vnaque concalescit si humores fuerint frigidi, dum pituitosum humorem concoquit & per halitum digerit. Verùm non diutiùs in balneo immorandum, est ne sequatur fluxio superuacaneæ quæ partes impleat, aut immoderata innati caloris diffiatio, vnde & animi sæpe deliquium: quod ex frigidæ vsu minimè timendum, quæ cum euaporatos humores dissolui non sinat, sic innati quoque caloris exhalationem prohibet. Omnibus tamen humectandi ineſt facultas; & si eam feruens nimis vtraque adstringat densetque cutim ne altiùs vis aquæ intus adere valeat frigida etiam natatio & præsertim post calidam non solùm corpus corroborat, sed caput etiam, & calorem naturalem confirmat, ac sitim sedat; appetitum excitat, à calore externo corpus liberat, & hominem exhilarat, si æstiuo tempore eius sit vsus, nec corpus plethoricum nec prauis succis aut crudis repletum fuerit. Nec senex sit, sed iuuenis, &

& benè carnosus qui frigidam natationem ingredi debet, nec distillationibus obnoxius, nec venere lassus, nec corporis vel animi labore fractus. Et si frigidò balneo assuetus non sit, maxima cum cautione ipsum ingredi, & donec assuetus fuerit, gradatim procedere debet: Non etenim æque omnibus frigidæ natationem conuenire liquet, atque omnium minimè infantibus, & fœmellis præsertim gracilibus, & imbecillibus; nec senibus & iis qui frigidæ sunt naturæ. Sit verò aqua temperatè frigida, & non vt nix vel glacies. Et si in eius descensu horrorem percipiat, statim exeat. At qui optimum corporis statum sortitus est, frigidæ natatione minimè indiget, & nostris tẽporibus vix paratur, nec frequenti est in vsu. Immo si cutis densata plus iusto fuerit, obnoxios nos morbis reddit, quorum ortus ab intrinseco est. Vnde quærendum pro firmanda bona valetudine, vt lauacra naturalem quandam, moderatamque constitutionem inclinantem tamen ad frigidam deducantur, vt eius opera, carnosaque præsertim musculorum substantia sese recolligentia robore proprio mirum in modum firmentur hinc appetendi & concoquendi vis maior; quoniam dum frigida adstringit cutim ac densat, vires nostras adauget intro repulso calore, coactoque in vnum, tutosque nos reddit ne laxata nimis cute imminentes extrinsecus noxas facilè recipiamus. Etunt igitur balneorum aquæ dulcis partes quatuor; Feruens nempe media in temperie, tepida, ac frigida. Vis feruentium inquit Gal. 11. meth. cap. 10. & 3. de sanitate tuenda, excalefacit non tamen ferè humectat. Si media sint temperiè ex æquo fermè humectant, & excalefaciunt. Quæ verò his frigidiores sunt, vocanturque tepidæ, humectant, atque refrigerant. Frigidæ autem corpus confirmant, atque adstringunt; ob id verò solent & sudorem quandoque prolicere & euacuare. atque hæ solæ Hecticis conueniunt, vt testatur Gal. 10. metho. cap. 10. Verùm notandum quod licèt balnea temperata calefaciant, & humectent, possunt tamen diuersos parere effectus iuxta moram & temporis quantitatem quam quis in eis duxerit, ita vt interdum per accidẽs humoris in halitum digerant, alios rursus fluere faciant in parte, aljos concoquant, aut molliant dura, aut vires reddant robustiores, aut infirmiores, dum fluxiones conuocant ad partes. Præterea balnea tepida per se refrigeratum corpus excalefacere possunt, dum sanguinem ad exteriora auocant, & refrigerare excalefactum per accidens dum humores per halitum digerunt aperiendo cutis meatus, digestis exhalationibus fumidis ac fuliginosis. Euacuant enim ex summa superficie corporis, atque auocant ex profundo; & si frequentiùs adhibeantur calida purgare etiam poterunt. Quod & declarasse videtur Gal. 2. Aphor. 17. dum inquit, euacuatio omnium humorum æqualiter, primò fit per venæ sectionem; proxima huic per tibiarum scarificationem; & quæ per frictiones, balnea, & exercitia, ex accidenti autem per inediam. Ex quo liquet balneum totum corpus posse euacuare: excrementum etiam, putreque si quid ad cutim hæret, euocat tẽsasque partes emollit, & ob id apotherapiæ pars quædam dicitur. Est autem apotherapia postrema pars cuiuslibet exercitationis probè peractæ; quæ duplici consilio fit, & vt excrementa expurget, & vt à lassitudine corpus tutum reddat, & præsertim quæ immodico exercitio succedere solet atq; solidas animalis partes firmet. Spiritus quoque cohibitio ad apotherapiam exercitationem pertinet, tensis quæ in thorace sunt musculis vniuersis vt per eam aliquid excrementi extenuati transeat Fasciatum necnon circũactus pars eiusdem exercitationis habetur. Est autem apotherapia exercitatio quæ nec continua nec vehemens: continua enim & vehemens præparatoria potius exercitatio dicitur. At quæ de exercitationum ratione dicta sunt, eadem, & de balneo dicta esse putandum, quippe quod de vno quoque maxima est habenda ratio temperaturarum, cũ non parua sit dictarum inter se naturarum differentia: Aduersissimum est enim humidũ & frigidum temperamentum ei quod calidũ est & siccum, quod sicut exiguum suffert motum, maiorem aliquantisper frigidũ & humidum postulabit, dummodo sudorem, alterationemve vllam corpori inferat. Frigidum vero & siccum senum temperamento quàm simillimum est; atque etiam celeriter eiulmodi corpora senescunt. Humidum autem & calidum fluxionum vitiis est obnoxium. Vndecimo etiam metho. c 10. & 20. docet Gal. banea, duo commoda febrientibus præstare primum quod febrilis caloris multum per ea transpirabit, & nonnihil humorum copia euacuabitur. Et quod fuliginosum, & fumidũ exstiterit adinstar fumi digeretur. Vult etiã 7. de san. tuen. c. 7. quod infantibus maximè conueniant balnea ob vim quam habent humectandi, & quòd magis gracilibus quàm pinguibus prosint. Prosunt & febrientibus putrida febre si à coctione adhibeantur vt l. de tab. c. 7. Hecticisq; omnibus, & similiter à coctione his qui putrida cum hectica iuncta laborant. Idcirco 11. meth. c. 10. tres excipit casus in quibus balnea non conueniũt. In febribus primus si multitudo crudorum humorum adfuerit; funduntur enim & obstruũt: Secundus, si imbecillis sit aliqua particula, periculum est, ne in illam confertim humores confluunt, ac firmentur: Tertius si horror excitetur ex balneo, nam & quæ est, febrem accendere, & nõ est, excitare potest. Insuetis etiam admodũ nocet & omopthoicis, cum sanguinis fluxum imitet, nocet & plethoricis corporibus, necnon & crudis humoribus repletis: ob id in principio morborum in accessionibus, & augumento morborum plurimum obest sic & vtero gerentibus. A cibo, inquiunt nonnulli balneum gracilibus prodesse: id sanè interpretandum sic reor, cùm coctio in membris iam incipit celebrari, & non priùs quia tunc coctionem perturbaret. Dissoluit præterea balneum vires si superfluum fuerit, & effœminat homines, Nocetque plurimum, si à balneo, vino quis vtatur, vt Galenus hæc omnia perbellè adnotauit.

Nocet

Nocet inſuper inflammatione, & erysipelate laborantibus, & quibus continua adeſt diſtillatio, & grauedo ac capitis dolor ex ardore. Subminiſtrat necnon balneum materiam omnibus morbis materialibus, & putredini nocet, immo eam gignit, & auget. Vlceribus quoque obeſt, ſiccatione enim illa indigent ſi ſanari debent. At viceuerſa in quacunque affectione in quavis parte contenta cui calor igneus coniunctus ſit, qui corpus exſiccet, balneum temperatum ſemper conuenit, dum nihil impediat: hoc enim habet admirabile quod omnes ſiccitates ſiue calidas ſiue frigidas corrigit. Antiqui autem quadruplicem balneorum ſedem facere conſueuerunt vt 10. metho. cap. 10. Primam calidi aëris, ſed non aquæ ne vrerentur; & hæc quidem febricitantibus omnibus eſt admodum inutilis: ſecundam temperatæ aquæ: Tertiam frigidæ, frigidique aëris: temperati, & abſque aqua, ibique ſiccabantur. Tres quoque eorundem præparationes exſtruebant; Prima pro ſanis, in qua prima pars calidior eſt ſecunda, & ſecunda tertia; & in prima nulla aqua eſt, in ſecunda calida, & tepida, in tertia frigida: ſecunda erat præparatio balnei non conſueta, ſed conuerſo modo vt prima pars ſit frigidior ſecunda, & ſecunda tertia. Tertia præparatio eſt in tranſlatione vt ſtatim ingreſſo ſpargendo aquam aër ſecundæ & tertiæ domus temperetur ne vires ægri concidérent, & calor alioqui etiam nimis per ſe magnus adhuc ampliùs incenderetur. Atque hæ ſunt fermè ſummæ balneorum differentiæ (dulcium aquarum intellige, de more Gal.) quas præſtare ſolitæ ſunt facultates, nam aliæ quoque excogitari poſſunt inter has mediæ quemadmodum fit in re omni quæ magis, minuſve ſuſcipit.

CAPVT XVI.

De Quiete.

SVperiùs ex Hipp. ſententia à nobis demonſtratum fuit non eſſe in labore perſeuerandum, vbi quis laſſitudinem perſenſerit. Ex quo præcepto vnum non vulgare commodum ſequitur, quòd videlicet, vbi quis laſſitudinem ſentire incipit, & quieſcendo haud laſſitudo mitigetur, indicium eſt, quod corpus multis excrementis eſt repletum, & ad morbos paratum, ideoque purgatione egere. Ob id Hippo. in præceptionibus dixit, vehementis laboris ſtudium deuitandum eſt. Et in 3. de dieta, dat nobis tria pulcherrima præcepta. Primum, vt laſſitudinem omni tempore deuitemus; ſecundum, vt deambulationibus tantùm in manè corpus exerceamus, Tertiùm hyeme & tempore frigido magis & diutiùs exercendum, ſed tamen cauendum non modò antequam laſſitudinem ſentiamus, ſed antequam corpus incaleſcat. Igitur nos admonet vt laſſitudinem quolibet tempore deuitemus quoniam corpora præparat ad morbos; grauc etiam exercitium quia vires exhaurit, & tempore hyemali, quia dum corpus incaleſcit, exoluitur robur. Quare nimia exercitatio (vt ſuperiùs abunde oſtenſum eſt) inſanis non probatur, vt quæ neceſſariò vitam breuiet. Quod & Gal. affirmare videtur in 6. Epidemion. comm. 3. ſect. 2. inquiens; Omnes exercitationes & carnium, & adipis, & ſuccorum abundantiam minuunt. Idem quoque 4. Aphor. 13. Exercitia ſunt apta natura exſiccare. Quapropter ſat erit ſe exercere donec corpus aliquantiſper incaleſcat ſine ſpiritus tamen mutatione, & ſudore, & tunc temporis ſalubertimum erit quieſcere. Eſt autem quies priuatio motus in ſubiecto apto, ſiue ab exercitatione vacatio, quæ omnes fermè laſſitudines tollit (ſpontaneis exceptis) & eſt tanquam caput longitudinis vitæ, dummodo non ſit eius generis vt per eam partes corporis otio mirum in modum torpentes deflectantur, nam veluti motus leuis roborat, ſic otium immoderatum corpus tabefacit. Quin etiam ſi ſit diuturnior nõ parùm moleſta eſſe ſolet, & maximum adferre ad tuendam ſanitatem incommodum ſi prorſus deſes fuerit; quandoquidem nullum animans immodico vllo delectatur ſed ſemper medium modum expetit. Idemmet comprobat Gal. 2. Acut. ſect. 50. inquiens; Vt venter diutiùs omnino otiatus functionem perficere probè non poteſt, niſi prius ſenſim rurſum aſſueſcat, & ſuas exerceat operationes, ſic corpus vniuerſum, ſingulæque aliæ partes. Quarto etiam de tuen. ſan. cap. 4. oſtendit moderatam quietem ſemi crudorum concoctionem adiuuare. Nam quod mali ſucci iam plane corruptũ eſt, nec cõcoqui etiam poteſt, id ſudore, vrinaque expellatur, quod ſemicoctum adhuc eſt, concoquatur atque vtile reddatur. Id autem optimè quiete, ſomnoque conficit. Qua ratione ductus. Gal. prodidit. Tarda quies veluti & tardæ exercitationes corpora pinguia efficiunt, ac humiditatem naturalem ſeruant. Eſt autem quies admodum neceſſaria, & potiſſimum exercitati cibaria illico aſſumerent in corpore adhuc ab exercitatione calorem ſeruante; ſed poſtquam exactè per quietem fuerint refrigerati: per eandem etiam celebratur ac perficitur concoctio viſcerum. Vtiliſſima quoque eſt calidis & ſiccis temperamentis quia corpora humectat veluti frigidis & humidis leuis exercitatio, vt quæ ſuperflua excutiat, & vias aperiat vt calor liberè diffundi poſſit. At ſi quis obiiciat quod quies ex Principis ſententia 1. par. doctr. 2. cap. 12. ſemper infrigidat ob priuationem viuificationis & obſtructionem, quæ ſuffocat, & humectat propter ſuperfluitatum reſolutionis defectum, quies etiam per accidens (inquit) caloris putredinalis cauſa eſſe poteſt prohibendo ex ſuperfluitatum copia congruam caloris & humoris euentationem ad quam quidem & ſiccitas ipſa conſequitur. Reſpondendum Principem intelligere de immoderata quiete de qua locutus eſt Gal. de cauſ. morb. cap. 3. Quies immodica (dicens) cauſa eſt frigidorum morborum. Non itaque otioſa vita; ſi diu perſeueret, diu ſtare poterit abſque maxima corporis noxa.

CAPVT XVII.

De Alimentorum facultatibus.

ALimentorum facultas quàm vtilissima immo necessaria sit pro instauranda corporis nostri substantia quæ quotidie, quin potiùs in horas deperditur, vnicuique conspicuum est. Corpus etenim nostrum si ex toto integrũ, illæsumque perduraret, & tale quale ipsũ ab initio Creator fabricatus reliquit, nequaquã correctore equisset. At cũ semper diffluat atque dispereat aliquo præsente obseruatore indiget; qui & quod dissipatur quantum qualeque sit agnoscat, & illico tale ac tantum vicissim reponens instauret, ita vt quod euanescit non aliter quam cibi, potusque ratione subueniri liceat; cum sine alimento ne viuere quidem neque secunda neque aduersa valetudine possimus: Alimenti namque defectus corpus exsiccat, & fretum in vtero interficit. Ideo de cibi, potusque materia tanquam præcipua cautione pro producenda seruandaque salubriter vita in præsenti tractare ratio nos admonet. Et præsertim cum nulla alia in re magis, cerebriusve peccatur. Sæpe enim copia ac rerum varietate seducimur, atque adeo anxiè condimenta ac saporum coaceruationes vehementer & plusquam requirimus pro palato, gulaque ad auiditatem irritanda, Ita vt sæpè contingat multos nimia satietate degrauatos, alios multis morborum generibus ob plenitudinem prauorum succorum affectos, nonnullos articulorum doloribus, asthmate aliisque diuturnis morbis cruciatos iti obseruasse, dum cibos, condimenta, atque obsonia quãplurima in mensa habere solliciti fuerint, nullam habentes conseruandæ sanitatis rationem, & nihil aliud curantes quam vt vẽtrem expleant, atque in barathrum gulæ totum insumant patrimonium. Quapropter maxima huius pernicioſi erroris habenda est ratio, ne tam frequenter tot tantisque modis homines eum incautè incurrant, sed introducta meliori consuetudine in melius etiam proficere, atque aduersus morbos pugnare & resistere valeant, & cum hilaritate ad extremum vitæ senium incolumes perueniant. Est autem alimentum, ex Gal. scientia 3. de simpl. medic. facult. cap. 3. id quod substantiæ corporis assimilatur; cuius tres ponuntur ab eodem significationes 1. de tuen. sanit. cap. vlt. Aliud quod nutrit, aliud quod quasi est nutriens, aliud quod nutriturum est. Verùm proprium illud alimentum nominamus quod partibus animalis adiicitur; Nutritur siquidem pars vnaquæque ex proprio sibi alimento, quod est illi secundum naturam, illudque trahit & non omnes partes vno, eodemque alimento aluntur. Immo pars cùm conuenienti ac proprio sibi alimento careat, patitur, & tandem corrumpitur. Non enim solùm corpus alitur cibis, sed interdum contingit quod alitum immutetur, atque naturam nutrimenti sequatur. Namque vis corporis alimentum priùs conficit, deinde ob perseuerantiam pati potest, ita vt crebris actionibus corpus quoque superetur atque in alimenti naturam aliquantulum trahatur, cui & animi vis consentit, dum affecto corpore facilè animus concitatur, vel difficile ad iram, mœstitiam, timorem, alacritatem, intemperantiam, iniustitiam, audaciam, libidinem, & alia huiusmodi quæ sæpe numero alimentorum vsu deteriori vel meliori euenire cernimus. Quoties enim ex alimenti deterrimi vsu atra bile quis repleatur, tristem illum ac mœrentem euadere videmus: sic è diuerso, si puriore ac conuenienti victu vtatur, hilarem ac mentis acie ad concipiendas rerum species promptissimum cognoscimus. Erit igitur non exiguum huius rationis victus beneficium quo salubris hæc ars tum ad sanitatem corporis, tum ad mentis, ingeniique exacuendam aciem atque exornandos mores conducere consueuit. Nam etsi aliæ sex res non naturales aliquid & illud maximi momenti addant, maximè tamen ex ciborum vsu noxa vtilitasve tum corpori, mentique contrahitur. Spiritus etenim quibus pro instrumento præcipuo anima vtitur, quique sedem propriam in sanguine habent, dubie procul sanguinis naturam imitabuntur; Ita vt si temperatus sanguis fuerit, & ipsi quoque temperamenti, sin crassus, & ipsi crassi; si tenuis, tenues, subtilesque insequentur. Ex optimo igitur & cõuenienti ciborum delectu maxima consequitur vtilitas, tum ad mores, virtutumque exercitationem & ad sedandos animi affectus, vel saltẽ minuendos, atque etiam coërcendos, tum ad curandas quaslibet corporis affectiones maxime valet. Duplex autem est alimẽtum, quod singulis conueniens est; aliud quod secundùm simplices qualitates; aliud quod secundum totam substantiam est. Totius substantiæ conuenientia habet maximam vim ad ea quæ educuntur bibunturque, non in ventre modo, sed etiam toto corpore conficienda quæ etiam consueta sunt vt minus molestare, sic & faciliùs superari solent, ideo de cibis ac condimentis eorumque quantitate, & qualitate omni cum diligentia agendum.

CAPVT XVIII.

Condimentorum ratio, & vsus.

QVamplurimum reperiuntur in rerum natura, quæ ob sensuum diuersitatem aliis certa aliis incerta videri contingunt, quoniam aut tuæ, aut illorum temperici certum & constans omnibus iudicium non est. Etenim quot individua in humana specie, tot diuersa temperamenta sunt conflata ex diuersa proportione humorum, ex quibus diuersos gustus etiam eadem in re homines sentire constat, quippe quòd reperiuntur qui mel neque dulce esse, neque amarum asserunt;

asserunt ; quòd tamen omnes dulcissimum confitentur. Manifestum est enim vitiatos, depravatosque corporis succos varias in gustu differentias parere. Quadere Gal. lib. de cib. bon. & mal. suc. inquit, Ad cibos minimè accedimus planè secundum naturam affecti; nec interdum cognitam aut exploratam exactè familiaris alimenti qualitatem habemus : Et hinc cibi alias alij sentiuntur iucundiores, suaviores que. Interdum iidem cibi à quibusdam suaues percipiuntur ab aliis tanquam penitus insuaues respuuntur. Quapropter vt cuncta animantia quibusdam frui possent, quæ alias penitus reiicere consueta erant, necessarium fuit aliquam perquirere artem Galen. pluries traditurum promisit nunquam tamen præstitit. Est autem hæc condimentorum ars præparationis cuiusdam ac compositionis ratio certa rei inconditæ atque incompositæ quæ in aperto satis posita est, pro commodo præcipuè atq; vtilitate humanæ vitæ, dummodo vltra modum ad præfixas metas non exigetur : Non quemadmodum fecit Platina, qui libellum de honesta voluptate inscripsit, potiùs ad vsum culinarum & voluptatem heluonum qui popinis tantùm indulgent, atque gulæ, ventrique sunt dediti, quam vt salubrem arte traderet : & totum studium posuit in arte parandorum ferculorum, varieque in mensarum lautiorum concinnatorum, & bellariorum vsu, maximo cum detrimento humanæ salutis; siquidem voluptatem tamen secutus est, non autem vtilitatem. Est equidem ars hæc pernicioſa, nisi vt diximus quibusdam coërceatur legibus, quæ nobis inseruiant vt sanitati consulamus. Obsonia igitur ita concinnentur, vt dum grati, iucundioriſque sunt saporis, commodius ingerantur ; & dum gratiùs ac sapidiùs accipiuntur, ita libentius à ventriculo amplexentur, & faciliùs conficiantur, sicque coctio iuuabitur gratiore sapiditate. Et ne intempestiuis condimentis & obsoniis veluti scitamentis quibusdam errandi occasio præbeatur, hæc sunt animaduertenda. Primò vt condiantur non pro fame, sitique excitanda simpliciter sed vt languentem, & plus iusto deiectam siue à quavis re præter naturam corruptam appetentiam erigant concilientque. Præterea multa sunt obsonia, vt carnes, pisces, oua, & alia innumera, quæ nisi ad ignem decoquantur, & condimentis quibusdam parentur, adeo sunt infensa vt ab omnibus ferè abominentur, reiicianturque ; prauum inde generant succum, cum vix à natura superari queant. Accedit ad hoc quòd condimentorum apparatu obsonia plus nutrimenti afferunt vt carnes si rectè assentur, frequentissimoque fuerint in vsu. Quàm multa enim sunt quæ ignis solummodo operam exposcunt, quæ siue elixentur, siue assentur dum vim ignis experiuntur, suauia, & dulcia sunt, cùm prius acida aut austera aut dura, & minimè vsui idonea essent ; sua enim qualitate attenuando, molliendo, atque inutilia separando, à vitiis ea corrigit, & dum dulcia & suauia euadunt, naturæ nostræ amica, affinia, & familiaria fiunt dummodo optimi temperamenti, & constitutionis homini offerantur. Intemperato enim per omnia ea quæ sunt amara, insuauia, & minimè vsui idonea (vt patet de prægnantibus quæ extinctos carbones appetunt) si offerantur, tanquam suauia comprobant, & admittunt. Sic siqua ex parte alimenti rationibus non respondeant, vel nimia densitate, vel siccitate, vel duritie fuerint referta variis condimentorum auxiliis ea iuuari, vel liquore aliquo castigari possunt. Sed notandum quod condimenta si pura & per se, & quatenus condimenta considerantur, medicamentosæ cuiusdam facultatis vices gerunt, nec vllo pacto pro obsoniis haberi possunt. Acria namque pura inter alimenta non numerantur ; verùm si cum obsoniis coniuncta habeant vires alendi facultatem impertiuntur. Immo nonnulla reperiuntur, quæ si quis eis solis cum pane vescatur obsonia sunt ; & si simul si cum obsoniis adhibeantur, condimenta erunt ad multa egregia, vt caseus vna cum pane mãsus obsonij vires præstat ; cum reliquis obsoniis mistus, condimenti rationem habet. Quòd nutriat, Dioscorides affirmat lib. 2. cap. 64. Caseus (inquit) recens benè nutrit, & ventriculo vtilis est. Idem serapio. Caseus recens est ventriculo vtilis, plurimùm nutrit, boni saporis, facilè ad membra permeat, carnem auget, & impinguat. Condimentum autem est si aliis cibis iungatur ; quamvis eius vsus non admodum probetur : etenim si tenuibus obsoniis addatur, aut eum incoctum deducunt, aut descendunt ; ante ipsum. Si crassis omnia in simul iuncta grauant & molestia afficiunt ventriculum. Est igitur caseus recens (mollis, non salitus, butyri non expers, iucundi saporis, non lentus, sed nec friabilis) leuis cibus, proprius senum. Sal quoque inter ciborum condimenta primum obtinet locum, cùm mortalibus præclaros prebeat vsus, quippe quod vita humana sine eo vix degere queat. Nonnullis ob id visum fuit ipsum elementum necessarium nuncupare; quandoquidem nullos esse populos, nullas nationes in quavis orbis parte crediderim, quæ eo non vtantur ad condimenta, & ad salituram ; tanta est apud vniuersas gentes eius vtilitas omnibus temperaturis, ætatibus, sexui, temporibus & vitæ institutis, licèt aliis magis minusve conueniens appetitum excitando inuitandoque. Immo apud veteres habetur quod in obsoniorum inopia panem ex solo sale edebant, quin & cætera cibaria ferè semper eo solo condiebant ; & cæpas, porros, allia, raphanes, & huiusmodi ex sale commanducabant. Pro seruandis etiam in longum tempus carnibus, piscibus, & aliis quampluribus escis, nil melius sale, ob peculiarem quam habet dotem ea præseruandi à putredine, quoniam vehementer resiccat, & superuacaneum humidum veluti depascens exugit, nec humidum naturale attingit, si modus seruetur : imò calorem naturalem excitat dum aduentitium atque extraneum excludit, & à putredine tuetur, & condiendi facultatibus ignis vices æmulatur calefaciendo atque exsiccando, quibus humorum pertinaciam absumit. Dentibus

prodeſt, & ora fœtere prohibet, & valde vtilis eſt pro conſeruanda valetudine vt teſtatur Oribas. lib. 2. cap. 58. dicens, ſarda ſalita ori grata appetitum excitat. Tynni autem vetter recens ſtomacho idoneus vt in genere ſale conditorum boni eſt ſucci. Item Gal. 4. de ſimp. med. cap. 20. hæc habet: Omni enim ſali obſcura quædam adſtringendi vis ineſt, qua eas quæ condiuntur carnes conſtringit, denſatque potiſſimùm vbi durus & minimè fragilis extiterit. Talis eſt exactiſſimus quidem foſſilis fere omnis; minùs autem illo marinus, tum qui multis in locis aquis leniter ſalſis vreſcentibus prouenit tertium locum obtinet. Tertio quoque de alimen. cap. 4. ſalis namque facultas eſt cõpoſita, nam corporã quibus admouetur, humores ſuperfluos tenuat & digerit, & præterea corpora ipſa cogit in ſeſe ac condenſat. Deinde dicit quòd quæ aptè ſalita ſunt & mollia, ſi edantur, humores craſſos & glutinoſos tenuant. Sal enim quicquid in corporibus humidum ineſt abſumit, & quod reliquum eſt ſubſtantiæ ſolidæ contrahit. Immoderatior autem eius vſus ſanguinem & humores adurit; pruritum ſcabiemque gignit, vrinæ ardores addita pituitæ ſalſedine, & alia mala parit. Aceto proinde multa inſunt quæ condimenti & intincti numeros omnes abſoluunt, inter quæ tenuitas ei ineſt, ratione cuius omnes obſoni partes penetrat ſuaſque qualitates ſecum eò defert, atque multa quæ eſui ſunt inepta, ad guſtum gratiſſima redigit, vt ſemina, herbulas, radices, & alia innumera. Præſtatque id mirificè acetum quod glutinoſos ſuccos, quales fungorum eſu procreantur, diſſecat, aut ſolum aut cum melle (ſic enim paratur oximel) aut ſi in eo decoquatur hyſopus, vel origanum, & huiuſmodi. Semper enim prodeſt eis qui ſuffocationem ex fungorum eſu patiuntur. Alia etiam ferè innumera ſunt condimentorum, intinctuum, atque embammatum tum ſimplicium, tum compoſitorum exempla, quæ ad potentiam rationem ac regulam reduci poſſunt, de quibus ſuo loco agemus, vt cuncta condimenta vſus ſuos hominibus cuiuſcunque ſortis communicent, nec magno admodum negotio id aſſequemur ſi priùs omnium ſaporum naturam, & temperamenta explorata habuerimus.

CAPVT XIX.

Saporum natura & temperamentum.

GAlenus lib. de oculis par 2. cap. 1. inquit quod ſapor nihil aliud eſt quam aqua alicuius corporis ſiccitati admiſta calore operante. Proinde antiqui ſaporem vocauerunt chymum, ideſt, liquorem, habens organum ſuum in lingua ſeu potiùs in neruo qui in lingua latet abſconditus, caro verò ipſa porоſa linguæ quæ neruum operit, medium eſt, per quod fit guſtatio, dum obiectum tangit carnem linguæ atque in eam ſuam imprimit ſpeciem. Oportet enim ſapidum coniungi & commiſceri ſaliuæ, ſeu ſaliuari humori qui à natura ſemper eſt circa linguam vt immutetur guſtus, qui hoc modo diſcernit ſapores: & quando humor hic deficit vt in febricitantibus ob nimiam ſiccitatem omnia inſipida eis apparent vel nullo oblectantur ſapore, nec exoptare ſolent niſi aquam vel fructus quoſdam qui ſecum humiditatem afferunt, quæ aliqua ex parte officium ſuppleat ſaliuaris illius humoris deficientis. Pari ratione ſi ſaliua illa quadam amaritudine fuerit infecta, malè iudicat lingua, dulce reputans amarum, ob infectionem ſaliuæ quæ omni ſapore denudata eſt, vt omnem ſaporem poſſit commodè diſcernere non eſt tamen ſaliua hæc medium guſtus propriè, quemadmodum neque lumen medium eſt viſus, neque euaporatio medium eſt odoratus, ſed eſt quædam propria obiecti conditio, vt conuenienter ſenſum immutet, & tale quiddam ſine quo obiectum nequit immutare ſuum organum. Saporum igitur genera ſunt; Dulce, Pingue, Auſterum, Acerbum, Acre, ſalſum, Amarum, & Acidum. Plinius autem ſuaue, & Acutum addidit. Nec deſunt, qui ſapores innumerabiles, & miſtorum numerum nullum certum eſſe exiſtimant; cùm tamen conſtet ſub iam dictis generibus omnes comprehendi, licèt ratione commiſtionis diſcrimina non pauca exoriantur quæ à lingua exuberanti ſuo ſenſu ob complures, qui in ea inſerti ſunt, neruos dignoſcuntur. Immo quæ familiaria ſunt eligit, aliena verò refugit. Dulcia igitur, prout dulcia ſunt, aliquid caliditatis obtinent vt Gal. affirmat 4. & 6. de ſimpl. med. fac. vbi oſtendit quod dulcis qualitas eſt moderatè calida & quod dulce omne calidum temperatum eſt, nec poteſt vllo pacto eſſe vehementer calidum etiam quod magis dulce magis calidum ſit; immo ſi dulce admodum excalefiat amarum euadit, vt mel admodum decoctum atque vetuſtũ. Verùm ſi aliam habuerint qualitatem ſibi coniunctam, adſtrictionem nempe quæ ſenſu animaduerti poſſit, & quæ alias qualitates vincat obſcuretque illud modicè dulce adſtringendi, refrigerandique qualitate præditum eſſe experientia comprobat; & Gal. atteſtatur 4. de ſimpl. med. fac. cap. 7. de ceraſis, prunis, malis punicis, & ſimilibus, quæ cum modice dulcia ſint, valde etiam aquea eſt eorum ſubſtantia, & ob id aliquantiſper frigida ſunt, ſed non vt acida, cùm tepidam quandam caliditatem obtinere dicantur. Quædam præterea proprio & inſito calore dulcia exiſtunt vt mel, & ſaccarum; quædam acquiſititio, & aſcititio quæ ab igne præparantur vt proinde ſuauiora fiant, & nutritioni magis apta. Pinguis autem ſapor naturaliter odioſus eſt, & cibis fermè ineptus; à ſolo enim & maximè pingui commouetur nauſea; ob id à Gal. omiſſus tanquam ad guſtum nihil attinens: veruntamen ob vſum & neceſſitatem gratus noſtris temporibus factus eſt, & magnam videtur habere partem in epularum condimentis: immo nihil ferè apud coquos

ac pistores magis est in vsu, & præsertim porcina pinguedo quovis modo salita quam adipem aliam, aliam laridum vocant; cuius copia non inepte quæritur ad multos vsus in condiendis ferculis pro infringenda illorum acrimonia, neque enim ex alio animali numerosior vlla est materia ingluuiei, & omnes mehercle carnes earumqùe partes hac suauiter condiri, præparariqùe possunt, ita vt vix possibile sit præclaros eius vsus explicare. Pinguedo autem hæc facilè liquatur diffunditurque & ex quadam alimenti affusione fit, & calida censetur; tum quia oleosa est, tum quia facilè in flammam transmutatur vt testis est Gal. 4. de Vsu part. cap. 9. Et cùm ex genere dulcium sit, nutrit sed parùm, & potiùs condimentorum quàm alimentorum vices præstat, vt iam diximus. Huic accedit vitulina, hædina, galli, capi, & similium. Reliquorum verò animalium aut rarus aut nullus hoc in negotio est vsus. Austerus verò sapor est acerbus exolutus; nam corpus quodcunque linguæ admotum vehementer siccans ac constringens ipsamque ad multam profunditatem exasperans austerum dicetur, velut pyra syluestria immatura, cydonia, corna, mespyla, & similia acerba omnia nominantur, hoc est, intensæ austera: quæ verò minùs aspera, & quandam dulcedinem adstrictione permistam habent austera dicuntur. In his tamen quædam inest proprietas affectionum nonsatis clarè explicabilis, tum in austeris, tum in acerbis saporibus, nec immerito austerum saporem non auſus est Galenus tanquam speciem saporis nominare; tum quia illum in solo vino reperiri affirmet, cùm dicat Austerum saporem ex sapore dulci in vino acerbo mistum fieri, & ob id non multùm refrigerare; cùm pars dulcis in vino sit calidior. Acerbum itaque corpus cùm terreum sit ac frigidum si aquea humiditate humescat, austerum euadit: retunditur enim vis acerbi saporis ab aquea humiditate. Acerba igitur frigida sunt, & adstringentia quoque sicut & austera, quare inter se tantùm differunt secundùm magis & minùs. Sunt & crassarum partium sed moderatè, quia si in substantia essent admodum crassa vtique sapor eorum potiùs insipidus quàm acerbus esset. Nec admodum tenuia sunt; quia immodicus calor in crassa substantia esse non potest. Acerba etiam pleraque tractu temporis sponte transeunt in dulcia, vt mespyla collecta; quia eorum substantia non in humido puro sed terreo commisto & temperato continetur: immò si substantia admodum sit tenuis fit sapor acidus. Omne enim tenue à calore fit tenue, & ob id omnia acida in vniuersum tennis sunt substantiæ intelligendo tamen de acidis simpliciter vt oxalis siue acetosa, & oxylapathum. Sic & quæ habent alias qualitates mistas siue dulces, siue acres, siue amaras refrigerant, velut mala punica, arancia, limonia, pruna, mora, cerasa, ipsumque acetum quod aliquid acredinis obtinet: omnia itaque sunt frigida, quia acida sunt, vel aciditatis participantia, quare acida acerbis plus refrigerant. Vinum autem & lac facilè ex dulci in acidum transeunt ob externum calorem exhalante innato; à frigore enim patiuntur, cùmque sint substantiæ tenuis transeunt in acidum, non autem acerbum ob substantiæ mediocritatem. Frigidi itaque tres erunt sapores. Cum enim frigus in crassam agit substantiam, fit insipidus; in tenuem acidus; in mediocrem acerbus. Sed notandum quòd non à solo & puro frigore fiunt huiusmodi sapores, quia sicuti vllus odor in puro humido reperitur, sic nec vllus sapor à solo fit frigore. Acido interdum aliquid acedinis ob putredinem admiscetur; hoc euenit quando ob putredinem fit acidus, & tunc fit sapor aceti, quod non admodum ob id refrigerat. In acido autem quod à natura fit, purus sapor acidus reperitur vt in oxalide, & limonio. Austera verò omnia tenuium sunt partium, & immoderatè calida, (& possunt coniunctam habere aliquam humiditatem vt capæ) sed non planè humida esse possunt: retunderetur enim caloris vehementia, sed omnia sicca sunt vt piper, nasturtium allium, & huiusmodi, quibus non vtimur pro cibis ob virium vehementiam, sed tamen pro condimentis. Quæ enim edulia & cibis apta sunt, dulcem quandam (saltem obscuram) admistam qualitatem habere est necesse. Dulcibus enim (vt supra) nutrimur, & quicquid nutrire debet, necesse est plus minusve dulce esse, quamvis dulcia vt dulcia nos non nutriant, sed vt pinguia, vt manifeste deprehenditur ex lacte, cuius pars serosa, etsi dulcis nos tamen non nutrit; reliquæ verò eius partes quia pingues, ideo multùm nutriunt. Nam pinguis sapor in substantia crassiori, &, temperata consistit, & nutrimentum ex terreo, & aqueo concocto constat, vt docet Arist. 2. de gene. Id ergo quod nutrit sapore est pingue, cui coniunctus est sapor dulcis, seu suauis, ita vt pingue sub dulce contineatur, quamvis pingue humidius, crassiusque sit quam dulce. Nil enim aliud est pingue, quàm humidum benè concoctum, & ad symmetram quandam redactum atque densatum, fitque substantiæ corporis nostri familiare, dummodo non sit immoderate pingue, velut est adeps, & oleum, quæ hac de causa non multùm nutriunt, sed potiùs condimenti vices præstant. Substantia igitur pinguis, & substantia dulcis est illa quæ nutrit dummodo ex terreo molli constet, & non terreo duro nihil nutritur. Ita etiam quæ summè acerba sunt, aut in summo amara, aut acida, aut quavis alia qualitate in summo prædita nutritioni haud sunt apta, sed potiùs tanquam medicamenta assumuntur, nisi à prægnantibus expetantur, quæ pica seu malacia laborant, & talia in nutrimentum quamvis prauum conuertunt, velut & alij qui præ nimia familiaritate iam habitum quendam contraxerunt, & natura ex longa patiendi consuetudine eadem superat & vincit. Igitur quæ dulcia sunt alimentum tamen præstare possunt. Amara quoque omnia nutritione carent; quia amara, vt amara non solùm nullo pacto nutriunt, sed nutrimentum eduliorum aliorum vitiant, &

consumunt, tum quia sicciora, tum quia magis terrea quàm salsa. Ex salsis enim fiunt amara ablumpta tenuiori parte: nam si salsa excoquantur, fiunt amara dissilato humido. Sunt igitur omnia calida & naturæ humanæ non admodum amica si purè amara extiterint. At si concunctam habuerint aliam qualitatem contemperantem ingratum amatorem natura non penitus ea respuit, vt vrina omnia admodum vetusta, amygdalæ amaræ, & olera quædam amara quampluribus gustui grata. Multa itaque sunt quorum sapor & odor non delectant, immo per se displicent; quibus si aliquid adiectum, quod per se præcipuum sit, placent, vt allium obsonijs inditum placet & delectat eius odor qui per se malus est crudus, & postquam ederis halitum inficit odore teterrimo. Sapore verò carere insipidum saporem vocant, in quo frigiditatem prædominari est indicium cuius substantia sine aquea sine terrea sit crassa est, quia in illam nullus calor agit, & ob id nec aqua nec terra saporem vllum habent. Saporum præterea omnia genera spectantur in fructibus ac plantis præter salsum; quoniam à salso nutrimentum nullum nullaque generatio prouenit: etenim in locis salsis nihil penitus generatur. Vbi igitur sapor & odor, ibi virtus, & sic manifestum est condimenta ad salutem conferre, & præsertim cum alij sapore acri, alij salso, & alij quovis alio delectentur. Et hæc de saporibus dicta sufficiunt quibus odores iungantur.

CAPVT XX.

De Odoribus.

COqui saporibus odores bonos libenter addunt, & vt magis placeant, & iucundiores fiant. Inter animalia autem solus homo odore oblectatur; nam & si canes florum odores sentiant, non tamen his oblectantur; quoniam delectatio in cognitione proportionis posita est ipsorum quæ sentiuntur: quæ cognitio solis hominibus data est. Ex illis autem quæ sentiuntur solus odor aut occidere, aut recreare potest; nam proprium eius est cerebrum ac partes spirituales petere, & veluti bonus odor spiritum nutrit, sic & malus destruit. Quotidie enim experimur in animi deliquiis præsentaneum esse ex odoribus bonis remedium. Et sæpe nobis contigit animaduertisse nonnullos, qui animo defecerunt ex vini generosi vel aceti rosati vel alterius redolentis liquoris odore sublevatos esse. Facilis enim fit transitus ab odorum bonitate pro generatione, ac recreatione spiritum tum vitalium, tum animalium, qui refocillantur, ac succurruntur statim ab odorum nutrimento, vt loco deperditi tanquam quid nouum succedat. Et licèt solidæ carnosæque partes odoribus non nutriantur simpliciter, quodammodo tamen spiritu veluti instrumento proprio destitutæ succurruntur; quod aliud non est quam alimentum exhibere, atque substantiam amissam restituere & nutrire quòd & Hipp. confirmare videtur in lib. de Alimento, quicunque (inquit) celerrimo additionis egent, his humidum remedium ad viriũ resumptionem optimum: Vbi verò etiamnum celerioris tum olfactu opus habebimus. Vbi igitur quis viribus resolutus fuerit, citissimumque expostulet auxilium fotus aliquis si offeratur statim vires resumet; vbi verò prorsus conciderint vires, magis præsentaneo egebit præsidio, vt temporis momento succurratur, idque ex bonis odoribus assequetur, qui per pulmones ad cor citissimè per habitum diducti subitaria fit virium restauratio. Discrimen autem est inter saporem & odorem; quoniam sapor fit per humidum mutatum à sicco; nam dum à natura excoquitur, id quod gustui ingratum est, per humidum quod acquirit iucundum fit, & gustui gratum. Odor verò ex sicco terreo per calorem attenuato, & ab humido exhalans fit, & in crassa substantia continetur, immo quæ multùm olent pinguia sunt, vt patet de Moscho, Zibeto, Styrace, Xyloaloe & consimilibus quæ odoratissima sunt. Aliæ verò odorum differentiæ adeò cognitæ sunt, vt quisque eas discernere possit. In Meconio enim grauem dicimus esse odorem; in Allio fœtidum, in putrida carne macidum, in rancida rancidum; quos prauos odores ex praua coctione fieri meritò existimandum est, nam & praua concoctio in ventriculo prauum & tetrum odorem per habitum reddit.

CAPVT XXI.

Ciborum copia & qualitates.

QValis quantáue esse debeat ciborum vbertas, & quo tempore quóve ordine assumenda sit, diligenter expendendum est: siquidem alteratur corpus nostrum à quibusdam necessario; eò quia nulla est eorundem euitandi ratio, sicut aërem nos ambientem semper attingere, sic comedere, & bibere, vigilare, & dormire est necessarium: quæ si oportuno vsu, & cum mensura adhibeantur, materiæ sunt causarum salubrium, vbi verò à conuenienti modo recesserint insalubres redduntur, & tantò insalubres quanto maior vel minor fueret à mediocritate recessus. Mediocritatis verò argumentum erit coctionis perfectio, & excrementorum modus in quali quantoque conueniens. Optimi etenim temperamenti maximum est indicium, si quantum natura appetit, tantum etiam probè concoquat; sed benè concoquet; si moderatum fuerit; & tunc ad omnes corporis partes applicabitur: Quòd si nimis assumatur, crudum manere atque corrumpi est necesse; quodque si per intestina deferatur, alium citam parit: si verò distribuatur, malum intra venas humorem adauget. Nec parùm aberrant illi qui nimio cibo se replent, assumentes quantum appetentia admittit, & ad nauseam vsque vel cibi fastidium. Quandoquidem cum plus ingerant,

quàm

quàm ventriculus ferre poſſit, neceſſe eſt, vt natiuus eius calor veluti quadam mole oppreſſus ferè interſtinguatur, vel crudi-ates ſequantur, & ex his inſignes obſtructiones, ex quibus affectuum præter naturam multorum ac prauorum ſeries, & maximè ſi quantitati mala qualitas acceſſerit, vnde ſæpè mentis obtenebratio. Nec obſtat, quòd palato ſint magis grata; Nam etſi cum voluptate auidiùs à ventriculo arripiantur, & arctius complexentur, faciliuſque conficiantur in ventriculo, iecore, venis, ac toto corporis habitu, iuxta illud Hipp. 2. Aphor. Parùm deterior cibus aut potus, ſuauior autem; nihilominus non pauca ſequentur incommoda, nam etſi priores concoquant, ſecundos concoquere non poterunt, nec copia alimenti abſque corruptione diu bona permanere poterit: & ſi ſecundum qualitatem tranſmutetur, progreſſu temporis ſanguinem ad corruptionem diſponit. Deligenda igitur erunt cibaria quæ vndequaque ſint temperata; & ſi iuniores paulò humidiorem expoſtulent victum, nos tamen conſiſtentis ætatis hominem temperatum nutriendum ſupponimus; qui pro conſeruanda valetudine, producendaque vita, animalia, fruges, plantas, & alia omnia pro victu neceſſaria temperata perquirere debet. Quæ ſi talia ſuapte natura non fuerint, ex contrariorum intet ſe admiſtione temperamentum quærere debet, vt calida frigidis contemperentur, non ſecus ac calidis frigida, & ſiccis humida: & in his condimentorum ratio maximè valebit, dummodo non vltra ſanitatis limites tendant. At ſi quis obiiciat quod Gal. lib. de cib. bon. & mal. ſucc. cap. 10. oppoſitum ſentire videatur, dum inquit, Calidi & ſicci cibi pituitoſis; frigidi & humidi bilioſis; glutinoſi quibuſdam aliis; humidi vel ſicci aliis, vt quibus corpora non tranſpirant magis conueniunt quam temperati. Sic 3. de alimen. cap. 39. Mel pituitoſis conuenit cum ſit calidum & ſiccum. Reſpondendum quod ex ipſomet Gal. 6. de tuen. ſani. cap. 3. & 4. colligitur quod cibi temperati conueniunt magis corporibus temperatis de quibus nos in præſenti loquimur, Immo & huiuſmodi cibi temperati non ſolum temperatis hominibus magis conueniunt, ſed etiam generaliter omnibus intelligendo de comparatione vniuerſali. In æqualibus etiam intemperiebus ſunt meliores, cum fuerint medij inter eas. Verùm maior difficultas eſt de cibis diuerſorum generum quamvis temperatis, vt carnibus ouis, lacte, piſcibus, & vino, qui cum ſeorſum laudentur, nihilominus vna aſſumpti ventriculo aturbationem afferunt, & multò magis ij qui contrariis vitibus referti ſunt, vt teſtatur Hipp. 3. de victu in acut. comm. 35. immo & Princeps 1. par. doct. 2. cap. 7. ſuper hoc inquit, lac cum piſcibus facit lepram 1. elephantiaſim, & alios prauos morbos, & ſimiliter caro & piſces generant febres peſtilentes; quod ego obſeruaui in Germanis dum eſſem apud Illuſtriſſimum Cardinalem Moronum Gregorij XIII. P. M. à latere legatum ad Maximilianum Cæſarem Auguſtum. Poſtquam enim Germani cæperunt veſci vtriſque ſimul ferme continuò ſubiecti ſunt peſtilentibus morbis. Caſeus etiam cum piſcibus colicam generat & renum ac veſicæ calculos. Et experimento deprehenſum eſt quod vinum corrumpit lac. Ex quibus liquidò patet quod cibi miſti facilè corrumpuntur quamvis multi reperiantur, qui per miſtionem meliores fiant, vt ſunt craſſi & mali, qui per eam mitiores euadunt, vt etiam venenum Præterea ciborum varietas appetitum excitat, & quo plura offeruntur, eò maior excreſcit appetentia; quo nihil nocentius, vt in Nobilibus ac Principibus obſeruatur; qui ob id continuis ferè obnoxij ſunt p. ſſionibus, & de facili grauiſſimis morbis corripiuntur. Nec parùm nos angit authoritas Hipp. 6. Epid. par. 5. comm. 21. in qua habet quod cibaria imbecillia breuem vitam reddunt, vbi Gal. dat exemplum de oleribus & fructibus. Experimentum tamen oppoſitum oſtendere videtur. Etenim Eremitæ omnes, quibus nulli fuerunt longioris vitæ niſi oleribus, & fructibus cum pane (nam qui ſolis radicibus, oleribus, ac fructibus ſine pane vixerunt, breui vitam finiere) pro cibo vſi ſunt. & ab omnibus eduliis validis abſtinuerunt. Quin etiam multi pauperes noſtra ætate, & virgines veſtales reperiuntur quæ centeſimum exceſſerunt annum, & tamen vſæ ſunt imbecillibus cibis Quinimo Cardinalis Albanus ſolis ferme fructibus cum pane veſcebatur, & nonageſimum expleuit annum. Immo referunt Indum ad trecentos annos peruenisſe, qui ſuperſtitionis tuæ cauſa perpetuò à carnibus, ouis, lacte, & vino, & his quæ ex his, abſtinuerat. Temperatum ergo alimentum eſt quod medium eſt ſubſtantia inter craſſum, & tenue admodum, id eſt, ſeroſum, & tale eſſe debet; nam vtrunque extremum certè malum eſt pro ſanitate, & vitæ diuturnitate. Craſſa nanque cibaria & plus iuſto ingeſta nimis replent, tormina, & flatus generát, difficillimè concoquuntur, & concocta non ſecedunt, & ferè ſæper grauia, & moleſta ſunt per totam diem, & quandoque dolorem inferunt. Temporum etiam ſtatus aliquam conditionem in victu parit. Autumni nanque ſiccitas paulò humidiorem victum expoſtulat, ſicuti hyemis frigiditas calidiorem, Æſtatis caliditas frigidiorem vt intemperamentum ex circumambientis aëris exceſſu non deſtruatur, corpuſque vitioſis ſuccis repleatur. Notandum tamen quod fercula ſemper actu calida eſſe debent plus minúſve quocunque anni tempore, & à menſa ſurgendum cum reliquiis famis. Potus verò cũ ſit appetitus frigidi & humidi, ideo potius frigidus laudatur eius vſus, Etſi nonnunquã calidum, vel ſaltem non admodum frigidum exhibendum eſſe cenſeamus illis qui ventriculi imbecillitate cruditatibus, flatibus, ſubuerſionibus, doloribuſque ſæpe vexantur. Saluberrimum igitur erit ſimpliciori cibo perpetuò vti non quidem more atque inſtituto antiquorum, qui pane tantummodo, & carnibus veſcebantur, & ſæpe pane ſolo in mane, veſperi verò carnibus; ſed vt pani ſemper aliquid obſonij ſimplicioris addamus, & rurſus panem carnibus. Sed iam

oportu

oportunum est vt breuiter rectum sumendi cibi tempus determinemus: illudque semper erit, vt nonnisi confecto antea priore, vacuoque ac libero prorsus ventriculo nouus alius ingeratur. Nec statim ante exercitationem (vt supra admonuimus) ne crudus, incoctusque rapiatur cibus in partes corporis, qui viscera obstruat, venasque mesaraicas, necnon & maiores iuxta illud Hippocraticum, Crudum crudo addere, quid deterius? Nouus enim cibus si incocto, aut semiconcocto, aut etiam probè concocto, sed nondum protruso superingeratur, concoctioni impedimento erit, ne perfecta absoluatur, facultatem ventriculi subuertens, alioque auertens, ventriculum distendens, & ob moram atque corruptelam temporis processu insignia insequentur nocumenta. Ob id simpliciora quisque sibi proponat cibaria, illisque sit contentus. Et si contingat quod hanc diuersitatem euitare nequeat, siue coactus, siue voluptate captus, ordinem tamen quendam in eis seruare debet & diligenter attendere, vt tenuia & mollia ac sorbilia, & quæ concoctu, descensuque facilia sunt pariter & quæ facilè in ventriculo corrumpi possunt, priorem semper locum occupent; deinde solidiora, & quæ difficiliùs descendunt succedant; vt cùm priora perfectam concoctionem in ventriculo adepta fuerint, exitum sibi quærant, ne per vlteriorem calorem nidorem, acoremque contrahant, atque corrumpantur, & secum reliqua omnia in hasce corruptelas adducunt: Quod non eueniet si priora inferius posita, & non insidentia exitum sibi inueniant. Nec credendum quod cuncta ingesta inter concoquendum ita confundantur vt vnum quid tantum & indistinctum oriatur; seruari enim adhuc ordinem non est dubitandum, vt infra patebit, & probatur etiam si quis allium aut quid olidi vt raphanum, aut eiusdem generis aliquid quod ante vini, aut aquæ aut alterius liquoris potionem edat, nihil aut parum admodum fœtidi odoris anima edet: At contra si hausto prius potu eadem comedat. Id nullam aliam ob causam fieri putandum nisi inuersi seruatique ordinis gratia. Galen. etiam 2. de alim. cap. 19. Id apertè comprobat, inquiens, In omnibus, quæ quidem praui succi sunt, verùm humida sunt ac lubrica, & quæ subduci facilè queant, id generaliter obseruandum, vt ante alios sumantur; ita enim fiet, vt citiùs subducantur, & aliis cibis muniant. Quod quidem alibi etiam dum huius ordinis meminit sæpe repetit, tum præcipuè cap. 22. vbi docet quòd esus astringentium pomorum aut pyrorum ventrem quibusdam deiiciat. Seruandus est igitur ordo in assumendis cibis, sic ratio nos admonet, & experientia confirmat. Ideo cibis lenientibus aluum primus locus debetur, astringentibus postremus: Sic & primus putrefactioni obnoxiis & tenuibus ac concoctu facilibus tribuendus est, postremus contrariis. Et quamvis in pane nullus videatur propositus ordo postquam in obsoniorum multitudine ab initio, ad mensæ vsque extremum eo vtimur, Nihilominus in hoc consistit ordo quod non solùm cum obsoniis omnibus, sed cum intinctibus ac condimentis semper simul atq; vna ipsum comedimus. Et à cibo nulla debetur ambulatio, sed quies procuranda tum animi, tum corporis iuxta illud Gal. in lib. de cib. ben. & suc. cap. 3. inquit enim. Nam sicuti ante cibum bonæ valetudini exercitatio maximum affert commodum sic qualiscunque sumpto cibo motus noxius admodum est? Decet igitur commanso priùs rectè, comminutoque in ore cibo tantum in eo ponere moræ quantum naturæ necessitas ex postulabit. Et Princeps 13. 3. trac. 3. cap. 8. inquit, Tempus moræ cibi in ventriculo est à duodecim horis vsque ad viginti duas. Idemque videtur sensisse cùm dixit quod homo vna die bis, altera semel cibari debet, nisi obstet consuetudo: quod idem fiet. Si in vna parte dici, vt puta in prandio quis multum comederit, in altera parum. Quod & Rasis videtur confirmare 5. Continentis cap. 1. Tempus concoctionis cibi in ventriculo est horarum duodecim, & ad minus octo. In 6. autem de san. tuen. cap 9 modum quem seruabat ipse Gal. docuit. Quarta hora panem assumens, decima lauabatur, fricabatur, atque ita sex horis aut paulò plus existimabat panem confici. Et in 7. art. cur. cap. 6. dabat etiam plus in prandio cibi, quàm in cœna, nec veritus est imbecillissimo ventriculo homines bis in die cibare. Sed in hac regula certa dari non potest cùm hoc in casu consuetudo multùm ind cet, & cibus celeriùs, aut tardiùs conficitur pro multitudine, natura, ac simplicitate, roboréque ventriculi. Vnde non absurdum videri debet quandoque confici solum panem in pueris intra horam tertiam si modicus fuerit. In sene multas carnes præter panem sumptas, nec in viginti. Antiquos autem solere quosdam semel, alios bis, ter alios, ac etiam sæpius cibari docuit Hipp. 2. de Vict. ratione in acut. tex. comm. 22. & 23. & tamen citra noxam. Gal. etiam 5. de tuen. san. cap. 6. de frictione loquens hæc habet, imbecillæ vires crebram & exiguam; validæ raram & multam exigunt, quod præceptum etiam ad cibos extendi debet, & alias ostendit in aphor. 1. part. comm. 13. & 17. Igitur coctionis cibi nullum erit præfinitum tempus: Iustæ autem quantitatis præfinitum erit. Idque totum non de vitiosa, sed de optima cibandi ratione intelligi debet. Verùm in omnibus seruanda est consuetudo quæ maximam in omni victus ratione facultatem obtinet: De quo Princeps loquens inquit. Sit igitur ea consuetudo, eaque viuendi ratio, quæ ab exercitatione abstineat, & cibo, potuque parcissimè vtatur; si fœlix quis prudens, & sensibus claris, atque hilari mente viuere cupit: sed caueat ne panco cibo adeo vtatur, vt ex inedia vires resoluantur ac sitis accendatur. Fit enim sitis aut accensa bile, aut siccato corpore: quæ si ex inedia proueniant, semper mala sunt. Meta igitur inediæ sit talis, vt ex ea non delasseris nec sitias.

CAP.

CAPVT XXII.

Ciborum congruens explicatio.

VT exacta cuiuſuis cibi vis, naturaque habeatur, hæc conſiderare oportet. Et primò An optimi ſit alimenti, probumque generet ſanguinem, qui nutritione corporis, & reſtauratione virium maximè ſit aptus ſecundo quale ſit eius temperamentum; an calidum, frigidum, humidum, vel ſiccum; lente, craſſum, tenue, malum bonúmve præbeat alimentum. Tertiò An facilis ſit concoctionis, alárve plurimum aut parùm, & an excrementoſum faciliſque an difficilis ſit corruptionis. Similiter an ventriculo, iecori, & cuipiam alteri parti vtilis ſit cibus, & quo odore, ſaporeque præditus, & an aluum moueat, leniat ſiſtatue. Et rurſus qualis ſit electio, quæve præparatio debeatur. Sed potiſſimùm nouiſſe oportet quod omnes cibi graues qui & parùm nutriunt, excrementoſi ſunt: Contra verò leues & qui multum nutriunt, vt lutea ouorum, nullum fermè excrementum præbent. Qui verò graues ſunt, & multum nutriunt, pauci ſunt excrementi, dummodo mollia ſint. Facilè n. concoquuntur, diſtribuunturque velut ſunt alæ auium. Qui verò his contrarij ſunt, excrementoſi ſunt, & difficilis concoctionis. Duriores verò in ſubſtantia, & qui aliqua in qualitate valde excellunt, & cum hoc diſſueti ſunt difficilime concoquuntur. Quicunque igitur cibi graues ſunt, & parùm nutriunt, & difficilè ſuperantur, valde excrementoſi ſunt. Leues verò cum facilè ſuperentur & multum nutriant excrementi parùm habebunt. At qui facile concoquuntur parum ea ratione nutriunt quia leuiores ſunt; grauiores verò ſi multùm nutriunt difficile ſubiguntur ob tranſmutationem; ſi verò parùm, difficile ſuperantur ob ſeparationem. Multi enim reperiuntur cibi qui in prima coctione facilè tranſmutantur, vt vitelli ouorum, & tamen ſimpliciter non facilè concoquuntur, quia multùm nutriunt. Alij etiam qui leues ſunt, & parùm nutriunt, ac difficilè concoquuntur, vt fungi, quorum natura à natura ſanguinis noſtri plurimum diſtat. Qui igitur facilè concoquuntur, ſunt temperati, mediocris alimenti, minùsve lenti, paucorum excrementorum, & conſueti. Qui vero non adimpleuerint has conditiones eo difficiliùs ſubiguntur, quò magis vel minùs ab eis receſſerint. Facilè verò corrumpuntur omnes qui facilis ſunt concoctionis, & non benè alunt; vt horarij fructus, molles quoque, & qui tenuis ſunt ſubſtantiæ, quique ex ſe prauum maximéque aqueum generant ſanguinem; & tandem omnes qui parùm calidi & multùm humidi ſunt, & crudi qui facilè ab externo calore feruent. Illud etenim in omnibus cibis præcipuum eſſe debet, vt optimum generent ſanguinem; qui ſit ruber, ſplendens, mediocris ſubſtantiæ, æqualis, & moderatè calidus, non autem ſeroſus nec craſſus. Non enim dicuntur cibi boni alimenti, niſi ſolidas partes reſtaurare poſſint, & ob id denſi erunt optimi, & non craſſi. Nam ex luteo oui denſior ſit ſubſtantia, & alimentum ex lacte in pueris admodum denſum eſt, non autem craſſum, quod neceſſariò terreum eſt & difficilis concoctionis, & mali ſucci. Erunt igitur cibi boni alimenti pingues, & denſi temperati, aut temperamento humanæ ſubſtantiæ proximi, & huiuſmodi qui corpus ac vires ex æquo reſtaurant, ſanos & robuſtos reddunt homines, & ad labores, ac in commoda ferenda promptiores fiunt, & diutiùs viuunt, & præcipuè ſi coniunctam habuerint facultatem confirmandi ventriculum & iecur; ex quorum robore non modò meliùs concoquuntur cibi boni, ſed etiam mali: confirmatus enim ventriculi calor, & iecoris, & cordis etiam omnia rectè conficit. Intemperati verò & praui cibi cum malum generent alimentum ſanguinem etiam bonum vitiant, & corpus obſtructionibus ac corruptionibus obnoxium reddunt, & naturam impediunt à muneribus ſalutaribus, & præſertim ſi à cibo quis ſtudis literarum & ſcribendi muneribus, & animi curis ſtatim ſe ſubiecerit. Leuiſſima etiam occaſione in malignas incidet febres, & præſertim ſi eduliis mali ſucci etiam facilis concoctionis vſus fuerit, qui vitioſum generant ſuccum, quique proceſſu temporis ſenſim in venis congregatus putrefit.

CAPVT XXIII.

Particularia alimenta pro diuerſa hominum natura dari.

QVòd animi mores ſequantur corporis temperaturam, quódve temperatura (tanquam forma quæ ex tota nititur ſubſtantia, cui ineſt miſtura quædam quatuor qualitatum, per quam calidam eſſe aut frigidam, humidam, vel ſiccã vel ex his miſtam dicimus) conſtet ex ſuccis, & ſpiritibus, qui cibis maximè proueniunt, apud omnes ferè tum Philoſophos, tum Medicos in confeſſo eſt. Quapropter pro eorundem varietate, & variari hominum temperamenta, mutarique rationi conſonum eſt. Etenim nutrimentum in nutriti ſubſtantiam conuerti eſt neceſſe. At cibi cùm ſint diuerſi, nec eorum vnum, idemque ſit temperamentum, nec vnum quoddam dabitur, quod ſit commune toti humanæ naturæ. Ideo ſua ſemper vnicuique relinquenda eſt ſuauitas, vt ſuum proprium alimentum & congruum pro temperamenti natura tribuatur, quod vlla ex parte ſanitati ſit nocium. Quin etiam proprietatem quandam ſæpenumero in aliquibus experimur, qui à natura, & pro priuato eorum temperamento & vitæ conſuetudine aliud atque aliud magis conuenieus ſemper expetunt. Alij pariter à

natura, & proprietate quadam recondita aliud reſpuunt. Nonnulli enim caſeum penitus auerſantur, alij vinum oſio habent. Vnde hac de cauſa ciborum ſubſtantia examinanda ac diligenter expendenda eſt vt dum in vſum hominis vſurpentur, corpori ſuccos magis ſalutares ſpirituſque ſubminiſtrent. Quod verò aëris clementia ac benignitas maximam habeat partem ad generandos optimos cibos (nedum homines natura prudentes, & è contra) ſatis apertè conſtat, dum aër quo neceſſariò cuncta aluntur, temperatus ac benignus eſt: Sic terrarum ſola ſuccos quoque adipiſci benignos atque ſuaues eſt neceſſe; quibus deinde enutritæ plantæ alimenta exhibeant ſalubriora. Et ob id Hip. morum temperaturas locis, aërique acceptas retulit. Vult enim mores temperatos ac probos fieri in terris temperatis; contra in intemperatis, Vt de Europæis indomitis, feris & iracundis exemplum ſumit, & de Aſianis mitioribus, & ignauis, & de Campanis ſemper ſuperbis, ſic & Romanis ferè omnibus hiſtoriis proditum eſt. Gallis leuitatem innaſci ob cœli varietatem. Satis enim conſtat Galliam omnino intemperatam, & aſſiduis flatibus agitatam. A ſanguinis conſiſtentia in animantibus prudentiam, fortitudinem, & timiditatẽ petere videtur Ariſt. dum credidit ſanguinem tennem atque mundum homines ſapientes reddere, quibus ſenſus ſubtiliores ac puriores inſunt, Nimium dilutum timidiores, Craſſum iracundos, ac furibundos. Natura enim ſanguinis; cum ſit totius corporis materia, tot diuerſitatum in animantibus cauſa eſſe poteſt: Plato etiam opinatus eſt improbos corporis ſuccos animæ noxios eſſe, indeque varios, & multiplices effectus propter naturam exoriri iuxta principes quas ij petierint, membrorum facultates. Videtur etiam ſentire animam noſtram corporeæ humiditatis poteſtate admodum pati, eamque amentiæ & ſtultitiæ cauſam eſſe, Ideoque ſiccitatem ad prudentiam adipiſcendam plurimùm conferre. Proinde ſubiungit, Qui regiones humidiores, frigidaſque incolunt, minùs prudentes ſunt; immo ſimplices, & præſertim ſi copioſioribus vtantur alimentis, quales Gallos & Germanos eſſe contendunt Hiſtoriarum ſcriptores. Hiſpanos verò & Luſitanos callidos, verſutos, & prudentes eſſe affirmant; quia calidas, ſiccaſque habitent terras. Sed vnde digreſſi, reuertamur. Vt igitur ciborum ſubſtantiam exactè exploratam habeamus, notandum quòd antequam ſingulorum naturam & temperiem aperiamus, An videlicet craſſi, an tenues; frigidi an calidi ſint, priùs ſciendum quibus conueniat ſubſtantia ac qualitas eorundem, vt quilibet conuenientem ſibi ad ſanitatis conſeruationem eligere poſſit, vt teſtatur Galen. doctiſſimus in 2. de tuen. ſani. cap. 2. vbi habet, quòd aliis craſſus conuenit cibus, aliis tenuis, aliis calidus, aliis minùs calidus, & ſic de reliquis. Nec hoc pauci eſt (inquit) momenti: ſicuti enim videmus animal eſuriens quandoque præ nimia edendi auiditate limum, lutum, & multa alia prætua comedere, ſic & membra cùm proprium atque ſibi conuenientem cibum non habeant, attrahunt naturali quadam neceſſitate humores prauos, qui in eis putreſiunt ſecundum temporis ſpatium quouſque adaccuentur, ac ſupercalefiant, & calidas generant ægritudines, & febres acutas, & alias huiuſmodi. Et deinde ſubiungit Vir ille ſapientiſſimus, Quare Princeps 3. p cap. 17. dixit, Ille in quo mala digeruntur nutrientia ob hoc non decipiatur, quoniam poſt dies non multos mali in eo generabuntur humores ægritudines pernecantes parturientes. Quod & ſenſit Gal. de elem. fac. cap. vlt. dum dixit, Non igitur oportet nos in purgandis ſeminibus, quæ ad eſum comparantur eſſe negligentes, perſuaſos etiamſi noxam quæ quotidie fit ob exiguitatem ſenſu non percipiamus, quod tamen longo tempore ex ipſis acceruatur tandem eruppturum. Necnon & in 2. loquens cap. 4. de Cucumeribus addidit, Ob eam igitur cauſam ab omnibus prani ſucci eduliis cenſeo abſtinendum etiamſi ex aliquibus concoctu ſint facilia. Nobis enim non aduertentibus prauus ſuccus ex ipſis poſt longum tempus in venis colligitur, qui poſtea exiguam ad putrendum occaſionem nactus febres malignas accendit. Ex quibus clarè conſtat cibaria nec abſolutè tenuia, nec craſſa pro ſanitatis conſeruatione commendari, ſed puriora, nullaque qualitate excedente infecta eſſe, & ſi quæ talia nobis inuenire haud liceat, mente tamen id nobis tandum & cogitatione aſſequendum vt ſi quid in eis excedens, coniunctum; immiſtumque ſit, illud ſeparemus, ſeorſumque quoad fieri poteſt diſiungamus. Quapropter non ſolùm qualitatis omnis expertia, alienaque eſſe oportet ſi puri verique ac proprij alimenti rationem ſtatuere vellemus. Sed & plurima pro rata quantitatis parte neceſſum eſſet vt non modo caliditate nulla, aut frigiditate, aut humiditate excedente aut ſiccitate, aut craſſitie, aut tenuitate, aut lentore, aut friabilitate, & huiuſmodi aliis notetur, verùm vt excrementis multis careat, plurimumque alimentum exhibeat. Idcirco nobis examinanda eſt omnium cibariorum natura. Tenuia enim & mollia, inquit Galen. & ſi facilis ſint coctionis & in ſanguinem conuertantur, & membris aſſimilentur, facillimè tamen corrumpuntur, nec ſolidum præbent alimentum, ſed imbecille; nec danda ſunt ventriculum habentibus calidum, quia corrumpuntur & in bilem vertuntur. Tales enim craſſos cibos melius concoquunt, quàm tenues, & meliùs carnem bouinam quam hedinam, & pullorum; & hoc ob vehementiam caloris agentis in chylum cibos tenues ſuperaſſantis, craſſos verò optime concoquentis. Nam etſi craſſa cibaria nullis conuenire videantur, eo quia craſſum generent ſuccum, & concocta ſint difficilia, atque obſtructiones faciant, & corpus, & membra aggrauent, atque chronicis, & curatu difficillimis affectionibus diſponant, nihilominus aliqui reperiuntur qui coacti ſunt huiuſmodi cibis craſſis nutriri;

tum

tum vel ob contractam conſuetudinem, tum vel quia ſunt admodum calidi & multo vtuntur exercitio, ſomnoque, ideo ſolido indigent nutrimento iuxta Gal. ſententiam lib. cib. bon. & mal. ſuc. cap. 5. Cibaria igitur quæ generaliter laudantur, ſunt ea quæ optimum præbent alimentum corpori noſtro; quæ nec craſſi nec glutinoſi ſunt ſuccꝰ, nec aliqua in qualitate excedunt, vt iam diximus, Quique debita quantitate, hora, modo, ac præparatione ingeſti ſunt; ex quibus ſanguis generatur ſubſtantiæ mediocris; quæ potius ad temperatam quandam humiditatem declinent, quæ non modò vtilia ſunt vitæ ſed etiam neceſſaria, cùm calido & humido nutriamur, nec aliud nunc temporis quærimus alimentum niſi ſyncerum, & quod in ſanguinem abiens correſpondeat naturæ temperati hominis ſecundum totam ſui ſubſtantiam, vt ventriculus libentiùs ad ſe attrahat, amplexetur, atque immutet. Repletionem etiam nimiam euitare debemus, quæ ſtomachi grauitatem facit: crapula enim vehemenſque ſatietas calorem ſuffocat, atque extinguit. Ob id qui à principio generationis, frigidi ſunt ventriculi, cùm maiori polleant appetentia, quàm concoquere valeant, in hoc ſtudere debent ne plus ingerant, quàm conficere poſſint. Et ſi contingat quòd plus præſſumant & grauitatem ſentiant, veſperi, vel die ſequenti à cibo abſtinere debent, donec prior confectus ac diſtributus fuerit, & interim longo vtantur ſomno; Ciborumque varietatem fugiant. Et hæc de vniuerſalibus placitis dicta ſufficiant. Reliquum eſt vt ad particularia deſcendamus atque de ſingulis cibariis quæ noſtris temporibus in vſu habentur ſermonem habeamus, & à pane tanquam omnium ciborum fundamento initium faciamus.

CAPVT XXIII.

Panum facultates & differentiæ.

CIbi diffinitio eſt quod mutetur à natura non mutando illam. Facilitas verò tranſmutationis in alimentum deſumitur ex temperamento, ita quòd ſit cibus ſecundum naturam 3. de temperam. cap. 2. Manifeſtum eſt enim quòd tale neceſſariò debet eſſe ſimile corpori in qualitate; nam omne agens dum agit repatitur. Quare ſi cibus alterius fuerit naturæ quàm humanum corpus, ille vel infrigidabit, vel calefaciet corpus, & ſic non iam ſimplex erit cibus, ſed vel Medicinalis (vt dicũt) aut medicina. Vnde Gal. in lib. de diſſol. conti. cap. 4. dum vult aſſignare cauſas facilitatis & difficultatis concoctionis ciborum eas quinque reducit. Et primam inquit eſſe intemperiem validam, quæ facit vt tarde poſſit aſſimilari, quia aſſimilatio eſt conditio præcedens nutritionem. Inter cibos autem qui facilis ſunt concoctionis ponitur panis bene præparatus, & Gal. lib. de cib. bon. & mal. ſucc. cap. 3. oſtendit huiuſcemodi panem non modò eſſe temperatum in primis qualitatibus, ſed medium etiam inter cæteras qualitates ſcilicet inter tenue, & craſſum, denſum, & friabile. Quod & Auerr. comprobat 5. collect. cap. 31. dum inquit Panem triticeum eſſe optimum cibum inter omnes, & quaſi naturæ humanæ ſimillimum, tum quia in qualitatibus temperatus eſt, tum quia guſtui adeo gratus, vt omnes fermè ſuſtineant eſum panis ſolius, & quotidie multis eſt in vſu, nec vnquam ab eo ſani abhorrent. Et hanc laudem tribuit illi Raſis, quòd ſcilicet faciliter conuertatur in humorem ſimilẽ humori radicali, dum aliquid ſalis ei miſtus & bene fermentatus fuerit. Panis differẽtiæ ſimpliciores ex materia ſunt, triticei primùm, ſiliginei, ſimilaginei, furfuracei. Et ex alio genere hordacei, fabacei, milliacei, & aliorum qui ferè in vſu haud veniunt niſi in maxima annonæ caritate. Inter frumentacea igitur quæ cibum exhibent boni ſucci ſunt panes confecti ex optimo tritico, denſo nempe, graui, ſplendido, & calore flaui, quodque ſuſtantiam adeo compactam habeat vt vix dentibus diuidi queat; Et quo triticea farina, & ex illa panes candidi qui optimum & multum nutrimentum præbent, ſi ex eius flore (quem pollinem nominant) conficiantur. Sunt enim molitæ farinæ partes quatuor Pollen, ſimila, ſecundarium, & furfures. Et ex his quinque panis genera parantur à Gal. tradita 1. de elem. faculat. cap. 4. Omnium primus & puriſſimus panis eſt ſiligineus. Siligo autem eſt puriſſimum, optimumque triticum, ex cuius farina cribris tenuiſſimis tranſmiſſa, panes primarij Pontificij nempe ac Regij finguntur. Secundus eſt ſimilagineus ex farina tritici non tamen perfectè à ſimila expurgata paratus. Tertius eſt panis ex tota farina cum furfuribus conflatus & coctus. Quartus qui ex multis furfuribus confectus, & ſordidus dicitur. Quintus ex puris furfuribus, & totus furfuraceus dicitur, canibus tantum deſeruiens. Laudatiſſimus ergo, ac optimus eſt panis ex polline confectus licèt non careat vitio: nam ſi ſolus, & plus iuſto comedatur ſuccum generat craſſum & lentum qui iecoris tum renum obſtructiones parit (Humor enim crudus cùm lentorem aſſumpſerit in anguſtis meatibus renum diutiùs moratur, tophum gignit) ſed inter omnes plurimum alimentum præſtat. Poſt hunc ſimilagineus eſt ex medulla farinæ triticæ, & eſt farina vulgaris, ex qua pollen ſeu pars quæ flos farinæ nominatur, ante excuſſa eſt. & ex hac ſecundarius ſeu vulgaris conficitur panis, qui & maximam nutriendi vim habet, & maximè corroborat. Huic inferior eſt qui ex tota ſit farina non diſcuſſis furfuribus, qui parùm alit, & ventrem multis excrementis implet, & eam ob cauſam facile ſubſidet. Furfur enim facultatem detterſoriam habet, ob quam irritantur inteſtina, & ſic celeris eorum fit deiectio. Puriſſimi verò tardiſſimè deiiciuntur, ob id fermento copioſiore indigent, & cum maxime ſubigere oportet, nec ſtatim poſt fermen-

fermentum,& ſubactionem ad aſſandum eſt mittendus,& diutturniorem allationem expoſtulat. Panes igitur puri, & rectè confecti erunt ſi optimè fuerint aqua ſubacti, & fermento conſtiterint modico,modicaque ſalis miſtura, & in clibano ſeu potiùs furno moderato igne aſſati,vt docet Gal.1 de alim.fac. cap 4.dum inquit,Optimus ille eſt panis,& ſaluberrimus homini, neque iuueni, neque exercitationibus dedito qui tum ſalis tum fermenti habet plurimum,quique plurimum ab artifice antequam fometur & aſſetur ſit ſubactus, & in clibano mediocriter calido aſſatus. Æqualiter enim aſſatur & leuis ac ſpongioſus euadit, & optimè in ventriculo concoquitur. Ex ardentiori verò igne pars exterior circumuritur, interna verò cruda, & ab igne fermè illaborata permanet, & prauus redditur panis hominibus maximè pernicioſus. Cruſta enim prima parùm nutrit, & prani ac bilioſi alimenti adeò vt facile amareſcat, & medulla niſi ſit benè cocta mala eſt, quoniam lentum præbet alimentum, & obſtruit. Media cruſta optima eſt (Panis verò qui ſit eiuſdem diei optimus eſt; facilè enim ſiccatur, & durius fit;peſſimus calidus quia æſtuoſus eſt, & ventriculo nocet; ideo in loco aperto refrigerari debet, alioquin mucoſus efficitur, & eius pars melior eſt limbus ſeu pars extrema quam (l'orlo) vulgariter vocant. Durus autem & ſiccus difficilis eſt ad concoquendum, & reſoluto humido naturali ingrati fit ſaporis, & ſi ex mora mucoſus euadat malè olet & prauus admodum redditur. Fit enim mucor in pane à ſiccitate interna exprimente exterius humidum quod à calore externo putrefit. Fit & panis azimus, qui ferméto omnino caret grauiſſimus, & athletis ac ruſticis tantum conueniens,etſi ab eo non parùm ſæpe lædantur,vt apertè demonſtrat Gal.1.de alim.fac.cap.2. Patatur & placenta panis genus quod citra fermentum in furno coqui conſueuit ex farina ferè conſtans ſiliginea cui multa adiungi poſſunt ad libitum vt paſſulæ, ſemina aniſorum,& fœniculi, ſaccarum, mel, interdum caſeus, oua, lac, butyrum, cinnamonum, pruna, mala, ceraſa, & alia huiuſmodi à piſtoribus dulciariis vſurpata, & harum præterea diſcrimina non pauciſſima pro induſtria coquorum; ex quibus etiam tortæ appellatæ conſtruuntur herbaceæ diuerſæ quarum differentiæ & innumeræ cenſentur. Namque pro locorum & gentium victu, & temporum ratione vario modo conficiuntur, & Pariſienſes in deliciis habent ſuaſque menſas iis quotidie ornant, quia ſuauitate & elegantia præſtant, ſi recte fingantur ac decoquantur, & Plinius eas inter panificij genera reponit & Gal. 1. de alim. fac. cap. 3. tria quæ cum melle parantur generi placentarum contribuit. Et placentas craſſi eſſe ſucci, itemque crudum humorem parere pronuntiat, & viſcera obſtructionibus implent, & calculos in renibus gignunt. Et hactenus de panum differentia à materia,fermentatione, & ratione coquendi deſumpta.Reliquum eſt,vt de eorundem vſu,conſuetudine & parſimonia aliquid dicamus. Nam quemadmodum mel pituitoſis & iis qui frigidiori, humidiorique ſunt temperamento ſalubre eſt, calidis autem, & ſiccis haud quaquam ipſum conuenit & inſalubre eſt,Ita & panes alij magis iis conueniunt qui fortiſſimo ſunt corporis habitu cuiuſmodi ſunt meſſorum, ac foſſorum robuſtiſſimi, qui panes impuros & non admodum bene fermentatos,nec probè in furno aſſatos ſine iactura comedunt, quia alimentis craſſi & lenti ſucci indigent,quæ non facilè exhalent, neque corrumpantur. Alij verò minus robuſti his haud veſci poſſunt ſine magno incommodo. Ad eorundem autem concoctionem nonnihil confert tum conſuetudo, tum parſimonia; Item etiam qui exercitationibus continuis & validis laboribus ſe ſubiiciunt, copioſiorem panem expetunt. Qui verò in otio degunt & parùm ſe exercent,parco etiã pane vti debent.Pari ratione cibi qui ex farina multa triticea,& lacte miſti conſtant,& ſi boni ſint ſucci, & multi alimenti, tamen eos lędunt qui his aſſiduè vtũtur.Obſtructiones enim in hepate, & calculos in renibus pariunt.Gal.quoque lib.1. de alim fac.cap. 5. inquit, quod panis qui ſuccũ habet craſſum & lentum,ſi diligenter abluatur ex terreſtri, aëreus fit,& leuis, & minimè obſtructionibus obnoxius. Quare clarè patet quòd ea quæ pluribus inter ſe modis diſcrepant,ſi inter ſe comparentur, inuenies quòd ea quæ de ſingulis membratim ſeorſum dixeris,omnia collecta habebunt.

CAPVT XXIV.

De Tritico.

NOn parùm inter ſe diſtare videntur fruges, atque alias aliis antecellere, non modo ratione generis, loci, & agri; verùm etiam cœli ſtatu, & téporis.Italicum namq; triticum Siculo longè præſtantius exiſtimatur,& Siculum Germanico,Gallicoque.Plura notantur tritici genera quæ colore, magnitudine, & ſpecie inter ſe differunt. Sed tria eſſe potiſſimum animaduertimus, & ex his illud maximè apud veteres in pretio erat quod Robus dicitur,quoniam & pondere & nitore præſtet: Et frumentum eſſe volunt quo nunc maior pars Galliæ paſſim vtitur. Secundum eſt ſiligineum Italicum præſtantiſſimum pro conficiendo optimo pane.Tertium quod trimeſtre vocant agricolis admodum iucundum atque vtile, quod nonnulli Sitanium, noſtri verò Martium nominant, quoniam de menſe Martio ſeritur quando hyberna ſemina male reſpondent, & terno hinc menſe matureſcit atque metitur. Hæc autẽ omnia genera Tritici inter ſe bonitate certant,pro locorum differentia.Montanum enim ſemper aliis præſtat. Illud autem bonum dicimus triticum quod optimè maturum ſit,plenum,graue,lucidũ,ac ſplendidum,auri fermè calorem referens,quodque ſubſtantiã adeo compactam habeat vt vix dentibus diuidi queat.Malum quod huic cõtrarium eſt, & id facilè in lolium degenerat.Frequentiſſimum

ſimum id ſemen eſt ſumma cum vtilitate ab hominibus vſurpatum, mundum ſi fuerit ab aliis illaudabilibus granis lollio, cicerculis, & aliis huiuſmodi. Calidum primo ordine temperatum in paſſiuis qualitatibus ſit miſſimi & copioſi eſt alimenti, ſuccumque craſſum admodum & lentum gignit vt teſtatur Gal. de Atten. vict. ratio. cap. 6. Et ſi in aqua decoquitur, Oleumque ex eo ferramentis candentibus extrahitur ad multos vſus accommodatum. Atque illud præſtans cenſetur quod plus farinæ reddit. Porrò farinam puram & recentem calidam & humidã eſſe affirmat Gal. 5. de ſimpl. med. fac. cap. 9. Etſi non deſint, qui probare nitãtur veterem frigidam eſſe, nam & puluere & carie, & tetro ac viroſo quodam odore referentem eſſe comperiunt. Nec parum diſcriminis acquirit ex molendi modo ac ratione; nam poſteaque triticum mundum ab omnibus interniculis ac quiſquiliis fuerit, ſi molæ opera ſuperfluè molatur, omnem materiam adeo conterit atque imminuit, vt in minutiſſimas partes omnia confundat, vſque eo vt per cribrum quantumvis tenuiſſimum pertranſeant, & per anguſtos meatus elabantur, itavt furfures minutiſſimi panificium reddant ſubaſperum. Illa igitur probatur, quæ nec recens nec veteris, ſed mediæ ætatis, quæque craſſi fuerit furfuris nec ad ſummum molita, Talis enim cribrata tenuis & candida ab omnique furfure pura euadet, & tunc citiùs in ventriculo cõcoquetur, & faciliùs in corpus diſtribuetur. Multa ex ea parantur edulia à coquis & mulierculis, atque pultes lacte admiſto; quæ etſi valenter alant, obſtructiones tamen pariunt, & calculos creant. Amylum ex tritico conficitur, & ex trimeſtri optimum fieri Plinius tradidit, ſic dictum quòd ſine mola conficiatur. Probatur quod in candore, & leuitate excellit, & quod recens ſit. Mediocriter refrigerat, & ſiccat vt tradit Gal. 8. ſimpl. med. cap. de tritico. & 1. de alim. fac. inquit habere facultatem ſimilem panibus lotis, & cùm qualitatis ſit expers & adſtrictionis particeps, multos in re medica habet vſus. Ex eo enim ex ſaccharo & oleo amygdalarum dulcium ſauonea paratur, medicamentum pectoris, & pulmonis vitiis accommodatum, & Gal. affirmat non eſſe mali ſucci ſed craſſioris tantum; Celſus autem eſſe boni ſucci teſtatur & craſſiorem pituitam facere, & aſpera lenire.

CAPVT XXV.

De Hordeo.

HOrdeum frugis genus notum cuius duæ habentur ſpecies; Altera quæ habet ſpicas binis granorum verſibus conſtantes, quæ equis & iumentis in cibo tantùm deſeruire videtur: Altera, quæ à ſpicæ paleis facilè ſe explicat, appellaturque hordeum mundum, ſcilicet abſque cortice, quod tritici grano valde eſt ſimile, ſed craſſius & albidius. Frigidum & ſiccum in primo gradu collocauit princeps lib. 2. cap. 538. & deſumpſit à Gal. qui 7 de ſimpl med. ca. de hordeo poſuit in primo exſiccantium ac reſtigerantiũ cum aliqua abſterſione, adiiciens illud, plus ſiccare quam fabam, & minùs nutrire quàm tricum, ſed ad multos, præclaroſque medicinæ vſus à Priſcis vſurpatum fuiſſe conſtat, & adhuc noſtra tempeſtate eius eximia auctoritas maximo in honore habetur, ſi candidiſſimũ ac ponderoſum, coctuque facilè fuerit, paraturque ex eodem far hordeaceum. Illius aqua humectat, & infrigidat, nõ ſanè ratione hordei, cum ſit ſiccum, ſed quoniam aqua non potuit ad contrariam propriæ naturam ex coctione cum hordeo conuerti. Sic & Gal. docuit 1. de alim. cap. 9. inquiens. Quomodocunque hordeum paraueris, nunquam excalefaciet, at pro varia præparatione exſiccabit vel humectabit. Ex quo planè colligitur hordeaceam farinam frigidam eſſe, & mediam inter ſiccantia & humectantia; vnde cùm elixatur, humectat. Antiquo tempore frequentiori erat in vſu hordeum quàm nunc. Ex quo etiam macerato in lupulorũ decocto paſſim in vniuerſa regione Septentrionali, maximè hac tempeſtate in Germania, diuerſi parãtur potus, velut & ex tritico; & maximè ceruiſia tum ſimplex, tum aromatibus cõpoſita, quæ loco vini bibitur. Maceratur enim hordeum pro ea conficienda, aut triticum, vſque dum alterum iam prope putre germinet, deinde additione lupi ſalictarij in decoctione fit ceruiſia. Ex putrefactione enim quaſi ex fermẽto acrimoniã acquirit, tum ex eodem decocto quo prius maceratum fuit, quod conſtat ex flore vel ſemine: eiuſdem lupi ſalictarij, Itavt macerationc, fermẽtatione, coctura Ceruiſia fit varij ſaporis, coloris atque ſubſtãtiæ quæ vini quandam vim æmulatur, nam ex ea triplex paratur potus vini ferè vires obtinens; Primus aquoſus, quem Ceruiſiam ſimplicẽ dicunt: Medius, quem Trihapeninam: Potens quam duplam ceruiſiam nuncupant. Et licèt primo guſtui ingrata appareat ceruiſia, vſu tamen ſuauior redditur. Sucum generat melancholicum, & lapidem renum, & veſicæ cùm ſit ſubſtantiæ craſſæ, caput implet, & inebriat, & obſtructiones parit. Non exiguã tamen acquirit differentiam ex varia conficiendi ratione quam adhibent artifices in coctura quæ ex ſaporibus detegitur: Aliæ namq; dulces, & gratæ, ac claræ; aliæ amaræ, auſteræ, & turbidæ cernuntur, ſecundũ quòd in decocto luporum fruges hæ diuerſis modis macerantur. Calidum ponitur eius temperamentum, quod ex lupi ſalictarij maceratione accipit, & ex nidoroſo odore deprehenditur, & magis inebriat quàm vinum, quoniã craſſioris eſt ſubſtantiæ & flatuoſa eſt: & ſi negligentia ac præparandi incuria minus iuſto macerata, aut cocta fuerit, aut ob parſimoniã ea ingredientia, quæ requiruntur non addãtur, praui ſucci ſuſpicione non caret, At ſi rectè fiat à nõnullis optimus potus eſtimatur, & febrientibus conuenientiſſimus ſi ſimplex fuerit. Iecori nãque lupulus maximè conuenit, & eius obſtructiones curat. Ex eodem hordeo paratur ptiſana, aut ptiſanæ ſuccus, cuius non mediocres laudes ſunt, de quibus alias dicendum erit. Parantur & panes qui parùm nutriunt, flatus pariunt, & frigidos lentoſque ſuccos generant, &

& ob id ventriculo admodum incommodi. Ex hordeacea etiam farina fit polenta quam pluribus modis parare solebant antiqui vt Plinius est author : quæ si rectè fiat ex optimo & recenti hordeo suauis est & boni odoris, sed parùm nutrit, & flatuosa, & difficilis coctionis est, & crassi ac praui succi, nisi addantur quæ malitiam aliqua ex parte corrigere valeant, vt mel saccharum, & aromata. Hæc tamen Italis fere ignota est.

CAPVT XXVI.

De Alica.

QVòd Alica ex Zea fiat, testatur Plinius lib. 18. cap. 11. conficiendique modum docet. Estque Zea quam nos speltam vocamus, Tritico haud absimilis; cuius duas species facit Dioscorides. Vna simplex, quæ spicas profert simplicibus granorum versibus. Altera quæ duos in spica habet ordines, in quibus grana bina gerit; qua de causa Dicoccum quasi duo habens grana, vel alas duas à Dioscoride vocatur, & ex hac Chondrum fieri nonnulli existimarunt. Nec desunt qui Sipham, Olyram, & Zeam penè eandem rem esse contendunt. Far quoque paratur ex eadem Zea, cuius Gal. 6. de simpl. med. meminit, dicens, Zea vniuersa sua facultate quodammodo in medio est tritici, & hordei. Et 1. de alim. fac. cap. 13. inquit, Zea ex Theophrasti mente est inter ea quæ tritico, hordeoque sunt similia, cuius fructus est leuissimus & cunctis animalibus iucundus. Sunt & qui Chondrum cum farre confundunt, itavt & Chondri, & farris, & adorei vna tantum significatio sit. Ex Zea itaque Alica diuersimodè paratur, cuius meminit Gal. 1. de alimen. fac. cap. 6. dicens, Alica ex generè tritici est, valenterque nutrit, succumque lentum habet, siue in aqua duntaxat coctam cum mulso aut vino dulci, aut etiam astringente, siue cum oleo, saléve frixam sumas, nonnunquam & acetum illi iniicitur, cuius vsum vitare nos admonet eo in loco & potissimùm quibus iecur facile obstruitur, aut renes calculis gignendis sunt appositi. Panes ex ea damnantur: ægrè enim conficiuntur & ventriculo noxij, Etsi in septentrionali plaga frequenti sint in vsu, & non sine aliqua valetudinis offensa, præ consuetudine tamen minus patiuntur. Crassum Alica, & lentum, & frigidum & humidum præbet alimentum, & multùm, & benè, & tardè nutrit, vt Gal. tradidit in 2. de san. tuen. cap. 4.

CAPVT XXVII.

De Olyris & Typhis.

NOn desunt qui existimant Olyram & Typham rem penè eandem esse; quin & Zeam ex eodem genere esse censuit Dioscorides vt superiùs diximus. Galen. quoque non magnum discrimen ponit lib. de Att. Vic. Ratione, vbi Typhæ Olyram præfert, & eam nonnulli falsò siliginem appellant, cum siligo sit optimum purissimumque triticum vt supra ostendimus. Est autem Olyra semen quod Itali segalam vocant, Hispani centenum, quòd ab vno grano centena enascantur, & præcipuè in orientalibus regionibus; à Plinio farrago dicitur lib. 16. cap. 18. Hanc Prisci neglexerunt forsan ob frugum meliorum copiam. Fœcunda & multis terris ac prouinciis communis est, Cuius temperamentum frigidum est, & à Galeno ponitur medium inter triticum, & hordeum. Ex olyra panes conficiont rustici, qui post triticos optimi censentur si albi, & ex optima olyra candida & orientali fuerint facti, & si calidi commanducentur: duriores & diu asseruati deterrimi sunt & iniucundi, & præcipue si ex vitiosa, & nostrate segala confecti fuerint, namatri sunt, grauiter olent, ponderosi, concoctu difficiles, & tardè è ventriculo descendunt, & crassum & lentum, melancholicumque & prauum generant succum. Agricolæ secalinis panibus calidis vescuntur, vt validiora reddant eorum corpora quia multùm nutriunt.

Typhæ semen ab oriente aduectum refert Plinius, & Gal. largè in Asia prouenire testatur, tritico perquam simile, immo arte paratum in ipsummet mutatur, de quo disertè loquitur Gal. 1. de fac. alim. cap. 13. Vbi panes Typhinos Olyrinis postponit si calentes non sint: asseruati enim se ipsis deteriores euadunt sic si ex curioso semine fuerint facti. At si calidi & ex laudatissima Typha panes confecti fuerint Olyrinis præstantiores erunt: asseruati verò deteriores. Cum enim (inquit Gal.) illorum massa sit tenax & ductilis, densatur maiorem in modum & maximè si negligenter parati fuerint: adeo vt qui panes huiusmodi post vnum, aut duos dies, aut multò magis sequentes aliquot comederit, puraturus sit lutum ventriculo suo ineesse. Præterea (subiungit) concoctu sunt difficiliores, atque tardius per aluum subducuntur, Proinde rusticis relinquendi.

CAPVT XXVIII.

De Auena, Milio, Panico, Farre, & Oryza.

AVenæ semen iumentorum, non hominum alimentum esse liquidò constat, nisi in magna caritate ac penuria quandoque ad panem conficiendum ex eo compellantur. Ex eius farina Germani interdum pulticulam parant. Alij ceruisiam, & præsertim in Lithuania, Alij tandem sublimant & aquam ardentem eliciunt, qualem ex vino sublimato ex qua sæpe se inebriant. Calidam esse auenam Gal. affirmat; leuiter enim acris est, & digerendi vim possidet, proinde phlegmonas induratas & egilopas sanat, & panes ex ea confecti ingratissimi sunt, & parùm alunt, & praui sunt succi milium

milium ſemen notum ex quo interdum panes finguntur qui dulces ſunt, cum ingens meliorum frugum penuria premit. Frigidum eſſe eius temperamentum primo ordine & ſiccum tertio affirmat Gal. 2. de ſimpl. medic. facul. Pinſitum ſemen in iure elixatum aut in aqua & oleo ac butyro conditum guſtui gratum manditur, & panico præſtantius, nam & ſuauius editur & minus difficulter concoquitur, minuſque aluum ſiſtit, & magis nutrit; ob idque in cibis gratiſſimum hodie inter omnes eſſe conſtat. Et Ruſtici pultem candidam ex eo faciunt cum lacte. Aetius boni eſſe ſucci, difficulter concoqui, flatus parere, aluum cohibere, itemque refrigerare ſcriptum relinquit. Ex illius farina cum lacte decocta Ruſtici placentas parant, eiſque veſcuntur. Ex eadem quoque cum portione farinæ triticeæ panes conficiunt candidos quos libenter edunt, licèt mali ſint alimenti.

Panicum etiam ex leguminum genere eſt Melicum Itali vocant, & Milio ſimile eandemque ferè naturam habet etſi ad omnia milio inferius videtur. Ex eodem pinſito pulmentum cum lacte conditur non ingrati ſaporis: Lac enim iucunditatem panico in cibis adfert. Rarò in panes ſubigitur panicum, quia mali eſt ſucci, & difficile in ventriculo conficitur, flatus parit, aluum adſtringit, ſiccat, atque refrigerat, vt Gal. refert 1. de alim. fac. cap. 151. & ſi foris illinatur, pariter refrigeratque exſiccat.

Nuper diximus far ex ſemine Zeæ ſiue ſpeltæ (ab Italis ſcandella dicta) parari, & dicitur far Zeeum, quod & teſtatur Gal. 9. de compoſ. med. ſecun. hoc cap. 3. Poteſt & fieri ex tritico ſi pinſatur & dicitur far triticeum. Item ex hordeo, & far hordeaceum nominatur. Aëtius facere docet triticeum. Far ex Zea boni eſſe ſucci & multi nutrimenti tradit Gal. 4. de ſani. tuen. cap. 4. Ita quod vitioſos humores in ventriculo contentos emendare poſſit. Paratur eo modo quo parari ſolet ptiſana cum paulo aceti adiecto ſi cruditatis abundantiam vel in venis, vel in toto corporis habitu ſubeſſe ſuſpicamur. Lentorem quo præditum eſt corrigit acetum, alij oximel vel mulſam, vel porrum, vel piper addunt, vt magis detergat & non obſtruat, vt facere ſolent omnes cibi qui ſunt craſſi & glutinoſi ſucci, qui difficilè concoquuntur. Oriza à multis inter frumenti genera adnumeratur. Gal. autem inter legumina ponit, velut & cætera ſemina cerealia ex quibus panificia non conficiuntur. Calidam Arabes faciunt. Temperatam alij quocunque modo ſumptam dixere. Actu & facultate ſiccißima eſt, & tamen quod mirum eſt dictu, prouenit in locis humidis, ideo communis ferme eſt vniuerſo orbi cibus, & præcipue vbi eſt aqua. Variis modis in re cibaria pro conuiuis ornandis paratur, & prima menſa ex iure gallinaceo vel quovis alio pingui apponitur, addito ſaccharo, & cinnamomo. Alij ex lacte parant, aut ex ſucco amygdalarum dulcium adiecto ſaccharo, & cinnamomo, aut croco pro conciliando ſapore. Succum craſſum generat, leuiter nutrit, difficulter in ventriculo concoquitur, niſi benè & magno igne ac diu cocta fuerit, tunc enim albidior, mollior, ac ſuauior euadit, aluumque mediocriter cohibet. Nonnulli parant ex ea potum ſuauem, additis aromatibus melle, & ſaccharo, vt ſuauior fiat, referuntque ſi ſublimetur quod inebriat vt vinum. Gal. cenſet oryzã augere ſemen & humidum ventriculum purgare, & corpora humida pinguia reddere ob temperamentum, ſiccaque ob id quod ea ſeu cum lacte ſeu cum iure benè nutrit, & hodie magnus eſt illius vſus. Immo ex eius farina conficitur cibus quem vocant Album, ſi addantur carnes alarum capi, lac, ſuccus amygdalarum dulcium, & ſaccharum, & multi adiungunt ſuccum citri vel limunij, quia tutius ægris interdum concedi poteſt.

CAPVT XXIX.

De Fabis, Lentibus, Piſis, Cicerculis, Ciceribus, Phaſiolis & Lupinis.

FAba inter legumina primum ſemper obtinuit locum à Gal. inter cerealia ſemina numeratur 1. de Vic. in Acut. Et mirum eſt dictu quod interdum in eodem agro vna pars producit legumina coctilia, alia pars incoctilia generat. Idque prouenire exiſtimatur ex ſoli calidioris natura, ac leuioris. Stercoratio etiam faciliorem reddit, ſic & aër, & ſol & locus apricus, Coctile enim eſt quod calidum, humidum molle, & rarum. Incoctile autem contra. Et illud coctile dicitur quod ferue factum, ac coctum facile molleſcit. Noſtra ab antiquorum faba diuerſa eſt. Ægyptiam quam aliqui Ponticam vocant in horto Illuſtriſſimi Cardinalis Moroni vidimus. Multiplex autem eſt fabarum vſus, nam ex earum farina frumentacea miſta parantur panes apud quoſdam populos. Elixantur interdum integræ oleoque & ſale pro meſſoribus condiuntur aliquando fractæ. Puls & per ſe, & cum ptiſana paratur. Edulium etiam non ingratum in vrbe diebus quadrageſimalibus formatur ex fabis quas prius mola frangunt, dein percoquunt, poſtea diligenter in mortario conducunt, & craſſumen quoddam album fit quod in patinis ex oleo & pipere, & cæpis vel porro igne lento paratur, quo plebs ferè tota vtitur ob ſaporis gratiam. Virides etiam ac recentes manducantur, & in iure percoquuntur. At quovis modo parentur, & ad ſummum coquantur, ac diutiſſimè elixentur flatulentum ſemper cibum parient; minor tamen flatulentia in fractis reperitur, & longe minor ſi piper addatur, Humidum alimentum veſcentibus præſtant ac craſſos, pituitoſoſque ſuccos generant atque crudos ſi exactam maturitatem adeptæ non fuerint, & valde excrementoſæ ſunt, caput tentant, difficilè concoquuntur, tarde prætereunt & obſtructiones pariunt, doloreſque ventris interdum excitant. Et quoniam frigidæ & ſiccæ ſunt ob id alui fluores ſiſtunt, facultate

verò quadam abſterſoria prædita ſunt, qua tuſſi conferunt, & materias in pectore contentas per ſputum educunt vt teſtatur Galenus 7. de ſimpl. med. fac. & 1. de alim. fac. cap. 19. Habent enim ſubſtantiam non denſam nec grauem ſed fungoſam & leuem, quæ vim quandam quomodo ptiſana habet detergendi. Tumultuoſa ſomnia faciunt, & ab earum vſu ſtudioſi, & pueri præcipuè cauere debent, nam ingeniorum vires comminuunt, atque hæbetant. Multos etiamin re medica vſus alios habent foris impoſitæ pro vario præparationis modo, de quibus agemus alia in parte in qua dilucidiſſima ratione morborum internorum externorumque cognitio atque eorundem curatio tradetur.

In 1. de alim. fac. cap. 18. aſſeruit Gal. lentem ex contrariis conſtare naturis. Altera quidem aluum coërcente, Altera verò citante. Ex parte quæ ſupprimit, frigida, terreaque dicitur, Ex parte verò quæ citat, calida. Quocirca 6. de ſimpl. med. fac. dixit quod medium tenet lens caliditatis & frigiditatis. Verùm quia deſiccat in ſecundo ordine ideo addidit quod valenter adſtringit, & præcipuè ſi bis cocta fuerit. Alij affirmant cum cortice calidam eſſe ob auſteram quam habet, qualitatem exiguam (cuius cortex multæ eſt particeps) excorticatam vero temperatam. At Hipp. 6. de morb. vulg. com. 5. ſect. 33. ponit illam frigidam immo frigidiſſimam, ea forſitan ratione ductus quia lens ſanguinem vndequaque fluentem ſiſtit, & cum hic effectus frigidiſſimis edulijs ac medicamentis conueniat, quin etiam frigidum ſanguinem generet, ob id inter frigidiſſima connumerauit. Eiuſdem ſententiæ fuit (Raſis 3. ad Almanſorem quicquid ſentiat Gal. qui dum affirmat eam bis coctã ventris fluxum ſiccare ſtomachum, inteſtina, & totum denique ventrem corroborare; eius verò iuſculum ſale, aut garo, aut oleo conditum ventrem ſoluere, ſubiungit etiam decorticatam illam adſtringendi vehementiam, & alia ipſam conſequentia amittere, carnemque magis nutrire, ſed ſiccum, craſſum, prauumque gignere, & tarde commeare. Et qui hoc edulio largius vtuntur elephantiaſim & cancros incurrunt, quia melancholicum generat ſuccum, viſum deinde hebetat, menſtruas purgationes imminuit dum craſſum, tardifluumque ſanguinem reddit, Verùm ſi aliis contrariam facultatem habentibus lens commiſceatur vt ptiſanæ, vel eidem addantur origanum pulegium petroſelinum, feniculus & ſimilia, edulium ſuauius & concoctu facilius reddetur: ſed à multo eius vſu, (vt dictum eſt) quiſque & præcipuè ſenex cauere debet, quia exiguum dat cõrpori alimentum, & illud craſſum & nigrum, ac melancholicum. Somnia ob id grauia, & tumultuoſa facit, Nec vllus erit Medicus rationis particeps, qui lentibus alat ægrotantes: immo Galenus 1. de victu in acutis negat inter cibos locum habere, & tantum inter Medicamenta reponit Hipp. quoque 1. de Vict. in Acut. ait legumina omnia flatuoſa eſſe & cruda vbi ea omnia ſeu ſingula ſuam malignitatem habentia penitus à conſortio bonorum ciborũ eliminari dioſcorides pariter ponit lentes eſſe peſſimi nutrimenti, & multarum affectionum primarias cauſas quæ ægros ad vitæ pericula trahere poſſunt. In re autem medica multos habere poſſunt vſus vt infra patebit.

Piſa autem etſi cum fabis quandam habeant ſimilitudinem iiſdemque molis ferè condiantur, comedanturque, maiorem tamen apud proceres gratiam obtinent, & lautiſſimas Principum epulas ſubeunt: quandoquidem ſi recte condiantur, & præcipuè cum ſquilla carne ſalita ſuauiſſimum in cibo ſaporem præbent dum viridia, & tenera in ſiliquis eligantur. In quorum iuſculis ſale, oleo, vel butyro conditis ſi panis infundatur, fit cibus omnibus gratus. Duriora verò & ſiccata ingrata euadunt, & æruginem ac vermes libenter contrahunt, nec ſemper æque coquuntur; frigida ſunt & ſicca, difficilis concoctionis, parùm nutriunt, nec boni admodum ſunt ſucci. Flatus tamen non perinde ac fabæ generant, & quoniam carent vi illa deterſoria, ob id difficilius deorſum deſcendunt, in omnibuſque præſtantiora ſunt fabis vt Gal. affirmat lib. de atten. vic. ratione, cap. 70.

Cicerculas, Eruilias, Phaſeolos vnum eſſe genus teſtatur Gal. 1. de alim. fac. cap. 28. verùm pluribus nominibus appellari propter quaſdam differentias, quæ in ipſis apparent. Cicerculæ quidem ſubſtantia & facultate ſunt eis adſimiles, verum conſiſtentia craſſiores qua plus alimenti adferunt, nec hominibus ſunt inutiles. Vario modo parantur, ſed flatulentæ ſunt nec concoctu faciles, nec ſucci admodum boni. Cicerum tria reperiuntur genera quæ in cibariis non parum habent vſum tum viridia, tum ſicca. Viridia, tum à pueris & mulierculis ſæpe comeduntur quæ excrementoſum ac humidum præbent alimentum. Frixa tamen vel aqua elixata, & oleo atque ſale condita flatum aliqua ex parte deponunt, ſed concoctu ſunt difficilia. Cicera omnia calida & ſicca ſunt ordine primo, quamvis rubra & nigra albis ſint calidiora, & ſylueſtria domeſticis. Multam expetunt coctionem, alioquin crudum & prauum alimentum exhibent. Proinde mulierculæ per noctem ea linteolo inuoluta in lixiuium leue vel in aquam calidam cinere adiecto macerant, poſtea diligenter tribus vel quatuor aquis eluunt vt cineris odorem deponant, & tunc facilius percoquuntur, & copioſe nutriunt, ſed ſemper flatulenta ſunt non minus quam faba. Multos in re medica vſus habent, de quibus Gal. 6. ſimpl. med. fac. proprio, & iura rubrorum maxime commendantur, extergendi enim facultate maximè pollent, & ob id lienem, iecur, & renes expurgant, & ad renum calculos comminuẽdos plurimùm valent. Venerea à Plinio vocantur quia ad venerem incitant, & ſemen generare etiam creditum eſt, vt teſtatur Gal. 1. de alim. fac. cap. 22.

Phaſioli inter legumina ſunt notiſſimi de quibus Diſcorides mentionem fecit, & primò de candidis ac vulgaribus diſſeruit,

poſtea

postea de Eruilia, & phaseolis rubris, luteis, atque versicoloribus. Gal. 1. de alim. fac. cap. 28. Dolichos appellat à siliquis denominationem sumens. Proinde frequentiores sunt albi, quorum siliquæ primo ex ortu virides variis modis parantur, sed in aceratiis potiorem obtinent locum addito sale & pipere: gustui enim sunt admodum gratæ dum teneræ exstiterint. Feruenti quoque oleo, vel butyro friguntur, & sale, pipere, ac succo arancij comeduntur, sed improbi sunt succi. Duriores verò & è siliquis extrusi iure vel aqua decoquuntur, & sale ac oleo condiuntur. Cum verò maturitatem fuerint adepti, & albidi euaserint, calidi sunt & humidi primo gradu & in cibum sumpti non facilè in ventriculo cóficiuntur, mediumque videntur obtinere locum inter alimenta boni improbique succi vt testatur Gal. 1. de alim. fac. Parùm nutriunt & humores crudos & crassos necnon & flatus plurimos generant, à quibus sæpe coli dolores oriuntur, caput tentant, & somnia tumultuosa faciunt, semen generant, & proinde venerem irritare solent, præsertim si eum pipere, vel aliis aromatibus comedantur.

Lupini quocunque in loco sati prosperè crescunt, & quoniam nidoroso terræ succo nutriuntur, quem dum ad se trahunt auertunt ne herbulæ inter segetes nascantur, & agros impinguant, ob id rustici circa frumenta & legumina vt plurimum serunt vt fœliciora ac fertiliora surgant. Horum meminit Gal. 1. de alim. fac. cap. 23. Apud multos in vsu habentur dum ingenitam insuauitatem deposuerint, Elixantur enim atque tandiu in aqua dulci macerantur donec quicquid amaritudinis habent dimittant, & tunc omnis fermè qualitatis expertes fiunt, immo frigidiores censentur, cum prius præ amarore natura calidi essent; aperiunt enim & menses eliciunt. Eorum substantia dura ac terrestris est, & idcirco concoctu difficilis & succum generat crassum, qui cum in venis non probe conficiatur, nec in sanguinem vertatur crudus propriè appellatur. Verùm si à natura vincatur alimentum corpori dat copiosum. Lupinorum farina in officinis parata habetur quæ in re medica frequenti est in vsu, sed pro cibatu nemo est qui libenter lupinis vescatur nisi coactus in maxima annonæ caritate. Par igitur est vt non modo eorum sermonem prætermittamus, verùm & aliorum similium, quæ inter legumina reponuntur, cuiusmodi sunt sesanum, lolium, vitia, fœnum græcum, eruum, papaueris, lini, cannabis, viticis semina, & huiusmodi alia quæ non solum insuauia sunt & concoctu difficilia, sed in vsu ciborum iamdiu venire desierunt, quia insalubria, nec his vescuntur homines nisi magna fame compulsi.

CAPVT XXX.

De Herbarum in alendo facultate, ac diuersitate.

QVemadmodum homines frugi appellatos, humanæque vitæ vtiles ac necessarios atque solida virtute preditos esse opinamur, in quibus redundantium vitiorum nihil sit, Ita & frugalia valde ea esse existimamus quibus verè fruimur, & quæ à natura nobis constituta sunt vt alimentum inde corporibus præcipuũ quæramus. Nunc cum de oleribus, oleratisque & hortensibus atque arborum fructibus tractandum sit in quibus pauciſſimum alimentum, illudque nec admodum probum rectumque sed medicamentosum, plerunque malum atque vitiosum existit vt vix in toto hoc censu aliquid reperiri possit quod omni ex parte commendari de alimenti, succique bonitate meritò debeat. Ideo eorum vsum non quidem corpora nostra nutriendi gratia quærimus, verùm potiùs vt temporum iniuriis, ac vitæ incommodis occurramus, appetituique ac consuetudini quæ intra sanitatis latitudinem continentur, satisfaciamus, & præcipuè quoties aut refrigerare, aut etiam excalefacere, siccare, aut humectare, squaloremque demere, aut durataṁ aluum mollire, aut nimis emollitam durare, aut quidvis aliud quod magis oportunum atque necessarium fore vel esse nobis videatur, peragere. Nam etsi olera, hortensiaque potius salubria medicamenta censeantur, vsus tamen iam inoleuit vt inde sæpenumero satietatem alimentumque quæramus, & præsertim si cum pane eis vescamur. Quorum partes ferme omnes sæpissime in vsum veniunt radices folia, cimata, caules, germina, fructus, turiones, ex quibus iucundas maxime mortalibus epulas facere licet. Quapropter notandum quod olera omnia parùm nutriunt quia sanguinem pauciſſimum generant, & praui succi. Aquosum enim & tenue ac pauciſſimum præbent alimentum vt testatur Galen. 2. de alimen. cap. 50. Nec potest dici quod de frigidis tantum oleribus intelligat: connumerat enim inter ea scolymum, etsi aculeatum quem constat ex 8. de simplic. med. esse siccum in 2. calidum verò in fine secundi vel in initio tertij. lib. etiam de Art. Vic. cap. 2. distinguit. Nam frigida, & humida aquosum humorem gignere fatetur, exemplificatque de cucurbitis, & attriplice. Calida verò & sicca calefaciunt & attenuãt, & tamen nullum vel pauciſſimum præbent alimentum. Auerr. quoque 5. lib. Collec. vult quod olera omnia præter lactucam & buglossum melancholiam generent. Quapropter dicendum quod olerum nutrimentum omne actu est humidum seu aquosum, tenue, & paucum, potentia vero aliud calidum, aliud frigidum, aliud adurens, & ratio est quia ab oleribus non potest nisi tenue,

&

& paucum alimentum secerni, Calidum autem vel frigidum, humidum vel siccum pro oleris ipsius qualitate. Præterea sciendum quod olera ea quæ aluum proritare possunt conueniunt ante cibum, si parum potus aut nihil, & nihil nutriens, & panis parum adiicias, nam sic detrimentum primę coctionis in ventriculum intestinorum vis, & ipsa concoctrix supplebit, Paucus enim potus necessarius est vt cibus dissoluatur. Et quamvis grauis noxa, & multo potu præsens accedat, si tamen sint nutrientia copiosè non multum iecur periclitabitur obstructionibus. Verùm si quis proritantibus alnum in totum abstineat, non parùm ad vitæ longitudinem confert. Inter omnia autem quæ animaduertere debent homines in vsu olerum, illud est præcipuum, vt non comedant herbas quas non nouerint, nec mistas quas nesciunt quæ sint quia etsi venenosa non sint, quædam tamen interdum nocent iecori, aliæ ventriculo, aliæ renibus, quæ licet statim non occidant, vitam tamen morbosam breuiorem reddunt. Et memini me vidisse nobilem Bononiensem qui cum edisset tortam ex herbis quibus immista erat cicuta pro petrosilio ab ancilla (est enim valde similis,) mortuus est nocte sequenti. Nullum ergo olus in cibis perfectè vtile erit, cùm vim potiùs medicamentosam habeat quàm astricem. Et quamvis Gal. in genere cibi solam lactucam ponat, argumentum forsitan desumens ex eo quod pingue habeat folium, & ideo nutriens & caulem mollem, & quia subdulcis est, ideo ferme temperata, nihilominus sanguinem non multum generat, neque mali succi sed neque omnino laudabilis, nam 2. de alim. fac. inquit, lactuca videtur esse secundum frigiditatem fontanæ aquæ, igitur erit remotior à natura sanguinis, nec admodum concoctioni apta. Et si quis obiiciat quod potiùs calefaciat cum in sanguinem conuertetur, vt asserit Princeps 2.p. Doct. 2. summa 1. cap. 15. dum inquit, lactuca cùm in sanguinem conuertatur plurimum operationis eius est calefacere. Quod debet intelligi extensiuè non autem intensiuè, præterea oppositum sensit 2. Canone vbi reprehendit eum qui dixit quòd est frigida in 3. gradu. Tandem statuit eam frigidam in initio secundi, vel fine primi. Satiua igitur quæ in victus vsu quotidie venit ponitur frigida & humida primo ordine, sed humidior quàm frigida, & sanguinem generat, qui declinat ad frigidum & humidum, ideo suauem prouocat somnum, cerebrum humectando, atque dissipatos spiritus colligente. Immoderatus tamen eius vsus ventriculum debilitat, & oculorum claritati non parùm nocet vt ab aliquibus antiquis proditum reperitur. Homines etiam ad negotia ignauos, & torpidos reddit. Verum si ventriculus ex nimia bile æstuetur, admodum commoda est, tum cruda, tum cocta, dum eius acrimoniam contemperat, sed leuiter in aqua feruenti cocta melior censetur, ne prælarga coctione & saporem & gratiam & vim amittat. Nec lac ex eius caulibus (cũ senescit) acre, imino innoxium est, nec ventrem mouet, vt iam nonnulli existimarunt. Lactucam crudam multi vere inchoante & æstatis caloribus in prima mensa libenter oleo, aceto, & sale parant, atque pro excitando appetitu, & extinguenda siti, ac bilis acrimonia cohibenda, nocturnaque pollutione demenda mandunt. Multa etiam alia tribuit illi antiquitas, quæ posteritati minimè probantur. Sequuntur reliqua olera domestica nempe (non autem aggrestia, quorum innumeræ sunt species & omnes improbi prorsus cibi, Ideo omnino ex ciborum vsu sustulerunt homines) quæ longo experimento cæteris magis salutaria & vtiliora reperta sunt.

Cichorium olus est subamarum & agreste præsertim quod seris à Gal. nuncupatur. Frigidæ & siccæ temperaturæ primo excessu. Cichorea verò domestica magis quam agrestis refrigerat, & nonnihil humiditatis habet, & cibarij genus existit, editur enim cruda & cocta, quæ cùm frigida sit & subamara moderatéque adstringat, ideo intemperaturis calidis hepatis maximè conuenit, & robur eidem addit, nec frigidas tum ventriculi tum aliarum partium naturalium intemperies lædit ob adstrictoriam illarum quam possidet facultatem. Huius plures sunt species, & omnes salutares, quæ in re medica præclaros habent vsus.

Endiuia domestica & hortensis familiaris duplex est, Altera latifolia quæ terra obruta alba redditur, in acetariis gratissima. Altera arctioribus foliis, quæ à seri seriola, nunc verò scariola nuncupata est. Vtraque species sub cichoraceis continentur, easdemque possidet facultates.

Condrilla pariter intybi seu Cichorij Siluestris est species quæ folium Endiuiæ simile habet, nascitur inter segetes & vineas. Rustici & mulieres sæpe decerpunt cum aliis herbis pro acetariis parandis, easdemque vires obtinet, quas intybus.

Sonchus est herba quæ vulgariter cicerbita vocatur, quæ si viridis & tenella fuerit, esculenta est, & in acetariis libenter sumitur, grandior verò dura & aspera euadit. Succus ebibitus ventriculi rosiones mitigat & lactis abundantiam nutricibus adiungit, & multa alia commoda præstat hæc herba dum tenera & parua existit. Frigida est & moderatè adstringens, ex aquea terreáque essentia constans & contra venena tam intus assumpta quàm exterius admota summopere valet.

Malua inter res alimentarias numeratur, & si potiùs detur alui emolliendi gratia, præsertim si liberaliore oleo, & sale condiatur, neque id tantùm quia humidioris sit naturæ, verùm quia lentorem non mediocrem obtinet qui sæpe fastidium parit, Ideo à liberaliori eius vsu cauere oportet. Multi eius & caliculos asparagorum more, ex oleo, aceto, & sale prima mensa comedunt. Parùm alit malua, sed renibus calculo tentatis, & vesicæ affectionibus, ac vrinæ ardoribus mirificè confert. Refrigerare moderatè eam nonnulli affirmant, Constat tamen modicum, & quasi tepidum quendam calorem obtinere cum multa humiditate.

Atriplex

A tripler veſcentibus nullum vel leue admodum præſtat alimentum. Aquea enim eſt herba, ob id humidam ſecundi ordinis frigidam verò primi eſſe prodit Gal. 6. de ſimpl. med. fac. Alij tepidæ cuiuſdam caliditatis participem poſuerunt cuiuſmodi roſis ineſt, & quoniam adſtrictionem vllam habet, ideo ventrem celeriter permeat, & ad deiectionem propenſa ita vt aluum facile molliat ob viſciditatem quam poſſidet.

Spinachia Gal. inter olera collocat lib. 2. de alim. fac. olus betæ non guſtu modò, ſed viribus ſimile facit, quod gulæ gratũ eſt valde; & noſtro æuo inter hortenſia maximo in pretio habetur. Imò Olitores in ſerendo, excolendoque ipſum ſolertiori vtuntur induſtria quia ex eo vberrimum faciunt quæſtum. Frigidum & Humidum eſt ordine primo, leuiter alit, ſuccum ſalubrem in corpus diffundit atque aluum emollit. Moderatus tantum ſit eius vſus, ne ventriculum ſubuertat atque inflationes pariat.

Portulacæ dunt ſunt genera omnibus nota foliorum magnitudine tantum differẽtia, quæ in cibo ſumpta exiguum alimentum idque frigidum & humidum, & glutinoſum præbent. Refrigerat enim portulaca tertio ordine, & humectat ſecundo. In acetariis eximiam obtinet gratiam æſtiuis feruoribus ſed vitio non caret; oculos hebetat, venereminhibet, dentiũ ſtuporem tollit, & multas alias vtilitates in re medica præſtat.

Acetoſæ ſiue oxalis (Galen? oxilapathum vocat) plures ſpecies reperiuntur. Hortenſis vero quæ in acetariis plerumque venit, guſtui eſt grata, nullum, vel exiguum dat alimentum, ſed condimenti potiùs eius ſuccus rationem habet, eſcas enim gratiores reddit, & vicem omphacij, & aranciorum ſucci gerit, æſtiuis temporibus præſertim. Frigidi eſt temperamenti, & tenuium partium, contra peſtem peſtiferoſque morbos eius decoctum vel ſuccus plurimum commendatur.

Solanum olim inter olera eſui apta habebatur, ſolanum hortenſe ſiue eſculentum appellabatur, hodie nemo in cibos admittit, ſed medicamenti tantum rationem habet. Valenter enim conſtringit & refrigerat, ſtrumaſque reſoluit de quo Gal? ita tradit 8. de ſimpl. med. facul. ſolanum quidem eſculentum adſtringit refrigeratque in ſecundo ordine.

Papauer quod in vſum cibi venit album eſt, domeſticum & hortenſe quod in hortis ſeritur. Idque omnibus aliis papaueris generibus præſtãtius eſt. Frigidum ac ſomniferum exiſtit, de quo Auicenna dixit. Caue ne tranſcendas tale quale eſt papauer album, ſomniferum enim mediocte album hoc ſemen eſt. Genuenſes à cibo vtuntur ferè continuo loco conditorum. Apud alias gentes tarò in vſum cibi venit nec aliis eduliis libenter admiſcetur. Nullum præbet alimentum, & potius pro medicamento quàm cibo, ac condimento habetur. De papauere autem Gal. in 7. de ſimpl. med. fac. frigidam temperiem tradidit, an verò ſiccitatis an humiditatis particeps ſit papauer nullomodo meminit. At 2. de temper. cap. 2. declarat dicens, Quæcunque ſomnos prouocant frigida ſunt & humida, vt lactucæ, papauer, mandragora, quod intelligi debet de papauere viridi, hoc enim modo ſumptum non aliter quam lactuca ſomnum ſuauem conciliat, ſiccatum verò vt magis eò minùs ſomnum atque etiam caro ſimilem prouocat, ſenſus non læuiter lædens vt cuique ſingulis diebus licet experiri quod ex humidis medicinis ac cibis non euenit nobis, cum verò ſiccatum fuerit, ſiccum euadit. Vnde Gal? proferre noluit quid in illius natura vinceret, ſiccitas an humor.

Borrago (quam Dioſcorides Bugloſſum eſſe conſtat) notiſſima eſt herba, quæ à bugloſſa vulgo lingua bouis nominata parùm diſſidere videtur. Vtrique vis magna ineſt corroborandi, Et in re cibaria miras ſibi comparauit laudes à Gal? calida & humida ponitur 7. de ſimpl. med. fac. ob id noſtro temperamento maximè affinis, ſiue cruda, ſiue cocta, ſanguinem purificat datque hilaritatem. Folia in iuribus decocta aluum ſubducunt, nec flatum generant ſi diu efferbuerint. In vino infuſa aduerſus animi triſtitias valent. Flores & radices ſaccharo diligentiſſime condiuntur, & multos vſus in re medica habent. Crudi etiam floſculi, & radices: tenellæ in acetariis gratiam tenent.

Ocimum ob odoris fragrantiam ab omnibus in honore habetur ſuauioris etiam eſt odoris, quod vocant ocimum gariophyllatum, propriè verò baſilicon minutis foliis ornatum. De ocimi viribus fidem facit Gal. 8. ſimpl. med. Ocimum ex ſecundo ordine eſt calefacientium. Habet autem excrementitiã humiditatem proinde nec commodum eſt, vt in corpus ſumatur. Ventriculo eſt inuerſe; difficulter concoqui & praui eſſe ſuccimulti atteſtantur. Gariophillatum verò Galenus comprobat, & melancolicis & cordis palpitationibus mirifice opitulari affirmat.

Eryngi (folia tenera ſiue in principio ſale condita in cibos recipiuntur cruda: guſtu enim ſunt aromatica & ori grata. In iure etiam cocta non paruam retinent gratiam. Sephaſcurij radices quoque ſaccharo condiunt pro inſtimulanda venere. Huius meminit Gal. 6. ſimpl. medi. ſic inquiens, Eryngium caliditate quidem aut parum aut nihil quæ temperata ſunt ſuperat, ſiccitatem verò in tenui eſſentia conſiſtentem non parnam obtinet. Iecur autem admodum viuat, & ventriculi imbecillitati occurrit.

Beta nobis notiſſima eſt tũm alba, tum nigra, & hortis familiaris eſt. Rubra verò Germanis, exiguum corporibus affert alimentum vt cætera olera, & ideo potius ad ſubducendum, irritandumque ventrem in vſum venit. Eius decoctum nitroſæ facultatis eſt particeps, vt Gal. tradit. 8. de ſimpl. med. fac. quia tum digerit, tum extingit, & per nares expurgat. Calida eſt & ſicca Beta & licet per cocturam nitroſitatem aliqua ex parte deponat, interdum tamen ventriculum mordicat, & copioſior ſumpta eum mirificè lædit. Iecoris obſtructiones aperit ſi folia elixantur, & cum iuribus comedantur

Siluestris

Siluestris non reperitur nisi rumicem pro ea recipias.

Mercurialis frequens nascitur in Vineis, & cum beta ac aliis oleribus decoqui solet ad aluum ciendum. Calida & sicca est in primo gradu, sed ventriculo non admodum amica. Ad multa præstat in re medica.

Lupullus planta est nota quæ in septentrionalibus regionibus seritur in campis, & magna cultura alitur ad cerusiam conficiendam: absque enim eius folliculis parari nequit. Lupullus calefacit moderate, aperte, extenuat, abstergit, & expurgat, iecori maximè conuenit, illius obstructiones curat, sanguinem clarificat eius cauliculi tenelli ineunte vere excoquuntur, & asparagorum modo ex oleo sale, & aceto comeduntur, qui palato sunt admodum grati. Iusculis quoque pinguibus elixantur, & frequenti sunt in vsu licet parum alant.

Brassicæ, plures & variæ sunt species. Satiua aluo est idonea, si leuiter feruefacta edatur, nam percocta aluum sistit, sed multo magis biscocta, summo cibo sumpta crapulam discutit, & vini noxam restinguit. Melior stomacho cyma inquit Dioscorides, sed acrior, & ad ciendam vrinam validior. Plin. lib. 19. cap. 8. Sabellicam maximè laudat quam hodie vniuersa Italia in honore habet admiranda foliorum crispitudine, Caulem florem eam appellat suauissimam & cibo gratissimam. Et præter illam speciem quæ amplis & leuibus ac expansis foliis reperitur, & aliam quæ folia habet crispa, & in medio alba, quæ succi bonitate alias antecellit & in totum est præstantior, altera est quæ compressioribus, & in orbem conglomeratis vndique filiis constat, Nostrates caulem capitatum siue capuccium appellant, qui si per medium secetur innumera profert folia, & recens multis modis parari potest, & palato est gratissimus. Complura alia hodie reperiuntur brassicæ genera à regionibus nuncupata, sed alibi candidiora, & teneriora, alibi virentiora, & duriora. Brassicæ satiuæ, & esculentæ meminit Gal. 7. simpl. med. vbi ait quod desiccandi vim habet, sed minùs calida, & minus sicca est quam agrestis. Subamara enim & acris est, quare digerit & extergit, aluumque subducit, sed crassi, & iniqui, ac graueolentis est succi, & sola ex omnibus oleribus peculiariter atram bilem parit, & sanguinem crassum, & melancholicum reddit, ex quo fuliginosi, ac tetri vapores ad caput ascendunt, qui mentem perturbant, somnia turbulenta faciunt, & tenebricosam videndi aciem reddunt, dummodo præ nimia humiditate oculi non patiantur, Eo enim in casu ob siccandi quam habet potentiam aliquid prodesse potest. Parum alit brassica, difficile concoquitur, & ventriculo non admodum amica nisi in optimis iusculis decoquetur, frangitur autem aliqua ex parte vitium quod in se habet si dum elixatur ab vna aqua ad aliam calidam transferatur.

Melissa Citrago dicta quia citri odorem imitatur cordialissima est herba vt testatur Princeps. Vitales enim spiritus lætificat, & cordis imbecillitati succurrit. Cerebrum roborat, & eius obstructiones aperit. Ventriculi coctionem adiuuat, animi passiones, & lætas imaginationes ab humore melancholico exortas remouet. Calida est & sicca ordine secundo, cruda in acetariis & cocta manditur, sed nullum ferme alimentum exhibet.

Pimpinella vbique reperitur & in acetariis libenter editur, sed difficile concoquitur, & parùm nutrit? Calida est in secundo ordine, & sicca in tertio, Iecoris obstructiones aperit, Vrinam prouocat, & calculosis prodest, & quandoque talibus vtilissima censetur.

Eruca notissima est tam domestica quam siluestris, quæ aliis herbis commista in acetariis gratum dat saporem de qua Gal. 12. de alim. fac. cap. 55. ita inquit, Hoc olus manifestissimè calefacit, semèque gignere creditur, & coeundi excitare appetitum, Capiti dolorem infert si quis eo solo vescatur. Ideo Gal. & Plinius lactucæ iungere suadent vel aliis frigidis oleribus.

Gingidij folia & radices in vsum veniunt tam cruda quã feruefacta, longiorem enim ebullitionem non sustinent. Gingidium vulgus Cerefolium nuncupat, olitores in hortis diligenter excolunt, & magnam in acetariis obtinet gratiam. Appetentiam facit, & ventriculo admodum est vtile, sed parum nutrit, Et quoniam gustui amaritudinem quandam, & adstrictionem representat ob id Gal. inter refrigerantia & calefacientia posuit 6. de simpl. med. fac secundum verò vtramque qualitatem desiccandi vim habet & potius medicamenti locum tenet herba hæc quàm alimenti.

Betonica notissima est herba, sed cùm in cibariis nullius sit vsus, ideo innumeras eius vires ad partem medicam spectantes eò recensemus. Calida & sicca est 2. gradu, vim incidendi habet, & capiti valde est amica.

Absinthij multa genera, sed ponticum siue Romanum cæteris præstantius habetur, quod odore Menteæ romanæ redolet. Cuius temperamentum Gal. describit 6. simpl. med. Absinthium astrictoriam, amaram, & acrem qualitatem sortitur, excaleficiens, extergens, roborans, & exsiccans. Est autem calidum in excessu primo, siccum vero in tertio. Succus longè quam herba est calidior, Et quamuis absinthium nullum in cibariis videatur habere vsum, nonnullis tamen adeo gustui est gratum, vt tenellas cornas sine pane quandoque sale & oleo comedant, Alij in acetariis eo vtuntur, alij infuso in vino absinthite dicto, quo tamen nemo vti debet nisi prius vacuato ventriculo ab omnibus excrementis vt suo loco diffuse explicabimus.

Carduus qui in frequentem victus vsum apud nos venit hibernis mensibus terra obruitur, albusque fragilis, & tener ac suauissimus redditur, & lautioribus mensis, secundis cænis apponitur qui sale & pipere crudus; aut coctus asparagorum more editur. Alij enim sunt qui in iure pingui decoquunt, eique caseum & aromata addunt & gustui adeo gratus, & iucundus fit, vt non parum delectet, omnesque iucunditate afficiat,

elat, atque ad eius vſum attrahat. Calefacit carduus in 2. gradu completo, vel in principio tertij, exſiccat verò in ſecundo, pauci eſt alimenti, ſed ventriculo amicus, ſi moderate ſumatur immo robur illi addit, & appetentiam excitat. Crudus tamen difficilis eſt concoctionis, nec caret vitio, venerem ſtimulat, & vrinas educit.

In carduorum quoque genere continentur ij quos vulgus appellat Carecoſſi, qui cibis apti excreſcunt, nec eorum fructus diu aſſeruari poſſunt. Tenelli ſale, & pipere pro bellariis crudi comeduntur, duriores verò Itali vario modo decoquunt in Iure. Aqua, butyro & cum ſale & pipere vorant, ſed alimentum quod corpori præbent Gal. damnat 2. de alim. fac. quod ſuccum melancholicum generet.

Aſparagorum alij in hortis ſeruntur, qui arte quadam ad miram interdum magnitudinem adoleſcunt, Alij ſua ſponte in campis naſcuntur quorum omnium cauliculi tenelli aqua incocti paſſim in cibis ex oleo, ſale, & aceto conditi prima menſa addito pipere comeduntur. Dulces ſunt & guſtui grati, & apud antiquos inter præcipuas menſarum delicias habentur. Vim habent abſtergendi vt Gal. refert 6. ſimpl. med. ſed citta manifeſtam aut caliditatem aut frigiditatem, Campeſtres vero ſatiuis ſunt calidiores. Et 2. de fac. Alim. inquit, quod omnes Stomacho ſunt vtiles, vrinam valde promouent, & parùm alimenti præbent, Oculis claritatem afferunt Plinio teſte & venerem ſtimulant.

Coriandrum herba eſt notiſſima, eſt in Hiſpaniæ hortis familiariſſima; quæ cum optimi ſit odoris & ſaporis, ventriculo, & capiti grata, Ideo ea omnes viridi vtuntur, ſæpe etiam in iuſculis, & conditis. Nec coriandrum domeſticum vlli vnquã nocuit vt interdum aliqui dubitarunt, qui forſitan loco domeſtici coriãdri herbulam quandam Cicutariam dictam folio ſimilem coriandro quæ venenoſa eſt & frigiditate interimit, vel de Coriandro ſilueſtri intelligerunt non autem de domeſtico quod vlli nunquã noxam intulit. Imo aceto prius paratum ſaccharo incruſtatur, & à cibo commodior eſt vſus ad reprimendos vapores petentes ob leuem quam habet adſtrictionem. De quo Gal. loquens 1. de ſimpl. med. facul. inquit, Coriandrum ex terrea parte ac tenui, tum aquea tepente ſubſtantia compoſitum eſt. Quamobrem ſtatuit ipſum modice calidum, ſic tamen vt caliditas illa eſſet ex partibus ſubtilibus facillimè & celerrime euaneſcentibus, ſicca verò in 2. gradu. Idem ſentit Hipp. ſecundo de Dicta pag. 8. Verba autem ſunt, Coriandum calidum eſt, ſiſtit, eruditatem diſcutit, ſomnum facit, poſt reliqua cibaria ſumptum, Ab immoderato autem eius vſu cauendum, quia nullum alimentum præbet, & quandoque mentem perturbat.

Mentha hortenſis vbique eſt nota, ita dicta quaſi quod odore ſuo mentem, & Venerem excitet. Calefacit tertio ordine, atque adſtringendi, exſiccandique vim habet vt teſtatur Gal. 6. de ſimpl. med. fac. Ventriculo eſt vtiliſſima, & in condimentis peculiarem habet gratiam præcipue in acetariis ſi tenella fuerit. Venerem ſtimulat ob ſemicoctum, & flatuoſam quam continet humiditatem. Humorum craſſitiem incidit, nec lac in ventriculo, nec in manimis coire permittit, acris eſt & eius ſubſtantia tenuiſſimarum partium.

Apij multa ſunt genera ſed omnium notiſſimum domeſticum eſt, quod noſtrum vulgare petroſelinum eſſe conſtat in hortis frequentiſſimum, quodque potius condimenti rationem habet quam cibi Eſt enim guſtui gratiſſimum atque in condiendis ferculis peculiarem obtinet gratiam quod & affirmare videtur Galenus 2. de Alim. fac. boni eſt odoris & iucundum iuſculis dat ſaporem, quæ ventriculo ſuauia, & grata redduntur. Carnibus etiam tam elixis quam aſſis & piſcibus ac ouis tum crudum tum coctum vtiliter adiungitur. Calidum eſt in 2. gradu & ſiccum in tertio, Vrinam ob id & menſes mouet, flatuſque diſcutit, obſtructiones iecoris, & ſplenis aperit, Venerem excitat, lac imminuit, ideo nutricibus non conuenit eius vſus. crudum caput tentat, & vaporibus replet, Eiuſdem radices autumno hyemeque Carnibus incoquuntur. Eſt & ſelinon hortenſe Macedon dictum quod noſtro æuo adeo continuo eſt in vſu, vt omnes ferme impleat plateas, calidum & ſiccum eſt ordine tertio, atque eo ſale, & pipere quam plurimi libenter veſcuntur, non modo quia aromaticum & guſtui gratũ, ſed quoniã Venerem vehementer ſtimulet. Verùm caput adeo ferit, vt interdum motum epilepticum excitet. Similiter aliud apij genus continuo in vſu venit, quod Creſſonem vulgus appellat apio acrius calidiuſque, quo in acetariis vtitur, quia ventriculo gratum.

Fœniculum in omnibus Italiæ hortis paſſim ſeritur ad vſuſque varios noſtra ætate vſurpatur, Et fœniculi dulcis maxima eſt copia, & viride toto ferè anno in multis Italiæ partibus aſſeruatur. A cibo commendatur vt oris halitum grauem emendat, nullum aut minimum alimentum per ſe præbet, ſed in condiendis epulis maximam habet gratiam, & plerumque in intinctis valde eſt idoneum. Calidum eſt in tertio gradu, ſiccum verò in primo, vel in initio ſecundi. Erraticum autem ſiue Silueſtre quod in campis errat & naſcitur, hortenſi calidius eſt. Vtrumque lac potiſſimum generat, & oculorum claritatem conciliat. Herba, ſemen, & radices in vſu continuo veniunt, & vrinas menſeſque promouent, venerem ſtimulant, flatus coërcent, & variis modis condiuntur, vt longo tempore aſſeruari poſſint.

Aniſum viride, aridumve omnibus notũm ſemen ... & tranſmarinum ad nos longiſſimis nauigationibus aduectum maioti in pretio habetur, odore gratiſſimum, & loco aromatum, in condiendis intinctibus exornandiſve epulis mirifice valet ob leuem quandam dulcedinem, acredinémque quam poſſidet. In tertio ordine calefacit & ſiccat, vrinam proinde mouet, flatus diſcutit, do-

lores exinde ortos sedat, venenis aduersatur, & saccharo incrustato multi à cibo vtuntur, non solùm ob gratiam quam affert, verum quia anhelitum commendat ob id panibus interdum aspergitur.

Anethum herba est satis nota quæ proprio odore detegitur nec vsquam in cibos admittitur, sed eius vsum ad condimenta tantùm ab omnibus commendari video. Calidum eius semen à Galen. ponitur 6. de simplic. medic. facultat. in fine secundi gradus, vel in initio tertij, siccum vero in secundo, flatum discutit, & dolores lenit. Radicem nonnulli pastinacæ modo sub prunis decoquunt, & libenter sale & oleo comedunt: lac augere volunt. Anethum viride somnum conciliat, sed ventriculo non admodum amicum, vt quem nauseabundum sæpe faciat, vomendique impetum inducat, & à Priscis ius Album à Galeno adeo celebratum ex eo parabatur. Nunc ab omnibus negligitur tanquam ingrati saporis, nec in condimentis vllo pretio habetur. In re autem medica maximè commendatur.

Origanum Siluestre nostrum est Italicum quod præstantius est, & communi in vsu habetur pro condiendis obsoniis, eius enim flores sicci ferculis superinsperſi gratiam addunt, & vt virides fermè euadunt. Vim incidendi, extenuandi, calefaciendi, & exsiccandi in tertio excessu obtinet, vt affirmat Galen. 8. simplic. medic. Ventriculi flatum discutit, coctionem adiuuat, & frigido ventriculo prodest, atque atrum humorem expurgare creditum est, necnon & frigida venena excoquere ac superare.

Hyssopum vulgare herba est quæ gratiam in iusculis habet, & siccatum toto anno adseruatur pro condiendis opsoniis quæ proprio odore, & sapore si modus adsit iucundissima reddit Calefacit, & siccat ordine tertio, vt testatur Galen. 8. de simplic. medic. facultat. & adeo tenuium est partium, vt mirificè detergat & pectus à pituitosis ac viscidis humoribus expurget, atque mundificet, serpentium ictibus aduersatur, si eum sale & crumino tritum ex melle vulneri illinatur, vt Matthiolus affirmat.

Pulegium quoque inter condimenta adscribitur, Verùm quia herba est feruentior, acris, & subamara, ideo pauci eà vtuntur, & nisi quam parcissimè. Valde enim extenuat & calefacit vt Galen. habet 6. simplic. medic. & lenta crassaque ex thorace & pulmone excreatu facilia reddit; flatum dissipat, ventriculum abstergit, calculos in renibus comminuit atque menses mouet, & si illitum diutius inhæreat, rubefacit, & exulcerat.

Serpillum condimentum est suauissimi odoris, in acetariisque modice miscetur, & à rusticis libenter editur post esum alliorum, cæparum, porrorúmve vt oris fœtori resistat gustu est acre atque insigniter calefacit, ideo vrinas, & menses prouocat, & serpentium venenis aduersatur.

Satureia viridis suauis est, & opsonij loco libenter editur. Leguminibusque additur vt eorum flatulentiam aliqua ex parte corrigat. Calida & sicca est in tertio ordine vt Paulus affirmat atque adeo acris est vt piperis saporem representet, venerem excitat, & aperiendi vim habet.

Sampsuchus herba est odorifera amaracus seu maiorana dicta, quæ esculentis interdum admisceri solet, sed potius medicamenti quàm cibi vim habet: calefacit & desiccat ordine tertio, & tenuium est partium, capitis dolores sedat, & eius succus vel decoctum per nares attractum crassos & pituitosos humoros elicit & menses ducit.

Saluia vbique frequens & nota est multisque in condimentis vsum habet, & fœcundissima fertur, adeo vt si eius succum ad libram mediam per tres dies ante cocubitum mulier ebiberit, proculdubio concipiet; & ob id sacram nonnulli appellarunt. Calida euidenter & sicca à Galeno ponitur 6. de simplic. medic. facultat. & leuiter subastringens. Ad frigidas capitis affectiones, vertigines, hemicraniam, epilepsiam, paralysim efficax est, & continuo eius vsu homines ab illis, aliisque similibus tutos se reddunt, siue solis foliis recentibus, ac teneris, siue floribus conditis, siue decocto pro lymphando vino vtantur, Dentibus illita prodest, & à corruptione præseruat. Sicca menses albos sistit, conceptum continet, & viuificat, & abortum prohibet. Verùm cum magnam habeat cognitionem cum serpentibus venenatis, ideo quadam cum cautione decerpatur.

Rosmarinum vulgare, seu rosmarinus coronarius, & libanotis frutex est odoriferus, in hortis fertilis & omnibus notus, qui rem cibariam parùm adiuuare certum est, etsi quibusdam in locis ad concinnanda condimenta, eo vrantur. Flores in acetariis non insuauem habent gratiam & ex eisdem conditum saccharo paratur ventriculo roborando, capiti ac cordi accommodatum. Rosmarini meminit Galen. 7. de simplic. medic. facultat. Inquiens, Libanotides tres sunt, Vna sterilis, duæ fructum ferentes omnes verò eiusdem facultatis emollientis, digerentis. Non solum enim calefacit, extenuat, & obstructiones aperit verùm etiam sua adstrictione corroborat, & omnibus affectibus frigidis capitis, neruorum ac cordis auxiliatur Alba vteri profluuia cohibet diuturnus eius vsus in pestilentiæ suspicione ignes accensi ex ipsius ramis & lignis Iuniperi, & lauri summopere commendantur. Ruta hortensis notissima est herba qua mista cum aliis herbis vniuersa ferè Italia vtitur & doctissimus Galenus libentissimè eam solam oleo & sale comedebat tanquam gustui gratissimam, licèt sit amara, subacris, & adstringentis saporis prædita. At quoniam vermes facillimè contrahit, ideo quisque eam diligenter inspicere debet. Calida & sicca est in tertio excessu, tenuiumque partium vt refert Gal. 8. simpl. med. Crassos ob id & lentos incidit humores, visum exacuit

exacuit adeo vt pictores olim in cibis ea vtebantur teſte Plinio. Potens eſt contra venena & à peſtilentia præſeruat ſi paretur vulgaris ille bolus ex ea allio, nuce, & ſale, quem ſingulo mane quis deuorare debet donec ſuſpicio continuat. Flatum compeſcit, vrinas mouet, vermes eneat, atque malis cogitationibus ex atra bile confert. Ab ea prorſus abſtineant vtero gerentes.

Cappares omnibus ſunt notiſſimæ & ſalitæ & aceto conditæ ex Alexandria præſtantiſſimæ aduehuntur. In acetariis prima menſa commendantur; deiectam enim appetentiam excitant; obſtructiones iecoris, & lienis præſertim aperiunt, tenuium enim ſunt partium, & parùm alunt difficilis ſunt concoctionis ideo bene mandere oportet; nec ſuccum admodum probum gignunt: ſed pituitam in ventriculo contentam detergunt, & ideo potiùs medicamenti quam alimenti rationem habent. De quibus Gal. 76. de ſimpl. med. fac. diſſerit dicens. Extergit radix capparorum, & probe purgat, incidit, diſcutitque tum amaritudine, tum acrimonia. Ac acerbitate contrahit, ſtringit, & denſat, quapropter lienes induratos iuuat, menſes promouet, pituitam per os educit. Excalefacit itaque & ſiccat in ſecundo exceſſu.

Sinapis etſi acerrima omnium atque exurens ſit natura, præcipuam tamen ei nobilitatem ætas noſtra tribuit in condiendis epulis dummodo non ſola, ſed aliquid dulcedinis eidem ſemper addatur, quod efferueſcentiam reprimat, & inter omnia multum præſtat, quo embamma fit, & exinde Muſtardæ nomen accepit, quæ dulcior & acrior ad libitum confici poteſt, quæ appetentiam excitat, & cibi faſtidium tollit. A frequenti tamen ac copioſo eius vſu cauendum ne caput tentet, & dolere afficiat. Parantur quoque ex ſapa, cydoniis, pyris, ac huiuſmodi aliis diuerſa condimenta, quæ ad ſanitatis rationem vſurpantur, vt attenuent, abſtergant, & attemperent eſculenta frigida & humida, quæque craſſæ ſunt ſubſtantiæ. Eſt autem ſinapis ſemen calidum & ſiccum ordine quarto, ex quo ſinapiſmus ad exulcerationem ignea vi ſua paratur.

Cumini ſiue cymini ſemen omnibus notum in condimentorum laudibus nonnulli poſuere & Germani continuo in vſu habent. Itali raro & ſatiuam tantùm quod ori gratũ eſſe affirmat Dioſcorides, ſed multò magis Æthiopicum, quod Hipp. regium appellat. Excalefacit ordine tertio, adſtringit, & exſiccat. Præſtat ad vſum medicum, & ad fœminarum conceptum ſiuuluis indatur.

Hæc itaq; à nobis ſatis dicta ſint de plantis quæ in vſum ciborum veniunt. Nam & ſi aliæ reperiantur quas interdum aliqui eſitent vel neceſſitate impulſi, vel veteri quadam conſuetudine, vel voluptuoſo queſtu decepti; nihilominus cum nullus iam earum aut perquam rarus ſit vſus, nec aliquid ad ſanitatis regulas conferant, ideo eas conſulto prætermittere decreuimus, ſufficietque tantùm perpauca de earum cauliculis ac teneris germinibus hoc inloco adiungere, & præcipuè cum ſint partes earum illarumque naturam referant ac contineant, quæ ſæpe dum cruda interdum leuiter cocta eduntur, merè gratiſſimum redolent odorem ſaporemque, & facilius ſubiguntur non quidem ob propriam earum naturam, ſed ob tenuitatem, & quia friabilia ſunt. Habebunt igitur cauiculi & germina vires foliorum plantarumque ſuarum & tanto ſalubriores erunt quanto germina iucundiora atque teneriora, vt patet de carduo albo in hyeme & de maluarum cauliculis qui foliis ſunt minus lenti, & quia ſuauiores obid melioris alimenti. Cocta etiam crudis faciliùs à natura ſuperantur, ac concoquuntur & plus meliuſque alunt, niſi ſaporem amittant (à nobis enim ſupra oſtenſum eſt dulcia ſolùm & pinguia nutrire.) Erunt igitur germina tantò ſalubriora quanto iucundiora; & eò iucundiora quanto craſſiora atque teneriora: Et quæ duriora ſunt ſi coquantur, melius concoquentur, nam partes quæ in crudis coctionem ſubterfugiunt, coctæ etiam nutriunt. Immo in omnibus his quæ cruda & magna ſunt oportet detrahere partem lignoſam, quia tunc ſuauiſſimi redduntur trunci, vt patet de fœniculo & aliis quæ & ventriculo grata, & ſalutaria fiunt. Coquuntur autem cum iure aut cum oleo, ſale, pipere, vel aceto, prout natura germinis, vel aſparagi, & hominis, & temporis tulerit. Aceto quoque condiuntur, & cibi appetentiam excitant & medicamenti potius quam cibi vſum præbent.

CAPVT XXXI.

De Cucurbitis, Cucumeribus, Peponibus & Meloponibus.

QVmuis Galenus cucurbitas inter fructus horarios collocandas eſſe arbitratus ſit, nihilominus cum noſtris temporibus frequenter in hortis ſatiuæ excolantur, atque ferè toto anno in cibi vſum habeantur, ideo inter olera eas potius deſcribendas eſſe exiſtimauimus. Variæ igitur ac multiformes conſpiciuntur cucurbitæ, creſcuntque in maximam molem prout ab hortulanis alia atque alia coguntur forma, quia facili negotio poſſunt (ſublato omni impedimento) in quamvis figuram curuari oblonga cucurbita in cibis vtimur quæ medullam candidam, & admodum leuem habet, recens decocta editur; & quoniam inſipida eſt, ideo varia eſt eius parandi ratio, nec ſaporis gratiam vllam habet, niſi quam ab alio quærit, & hac de cauſa ſemper aliquid ei adiungitur quod notabilem habeat qualitatem. Noſtrates vuam acerbam, piper, crocum, oua, petroſeli

troſelinum, & alia huiuſmodi addunt. Frigida & humida in ſecundo gradu ponitur à Galen. ſeptimode ſimplic. medic. facultat. Aquoſumque & improbum generat ſuccum niſi ex præparationis modo corrigatur, vt ſi aſſetur, aut in ſartagine frigatur, aut alio quouis modo torreatur; nec cum hoc vitio prorſus carebit, cùm vix poſſibile ſit quod malitia penitus deponat. Galen. origanum addit, vt immoderata eius humiditas coërceatur; alij ſinapin, cinnamonum, & aromata, necnon intinctus acres; & ſalſes probant. Galenus hanc inter non mali aliquando ſucci cibos numerauit cum malua. Sanis magis conuenit cùm ſit alimenti temperati, ſed exigui admodum. Seruantur prætera cucurbitæ, in muria vel in aceto toto anno & pariter ſaccharo & melle condiuntur ad eoſdem vſus ad quos recentes; quæ ſemper frigidum humidumque corpori alimentum (quantum in ſe eſt) præbent, citra vllam adſtrictionem. Solent interdum in ventriculo corrumpi ſi vitioſè fuerint præparatæ, aut praues humores in ventriculo aceruatos repererint, vel ſi nimiam moram in eo contraxerint, vt omnibus fugacibus humido temperamento præditis euenire ſolet, qui niſi celeriter è ventriculo deſcendant facillimè corrumpuntur.

DE

DE CAVSIS, SIGNIS, AC LOCIS MORBORVM: LIBER VNVS.

ILLVSTRI VIRO ÆMILIO MALVECIO Bononiensi. S. P. D.

CVM in conceſſu quorundam Ciuium, me coram, quidam nobiles quererentur, A. Malueci vir ornatiſſime, quòd nullus hac ætate medicus præſtans haberetur. Reſpondi ego pro vniuerſo noſtro ordine: Non eſſe hanc querelam nouam, ſed ab Hippocratis tempore vſque ad ætatem noſtram communem fuiſſe hanc vocem, de qua primùm quærendum eſſet: an vera foret? deinde etiam ſi vera eſſet, an id potius Ciuium culpa tùm Principũ accideret, an ipſorum medicorum? Idcircò ſi cuperent, etiam cauſam me dicturũ, ipſis audire deſiderantibus, ac rogantibus, vt quæ de hoc ſentirem in medium afferrem. Cœpi quæ mihi, tum animo ſuccurrebant explicare. Et primum quod neq; exiſtimarẽ illos velle abſque culpa damnare Hippocratem, Galenum, Oribaſium, Haſen, quem Auicennam, corrupto vocabulo vocant, autoreſq; cæteros noſtræ artis, quos fama celebris cõmendat, & conſecrata tot ſæculis memoria celebritatis nominis: tùm vnus ex his, qui conqueſti fuerant: non inquam, reſpondit: quinimò ob hos ipſos, quos nunc cõmemoras præſentes non damnamus imò nec teipſum, qui præſens es: nam ſi id propoſitum fuiſſet, nunquam corã te hæc verba habuiſſemus Sit ſanè, vt libet reſpondi: neq; iniuria eſſe poteſt, quæ ad tot pertinet, & in quorũ numero ſi ſum, iuſtè vel reprehẽdi, vel admoneri non iniurioſum eſtiti non ſum, multò minus: perinde enim eſt, ac ſi quis me de ſacrilegio, aut furto compellet, à quorum ſuſpitione, nedum culpa, vaco. Perge, inquit ille, vera dicis, nec nos quicquã minus cogitauimũs: Tum ego Quis neſcit primùm Hipp. ætate fuiſſe, tam paucos toto orbe hãc in arte viros eruditos vt penè nullos? ipſius Galeni prorſus nullũ: poſt demptis Oribaſio, & Paulo, atq; Haſen, quem meritò, vt integrũ virum laudabimus? Difficilis intellectu eſt ſanè ars ipſa per ſe, & multarum rerum præter id cognitionẽ expoſcit: Dialecticæ præcipuè, atq; Philoſophiæ naturalis, & Mathematicarum, tum ſimpliciũ medicamentorum, & anatomiæ, vt nunquã liceat finẽ inuenire. Sed multò difficilior poſtmodũ eſt, exercitatio eius: præcipuè cũ vita hominũ adeò breui. Quod factũ puto non ſine cauſa, vt ſi Democrito credamus, ne tàm impiũ (inquit) genus quale hominũ eſt, hoc beneficio gauderet: cum & Diis inuiſum, & Mundo toti ex æquo ſit: quamobrẽ inquit, & Dij, & Mũdus pariter contra ipſos conſpirauêre, & Æſculapiũ obid Iuppiter fulmine occidit, quòd homines ſeruaret. Ergo, inquit, tùm nobilis vnus ex præſentibus alius, quorũ hæc ars, quorum tot ſtudia, præmia profeſſoribus, pro arte quæ nulli, vt audio ſit profitura? Et in qua tàm pauci euaſuri ſint eruditi? Cui ego, equidẽ de hoc dubitaturos vos ſperauerã, vt incidit: ſed videas in omnib. ita fieri. Quorſum quis dicat Reges cũ tam pauci ſint boni? Quorſum artifices Iuriſperiti? omittamus hæc, quæ & inuidioſa ſunt, & ad noſtrã vitam aut imbecillitatem referri poſsũt: naturalia opera ſpectemus. Quorſum tot equi, cùm tã pauci inſignes? tot arbores, tot fructus, cum tam pauci eximij ſint? Sed hæc, quæ breuis æui ſunt, non vituperemus, cùm laudare non poſſimus: videamus in gẽmis, à quarũ multitudine infinita, vnã inculpatam inuenire non liceat. Et tamen naturã in hoc opere reprehendere non debemus: propter vnicã eminentem facta eſt omnis illa multitudo. Tot Reges propter vnum regẽ, tot ſapientes propter vnũ medicum. Sed vt magis mireris, & ille vnus medicus nõ propter opera ſingula quæ agit, cum nec admiratione digna ſint, nec adeò neceſſaria eius præſtantia in illis futura eſſet, ſed propter paucula, ne vnũ quidem dicam, factus eſt, vt ſic ornaretur Mundus. Cæteri nulli aut paruo ſunt vſui, ornamento certè prorſus nullo. Prouidit autẽ huic ſolers natura benè, & quemadmodum formoſiſſima mulier, & eo nomine cognita, omniũ circumſtantiũ oculos ad ſe rapit: adeò vt Home-

rus,Helenā oculos Troianorū in se conuertisse,dicat:& Plato in Olympicis ludis totius Græciæ.Idē contigit in senib.nobis:cū exigua ex particula linguæ adeò afficiatur totū corpus,vt vel tristetur aut gaudeat:idē & in Venere,& in aliis sensibus:ita cū Mundus totus sit nō minus vnus.quàm homo,excellētia cuiusq; rei seu naturæ,seu opificij gaudet,& exhilaratur,aq; in admirationē trahitur:cætera imperfecta,manca,oblæsa,veluti ociosa,manēt.Nónne videtis quot opera Hippocr.Galen.Hasen,supersint?quanta gloria illorum virorum memoria nunc floreat?cæterorū labores, tàm infœlices,quàm etiā inepti,noménq; breui decidérint? At(inquit vnus ex his qui aderant)sufficere hæc arbitraremur,si medici conditio esset,qualis,vt dicis,aliorū,quæ ociosa maneret:sed in his cum de vita agatur,& si non rectè consulat ægris moriuntur, existimo non bene factū, vt tā pulchri spectaculi causa tot absq; culpa pereāt.Melius enim esset vt ex te audiui, sine medico esse,quàm cū imperito, qui præter quàm quòd prohibēda non prohibet, alia insuper noxia addit Non abs re,respondi,ego,maiores nostri aureā ætatē esse dixerunt,in qua beneficio naturæ semper valerent homines,nec medicis indigerēt:at postquam peccatis,& hominū luxu morbi inualuerunt,Medicina prodiit,quæ etsi nō adeò vtilis esset,nónne longè deteriora inuēta in lucē prodiēre,velut machinarum ignearū adeò pernicios vsus qui etsi nullo bono dicetis,non tamē sine Dei prouidentia:cum antea miles eques centum miseros pedites protereret:& non solùm potentes in precio erant:nunc legionarius abiectus nobilissimū quemq; ac ferocia & ornatu superbientē equitē,procul etiā ictans, prosternit. Cúmq; olim tutò solis Regib ac Ducib.exercitus pugnare liceret:nunc contra illi,vt cæteri equites maiore in periculo sunt peditibus.Et quantò ornatu magis conspicui,& comitatu potētiores,eò magis vi illi fulmineæ machinarū sunt obnoxij.Quid ergo querimini,quòd Medicina inuēta sit maximè auxilio potētium bonorum,ac sapientum?Nā huiusmodi Principib.medici clari nō desunt,at rari sunt eiusmodi medici? quinimò rariores etiā Principes. Et sanè Francisco Gallorū Regi suus Copus atq; Ruellius,Henrico Anglorū Linacer:Alphōso Ferrariæ Principi Leonicenus,& eius filio Brasauolus,quos omnes medicos peritos fuisse constat:& si nō absolutos,præstātes tamē nō minus quā Principes illi boni,aut sapiētes.In reliquis,qui alieno arbitrio non solùm incolumitatē corporis,sed gloriā nominis,filios,regni administrationē,salutē subditorum,per imperitiā & inertiā cōmittunt,in quo culpandi sunt Dij,si suū patella operculum habeat? Nàm nō illi peritos medicos elegerūt fortuitò,sed quòd nō mediocriter literarū periti essent,ob quæ etiā multa præclarè,& in pace,& bello gesserūt.Si igitur,& in Rep ciues bonis litteris operam darēr,facilè vel ex suis inuenirēt bonos,medicos,vel aliūdè accersirēt,aut quos haberēt,studiis incitarēt ad peritiam, ac diligentiam,& rectè agendū. At nunc cū empirici nugæ,iactātia,mendacia numerus ægrorū,opes,luxus,medic.mimus & blādus atq; indiligēs,in precio vob.sit,loco periti, sapientis,probi.sinceri,admirabilis,vestra est culpa,si ab illis plectimini,non naturæ,aut Deorū.Siquidē cùm me vrgerēt multæ difficultates in hac vrbe,vt vel nō pro merito, & cōdignè ægris satisfacere possē,querebar,quòd inter tot minores curas nō aliquādo Principi cordato in mētē veniret,vt mos ille antiquus saltē seruaretur, quo nullus medicus pecunias accipere ab ægro posset,nisi eū prius famasset,quinetiā iustum putabāt, vt de precio pacisceretur.Aut vt nemo ad laureā admitteretur,qui non Mathematicas perfectè calleret:inā in his solis nec nugari,nec fallere cōtingit Vnde qui in illis peritus fuerit nō est verisimile in propria arte velle superiorib.& suis ac sibiipsi imponere.Sed laudabile esset atq; vtile nō parū,vt consultationes secretò haberētur à medicis, velut Mediolani,ne ob inane studiū cōtradicendi,aut gloriæ vanā captionē,ægri perderētur. Id si fieret,abundè iā haberetis medicos plures bonos,& Reip.probè consultū esset.Ea cùm dicerētur,plurimi assentiebātur,quidā difficilia hæc ipsa,præcipuè secundū,arbitrabātur.Vltimum verò etiā in hac vrbe ob Academiā Cùm verò soluta cōgregatione mecum reputassē quib modis saltē pro præsenti,& bono publico posse opitulari,& medicos cæteros nō offendere (nā reliqua auxilia non erāt in mea potestate, & vt me iuuarēt,sera videbātur)hoc agere decreui,vt quod libertatis adimeretur & difficultatis adiungeretur,ob quorundā pertinacē imperitiam:idipsum adderē facilitate, atq; perfectione dignoscendi morbos,differētias,causasq; eorum:vt sic Deo,atq; bono publico satisfacerē,nec quenquā offenderem:quinimò qui nō sunt prorsus perdito animo eos mihi debituros speraui. Quamobrē , etsi nil amplius scribere noui decreuissem, hunc tamē laborem adieci.Et quoniam tu hoc propositum collaudaueras,& nostris conatib. tuā authoritate abundè semper fauisti.vt cæteris quibuscunq; laudabilib.operib.quorum etiam singularem peritiam nactus es ac Regib.atq; Principib. ob idipsum in magna existimatione habitus,meritò tibi dedicādum censui, atque eò magis, quòd adeò in omni genere industriè processisti:vt ibi etiam vtile hoc opus esse possit. Vale

EIVSDEM

EIVSDEM
IN LIBRVM
PRÆFATIO.

CVM mihi non solùm cum improbis, sed etiam imperitis implacabile semper bellum fuerit, futurúmque sit, non ambitionis, aut auaritiæ, aut duritiei animi causa. sed amoris veritatis, publici boni: cúmque mihi natura inditum sit, seu fato, vt non solùm ab opere illos, sed etiam à scribendo prohiberem, aut quales essent ostenderem: cùm omninò improbi etiam veritatis, & publici boni ex professo hostes sint, qui verò imperiti, & ipsi eorundem inimici, tametsi quasi volentes ad hoc impellantur, ob id necessarium duxi edmonere lectores, vt ab iis caueant, qui falsam doctrinam disseminant. Expediret enim nescire potiùs, quàm decipi: nam qui nesciunt: nec quicquam agunt, & discere cupiunt, & scientibus obtemperant: contra qui cum nesciant scire se putant, in omnibus his grauiter delinquunt. Origo horum omnium fuit quòd nostra ætate contra præcepta Platonis, atque Aristotelis, & Galeni Grammatici puri medicinam se scire profitentur, miserique circa verbula Latina aut Græca versantes ignari Mathematicarum, Dialectica, atque naturalis Philosophiæ sine quibus nemo nec medicus, nec sapiens dici potest (ac etiam cautum est, in publicis Academiarum omnium priuilegiis, ne quisquam ad medicinæ lauream admittatur sine his) totum mundum turbant: seducunt plebem, euertunt omnes disciplinas. Die quæso qui scribis, & hæc ignoras, vnde tibi hanc sapientiam fabricasti? Sed impudentia est maior, quàm vt solis verbis, aut reprehensionibus comprimi possit, aut rationibus retundi. Cùm nuper quidam (proh Dij, Deæque omnes libet exclamare) nullius rei inuentor, imò ne conscius quidem inuentorum, vt ab aliis inuenta sibi vendicare nitatur, & iudicem se constituat inter antiquos, & recentiores. Idem recentiores accusat grauiter, nec à iurgiis abstinet, quòd contrà antiquos scribere audeant. Ille idem eosdem antiquos damnat, nec tota peracta pagina: & ne quid turpitudini facti deesset, cum recentiores damnet quòd contra Galenum scripserint, quorum authoritati subscribendum censet, etiamsi falsa dicant, ipse non contentus Galenum accusasse, & suis è Pædagogio ratiunculis deductis, damnasse, Aristotelem ad eandem censuram vocat, atque sic complet librum satis magnum dicendo, repetendo, perorando, Musis & Apolline nullo. Ab omnibus ergo scriptis Grammaticorum abstinendum censeo, cum horum doctrina valdè damnosa sit, veluti empiricorum opera vtrósque dignoscere facilè, vt dixi, fuerit. Nam si tres illas disciplinas abundè nouerint, audiendi sunt, atque legendi. Obiiciet forsan quispiam, me contra medicorum commoda agere, artisque existimationem? verum non contrà, sed pro ipsis potius facio, atque decerto. Quis enim nescit quos nobiles in hac ciuitate, vt vitam à iudicibus redimerent, octo aut decem millia coronatorum sponte persoluisse, alios, & plures, omnibus bonis maluisse cedere, quam perire? Vnde fit vt ex mulctis, ac ex pactionibus, quas compositiones appellant, tantum fisco, aut sacris locis acquiratur, vt si iudicibus idem accederet, ante biennium ditiores essent omnibus ciuibus paréque Principibus. Vnde hoc? nisi quòd vitam & mortem in iudicum arbitrio positam esse, sibi persuadent. Quòd si, idem de medicis, ac medicina existimarent, adhuc longè celeriùs, & maioribus opibus ipsi ditarentur, quandoquidem impendere quicquam Principibus medici non cogerentur. Imò potius ab ipsis acciperent: & vt

leges principibus : ita ipſi medicis ſubiicerentur. Quæ ergo cauſa tanti diſcriminis, vt medicina iacent ſeruili modo? vt non ſolum exiguis præmiis medici contenti ſint, ſed audeant homines medicis ipſis imperare, atque inſultare, niſi quod non arbitrentur nos dominos eſſe vitæ ac necis, quemadmodum iudices. Vnde Chirurgis quibuſdam maiora lucra maiorque potentia fuit, vt etiam Homerus de Machaone, & Podalyrio, quos quaſi inter Reges, & Principes, & Deos ipſos medios conſtituit, quoniam ipſi dum artem exercent manibus non adeò falluntur : dignique maiore exiſtimatione, ac fide habentur. Quid ergo in cauſa eſt, quòd neque fides medicis adhibeatur, neque in exiſtimatione ſint? Imperitia eorum, qui operam legitimam nauare arti deberent, & contrà imperitorum multitudo maior, qui ſe exercendæ arti inſinuant : cum nulla alia ſit ars adeò ignobilis, ad quam eius ignari admittantur, velut ad medicinam, in qua tamen maiore opus eſſet diligentia, cum per illam vita noſtra, & filiorum, & parentum, & vxorum, & fratrum, & amicorum, & neceſſariorum, & cum hu gloria omnis, atque opes, ac exinde fœlicitas, conſtet. Quem, rogo, admittunt in collegium ſuum veſtiarij, qui veſtem facere non norit? Cerdones, qui calceum? Architecti, qui domum extruere neſciat? aut Muſicum, qui inter reliquos obſtrepat? At verò in medicina pædagogi admittuntur, quòd ornatè videantur loqui : Sophiſtæ, quòd contendere generosè : Græciſantes, quòd ex Græcia hæc ars veniſſe feratur : Adulatores, quod placeant : cocui, quòd gulæ blandiantur : venefici, ob improba obſequia : etiam medicorum famuli, quod viderint dominos medicinas exhibentes : & ex tonſtrina, & lanificio, qui non aduocantur, irrumpunt per ſe, adeo vt iam pudeat quemque nobilem virum eam exercere artem, quæ à tanta colluuie tractetur. O inſanam hominum mentem! ô improbam conſuetudinem! ô Principum deſidiam, vt dicam nimis obeſam. Dicebat Iulianus Imperator, tunc non ſolùm artes, ſed etiam leges, & religionem contemptui haberi, cum per viles, & ignobiles miniſtros tractarentur. Quare non ego contra medicinam, ſed pro medicina, non contra medicorum commoda, ſed pro illorum emolumentis, atque gloria, ac dignitate decerto. Nónne Hippocrates ipſe dicebat eos qui non legitimè medicinam adepti ſunt, quique imperiti ſunt bonarum diſciplinarum non re, ſed nomine ſolo medicos eſſe? Si ergo contra hos inuehor, non contra medicos, ſed contra medicinæ hoſtes, pro arte, artiſque gloria depugno, neque ego omnes, qui non ſplendidis naturalibus orti ſunt, ab hac diſciplina arceo, ſed qui humiliore ſunt genere, ita liberalibus artibus, non ſermonis elegantia, ſed Philoſophia ſolida, Mathematicis, Dialectica, conditionem ſuam eleuent, vt de illis dici poſſit illud Poëtæ :

Maiores pennas nido extendi ſe loqueris :
Vt quantum generi demas, virtutibus addas.

Hæc igitur appoſitè huic exordio adiecit, non ſolùm miſeratione tot mortalium alieno ſcelere pereuntium, ſed quòd huic operi, atque argumento eiuſmodi congruerent. Nam ſi diligenti ſtudio, hæcipſa adepti fuerint, aut ſi nequeant (licet maiore labore) ab illis requirant à quibus nos ſumpſimus, futurum eſt, vt ægri plurimum iuuentur, & ars ipſa, artiſque profeſſores meritam gloriam, ac penè Regium parem recuperarent. Neque enim minus ſalus ægri in poteſtate medici eſt, modo morbum agnoſcat, quam captiui in iudicis arbitrio. Verùm vt ad rem redeam ipſiuſque operis explicationem aliquam addam : appoſui numerum vel differentiarum, vel ſignorum, hunc ſic colliges, vt literas maiores quæ ſequuntur exiſtimes initium eſſe, aut differentiæ, morbi, aut ſigni.

DE CAVSIS, ET SIGNIS, ac locis Morborum.

LIBER VNVS.

CVm tria ſint præter naturam, Symptoma morbo plerunque notius eſt, morbus autem cauſa ſemper, ideo dubium relinquitur an à morbo, an à Symptomate incipiendum. Et cauſarum externæ quidem perſæpe notiores ſunt ſpeciebus morbi, non tamen cauſæ dici poſſunt, niſi morbus adſit: propter hoc morbo iam ſuppoſito, de cauſis agere licebit : non ſolùm ad cognitionem ſpecierum eius, ſed etiam quandoque generis: plerunque autem & aliarum cauſarum, velut antecedentium, & coniunctarum. Symptomatum autem cum quatuor ſint genera quæ non ſunt læſio operationis neque lædunt operationem, vt malus color in morbo regio & in his incipiendum

piendum eſt, à morbo: quia non indicat, niſi ratione morbi, vt auferatur alia: ſunt læ ſio operationis, vt claudicatio, cæcitas, & in his quoniam adeò coniuncta ſunt morbo, vt fermè non diſtinguantur, ab ipſo ſymptomate conſiderationis initium ſumere oportet, alia ob magnitudinem impediunt operationem: vt dolor, & effluxio ſanguinis, & in his incipimus à ſymptomate, quoniam eſt notius morbo, & cum hoc eſt morbus, alia verò ſunt morbi ſimul, & ſymptomata velut tumor: eſt enim morbus primum, inde etiam ſymptoma, & in his incipere oportet ab ipſo ſymptomate ratione dicta, & ita in tribus caſibus initium eſt cõmune à Symptomate, & morbo, in quarto à morbo incipiẽdum eſt. Præterea in tractatione perfecta, quoniam morbus eſt cuius quærimus diſſolutionem, oportet ſemper à morbo incipere. Et generaliter initium tractationis quæ ſit per mentem quam appellant ſcientificam, eſt à morbo, & procedit ad ſymptomatum conſiderationem, quæ per ſenſum habita eſt, initium verò inquiſitionis eſt, à Symptomate per ſenſum cognito. Atque in eiuſmodi aliquando ſumus adeò felices ut ſtatim pronunciare poſſimus, aliquando verò cogimur, & ſecundam, & tertiam, inquit Galenus expectare conſiderationem.

Quia ergo cuncta ad morbum referuntur, de morbis ipſis agendum eſt. Quatuorque in his conſideranda genus & differentia, ex quo tempus, ex quo motus, demum prædictio: at de prædictione integrè in Commentariis ſuper Hippocratem eiuſdem argumenti diximus motus autẽ non in omnibus morbis, ſed alij ſemper quieſcũt, vt in febribus continuis: alij circuitu mouentur naturali, vt in tertianis, & quartanis: alij mouentur motu ſecundum circuitum, ſed non proprio, velut in febribus in quibus per acceſſionem materia repit ad caput, alij prorſus ſymptomaticè. Similiter & de temporibus alia quidem vniuerſalia, & in morituris ſunt tria, quia quilibet moritur in ſtatu ſymptomatum ſui morbi: in ſanandis quatuor: propriè autem ſunt quinque quæ contingunt in acceſſionibus, principium inæqualitas, incrementum, ſtatus & declinatio: nam inæqualitas eſt tempus proprium morbi habentis acceſſionem.

Morbi igitur alij vniuerſales, & ſunt febres, alij, & ex his quidam communes toti corpori, vt regius, & aqua intercus, & ſpeciales, vt lateralis: rurſus quidam ſunt in compoſitione, quidam in intemperie, & ſimilibus primo quidam in diuiſione eorum quæ ẽiuncta eſſe deberent, aut in coniunctione eorum, quæ diuiſa. Quidam etiam ſunt à cauſa externa, & quidam ab intus proficiſcuntur, & maximè, qui in compoſitione: nam & in intemperie inſolatio ab externa cauſa eſt, memineris etiam intemperierum, ſimplicium & compoſitarum calidi, frigidi, ſicci & humidi, & in compoſitione magnitudinis numeri, formæ, & ſitus, & formæ ſpecies ſunt figura cauitas, meatus aſperitas, & lenitas, in his verò quæ ſunt ab intemperie, quatuor ſunt genera febrium, ſed à ſubiectis tria ephemera in ſpiritibus, putrida in humoribus hectica in mẽbris. Sed ratione corruptionis (ſubſtantiæ ſi fiat ſeu per modum corruptionis qualitatis incognitæ (ſed de hoc non eſt hic locus) peſtilens appellatur. Memineris inſuper quòd tempora ſingula proprios habent ſuos motus: ſicut morbi tempora, & plerunque motus indicant prædictionem: ideò prima tractatio prolixa erit, reliquæ autem duæ perbreues: ultimam vt dixi hic omittemus, atque hæc generaliter dicta ſint. liquet autem & ex eorum diuiſione quæ ſubiungetur non poſſe alios morbos contingere, qui non ex horum genere ſint, aut compoſiti ex iiſdem, niſi in quibuſdam temporibus, ſeu annis, aut regionibus, aut leuiuſculis, quorum ratio ex his quærendaeſt.

1. *Febris.*

Febris eſt calor corruptus accenſus in corde. Cum enim ſit in corde hectica iecoris aut uentriculi, non eſt febris: neque etiam excluditur initium tertianæ aut quartanæ, cum ibi ſit calor eiuſmodi licet nõ expanſus aliter principium tertianæ non eſſet tertiana, neque febris: Et qui moriuntur in initiis febrium interirent ſine morbo, quod enim non eſt in aliqua ſpecie, non eſt in genere: Et manifeſtum eſt, quòd eſt paratus ut diſpergatur per venas, & arterias ad totum corpus promptè, niſi aliqnid obſtiterit. Et cum dico accenſus, excluditur calor corruptus per intemperiem humidam, aut frigidam. Cum verò dico corruptor: non poteſt eſſe naturalis, neque etiam mutatus ſolum à balneo, ira exercitatione, concubitu, medicamentis inſolatione, ac cæteris huiuſmodi: quoniam talis calor non eſt adhuc corruptor, ſcilicet alimenti, & operationum: Et ſimiliter imminutus non corrumpit alimentum, ſed imperfectè concoquit. Signa calor mordax cum ſit ſiccior, Pulſus maior, celerior, frequentior, & ſimiliter reſpiratio, niſi quid obſtiterit.

2. *Febris Ephemera,*

Febris Ephemera eſt in ſpiritib. Signa initium à cauſa manifeſta quam vocant procatarticam: idque inſeparabile eſt, quod ego uocabo neceſſarium. Proprium uero illi eſt, coctio in vrina, quamuis tamen ad febrem ſanguineam ſine putreqine extendatur. Similiter pulſus magnitudo, & celeritas in extenſione (magnitudo verò ſola in contractione. Calor præterea minimè mordax inter reliquas. Neceſſarium eſt etiam, vt aſcenſus febris in caliditate, ac pulſibus ſit æqualis, & incompreſſus. Et in ſtatu mediocritas. Et in declinatione ſudor aut ros ſi perfectè deſinat. Cauſæ autem procatarticæ inſolatio, exercitatio, ira triſtitia, eruditas cutis occluſa, abſceſſus non in viſceribus, aut dum incipit: dolor, obſtructio, timor, vigilia, retentio ſpiritus, balneum concluſum, ſitis vehemens fames, & vehementes expulſiones: vt in diarrhoeis. Et plerunque (ſi non ſit ex dolore, aut exercitatione nimia aut abſceſſu, & generaliter ex ſe) caret Symptomatibus omnibus, quæ enim habet fiunt potius ex cauſa eius, vel fortuito coniuncta ſunt illi. Plerunque etiam non excedit

dit vigintiquatuor horas, niſi ea quæ ex obſtructione fit, qui quandoque extenditur ad tertium diem & vbi meatus cutis concluſi ſunt aut per errorem in reliquis: continuari poteſt febris, propter cauſæ continuitatem velut in bubonibus, & doloribus: ex multis enim fit vna ſimilitudine Finis earum quadruplex, aut enim liberantur, vt dixi, aut tranſeunt in febrem ſanguineam abſque putredine, aut in putridam, aut in hecticam.

3. *Febris ſanguinea ſine putredine, ſeu Synochus.*

Syno. hꝰ ſigna ſunt cum febris ephemera quę neque ex obſtructione cutis neque craſſorum & lentorum, humorum orta eſt, ultra primam diem perſeuerat nullo errore admiſſo: manifeſtum eſt autem quod ſeptem illa ſigna ephemeræ excluſis fine, & finis modo, perſeuerant, & intenduntur. Coctio autem in vrina aliquando multis diebus perſeuerat tunc temporis, cùm calor mitis eſt: nihilominus ea occultè imminuitur, ſicut calor mordax augetur, & quædam Symptomata faciliora incipiunt ſuperuenire, & ſunt inquies, ſitis, dolor capitis, & vigilia, tum etiam laſſitudo, & maximè in ea ſpecie quam acmaſticam vocant: minus in omotena: longè minus in peracmaſtica: in qua non eſt neceſſe etiam ſi duret per multos dies quicquam noui ſuperuenire. Hæc omnium longiſsima eſt, ut acmaſtica breuiſsima: & acmaſtica, quidem in Synocham terminatur: peracmaſtica ad ſalutem, omotena utroque modo.

4. *Febris Hectica.*

Febris Hectica in cordis membris accenditur, oritur aut ex ephemera, aut putrida: quo circa niſi ſimplicior multo eſſet putridæ poſtponi debuerat, oritur & ex vlcere. Signa ex ortu primum (nam quamuis Galenus videatur velle quod per ſe incipiat nihilominus tamen naturam refert ephemeræ initium illud, ſiquidem ex triſtitia aut ira aut laſſitudine cum ſolis feruore contracta) quoniam vel ex alia febre, vel cauſis procatarticis, vel vlcere: potiſſimè autem fit ex inedia, & triſtitia, cum calor naturalis magnus eſt, & corpus humidum, vt in adoleſcentibus. Alterum neceſſarium, & proprium, vt vna hora, vel duabus ab accepto cibo caliditas intendatur, ac pulſus maiores, ac velociores fiant, velut in annotationibus incompreſſis accidere ſolet. Voco annotationem incompreſſam in qua neque horror aliquis neque externarum partium frigefactio facta eſt, neque veluti quædam dormitatio neque aliqua inſignis pigritia, aut omnino inæqualitas aliquæ, vel in caliditate, vel in pulſu: adhuc autem magis, neque parnitas, neque debilitas, neque horum aliquid. Sed quemadmodum, & cuicunque alteri ex cibo maior ſtatim, ac velocior pulſus efficitur. Neque tamen eſt annotatio 1. acceſſio ſecunda Aphoriſmorum. Animaduertere autem oportet quòd in hoc ſigno trifariam periclitamur, vel quoniam ab initio aliquando non apparet, vel quoniam in copia cibi aduenit, & non fit ab hectica, & quia accidit habentibus debilem ventriculum, & in conualeſcentibus. Tertium, & ipſum proprium eſt neceſſarium quòd initium tactus ſi ad finem comparetur, multo languidiorem oſtendit caliditatem, atque minus acerbam. Pulſus verò in his ad debilitatem ac duritiem, parnitatem celeritatem, ac frequentiam declinat: non tamen eſt proprium, neque neceſſarium ſic vt manifeſtum fiat: & anhelitus ſimiliter mutatur, ſed non adeò in duritie. Vrinæ quoque concoctæ ſunt ſi ſimplex ſit: hoc omittit Galenus. Et eſt maior caliditas in arteria quã in alijs partibus. Et æger non percipit febrem, & plerunque pulſus durior. Et cum hecticæ Putrida iungitur, fiunt exacerbationes non à cibo, & contractiones in pulſu, & ſymptomata, & ſigna cruditatis apparent, & vires deiiciuntur, & corpus extenuatur vltra metam, etiam inæqualiter: Et ſi typus appareat non eſt dubium.

5. *Febris Hectica ſimplex.*

Cum verò ſubſtantia cordis triplex ſit, humidum, quod in oſculis venarum eſt, ſi accendatur pinguedo, conſumitur. Secundum in cauitatibus quo accenſo caro, & parenchyma abſumuntur. Tertium in ſubſtantia membrorum ſeminalium quo ardente ipſa conſumuntur. Hæc duo vltima vocat Galenus Hecticam tabificam. Signa igitur primæ ſpeciei ſunt generalia, cum neque corpus manifeſtè contabuit, neque duritiei manifeſta eſt in pulſu. Et Princeps proponit quòd febris Ephimera plerunque incipit declinare poſt xij. horas, cum igitur non declinauerit, & maximè ſi in tertia die validior fuerit, eſt ſignum initij hecticæ, & non ſentire febrem ipſum ægrum, id magis accidit in hac ſpecie, & corpus adhuc floridum eſt.

6. *Febris Hectica tabida*

Febris Hecticæ tabidæ omnia ſunt euidentiora, quàm in prima, præterquam non ſentire febrem, magis enim eam percipit. Et carnes eius colliquantur, & maximè circa iugula, & inter policem, & indicem, Et cutis fit arida, & oculi caui.

7. *Hectica Tertia ſpeciei.*

Omnia intenduntur in hac. Et venæ fiunt exiles, & corpus quaſi puluerulentum, & non apparent ſigna carnis, neque muſculorum, & vrina pinguis, & cum fruſtulis in fundo: & creſcunt extremitates oſſium, & venter contrahitur, & facies fit Hippocratica, & æger fit imbecillior, & non poteſt ſuſtinere palpebras, & ungues incuruantur ſicut animalium rapacium. Et hectica ſenectutis non eſt febris, quia non eſt calida: & plerunque eſt longior, & in reliquis aſſimilatur ſpecies febris hecticæ. Habet enim & ipſa ſuos ordines: Et ſimilitudo vltimi ordinis eſt, vt valde decrepiti viri: eiuſmodi enim vir laborat eo genere hecticæ, etiam ſi ſit optimi habitus.

8. *Febris putrida.*

Febris putrida ex humoribus conſtat, & in humoribus accenditur, non quod in eiſdem accendatur, & fiat, ſed in putridis accenditur, & in ſanguine cordis ſupercalefacti ex vaporibus conſiſtit, atque in hoc plerique decepti ſunt. Signa propria non neceſſaria, inæqualitas in calore, & in pulſibus, & ratione diuerſarum partiũ, & ratione earundem

rundem thlipſis, id eſt, compreſſio in pulſib. neceſſarium non proprium. Calor mordax Item contract onis velocitas, & anhelitus quoq; variatur, propriũ quoq; cruditas in vrinis non tamen neceſſariũ, cũ in ſalubri ſtatu ſint concoctæ Et plerumque febres putridas cõcomitantur ſymptomata. & hæ etiam fiũt ſine cauſis procatarticis, & Almelileu ſolet præcedere, & prolixitas incremẽti. Meminerisautẽ, quòd quemadmodũ dicit Gal. corruptio multiplex, alia putredo exacta, alia in virulentũ tranſeũt, alia in lutoſũ, alia in crudũ, velut piſces, alia in indicibile ait, eiustamen ſunt multæ ſpecies, velut caries, & durum tetrimentum. 9. *Febres intermittentes.*

Hę ſunt triũ generũ iuxta tres humores, qui ſũt extra venas, bilis, pituita, atra bilis. Signũ cõmune omnib his, vt typũ habeat frigoris, aut horrotis, aut rigoris, & rigor dicit Gal. fit à cauſa vellicante, cũ motu, ſeu illa ſit calida, ſeu frigida, ſeu mordax, ideò fit eodẽ modo, quod ad proprias cauſas attinet licet quoad remotas variæ videantur, eſtq; neceſſarium non proprium. ſed quaſi propriũ. Secundum pulſus cõtractio, & maior inęqualitas. Tertiũ maior inæqualitas in calore partiũ corporis, & temporũ diuerſorum comparatione, & vomitus, & nauſea ſunt magis propria his febrib. quàm continuis: Et ſi diſſoluũtur, dubiũ non eſt, quin ſint intermittentes; Et ſimiliter cum minuuntur per excretionẽ valde, & inde reuertuntur, ſunt intermittẽtes. Et magis manifeſtæ ſi cũ typo: & vrinæ ſunt minus prauę: & maiorẽ oſtendunt varietatẽ in temporib. propriis: Et almeliletu eſt magis manifeſtũ.

10. *Febris Tertiana intermittentis.*

Hæc multiplex eſt: ſcilicet pura, notha, ſimplex, duplex: eſt quæ extẽſa vocatur puræ acceſſio eſt duodecim horarũ aut minor. Signa: ſolet incipere cũ vomitu, deſinere cum ſudore. Nec remanet veſtigiũ ſenſile ſorditiei in pulſu. Et generaliter ſolet incipere cũ rigore: & excremẽta ſunt bilioſa. Et vrinæ magis coloratæ & calor acutior, & ſitis & amarulẽtia oris, & vigiliæ, & dolor capitis maiora: adeò vt quãdoq; delirent, & properat ad ſtatũ: Et velocitas pulſus, & magnitudo sũt maiora frequentia: Et in extenſione quàm contractione. Eadẽ in anhelitu, & rarò excedit ſeptem acceſſiones, & quæ extenſa vocatur quandoq; attingit ad horas 36. & cum exceſſerit, eſt ex genere cõtinuæ, de qua ſermo habebitur. 11. *De Quotidiana intermittente.*

Signa quotidianæ intermittentis propriè horror leuis maximè circa ſpinã dorſi: frigus extremitatis naſi, & pedum, & manum. Pulſus inæquales, debiles, parui: Tardus aſcẽſus: Vrinæ crudiores: Calor minus mordax, & magnus: Typus quotidianus: ſordities multa in tẽpore declinationis adeò vt non videatur perfectè liberari: ſed ſex horis quæ plerũque incipiunt à Solis ortu videtur melius ſe habere. Excrementa pituitoſa, dormitatio in initio acceſſionis: minor ſitis, vomitus, amarulentia oris, dolor capitis, ſed loco horum maior deiectio appetitus ſuffoeatio circa ventriculum. Nullus aut minor ſudor.

12. *Febris Quartana intermittens.*

Signa typus Quartanus: tempus intermiſſionis longum, atque adeò purum, vt munia ſanorum obeant: euacuationes mediæ inter tertianam, & quotidianam multitudine, atq; natura. Rigor cum frigore permiſcetur: ſed rigor eſt minor, frigus minus quàm in tertiana. Pulſus ſimiliter, & reſpirationes, & vrinæ quadãtenus mediæ: Acceſſionis tamen tempus aliquãdo quotidiana maius, raro minus eſt duodecim horis, & rarius excedit viginti quatuor. Excrementa atrebiliaria, & ideò aquea. Et ob id author libri Quarti de Morbis exiſtimauit atram bilem eſſe aquã, & lienem fontem eſſe aquæ. Eſt etiam ſexcuplex. 13. *Febris Epiala.*

Signa ſunt, quoniam calent exterius, & frigent interius, alij ſimul calent, & frigent exterius, ſolet fieri ex vitrea pituita putreſcente reliqua, vt in quotidiana. Cum verò acciderit rigor, ſignũ eſt vehementioris putredinis.

14. *Febris Continua.*

Signa ſunt ſigna putredinis, & vrinæ ſunt deteriores: Itavt circulus obducto brachio appareat viridis, aut fuſcus, aut liuidus, aut niger. Et plerunque apparent maiores diuerſitates, & in ſubſtantia, & in contentis earũ. Et carent typo, & contractio pulſus non eſt tanta, aut nulla: & rarò adeſt vomitus, & nũquam abſoluuntur. Et circa hoc ſignum, quoniam valdè dubiũ eſt, ſæpe docebat nos Raſis quoniam debemus ponere ægrum in balneum, & ſi febricitat ſentit aliquẽ horrorem, circa ſpinam dorſi, & circa lumbos, & fœmora: & ſi ſit mundus, nõ ſentiet aliquid huiuſmodi: cum etiam febris intermittit planè ſitis, & moleſtia minora ſunt & quaſi tollũtur: intellige tamẽ adhibito potu, & frictionibus leuibus: & ſi ſit continua manẽt, velut & læſio circa ſomnum. 15. *Febris Synocha.*

Hanc continentẽ appellat Galenus, ſed propriè quæ ſine putredine eſt: ego verò non de nominibus litigo: aliàs dixi quid per febrem ardentem intelligat Hippocrates. Synocha autem cũ putredine eſt, cuius meminit Galenus eodem libro, cũm in non putrida ſectio venæ, in putrida potus aquæ frigidæ magis conueniat. Signa eius ſunt eadẽ quæ non putridæ, niſi quòd in vrinis, inquit, putredinis ſigna oſtendunt. Similiter, & in tactu calor proculdubio acrior eſt. Et plerunq; oſtendũt exacerbationes per tertium, diẽ vt ſecundo de Differentiis febriũ, & Primo ad Glauconẽ, & ſymptomata putridarũ, & inæqualitas in pulſu maior, & ſpiratio grauior. Conſtat autẽ ex ſententia Galeni duplicẽ eſſe, & in venis, & in abſceſſibus corrupto ſanguine: & breui ſibi adiungere aliud genus ex humore, ideoque tranſire in compoſitam. Et vtrarumque ſigna ex tactu, & excrementis apparere, tum ſymptomatibus.

16. *De Tertiana Continua, & Ardente.*

Signa eius ſunt compoſita ex Synocha, & tertiana intermittente. Niſi quòd loco acceſſionũ ſunt exacerbationes altetnis diebus. Et ſi fuerit duplex tertiana cõtinua, etũt ſigna cõpoſita ex duplici intermittente, & Synocha poſitis exacerbationib. loco acceſſionum. Et ſunt tertianæ, continuæ tàm duplicis quàm ſimplicis duo genera: vnum quòd oritur ex bile iam ſanguini miſta: aliud quod ex bile facta per Synocham Huius duæ ſunt ſpecies rurſus quæ communi nomine dicitur: & ardens: cũ calor, & ſitis maximè feruent. Ea autẽ duob. modis fit, aut bilis per venas in toto

corpore ſparſa, aut ex Iecoris, aut pulmonis, aut ventriculi Erysipelate, quæ etiam ſunt acriores: nam & in marcorem plerunque terminantur.

17. *De Febre Quartana continua.*

Hæc ſolet exacerbari, vt quartanæ ſimplices, ſed ſine typo: Cætera vt in ſynocho, ſeu potius ſynocha. Et ſi inuadat ſenes, plerunque interficit; ſed tardè, celerius quæ duplicata eſt: Triplicatam nunquam vidi.

18. *Febris Quotidiana Continua.*

Hæc plus differt à ſynocho quàm reliquæ duæ priores, eſt enim adeò remiſſa, vt parum diſtet ab intermittente. Proprium ei præter compoſitionem eſt maxima inæqualitas in partibus corporis, & in eadem etiam parte, ſed in diuerſis horis, & etiam in eodem tempore propter ampullas, diuerſitatem materiæ, & locorum eius, & caloris accenſionem, toto enim genere febres pituitoſæ cum materia ſit frigida, humida, craſſa, lenta, omnia faciunt inæqualia, maximè pulſus & calorem, & vrinas, & proprium eius eſt afferre grauitatem capitis cum deterior ſit vtraque hoc in ſymptomate ambabus illis ex quibus ſigna confundi intelliguntur. Et ideò in habentibus debilia capita facile tranſit in lethargum, & interficit. Et ſunt harum febrium duo modi, quemadmodum in continua tertiana.

19. *Febris Tertiana duplex.*

Hæc per ſe notiſſima eſt, niſi quòd aſſimilatur quotidianæ, & febrib. continuis frigorificis. Diſcrimen à quotidiana eſt mutatio horarum, acceſſionis maior. Et duplex circuitus. Et differunt in eſſentia ratione loci materiæ, quod in quotidiana materia eſt in vno loco, in duplici tertiana neceſſario eſt in duob. locis: Et cum febris aduenit quotidie, & acceſſiones ſunt diuturnæ, & mutatio parua in initiis earum, quod ad circuitum attinet, eſt quotidiana ex materia pituitoſa cũ multa bile iuncta: & ita eſt media inter vtrãque, quæ verò non eſt huiuſmodi, facile dignoſcitur, an ſit quotidiana ſimplex, an duplex tertiana. A frigorifica verò diſtinguitur, ſi vel modicum intermittat: vel ſi remiſſionem vnius manifeſtam excipiat initium alterius: ſi verò acceptio fiat dum alia valida adhuc eſt (ſunt enim tria genera duplicis tertianæ) tunc conſidera typi naturam: Nam in tertiana eſt rigor, in frigorifica frigus aut horror: In tertiana ſunt excretiones in initio acceſſionis: & inde in fine plerunque, aut ſaltem magni motus: Et prauitas vrinarum eſt longè minor: & pulſus varietas, & inæqualitas maior.

20. *Febris Quartana multiplex.*

Febris quartana duplex ſolo circuitu apertè dignoſcitur, cum nulli alij ſimilis eſſe poſſit: inuadit enim duobus diebus, & tertio relinquitur: Et etiam quia plerunque incipit ab vna, inde ei adiungitur altera: Et ſunt in ea ſigna quartanarum ſimplicium. Et ſimpliciter cognoſcuntur quintanæ & reliquæ rariores ex ſolo circuitu, & fiunt tales, aut ab atra bile admodum terrea, ex crudo humore per frigus in naturam melancholiæ tranſmutato. Triplex verò quartana ſi ſucceſſione fiat, facillimè dignoſcitur, vt dictum eſt: ſin autem inciperet quod nunquam accidiſſe vidi, tunc eſſet ſimilis duplici tertianæ. Et dignoſcitur ex propriis ſignis vt ſunt frigus diuturnũ, & gelu quoddam quod membra torpeſcunt, contra in tertiana duplici. Et triplex quartana in ſene, & non per errorem aduenies (vt Eudemum excipiam libro de Prædictione ad Poſtumum) interficit.

12. *Febris Erratica.*

Materia eius eſt atra vt Tertio Prognoſticorum habetur. Signa illius præcipuè ſunt duo quod nullum ordinem ſeruat in typis, & quod appãrent ſigna materiæ melancholicæ. Et ipſius quidem duæ ſunt ſpecies principales: vna quæ cumponitur ex ſolis intermittentibus, alia quæ eſt ſimilis recidiuis, & componitur ex continuis. Et quandoque miſcentur hæc duo genera, & differt à recidiua. Quoniam ſæpius redit, & paucioribus diebus durat, & finitur abſque criſi, Et non obſeruat dies criticos, neque in reditu, neque in receſſu.

Sequuntur tria genera Febrium mediarum.

22. *Febris Frigorifica.*

Ipſa eſt ſimilis vt dixi duplici tertianæ, aut quotidianæ, ſed frigus eſt diuturnius: Et repetit ſæpius in vna die, & plerunque eſt minus quàm in tertiana, & aſſimilatur magis quotidianæ, ſed febris eſt vehementior: & eſt febris rara niſi quando eſt Epidemialis.

23. *Febre abſceſſum generaliter.*

In his cum putreſcit ſanguis, quemadmodum ſuprà dictum eſt, tranſit in humorem primùm, deinde in puſ: cuius experimentum eſt vt etiam dicebat Galenus in morbo laterali: nam ſputa humores varios abſceſſus pectoris ex colore oſtendunt: veràm in hoc forſan fallitur quod tunc non ſit perfecta putredo, atque ideò ſunt ſignum mortis: præter ſanguineum quod ſignificat non fieri ſuppurationem; flauum autem minus malum eſt poſt rubrum: non quia, & ipſum non indicet impeditam eſſe coctionem, & corruptam: ſed eam corruptionem tamen vel mutata ratione curandi, vel definẽte fluxione, & ſucceſſu temporis poſſe in melius mutari, vt nemo poſſit ſeruari cum tali ſputo: ſed neceſſarium eſt vt deueniant ad ſuppurationem perfectam, vel prope, in qua pus emittitur album, aut ſaltem cinerei coloris æquale, & admittit permiſtionem rubri, & ſine odore fœtido, quod videmus in abſceſſibus externis, cum ergo dicat Hippocrates: In bubonibus omnes febres malæ præter diarias, & videamus quod dixerit rurſus. Dum pus conficitur, dolores ac febres fiunt magis quàm iam confecto: ergo in humoribus febres quæ conſequuntur perfectam coctionem, & pus verum, dum fit, diariæ ſunt: & eſt genus vnum diariarum diſtinctum ab aliis: ideò pure collecto cum non prorſus ceſſent, ſunt ex earum genere: non ſolùm ergo febres quæ fiunt ex tranſmutatione materiæ contentæ in abſceſſu, & dolore quæ ſolent eſſe breues (non enim excedunt quartam diem,

ſcripſit

scripsit enim Hippocrates si sanguis extra ventrem fluxerit necesse est suppurari, sed etiam quæ fiunt ex materia iam in pus perfectè conuersa præterquam in pectore, & pulmone de quib. dicemus) sunt omnes ex genere diariarum, seu ephemerarum vt melius intelligatur: (quòd aliquando accidit scilicet, vt Græca trita, & aliena sint notiora etiam quibusdam medicis) Febres verò quæ his coniunguntur maximè in abscessibus interiorib. quas Galenus acutas vocat fiunt altero duorum modorum, aut quia coctio peruertitur, vt dixi in materia contenta in abscessu, & tunc est malum signum: quia significant impotentiam, & corruptionem, quorũ vnum pertinet ad calorem naturalem, aliud ad materiam quæ putrescit: vel fiunt ob materiam contentam in venis, & arterijs circa locum abscessus putrescentem, & hæc per se: nam potest etiam natura relinquente regimen corporis ob prauitatem morbi, aut symptomatum, aut causæ, aut magnitudinem alicuius eorum putrescere humor alienus ab abscessu prorsus, & valde distans, aut sanguis, & fieri quartum genus febris, fingamus ergo aliquem laborare morbo laterali, & non benè fieri suppurationem, exacerbatum verò esse dolorem, & naturam territam reliquisse regimen ipsius corporis. dico quod erunt septem febris diaria ex dolore, & conatu caloris concoquentis materiam, & synocha ex materia quæ in abscessu corrupta est, & transit in bilen, & hæc est est dum fit transitus: & tertium genus erit febris tertiana continua, ratione materiæ quæ non potuit superari perfectè, sed transijt in bilem & quarta febris erit ex materia qua est circa abscessum quæ continetur in uenis. Et ipsa similiter transit in bilem, sed non dum facta est bilis, & est synocha alia: Et quintum genus febris est ex bile iam facta ob præcedentem synocham, & est tertiana continua. Et sexta febris est ex humore illo alieno. Et palam est quòd si fit synocha copulabit sibi necessario post breue tempus aliam febrem continuam, tertianam, aut quartanam: Et ita se habet res: & accidit frequenter. Solũ restat vt declarem quomodo quartum, & quintum genus febris differat à secundo, & tertio, & hic sufficit dicere quod secundum, & tertium, fit in abscessu, & extra venas, & in cauitatibus musculorum, & carnis: quartum verò, & quintum fiunt in venis: secundum ergo, & tertium sunt minus malæ quia minus communicãtur cordi quàm quartum, & quintum: & ideò illa duo genera scilicet secundum, & tertium propriè dicuntur febres abscessuum, seu apostematum: Et sunt quasi mediæ inter diarias, & sua genera: scilicet synocham, & tertianam, aut quartanam continuam. Prætermissis igitur duabus febribus quæ non semper committantur abscessus, quandoquidem genera per se quæ sunt necessaria, & pathemata sint vt dixi quinque: nam de diaria constat ex Hippocrate: & etiã in materia perfectè suppurata illud docebimus paulò pòst: de secundo, & tertio genere clarissimum est ex loco allegato: quia ratione febris quæ est in sanguine, & fit ex synocha ratione febris factæ, febris quæ succedit materiæ illi est continua de genere tertianarum, aut quartanarum: quæ verò fit in sanguine proximò abscessui, etiam necessario fit, cum sit in venis sanguis conclusus, & incalescat propter locum, & propter calorem, abscessus, & propter putredinem: ergo fiet secunda synocha cui ob causam dictam succedet alia continua tertiana, aut quartana ex Galeni eadem authoritate: ergo erunt omnino quinque febres necessario quæ consequuntur abscessum interiorem. & si abscessus sit in loco calido semper tempora febrium secundi, & tertij generis, seu quæ sunt in materia contenta in abscessu, præcedent tempora febrium quarti, & quinti generis: scilicet quæ sunt in sanguine contento circa abscessum, & hoc est velut in morbo laterali, in peripneumonia, in abscessu iecoris: sed in locis frigidioribus vtpote articulis præcipuè quartum & quintum genus præcedent, secundum, & tertium: sicut in carnibus glandosis. De cerebro, ac membranis eius dubium est, quæ genera præcedant, & credo quòd plerumque contingant simul. Forsan posset aliquis dicere, & suspicari etiam quod secundum genus, & tertium coinciderent cum quarto, & quinto, ita vt reducerentur ad tria genera scilicet diariam, & unam synocham, & vnam continuam cum proportione, quæ sint communes, & materiæ contentæ in abscessu, & materiæ quæ est circum abscessum? sed istud etiam non potest esse: quoniam vt dixi illæ febres sunt diuersæ naturæ: nam materia quæ continetur in abscessu facit febrem mediam interdiariam, & eam quæ fit ab humoribus, vel eas: scilicet Synocham, & tertianam, aut quartanam, continuam, ergo non sunt eiusdem generis: cum illæ quæ fiunt in sanguine circunstante sint omnino vt dici solet humorales. Præterea symptomata sunt diuersa vt declarabo, & tempora etiam sunt diuersa; quia materia quæ est in abscessu celerius putrescit quàm quæ est circum abscessum, cum sit in loco calidiore, & magis constricto. Et si quis dicat quòd aliquando saltem erunt quatuor tantum febres: quia diaria solet breui absolui & vt nomen declarat in una die: dico quod non est absurdum aliquando id contingere, licet raro: & adeò raro vt rarius contingat esse quatuor tantum febres, quàm septem, quia cum morbus desæuit natura, cogitur relinquere regimentotius corporis, & tunc accedunt illæ duæ quæ non consequuntur necessario naturam abscessus, hoc autem contingit cum materia abscessus fuerit multa, aut valde prauа, aut in loco malo, vt in cerebro, prope cor, & circa guttur, vbi facit veram anginam: & etiam in intimis iecoris: vbi quamuis perueniat ad suppurationem, non pateat exitus materiæ nisi perforato toto iecore. Ex his constat primum febres abscessuum interiorum plerumque terminari ad mortem: quia in tribus casibus sunt lethales: & in quarto oportet

adeſſe robur virium, & medicum eſſe ſolertem. ſequitur ſecundo quod tales febres ſunt acutæ valde: quia & ſi vnaquæque earum per ſe eſſet mitis, tot congregatis ſimul neceſſe eſſet cum ab antiquis pro vna habitæ ſint illam congeriem eſſe valde acutam. Vnde patet eiuſmodi ægros breui mori poſſe, breui ſanari non poſſe. Sequitur etiam quod cum ſint tot genera diuerſa earum, & ſingula habeant ſua tempora, oriri maximam confuſionem, adeò vt vix diſcerni potuerint: & maximè ante nos credentibus quod quincuplex eſt eſſe vnum; cum præterea accedant ſymptomata ex ipſo morbo principali, id eſt, abſceſſu, qui aliquando facit dolorem, aliquando conuulſionem, delyria, vigilias, inquietem ſemper, adeò vt ſit lacuna miſeriarum. Ex quibus etiam facilè intelligitur quòd febres quas medici pro peſtilentibus habent, & curant, ſunt ex hoc genere; & ideò ſunt adeò lethales, & maximè; cum perperam curentur, & habentur pro peſtilentibus non quia ſint à qualitate venenoſa neque peculiari quodam modo pernicioſa. Sed quoniam plurimos occidant, dicebat enim Galenus morbi vagantes cum multos perimunt peſtilentes appellantur. Et ſi quis obiiciat quod ſunt peſtilentes quia contagioſi dico quod non ſunt contagioſi, propter venenum, ſed ob magnitudinem putredinis quando abceſſus fuerit in loco qui perflatur, & eſt cerebrum, & cor, & pulmo, & pectus, & guttur, & os, vt colligitur in libro de Vſu reſpirationis. Et ideò angina, peripneumonia, morbus lateralis, abſceſſus in ſepto tranſuerſo, diaphragmatis, in capſula cordis omnes ſunt contagioſi; etiam in ore, ſed ille non eſt lethalis, ideò nemo dat quod non habet; nam & ſi quis corripiatur ab eo affectu ob commertium, non dicit ſe laborare peſte, quia non moritur; nec eſt in periculo mortis, abſceſſus autem qui fiunt in iecore, ventriculo, inteſtinis, renibus omento, meſaræo, & ſunt valde frequentes hi, & in veſica non ſunt contagioſi per aërem, ſed per decubitum in eodem lecto; cum priores ſint vtroque modo. Et contingit quia talis materia abſceſſuum propter tot febres èo perducitur malignitatis vt inficiat omne quod tangit, & aliquando illico interficit. Et præcipuè quoniam qui putreſcit humor eſt in corde, & hanc appellant venenoſum, & peſtilentem, quia ſtatim interficit, & eſt contagioſa ob locum, & magnitudinem putredinis, & conſenſum reſpirationis. Et tamen non eſt peſtilens ſub hoc ſenſu, quòd ſit venenoſa, quoniam non debet curari per alexipharmaca, ſed ſolo confirmantia cor & ea quæ putredini reſiſtunt, & hæc plurimum differunt ab alexipharmacis. Et ideò hic error fuit neceſſarius cognitu ob curam; nam quantum ad reliqua eſſet leuis. Et quod hoc non ſit propter venenum, ſed propter vehementiam putredinis, apparet quia ægrotantes ex morſu ſerpentum pernicioſiſſimorum, & ex potu napelli non inficiunt quemquam nec qui ſecum cubet, ergo manifeſtum eſt, quod hoc contagium contingit ratione vehementis putredinis, cuius indicium maximus fœtor excrementorum; & ideò cum iſtud ſentitur, oportet fugere celerrime & procul, & ſibi conſulere cum his quæ reſiſtunt putredini. Non negauerim tamen eſſe genus quoddam peſtis contagioſum, quod venenum ſecum habet & non venit à Cœlo; ſed & ipſum contingit ex putredine vehementi caſu facta ſicut comedendo medullas oſſium ſepulcrorum, & manendo in ſepulchris; & hoc eſt venenoſum, ſed tamen & ipſum interficit excitatis bubonibus, ſicut apparet in vulgata noſtra peſte; quæ fuit vt ſæpe aliàs dixi ignota antiquis; ſaltem Hippocrati, & Galeno; nam Arabes eam videntur agnouiſſe. Signa igitur harum febrium ſunt duorum generum; vnum quod ſumitur ab ipſis abſceſſibus de quibus dicam ſuo loco; aliud verò ſumitur à febribus ipſis ſcilicet ſecundo, & tertio genere, hæc enim ſunt propria abſceſſib. & ſunt, quia vapores illi non facilè penetrant ad cor, niſi abſceſſus ſit prope mites in ſuo genere, tamen magis pernicioſæ, quia corruptio eſt maior & ideò proptium earum eſt,, quod dicebat Raſis, de febre peſtilenti, quieta exterius, interius conturbans, quæ vt plurimum occidit. Cum ergo ſuppurato abſceſſu fit rigor, vt'd cebat Ptinceps Tertia Quarti, & ſumpſit à Raſi vigeſimo ſeptimo continentis, & adducit Galenum ex opere de locis affectis; ſed clariſſimè ſecundo Prognoſticorum vbi reddit rationem quare rigor ſuccedat dum erumpit ſuppuratio interior, & eſt veriſſima, & clariſſima, quoniam materia illa acris, & calida ob putredinem ſpargitur ſuper muſculos. Cum ergo ſuppuratio fiat ſenſim antequam erumpat ſpargentur vapores calidi, & acres qui excitabunt horrorem. Si ergo inueneris febrem continuam, & confuſam ratione exacerbationum, & declinationum, & cum caliditate indeſinente circa vnum ex tribus ventribus, & horrorem non continuum, & inordinatum, tunc ſcias quòd in eo ventre vbi eſt calor perpetuus eſt fundamentum febris ex abſceſſu: & eſt febris conſequens abſceſſum.

24. *Febris Lipyria.*

Hæc febris eſt ſpecies deterior generis præcedentis: & fit, vt recitat Galenus Quarta Aphoriſmorum, ex profunda inflammatione, vel eryſipelate validis. Cuius indicia ſunt febris continua, Partes exteriores frigidæ interius vritur: Et ſitim habet.

25. *Febris ex Epiemate.*

Hæc fit iam effuſa ſuppuratione in loco cordi aut cerebro propinquo collecta. Signa proponuntur ab Hippocrate his verbis. Si febris non demittit, ſed interdiu tenuior noctu vehementior eſt: ſi copia ſudoris elicitur: & tuſſiendi cupiditas eſt, nec quicquam tamen dignum commentatione expuunt, ſi oculi caui redduntur; Maxillæ verò rubrem trahunt, & vngues manuum curuantur: Digiti verò potiſſimum ſummi caleſcunt. Atque in pedibus tumores conſiſtunt: Neque cibū appetunt: Ac puſtulæ circa

corpus

corpus erumpunt. Huic nescirem quid addendum, si numeri perfectio non id incitaret. Diximus enim quòd ob exhalationem suppurationis, horrores interdum leues & inæquales, & inordinati, & maximè cum detegũtur superueniont, id accidit, quoniam vapores illi à frigore externo retinentur, atque sic pungunt; nam si ex frigore horror fieret in quibus libet febribus, dum detegerentur, accideret.

26. *Febris Syncopalis humorosa.*

In Syncopim deueniunt homines deiecta virtute; deiicitur autem ab vtroque extremo, maximè si morbus cum natura consentiens in immodicum lapsum corpus reduxerit, duo igitur sunt modi, vnus vt ab humoribus crassis, lentis, frigidis id accidat; alter vt ab humoribus calidis, siccis, tenuissimis, manifestum est autem quod in vtraque exiguntur tria; multitudo eorum vires imbecillæ, & compositio obnoxia, scilicet in humorali cum strictis venis, & angustis meatibus & maximè cutis; in ea quæ sit tenuibus humoribus latis, ac rara cute. Signa qualia à Galeno describuntur, vt os ventriculi ab horum multitudine oppressum sit) nam id præsupponitur pro morbi substantia.) Præcordia inflata, & corpus totum ampliore mole quàm pro naturæ modo cernitur. Tum color aliis quidem ad albidius quàm pro naturali habitu, & intercute aquia laborantium magis similis est; nonnullis etiam ad nigrius, aut liuidius quos quidem medici plumbei coloris appellant. Omnibus pulsus minores sunt quàm pro caloris ratione. Præterea obscuri omninóque inæquales; fæpe ea inæqualitate quam Sistematicem Græci vocant; semper verò ea quæ in vno est ictu. Liquet autem quòd hæc duo genera febrium scilicet præsens, & quod mox subiiciemus iam dicta sunt, sed à symptomate nomen acceperunt, quod quidem curam ad se trahit, & vetat alia quæ necessaria essent. Est enim hæc è genere quotidianarum, seu vt melius pituitosarum, velut sequens tertianarum, seu biliosarum.

27. *Febris Syncopalis minuta.*

Hæc fit à flaua bile circa os ventriculi acuta tenuissima cum corpore raro. Signa sunt ex symptomate ipso cum notis naturæ, & compositions eius. Solet, & materia ibi vomitum aut nauseam excitare, & caput tentare, & si adiiciantur febri quæ dixit Hippocrates Quarta Aphorismorum. Abstinentia à cibbo, cordis morsus, tenebricosa vertigo, Oris amaritudo, iam confeceris syndromen fermè totam. Præcipuum tamen signum est præter hæc, sudor roridus defluens ex facie. Manifestum est etiam quòd in his erunt pulsus parui, & languidi in quavis parte corporis, quòd non accidit in præcedente: sed & inæquales. Et casus frequens in syncopem.

Febres compositæ.

28. *Febris hectica cum putrida.*

Et si hectica sub putrida latitet, hoc est difficilius cognitu. Cum ergo videris febrem quæ à sudoribus non soluitur, & arteriæ locus est calidior, & pulsus videtur aliqualiter durus. tunc animaduertas illud etiam de annotatione à cibo quæ si adest certior es, quod hectica sub putrida latitat. Et scias quod huiusmodi com ohtio est illa in qua prodeunt non multo post vrinæ cum pinguedine innatante. Et post mistæ cum eius substantia

29. *Hemitritæus Primus.*

Coniunguntur febres continuæ continuis vt dictum est, dignoscunturque varietate exacerbationum, veluti si intra septem dies quis sex habeat aut septem exacerbationes, & non perpetuis diebus, dicemus esse tertianam continuam iunctam quartanæ, continuæ. Si verò quotidiana intermittens continuæ biliosæ, aut melancholicæ iungatur, fiunt genera hemitritæorum, de pluribus etiam intermittentibus eiusdem generis quæ simul iungantur iam definitum est, duo sunt modi quia non videmus contingere, aut rarissime) omissa causæ inquisitione, quoniam hic locus non est) prætermittemus, scilicet continuarum cum eiusdem generis intermittentibus, & intermittentium inter se diuersi generis mistionem, & harum quidem, facilior est prioris inuentio; nam si bilis intra venas retineatur, non fiet intermittens, (neque enim est vt isti putant quod bilis, aut alius humor extra venas febrem facere possit, potest bene putrescere, sed si extrudatur bilis, non fiet continua; ideò raro contingit, contingit tamen duas eiusdem generis videre febres vnam continuam alteram intermittentem parte vna, scilicet materiæ extrusa, altera retenta intra venas. Etenim non à materia quæ extra venas febris sit, sed à parte duntaxat quæ in minimis venis relinquitur. Quomodo ergo poterunt esse duæ febres, vna continua altera intermittens? siquidem intermittens febris sit, cum humor putrescit in venis, aut magnis, aut paruis, & ex magnis in paruas detruditur inde ex eis extra, seu ergo in magnis ad paruas seu in solis paruis, putrescat omnino necesse est, solam esse intermittentem; cum in vna vel putrescat in magnis venis, in altera non relinquatur, neque enim eo vsque procederet, vt extra venas truderetur, cum verò id acciderit frigori continua admista erit, neque motus magnus (qualis in rigore) adesse potest, cunque humor sit idem, & symptomata erunt similia, quare intermittens pars videbitur esse continuæ; difficile quoque est duas fieri intermittentes diuersi generis, neque id visum est à me vnquam, neque legi apud aliquem qui viderit. Et si Galenus admittat causam vt dixi valde obscuram, habet; nam si dicas quòd materiæ permiscentur, cur ergo duarum tertianarum typi distincti manent? Hemitritæi autem iuxta coniugationes sex sunt, sed nos exponemus solum tres, aut antiquis magis notos, aut qui frequentius eueniunt. Et accidunt etiam alij cum iam laboranti, vtpote quartana febris tertiana continua superuenerit, ergo primi compositio constat ex pituitosa continua, & tertiana intermittente, treisque habet species, aut enim

biliosa materia, aut pituitosa prævalet, aut veræquè æquales sunt. Signa ergo ex his quæ Galenus prodidit in secundo de differentiis febrium sunt sumenda. Ergo hemitritæi signum primum est, vt sit febris continua, non quidem sub hoc sensu quòd careat typo, & frigore, & rigore, sed quòd sit indesinens: nam in adolescente illo adfuit prima die pulsus paruus inæqualis horror, & se contraxit hora sexta, & in secunda die hora quarta contrahebatur, & refrigerabantur extrema, & paruus erat pulsus, non tamen horrorem habuit, neque inæqualitatem, sed solam annotationem (vtitur hoc nomine, id est, ἐπισήμανσιν quod commune sit & exacerbationi quæ est incrementum sine typo, & sine contractione, & accessioni quæ est cum contractione scilicet pulsus, & corporis, & cum typo, id est, frigore, rigore aut horrore, & mediæ mutationi inter has quæ nomen non habent latinum: quanquam nec annotatio latinum sit, sed tamen minus absurdè dici potest, ab annoto quod est notam aliquam ostendere alicuius rei: & tertia die accessionem passus est horridam hora secunda: & in quinta aliam horridam accessionem, ac rursus in octaua: die autem quarta similiter accessio facta est velut quotidianæ, id est, cum frigore sine horrore, & inæqualitate: hoc igitur est quintum signum: nam secundum est Rigor scilicet tertianæ. Tertium horror quotidianæ in die tertianæ: quartum repetitio eius ter per spacia longa: dicebat enim. Primo in primum de morbis vulgaribus. Nam breuibus si interualli à sese sint mutuo motus horrifici dirempti, inæqualis dicitur, & horrificus motus. Sin ampliora sint interualla, fit illud symptoma reduplicatio, & dicitur. Hæc fit præcipuè in semitertianis, vt vocant febribus, quo circa ternæ plerunque sunt, & quartanæ (scilicet in die grauiore.) Quintum vt dixi quotidiana cum frigore sine horrore, & inæqualitate. Relinquitur igitur vt ostendam quare plures fuerint accessiones duabus in die impari, præcipuè cum asserat accessionem tertianæ coincidisse cum accessione quotidianæ hora secunda diei? Deinde quomodo appellet quotidianam, continuam verè, & proptiè eam febrem cuius exacerbatio alternis diebus fit, cum frigore, & contractione tàm corporis quàm pulsus, diebus intermediis non solum cum his, sed etiam cum rigore, & inæqualitate? Constat autem non esse verum quòd dici solet in hemitritæo in die deteriore adesse duas annotationes in compressæ, cum Galenus dicat fuisse quatuor, si quis rectè supputet: quia illa secundæ horæ vicem gessit duarum, & idem dicit in Epidemiis. Sed neque fuerunt incompressæ ex his quæ dicta sunt ex primo de differentiis febrium: cum dicat se intelligere per annotationem incompressam accessionem in qua neque frigus extremorum adest, neque paruitas in pulsu, quorum vtrunque adfuit in adolescente in die minoris afflictionis, seu pari. Nimis autem est, aut mihi videtur, si Galeni obscura dicta conciliauero absque eo vt admittam etiam eos qui sine studio res proferunt aduersus mentem illius. Vnum igitur hoc colligo, & in lib. de Febrium differentiis. Et primo, ac tertio in primum de morbis vulgaribus Hemitritæum esse febrem in qua alternis diebus tres, aut quatuor fiant annotationes, seu duas accessiones cum reduplicationibus horrificis, in aliis intermediis tantum vnam annotationem, sed absque horrore, & reduplicatione. Vt iam de re seu signorum qualitate, ac natura febris non sit ambiguitas, aut controuersia vlla, sed de causis dubium est: & possem præterire honestè, & deberem si res esset difficilis, quam tamen ille vt solet prætermisit, sed est satis perspicua. Tria ergo ostendere oportet primum quòd fuerit quotidiana illa verè continua, quod assumit Galenus ad faciendam fidem quod fuerit hemitritæus verus, nec hos solùm, quoniam nunquam intermiserit, sed quòd vacauerit horrore, & inæqualitate in diebus partibus, quæ sunt propria intermittentis quotidianæ. Et quod sublata tertiana remansit in diebus tàm imparibus quàm paribus quotidiana continua exquisitissima, cum nec in illis haberet reduplicationes, nec horrorem, nec inæqualitatem vllam: solum omisit signum de frigore ac contractione, quæ sunt intermittentis propria non continuæ; nam si dixisset caruisse, illis clara fuisset tota oratio, quia tamen videtur dicere quòd aduenerit more solito, videtur non exquisitæ continuæ seruasse naturam, sed propter commertium tertianæ præteritæ seruasse frigus, & contractionem, & paruitatem pulsus, vt essent annotationes compressæ, non incompressæ, vt apparet. Prima Quarti ex authoritate Rasis. Et ideo dicit (est similis hecticæ) vel ergo Galen. omisit id scilicet quòd erat sine frigore, & contractione tam in corpore quàm in pulsu; vel est dicendum fuisse quotidianam veram continuam, sed non puram ob commercium tertianæ iam præteritæ. Et ita statuemus hoc vltimum illius signum in hemitritæo dicentes; cuius quotidiana est compressa, etiam post tertianæ discessum. Itaque decorum iam causa manifesta erit est, scilicet quare fuerit quotidiana continua vera, & cur habuerit tamen cum hoc frigus, & contractionem, & annotationes compressas. Tertium est quare habuerit habeatque hemitritæus in die tertianæ duas reduplicationes quæ non sunt ex natura quotidianæ, neque tertianæ ex quibus solis componitur; & quare in die pari scilicet quando non adest, tertiana caret & reduplicationibus, & horrore, habeat tamen annotationem, & frigus, & contractionem; & dico quæ ex permistione tertianæ cum quotidiana ob imbecillitatem naturæ, & materiæ lentorem impeditur motus expulsionis, vt non possit perfici. In prima tamen accessione tertianæ fit rigor; quia natura nondum est debilitata in secundâ, & tertiana fit horror, qui est medio motus rigoris, & hoc quoniam quod non potuit facere natura in vna vice ob imbecillitatem facit in duabus, vel in tribus, aut quatuor vicibus. Sicut vide-

mus

mus in illis qui ferunt pondera ex quo patet quòd talis horror fit natura expellente bilem scilicet & materiam tertianæ, non autem quotidianæ. Secundum quod tempora quæ succedunt horroribus sunt tempora tertianæ non quotidianæ in die autem quietiori natura efficit contractionem: quia factura esset horrorem si esset quotidiana intermittens: & si esset continua pura, faceret annotationem incompressam. Hæc enim propria est quotidianæ continuatæ, ac quasi hecticæ vt dictum est. Ergo propter naturam tertianæ erit media, quia tertiana inducit consuetudinem naturæ ad motum quendam tempore annotationis, ergo adueniente annotatione, neque potest fieri horror, quia non adest tertiana, nec auxilium motus bilis: nec quotidiana est intermittens: ergo incipit solum motus contractionis, & non finitur: & hoc est frigus cum contractione membrorum & pulsus, ac paruitate illius. Et hæc febris est valde frequens: & maximè Romæ vt testatur Galenus.

30. *Hemitritæus secundus.*

Hic habet continuam tertianam, & intermittentem quotidianam: & ideò habet modicum horroris singulis diebus minorem quam in quotidiana sincera Et singulis diebus exacerbationis loco, annotationem incompressam propter motum naturæ consuetum in quotidiana. Et Galenus non vidit ipsum, & rarissimus est, & longè periculosior priore: si tamen inuenitur, nam difficillimum est retineri bilem quæ est calida, & tenuissima, & expelli pituitam, lentam, crassam, frigidam.

31. *Hemitritæus tertius.*

Hic est frequentior: quia natura materiarum est magis similis. Et habet in quarta die multas reduplicationes cum frigore, & cum horrore: persæpe adest rigor, sed non magnus: Et reduplicationes sunt longiores. In diebus autem quietioribus habet frigus longius, Et maiorem contractionem: Et in tertia die frigus & contractio, & paruitas pulsus sunt minora quam in secunda: & aliquando sunt adeò occulta, vt non sentiantur. Hic est tanto periculosior primo quanto etiam longior, quanto verò secundus, hoc est breuior, tanto eodem pernicioſior vt medius sit.

32. *Febris pestilens signa pestis, & venenorum.*

Et febris nomen in pestilenti non est secundum eandem rationem. Neque verè pestilentes sunt quæ plures occidunt, cum eiusmodi sint quæ ab abscessibus profundis, & in ventribus fiunt, neque quæ contagiosæ sunt. Hoc enim ob putredinem sæuam contingit, sed neque quæ syncopim adducunt: docuimus enim harum omnium differentias, & signa, sed quæ propriè ob occultam aliquam qualitatem intermittunt, quibus accidit vt sint vagantes, aut contagiosæ, aut vt sint feruidæ, aut mites exterius, aut vt fœteant excrementa vel vt sint colliquata: & nihil tamen horum est pestilens, sed ei adiunguntur, rarò enim magno malo, non alia magna mala adiunguntur: præcipuè natura quæ est ministra vegetatricis animæ corporis custodiam deserente. Cum verò venena infinitorum prope generum sint dico, quæ à proprietate etiam sola enecant velut toxici, napelli, viperæ, reguli, armeni, cùm etiam exitio sibi inter se sint, manifestum est etiam pestilentium morborum innumeras esse species: quocirca, & signa diuersa: quare etiam vt generalia tradantur difficillimum erit. Assumemus tamen pro norma, quæ Galenus scripsit ex tertio de Præsagio ex Pulsibus, ea autem sunt hæc: Pulsus persæpe sano similis, respiratio fœtida color erysipelatosus. Pectus vrens (licet hoc haud explicet.) Ad hæc conturbata quorundam vrina videtur esse, & aquosior, ac nonnullorum multóque pro natura tenuior: atque hæc quidem certissima est. Nec non quæ naturalibus vndequaque similis est colore, & crassitudine hæc etiam ad secundam spem certissima est, quæ si sublimamento probo sit prædita, multo etiam est certior: siquidem sedimentum sit candidum leue, & æquabile: Præcipuè verò sublimamentis animus est adhibendus. Nam quædam quæ subliuida quodammodo sunt, latent: & item alia quæ arenearum latas telas referunt in modum lanæ congestæ. At si quid tale animaduertas, aut nullum planè sublimamentum innatare vrinis in peiorem partem hæc interpretare: si contraria videas quæ retuli, modo non potest fieri vt mali effectus homo sit. Ex his igitur discernas vtrum inæqualitate quapiam affectus sit, an pestilens morbus, & exitialis, qui hæcticam febrem habeat, eum præhendat. Præterea ex his quæ balneum consequentur. Etenim cibum respuunt, & sitiunt præter modum, ac frigidam postulant. Etiam oculi illorum sunt accuratè inspiciendi: nam inter lauandum manifestè redduntur calidi, & flammei, quidam postea tales permanent: quos planè sciemus teneri peste, sciendum tamen nonnunquam incidere sine peste has ipsas febres, vt de illis prodiderunt omnes insigniores medici, vocántque pestilentes. Intelligit quod sint pestilentes, non tamen tum pestis vlla grassatur in populo. Vnde sciendum quod vt suprà dixi febris alia est contagiosa, quæ fit ob vehementem putredinem: alia quæ fit ab aëre vitiato: hæc proculdubio vagatur in populo, non tamen necessario interficit: ideo pestilens non est. Febris ergo pestilens antiquorum erat febris quæ grassabatur in populo cum esset lethalis. Febris pestilens vulgari nomine nostra ætate est, quæ ob maximam putredinem contagiosa est, & multos etiam ob eandé causam interficit, quia putrefacit mẽbra nobilia, aut saltem in illis creat inflammationes: febris pestilens vera non est aliqua ex his, sed quæ proprietate occulta interficit ægrum. Et non est necesse, vt sit aduta, quamvis plerunque sit ex eius genere. Hæc tamen potest coincidere, cum prima quæ est pestilens, & quandoque non. Quia ea febris pestilens secundo modo dicta est non solùm grauior cæteris, sed etiam plurimum refert cognoscere illam vt sciamus cauere. Et vt dixi

cum contagioſa ſit: ſcire an mortui ex ea perierint, ideò ponam ſigna eorum, & ſunt præceps mors, Bubones ſub alis, aut in inguinibus aut poſt aures vel circa: Maculæ fuſcæ, aut nigræ in toto corpore, aut maximè circa ſcapulas: & pendula pars aurium. Ac naſi alæ nigræ, aut liuidæ, vel fuſcæ: Et carbunculi mali coloris præſertim: & dorſum flagellarum: & dum ægrotaret vomitus: dolor capitis maximus: delyrium, ſitis ingens, & cordis palpitatio. Et qui ex veneno pereunt quædam his ſimilia habent, quædam non. Dicebat enim in ſexto de locis affectis: Quum homo ſuapte natura probis humoribus abundans, ac ſanorum more educatus derepente moritur: Et corpus, aut liuens, aut nigricans, aut varium, aut diffluens, aut putredinem moleſtam olet, hunc venenum aſſumpſiſſe aiunt. Nos vero, & ſigna è facie eadem quæ in peſte addimus. Et totum corpus nigricans: & tumorem ventris, & caſum capillorum, & vnguium: quæ ſunt valde propria ſigna: Et dum laborat æger vomitus vehemens, aut nauſea: & cruciatus magnus: Et non adeſt nec febris magna, nec capitis dolor magnus, neque delyrium. Et ſi venenum ſit lentum, loco cruciatus adeſt lingua nigerrima, & adeò arida vt hæreat aurichalco: & tabes totius corporis.

33. *Febris peſtilens Ephemera.*

Hæc eſt omnium violentiſſima, quæ occidit intra viginti quatuor horas, & palam eſt tum ex effectu, tum ex ſignis quod eſt eſt ephemera: & eſt omnibus popularis qui maximè viget apud Anglos, & Belgas: & vagatur plerunque ab Oriente in Occidentem, & interficit maximam hominum multitudinem: & rarò occidit potentes, & creditum eſt à quibuſdam imò Eraſmus tradit id contingere corrupto aëre ab excrementis Zethi, & eſt ſatis veriſimile, quoniam ex ventibus Zetho nullæ viuunt immundius: & in quibus aër incaleſcat per æſtatem magis. Signa dolor paruus in crure, vel alia parte quaſi punctio febris: Caros profundum: ſudor cum quo exſpirant. Auxilium inuentum fuit intercipere ſomnum, vrinam prouocare, quoniam tempus non ſuppetit.

34. *Febris putrida peſtilens.*

Eius ſigna ſunt ſigna communia: quoniam plerunque febres peſtilentes ſunt coniunctæ putridis, rarius ephemeris, rariſſimè hecticis: vel ſigna putridarum iuncta ſignis venenorum. Signa autem venenorum ſunt Vomitus. Magna mutatio coloris in facie Magna anxietas. Palpitatio cordis. Caſus virtutis: ſudor frigidus: nigrities extremorum: tumor ventris repentinus: odor quidam peculiaris: mutatio excrementorum ad viridem: tum ſymptomatica expulſio. Et hæc ſunt communia peſti. Vltimum non ita ſcilicet dolor, & eroſio repentina in viſceribus. Et in mortuis caſus capillorum & vnguium, vt contra in peſte Color liuidus naſi, & Bubones commune eiſdem dorſum flagellatum.

35. *Febris Hectica peſtilens.*

Hæc febris eſt omnium maximè mitis, & quo ad tactum, & pulſum, & ſymptomata: & celerrimè occidit: & maximè [illegible] bilis eſt, cum enim prauitas occulta ſit, & perniciosa, & in membro ſolidiſſimo, & tempus breuiſſimum, meritò perimit ſtatim vel ex ſignis partium componentium: id eſt, venenj, & hecticæ.

36. *Febris Variolarum.*

Hi morbi ſcilicet variolæ, & morbilli (quòd mirum eſt) Græcis fuere incogniti, cum tamen dicat Auerroës quòd eueniunt omnibus hominibus, & fiunt variolæ natura purgante ſanguinem ex quo genitus eſt infans à parte craſſiore, ſicut morbillus à tenuiore, vt ſecundo de facultatibus naturalibus. Signa aduentus ſynocha corporis totius granitas peculiariter capitis, & grauis dolor: Timor in ſomno: Facies rubra, cum punctione Oculorum lachrymæ, & inflammatio Pruritus naſi: Dolor dorſi: Conſtrictio anhelitus: Raucedo vocis: Sputum craſſum exſiccatio oris Alices, & Oicitationes Gutturis, Et pectoris dolor, & aſtrictio: Et cum exeunt ſunt maiores, & rariores morbillis.

37. *Febris ex morbillis.*

Signa ſunt eadem ſuperioribus: ſed granitas, & dolor dorſi minor: Verùm inquies, & inflammatio, & nauſea ſunt ei peculiaria, aut maiora longè, & morbilli exeunt ſimul aut in breui tempore variolarum, aut numerus in dies, & horas augetur.

38. *Febris liquefaciens.*

Hæc eſt à ſymptomate dicta, & triplicis generis, aut enim liquefacit caliditas adurens craſſa in ſubſtantia, & tenuis in qualitate, ſicut calor fulminis: Aut ob proprietatem, velut argentum viuum quod diſſoluit aurum: Aut ob putredinem vehementem Signa communia excrementa pinguia propriè alui, & oleoſa propriè veſicæ: Et caſus virium, Si autem ſit à putredine odor eſt fœtidus magis, qui à veneni qualitate, color eſt liuidus: ſi à calore ardente, neutrum: ſed corpus magis exſiccatur. Et in hoc genere eſt tranſitus à ſigno ad cauſam adeò vt ſint duo genera ſignorum, vt cognoſcas liquorem, & vt cognoſcas à qua cauſa fiat. Et ſpuma dixit Galenus eſt ex ſignis liquefacientis: Et deiectio quæ eſt grauis odoris, aut quæ ſplendet in modum olei, aut quæ eſt liquida ſi ſit alicui: aut cum ſedimento craſſo in modum furfuris, aut ſquamarum, aut partium carnearum in vrinis, omnia ſunt ex hoc genere.

39. *Febris cum vomitu, vel fluxu ventris.*

Hæ febres omnes iam dictæ ſunt, quia ſunt ſub aliquibus ex his generibus: Verùm volumus oſtendere quomodo ex ſymptomate coniuncto dignoſcamus naturam febris, & cauſas tàm febris quam ſymptomatis coniuncti. Et ſymptomata quæ non ſunt pathognomica, & ſunt frequentia, & magni momenti, præcipuè ſunt duo: vomitus, & fluxus ventris, qui eſt duplex diarrhœa, aut dyſenteria. Si ergo vomitus coniungatur cum febre continua, & non alleniatur ex eo, tunc ventriculus patiatur, & non ſit error in victu, nec coniunctio fortuita, oportet vt materia corrupta tranſeat

ad

ad ventriculum: materia enim quæ est in illo non facit febrem putridam propter spacij magnitudinem: ergo istud accidet vel quia materia defluit à iecore, vel cerebro, vel mesaræo. Et si erit crassa & lenta, erit à iecore, vel cerebro. Et color distinguit eam quæ est à liene. Et si fuerit tenuis, biliosa procedit à iecore. Aut est per consensum iecoris, vel mesaræi, vel coli intestini: de ileo non loquor, quia præsuppono quod feces prodeant. Aut contingit propter materiam infarctam ventriculo ex redundantia earum quæ sunt in mesaræo.

Et similiter si fuerit cum diarrhœa, significat obstructionem in iecore: & partem tenuiorem expellit iecur, & crassior putrescit in eo, vel in partibus vltra ipsam. (Et in hecticis, & phthisicis fiunt fluxus ob materiam pituitosam, & cruditates, sed mucus apparet in egestionibus, & febris est fixa.) Et oportet vt obserues horas eius simpliciter in die, & in comparatione ad cibum, & in comparatione ad somnum, & in comparatione ad tempora generalia, & specialia morbi: & materias febris, & fluxus.

Et si fuerit cum sanguine, & febris fuerit lenta, est ex imbecillitate iecoris: & perducit ad aquam inter cutem. Et si sanguis prius fluxerit, inde succedit febris, erit ex obstructione, aut inflammatione, aut putredine. Et si incœperit prius febris ardens, inde succedit diarrhœa, post dysenteria, est signum imbecillitatis iecoris in concoctrice facultate, & roboris in expultrice. Et semper supponimus, vt non sit iudicatorius.

Et in omni excretione inutilis, aliquid etiam emittitur vtilis dicebat Galenus. Et fiunt hæ excretiones irritatę ab excrementis putrescente retentrice. Dico quòd vult robur facultatis non obesse per se, sed cum adfuerit quòd irritet. Et ita aliquando ex occasione velut, nimis exacto sensu.

PARS SECVNDA.

De Morbis iecoris.

CVM morbi cordis sint semper iuncti cum caliditate, in cõparatione ad iecur sufficit tractasse de febre quæ est calida, & sicca: at in iecore cum peccet secundum coniugationes omnes, necessarium erit tractare de calidis, ac frigidis, vt sunt communes toti corpori, & sunt morbus regius, & hydrops. Primum ergo de morbo regio dicendum erit, cum verò duplex sit, à bile flaua, & nigra, & ipse symptomate suo notus, de quo in Quarto de Dentibus abundè tractauimus, sufficit hîc in illo tanquam signo mentionem facere: a t de hydrope vtroque modo signa describemus: tum de aliis eius generis, hi tamen principales.

1. *De Hydrope ascite.*

Cum debilitata fuerit concoctrix in iecore seu proprio affectu seu consensu renum, & septi transuersi, aut pulmonis, aut lienis, aut vteri, aut ventriculi, aut intestinorum, aut ob largam sanguinis in hæmorrhoidibus effluxionem, aut ob illas cum fluere consueuerint retentas, aquæ frigidæ (corruptæ addit Galenus bis) potum (accedente vt nos dicimus calida intemperie) loco sanguinis aquæ putrida generatur: quæ cum ob prauam qualitatem a renibus non trahatur, paulatim collecta in venis replet primum iecur, inde & per totum corpus per illas diffluit, & per iecoris superficiem in cauum destillat, quod omentum, ac peritoneum interiacet, ficque fit hydrops ascites. Dicimus autem omnem hydropem esse à iecore, quia sunt morb communes. Commune autem alimentum est à iecore vt sine eius consensu non vitietur. fit tamen quandoque ascites etiam teste Galeno absque vitio iecoris, cum renes non trahunt: Et tunc repentè fit hydrops.

2. *De Regio Morbo.*

Hic fit iecore affecto: sed & non affecto: est tamen communis toti corpori, & quim affecto ob calorem cui iungitur quandoque inflammatio: & tunc repente quasi contingit, vel consensu membrorum & cõmunicantium seu propinquorum, vt in pulmonis ventriculi lienis fellis musculorum ventris obliquorum: Vel quoniam quæ genita est bilis non potest solida ratione euacuari, quod maximè contingit in obstructione quæ est à cana iecoris parte ad cauam venam, & tunc vrina aquea redditur, & bilis flaua tenuior tantum retinetur, quæ per vrinas excerni solebat, aut in meatum qui est à vesica fellis ad intestina: & tunc crassior pars eius retinetur. Aut quoniam sanguis ipse aduritur in venis, & hoc à corde, vel ardentis febris vi, aut veneri epoti, quo consensu eo tum corpus permutatur: eiusmodique morbus regius ad viridum tendit, sicut & qui ex liene est ad nigrum. Tingũntur igitur cum cute quibusdam lotiũ, atque id plurimis contingit: quibusdam sudor: quibusdam feces parũ ratione. Aliis nihil horum quod pessimum est, contra nonnullis plura ex his, sed hoc est difficile, vt pluribus excrementis tinctis diu permaneat affectus. Certè quodcunque horum non tingatur indicium est obstructioni meatus ad illam partem. Quòd si morbus regius absque febre incidat, & grauitatis in præcordio dextro sensus adsit, obstructio in iecore erit ex crassis aut lentis humoribus, aut multis. Et scias quòd colores corporis qui proueniunt à vitio membrorum naturalium sunt flauus niger, & albus. Et qui mutantur à corde seu per se seu per consensum præcipuè oris ventriculi, & cerebri, & pulmonis sunt liuidus, & pallidus, & mistus (Chlorosvocatur) & mutatio coloris à corde est subita, à membris naturalibus sensim, nisi per crisim. Viridis autem, & fuscus sunt communes cordi, & naturalibus membris.

3. *Regius morbus niger.*

Et regij morbi nigri causa est lien. Et non est necesse vt Epar compatiatur: potest enim per arterias nigras bilis per totum spargi corpus absque iecoris vitio. Exonerare solet se bifariam, & ad aduentriculum, quod est

tenuius, & inteſtina, quod eſt craſſius: præcluſa ergo via ad alterum eorum præſertim ad inteſtina, quoniam in melancholia ſecundum naturam pauca parstenuis eſt, fit morbus regius niger abſque vitio iecoris. Et ſimiliter ſi ob plenitudinem non ex exceperit quod à iecore tranſmittitur. Plerumque tamen fit etiam vitio iecoris, cum plus generat nigræ fecis quam debeat, aut corruptæ, vt lien refugiat, aut quoniam corrupto ſanguine vitietur iecur. Cum ergo vomitus nigræ bilis apparet, contingit vel occluſa via ad inteſtina, vel ob feruorem melancholiæ, vt in quartana: quia melancholia eſt ex bile.

4. *Regius morbus viridis.*

Fit vt dixi vel miſtis duobus bilis generibus: aut cum ſanguis corrumpitur, & ſeparatur in venis vel arteriis vt in venenis; & febribus malignis: præſertim cum æger tendit ad mortem.

5. *Tympanites.*

Pulſus eſt tenſus, & vrina non eſt valde mala, imò naturali proxima. Et vmbilicus extrafertur: & capit eructare, & ab eo iuuatur. Et non inflantur pedes, & difficulter ſpirat. Et tardè ei cibus concoquitur: & hoc ipſum percipit.

6. *Aſcitis, & Tympanitidis differentia.*

In tympanite ſuperiores ventris partes incipiunt intumeſcere, in aſcite inferiores: In tympanite à medio, in aſcite à laterib. In tympanite adeſt leuitas, in aſcite grauitas: In tympanite cutis ventris eſt alba, in aſcite viteſcit: In tympanite ſentitur percutiendo ſonus, in aſcite non: In tympanite non ſentitur murmur aquæ in conuertendo ſe, in aſcite ſentitur: In tympanite ex decubitu non mutatur forma ventris, in aſcite mutatur, niſi iam ſit in extremo tumoris: In tympanite ſentitur tenſio, in aſcite non: aut non tanta: Pedum etiam inflatio, & crurium, & faciei, & malus color eius magis aſſociantur aſcitem, quam tympanitem. In tympanite ſpiritus magis laborat quàm in aſcite: Pulſus autem aſciticorum ſunt minores, & crebriores tympaniticis: Et Vrinæ in aſciticis. Tympanidis cura fermè deſideratur.

7. *Pituita alba.*

Meminit huius Hippocrates in lib. de Internis affectionibus. Totum corpus laxo tumore intumeſcit. Facies rubet: Os ſiccum eſt: ſitis tenet eum, & cum comederit ſpiritus denſatur: eadem die aliquando melius ſe habet, aliquando repentè adeò affligitur, vt mortem ſibi incumbere exiſtimet. Fit è morbo populari cum diuturnior euaſerit: ſed color pallidior eſt. Eadem fermè in lib. de Affectionibus. Sed additur quod membra inæqualiter intumeſcunt. In ſecundo etiam de Morbis eadem fermè: ſed declarat, quæ membra magis tumeant: Et dicit quod venter, & pedes.

8. *Pituita nigra.*

Hæc eſt ſimilis albæ, ſed cutis eſt nigricãs, & Craſſior, & purior, & eſt longè difficilioris curationis, ſiũt autẽ debilitata coctione, vt crudus humor loco ſanguinis generetur. Et ideò nõ eſt cũ putredine, vt in aſcite, & calor eſt potentior, quoniam incraſſat: vnde coctionis indicium eſt, vt docet Philoſophus Quarto Meteororum. Et cauſa quare qui Hippocratem ſecuti ſunt de his duabus locuti non ſint, eſt, quoniam eas cum anaſarca vnam, & eadem affectionem eſſe exiſtimarunt, cum ſint inter ſe maximè contrariæ, & alba facile ſanatur, anaſarca autem eſt inſanabilis.

9. *Leucophlegmatia, & ædematis diſcrimen.*

Alba pituita incipit à ventre vel à pedibus: & tum ædemati ſimilis eſt, & colore, & quod cedit dignitas, ac retinet veſtigium: & quod paulatim aſcendit: Verum differt quod in vtriuſque pedibus ſimul incipit. Quod eſt cum veſtigiis inflationis, & mali coloris in facie: Quòd alui & veſicæ excrementa vitiantur, quod fit abſque cauſis externis: vtpotè vlcere vinculis præcedentibus ædema præterea nocte, & per ſomnum reſolui ſolet: Demum in leucophlegmatia partes ſuperiores etiam afficiuntur vt coxæ: & ſitis adeſt: & grauatur in ambulando: debilitanturque crura: & cutis fit craſſior, & nigrior ſucceſſu temporis. Et ex ædemate perſæpè fit tranſitus ad leucophlegmatiam.

10. *Anaſarca ſeu Hypoſarca.*

Adeſt inflatio pedum, & vultus. Et cum extenuatione totius corporis. Et ſi inflatur venter eſt deterius. Et adeſt ſitis, & ſimilitudo eius cum mortuo: & ideò plerunque eſt etiam cum malo colore. Et plerunque ſequitur; aut hecticam, aut febres putridas pernicioſas.

11. *Aqua Intercus.*

Hydropem eſſe aquam intercutem haud dubium eſt apud Celſum: neque eſſe diſcrimen niſi latini, ac Græci nominis: quamobrem & vtranque dictionis ſignificationem in tres ſpecies diſtingui. Vna quæ humore conſtat, alia aqua, tertia flatu. Et quæ aqua & flatu conſtant, inter peritoneum, & omentum continentur, quamuis in aſcite tumeant pedes, & venæ ichore plenæ ſint: in leucophlegmatia verò totum corpus plenum eſt, ideóque leucophlegmatia, & aſcitis communes morbi ſunt: quia totum occupant corpus ſeu verè, & manifeſtè ſcilicet leucopleg matia: ſeu per venas, & virtute, vt aſcites. Hypoſarca autem, & tympanites non ſunt morbi communes, aut ſaltem tympanites, ſed adnumerantur his propter generationis ſimilitudinem. Habet autem aqua intercus aliud quoque ſignificatum: Velut cum dicitur. Si ab aqua intercute ex venis aqua vniuerſim defluat in ventrem, ſoluitur morbus. Manifeſtum eſt quòd per aquam intercutem intelligat aſcitem. Et morbum qui eſt aſcites, aſcitis nomine non comprehendi, manifeſtum igitur eſt ibi Hippocratem velle aquam contineri in venis, & effluere in ventrem. Diximus de hoc in Commentaris: rectèque animaduertimus ibi cõmune eſſe hydropi vt venter tumeat. Ideò per aquam intercutem propriè tanquã magis communem, non aſcitem, ſed leucophlegmatiam intelligere oportet: idque proprium eius eſſe ſignificatum.

12. *Elephantiaſis.*

Princeps licet in nomine euariet, melius tamen quàm vllus alius ſcripſit in pleriſque,

at

at paulò melius quam Romanorum tempore nunc agetur cum medicina: nam tum seruis nostro æuo Gramaticis est demandata: vt solida illorum petulantia, atque imperitia non solùm lacereturr, sed de bonis disciplinis omnibus, & eruditis maledicant. Ergo eius signa sunt: color faciei ruber ad nigredinem declinans. Et vicissim: oculi fusci ad rubrum tendentes: Angustia in anhelitu: Vox rauca: sternutatio multa: sermo à naribus resonans: Capilli attenuantur, & rarescunt: Venæ in pectore, & facie apparent: Odor corporis, & anhelitus fœdus: Mores melancholici, & praui, somnia terribilia, & in somno grauitas, vel etiam in cubus, & fiunt proni in venerem. Inde cadunt capilli prorsus, & fundantur vngues, & facies fit horribilis, & terribilis, & nigra, & sanguis congelatur in articulis, & putrescit, & difficultas spirandi crescit admodum, & vox fit maximè rauca: & labia crassa, & deformia, & nigra, & apparent glandulæ in superficie corporis similitudine earum quæ porcis eueniunt, & maximè supra cubitum in parte interiore. Demum corpus vlceribus scatere incipit, & nasi cartilago corroditur, caditque, & extremitates similitet, & exit virus fœtens, & vox prorsus perit, & pili ex toto cadunt, & fit omnino niger, & pulsus fit debilis, & tardus, & ideò creber, & ex hoc genere sunt morbi crassi, nisi quòd fiunt à bile, & pituita, melancholiæ loco, & natura se per vomitum exonerat, occupat tamen totum corpus. Et est morbus diuturnus de quo in libro de Internis affectionibus.

13 Indica lues.

Hæc incipit ab vlcere genitalium tàm in masculis, quam in fœminis: Inde à bubonibus iuxta genitalia. Post aduenient crustæ in capite, ac corona capillorum, & facie. Et cadunt capilli aut crustarum loco dolores in articulis, & in tibiis, & maximè ab initio noctis vsque sub auroram, & fœtor anhelitus, & dolor capitis, & color faciei corrumpitur, & vlcera fiunt in corpore, & nodi, & tubera, & gipseæ duricies magnæ, & dolorosæ. Et vrina amittit splendorem suum, & est decolor, cum contentis diuulsis, aut crudis, & cum febricula. Tandem perueniunt in vlcera sordida, magna, & insanabilia, & os capitis corrumpitur, & fiunt morbi varij interni ex quibus moriuntur. Vnde manifestum est, quod est ex genere elephantiasis, sed minus violenta, quanquam incrementum eius aliquando sit celerius.

14. *De extenuatione, & obesitate.*

Quantuis huic persæpe hæreditaria sint, obesitas tamen fit à multitudine humidi, sed carnea cum plurimo calore: pinguis autem cum remissio in iecore, & in toto. Et sunt expositi suffocationi, fracturæ venarum, apoplexiæ, & resolutioni, & palpitationi cordis, & febribus malis. Extenuati autem à calore, à frigiditate, siccitate, imbecillitate, obstructione iecoris, aut cordis, aut ventriculi, aut ratione totius, aut siccitate. Et sunt partia ad tabem.

PARS TERTIA,

De Morbis propriis.

CVM tàm in generalibus, quàm in communibus morbis de quibus mox dicemus duo quærantur: siquidem morbi natura, ac species seu differentiæ, in hac tertia parte quæ de propriis morbis est seu vniuscuiusque partis tertium in inquisitione addere oportet, scilicet membri patientis cognitionem cum vero, & hæc cognitio aliis non inutilis erit, & ipsa ex aliarum augebitur. Harum ergo causa hæc consideranda sunt, substantia ipsius membri velut si bronchion expuatur exaspera est arteria, si in vrina prodeat aliquid lamarum specie ex vesica, si caruncularum ex renibus: eius succe sunt adnata quemadmodum fungi in cranei fractura vbi membranæ afficiuntur: tertio loco operationes vt in Ischuria vesicæ labor. Quarto tumor. Quinto locus seu regio. Sexto dolor. Septimo excrementa naturalia. Octauo à præternaturalibus velut suppressionem vrinæ lapis & quæ sunt ex eius genere humor, sanguis concretus quem trumbum vocant callus, seu verruca, aut scirrhus vel phlegmon cicatrix obducta, contrictio ex frigore ipsius colli: aut contra imbecillitas corporis eius vt omnino constringi non possit, aut vlcus dolorosum quod vetet constringi, & illuc protrudere vrinam possunt, & addi alia velut sanies, & vermes. Aduertendo quòd naturalia excrementa significant super affectum, & membrum, præternaturalia super affectus causam, vel quia de his est quæstio. Nono à symptomatibus tum præsentibus, tum præteritis. Decimo à loco sub quod etiã consensus continetur. Tum demum est ratio victus præcedens satis coniecturalis, si cætera non suffecerint. Et sciàs quod pulsus ratio in tumoribus, interioribus plurimum potest, sunt enim maiores, & pleniores, & ad declarandum partem affectam, velut in membranis duriores, in cerebro & pulmone molles à pituita etiam molliore: in scirrho duri, & in doloribus inæquales, latet autem dolor persæpe ob læsam mentem.

Incipere verò decet ab ipsa operationis læsione, vt ibidem refert: quoniam propter ipsam nota inquisitio est, quamobrem, & ab eius peculiari instrumento, veluti si obscura quædam ante oculos obuersentur, oculos ipsos aliquo modo pati necesse est, neque enim visio perturbari potest, oculo prorsus non patiente. Patitur autem membrum, vt aliàs diximus non solùm læsa operatione, sed vel in tumoribus, vel doloribus (quæ tria possunt singula ab aliis duobus secerni vtpotè lædi operatio sine tumore, & dolore: tumore effici membrum aeque dolore, & læsa operatione: dolere iterum nec lædi operationem, nec adesse tumorem) vel per se cum causa est, & oritur in ipso membro, vel secundarius dicitur morbus cum causa

cauſa eſt in membro, ortus autem materiæ quæ tranſmittitur aliunde, aut ex conſenſu, & dicitur proprius, cum cauſa oritur, & eſt extra membrum, velut cæcitas quæ contingit ex obſtructione nerui optici, & vomitus biliſs, qui fit vulnerato cerebro. Et quibus concuſſo cerebro vox adimitur, vt declarauimus in examine Commentariorum Raſis Noni ad Almanſorem Leonarthi, Iachini. In his ergo ſex membrorum genera conſiderare oportet ſimile in quo propriè eſt functio, & præſtat vſum velut cryſtalloides ad viſum, & quòd præſtat vtilitatem, velut tunicæ oculi præſertim cornea, & conſenſus ſubſtantiæ neruorum, quoniam ex neruis operationes ſenſiles originem ducunt, & meatus per quos, & ſpiritus deferuntur, alij per quos materia, vt aër pro voce, aut ſi præter naturam excrementa. Et ex ſpiritibus quidem naturales functiones perficiuntur, animales conſeruantur: vt per excrementa accidunt morbi, manifeſtum eſt igitur quòd horum omnium ſitum diligenter noſcere oportet, cum perſæpe ex mutatione ipſius operatio adiuuetur, aut impediatur. Conſiderandum etiam de ſeptimo morbi genere, quod ex alio procedit velut ſtrumma ex glandula, ſcirrhus ex phlegmone, dyſenteria ex febre, morbus lateralis ex angina. Similiter, & dignoſcere oportet circa propria excrementa, aut materias tumorum quæ pro excrementis habentur cum diuerſus ſit finis earum, attamen ſimilitudinem habent, vel enim cruda ſunt omnino quod functionem abeſſe ſignificat, vel ſem cruda quod debilem, aut vitioſa quod peruerſam, aut concocta quòd integram & puram eſſe oſtendit. Similiter, & ex his quæ adhærent excrementis velut nidoroſæ eruptuationes, & fœtidi crepitus ventris, & quæ profundè infarcta ſunt potius nixum efficiunt: quæ in concauitatibus motum, velut in ventriculo nauſeam pro vomitu, in inteſtinis tineſmonem pro fluxu: titillationem pro ſternutatione, Cerchnon pro tuſſi. Nec non circa compoſitionem tria præcipua animaduertere decet, cauitatem, meatus, & ſubſtantiam, vel vt quòd neruea maximis afficiuntur doloribus tametſi neruos paucos, & exiguos recipiant: Vt ventriculus inteſtina veſica membranæ, contra parenchymata. Meatus, vt ſciamus vnde materiæ influant, aut ad quæ deriuari poſſint. Cauitates, quoniam duplici officio funguntur, vt infrà dicemus, & Vitæ, & functionis. Cómunia etiam ſcire decet: velut quid calor quid frigus, quid ſiccum, quid humidum, quid vulcus, vlnus, flatus, aqua, ſanguis, bilis flaua, bilis atra, pituita, bilis nigra non exuſta, & exuſta, humor crudus, ſanies, lapis, vermis, pilus efficiunt generaliter non ſolum, verùm in ſingulis membris, quæque ex illis careant ſenſu: quæque exiguo prædicta ſint, aut mediocri, aut acri. Cumque per eandem viam idem educi poteſt, velut per os vt à cerebro, & ab aſpera arteria, & à pulmone, & pectore, & ventriculo poteſt excerni: Sputo, excreatione, tuſſi, vomitu, hæ enim operationes ſingulæ ſingulis propriæ ſunt. Et ſimiliter per mulieris pudenda ex veſica, vel renibus, non alcius. Ex vtero autem toto, vteriue collo. Vna verò ratio ſit diſtinguendi morbos ſecundarios, atque per conſenſum etiam longè magis, ab eo cuius fons, & cauſa eſt in ipſo membro: cum minimè iuuatur à debitis auxiliis quæ primo genio, ſeu morbo per eſſentiam præcipuè conferre ſolent. Aliud eſt ſi non continus ſit effectus, ſecundarius eſt, aut ex conſenſu, continuum dico quod aut affligit ſemper, aut veſtigia retinet. Et ſi vna particula vexata altera irritatur, conſenſum vtrarumque indicat. Et morb. qui ex alio relinquitur, eſt per eſſentiam, vt inſaniæ poſt delyrium in febre. Sed & ſcire oportet dolorum naturam, ac quibus maximè membris conueniant, quomodo quoque ſenſus, tactus, & vis motrix principio ipſo diſtinguantur, quæque vires facilius languidæ euadant, aut quibus ætatibus, & temperaturis, quæque ſerius hoc autem dicere nunc, non grauabor.

Ergo cum quatuor ſint expultrix omnium validiſſima eſt, & ſerius conſumitur, & maximè in calidis, & humidis temperaturis, ætatibus, temporibus, & vbi cauitates ſunt magnæ, & membrum operationi conſuetum: quoniam modico calore indiget, & per fibras fit, & per muſculos, & ab humido, & ſicco iuuatur pariter, & perſæpe à rei pondere, ſed & à volũtate, validitate, validiſſima eſt in ventriculo, inde in inteſtinis, poſt in vtero, & veſica, in pectore, & pulmone iuuatur à flatu, ſed & in corde ob robur ejus, & magnitudinem coloris, & ſanguinis multitudinem, propterea, & mortui quidam antequam frigeſcant euomunt, & excernunt per aluum. Debiſſima eſt concoctrix quæ nec voluntate, nec vi imaginandi, nec fibris nec muſculis, nec paſſiuis qualitatibus iuuatur, à frigido læditur grauiter: ab omni calore præter naturam peruertitur, auxilia, ſunt à corde & iecore, & ſi ſubſtantia carnea ſit & ſanguinea, & craſſa: ſi ergo hæ extremæ ſunt, neceſſe eſt duas reliquas in medio conſiſtere. Et attractrix quidem citius debilitatur retentrice, quia in motu conſiſtit, & calore indiget, retentrix autem à frigore parum læditur, magis ab humido.

Cum igitur læſa actio ſit quæ medicum ad inquiſitionem deducit, eaque primo occurrat, membra verò quibus perficitur actio illa plura ſint, & in eodem membro plura impedimenta, & cuiuſlibet impedimenti rurſus plures cauſæ, manifeſtum eſt, quòd præſentis inſtituti eſt hæc tria quærere, Galeni autem in libris de locis Affectis primum tantum, dubium haud eſt hunc librum, & exquiſitiorem, & pleniorem doctrinam tradere quam libri de locis affectis. Propoſita ergo actione læſa quod ad primum attinet, quærere oportet proprium ſubiectum quod vt dixi ſimilare reuocantur: Græcè melius omiomerum inde & quæ auxiliantur illi ex his vndecim quæ paulo antè dicta ſunt regione, nec non tumores dolores qualitatum exceſſus prodeuntia quæque ex triplici genere, victus rationem quæ præfuit, quæque iuuerint aut nocuerint, & reliqua. Postrò intuenti, in hoc vna tamen eſt

cum

cum illo, vt seu genus morbi, seu sedes, quæratur id solum ratione fiat, non de his agatur quæ sunt sensui subiecta. Nihil ob id vtilius anatomia.

1. *De differentiâ læsionis sensus, & motus.*

Distinguuntur primum non solùm inter se, sed etiam in partibus dextra, & sinistra, intus, & extra, tum verò extrema & media, quadruplex igitur differentia est & dextri quidem, ac sinistri discrimen est à medulla spinali, & cerebro velut videmus in oculis, & auribus manibus, pedibusque ob salutem animalis. Extremorum autem affectus sine medio, & in motu, & in sensu esse potest, quoniam & vires imbecilles, & obstructio in fine nerui id efficere possunt: in medio autem secundum eandem partem deficere alterum eorum impossibile est, cum verò adolescens de quo Galenus ait, ex casu offendisset vocem, & crura, non autem manus, non obscura fuit causa, nam nerui qui ad manus veniunt ex altioribus proueniunt vertebris, quam qui mouent intercostales musculos aut crura læsa, ergo erat pars spinæ inferior superiore salua. Qui verò in tribus digitis læsus erat, non in spina dorsi, cum tamen cecidisset è vehiculo, palàm est neruum ab origine fuisse quasi à spina conuulsum, atque ita læsum, nec spinam læsam fuisse necesse est, non sentiebat hanc noxam in aliis partibus, tum quia motum præcipuum non habebant hi nerui, tum quia à carne contecti erant, & minimè frigori expositi. Cur etiam intus, non extra, aut contra, ex ramis ipsis neruorum, ac musculorum contingit. At verò cur motus absque sensu lædatur, aut sensus absque motu, aut ambo simul ratio est prima, quoniam motus in actione, sensus in passione consistit: ideò facilius est lædi motum quàm sensum, ligamenta etiam si lædantur, manet sensus motu debilitato. Est etiam sensus actio nerui, motus musculi: & ideò instrumenti, fieri potest ergo, vt instrumentum lædatur, & sensus maneat: nerui quoque duri ad motum sunt magis accommodati: molles ad sensum, pati possunt molles, & sensus lædi, manente motu, tum maximè quòd qui sensus faciunt in cutim dispergantur, qui motum intus sunt, & ligamenta etiamsi inoffensa sint: sensum & motum ex se habet citra neruorum consortium, quamuis eluctante Galeno.

2. *De Doloribus.*

Dolorum præcipuè species quinque sunt, tendens, grauans, mordens, pungens, & pulsatorius, & magnus quidem fit ratione partis exactio sensu præditæ, & in mollibus corporibus, & insuetis, & vbi causa magna sit. Parvus verò duplex est: syncerus qui à contrariis causis fit: & stupidus qui fit cum particula ipsa simul læsa est, vel aliàs, vel tum influxu materiæ, vel ob magnitudinem doloris, aut diuturnitatem, aut vincula, aut frigus. Et calor quidem dolorem aufert, quoniam intemperiem prohibet frigidam, qua maximè nerui offenduntur, & vapores extrudit. Et quoniam membrum simile, naturæ suæ est, fieri autem non potest vt simul simile sit, atque difficile, frigidus verò vbi magnum sit, sensum aufert, exterius vero auget tum intropellendo, tum quia intemperiem neruis inimicam adauget. Pulsatio ergo fit compressio loco ob tumorem in quo causa doloris est, & arteria propinqua, nihil enim pulsat in corpore nostro præter arteriam; Indicium est ergo inflammationis in loco neruoso, & prope arteriam, grauans verò fit in membris quæ ex tunica tantum sensu prædita pendent, qualia sunt renes, & iecur: nam quæ sentiunt, plurimum obtundunt sensum grauitatis, tametsi pendeant, & inflammationibus velut membranæ cerebri maximè dura: tum vesica. In quibus verò dolor est obtusus valde, & grauiusculus, his nulla est membrana sensu prædita, velut in carnosa parte septi transuersi, mesareo, & cerebro. Tendens verò fit in membranis vbi arteriæ non sunt: vnde etiam in plerisque carnibus glandosis, sed non adeò: verum propriè in his quæ tendi possunt, velut ventriculus intestina vesica omẽtum: sed minus membrana subcingens costas, peritoneum. Et si circa calorem sit, à flatu, aut excrementis, aut materia minimè acri Materia verò pituitosa, & satis temperata, tum sanguinea, apta est tensioni, & grauitati, & dolori etiam pulsanti, si propè arteriam sit. Pungens verò fit vel à redura. Vel à veheméti frigore: Vel à materia acri cum valde tenuis fuerit, ac vaporosa, vt ita dicam, vnde contingit coli dolorem, & à flatu qui & ipse pungit, sed si exquisitius loquamur, tendit, & qui fit à pituita vitrea vix distingui à renum dolore propter lapillum. Erodens autem fit à calida materia & sicca acri, sed & frigida & sicca (nam & à pipere, & aceto, & ab allio, & à succo limum os eroditur) cum crassam substantiam habuerint, aut assiduè influant, nam in allio succus calidus & humidus est, verùm & sicci non parum admistum habet, & valde calidum est.

3. *De Dolore torsioni simili, & trahente, & lacerante, & iaculante.*

Hæ differentiæ dolorum minus sunt generales, vt quæ quandam speciem materiæ proprietatemque substantiæ membri, tum motũ exigant: velut iaculans pungens est, qui intermittit, palam autẽ est fieri ex vapore acri membro sensili lacerans est, qui rodit cum tensione adiungitur. Aut cũ alter eorũ membri substantiam prorsus corrũpit. Torsio verò fit in membro cauitaté habẽte. Maximeque à flatu transeunte per circuitum. Vel cum mẽbrum torquetur verè. Trahens autem in hoc differt à graui, quòd vehementior est, & ab vtroq; extremo sentitur. A tendente autem, quoniam partẽ vnam habet à qua distrahit. Tendens enim ex quo tendit, in vtranque partem fit, ergo trahens cum tenditur pars quæ parti adiacet firmæ. Ex altera tamẽ parte etiam tendit: in quo differt à dolore graui. Ex hoc habebis noto situ multorum membrorum certas notas, atque cognitionem.

4. *De Dolore qui per se sentitur, tactu non percipitur, quique contrario modo, & qui vtroque.*

Dicemus proprium quod ex sensu notum est dolorem ex phlegmone per se sentiri, & magis

magis ſi tactu comprimatur, vel in rodagra. De dolore autem in parte profunda velut in capite, aut in membrorum cauitatibus, quid mirum eſt ſi non ſentiantur tactu, cum non locus dolens ſed ſanus comprimatur. Duorum ergo dolorum qui ſunt prope cutim, quorum vnus per ſe tenitur, compreſſione non ſentitur, alter ſentitur ex compreſſione absque tactu non ſentitur: causa eſt, quoniam tumores frigidi non valde, neque magni, per ſe non dolent: quia non eſt cum re gna intemperies, & ſolidi tactus diuiſio non eſt magna, compreſſione dolent. Valde autem frigidi loci nerueſi, dolent ob intenſionem: compreſſi non dolent, non enim ſunt diuiſi.

5. *De Doloribus flagrantibus, ſeu ſit ſine pruritu dolor naturalis, & eo qui ex putrefactione ſit. De torpido, de vrente, de coquente, de conſtringente, de anxio ſeu iuuante, de Dolore.*

Princeps poſuit quindecim dolorum genera ſecutus Archigenem, iam à Galeno merito damnatum, ideò plura genera quæ ſolum habent nomen quàm eſſent dolorum recenſuit: nos autem tria. cum doceamus, nil plus docemus quam id quod non ſolum quilibet experimento comperire poterit, ſed qui illi acquieſcere volet fateri cogetur. Ergo dolor flagrans fit dum quis loro, aut virga percutitur, & dum excoriatur, aut cutis diuiditur, & eſt proprius illi, & maximè viget in virgæ præputio, & non noui membrum internum, quod afficiatur hoc doloris genere præter tunicam ventriculi interiorem, & gulam, & os, & quæ ſunt illi contracta. Et palàm eſt hoc latuiſſe non ſolùm antiquos, ſed etiam Galenum; quia non res ipſas animaduerterunt, ſed aliorum ſcripta ſolum ſunt ſequuti. Hic ergo membrum affectum, id eſt, tunicam aut cutim ad quam aër, aut res externa pertingere poteſt, edocet. Et affectum, & eſt ſolidi diuiſio, ſeu vulneris ſpecies, & non inueterati, licet forſan minuti. Et quanto minus fuerit, eo magis eſt remotum à natura alterius generis doloris, & eſt vera virga. Primitus autem eſt dolor medius, & tamen niſi ſit vehemens, facilè ferunt; vehementi nil acerbius. Et in ſanis partibus (quia vt diximus medius eſt dolor) eſt via ad dolorem, in iam dolentibus ad ſanitatem, fit ex vellicatione non diuidente ſolidam ſubſtantiam ſenſilem. Et ipſe eſt melius doloris flagrantis non ſimpliciter omnis doloris. Ideò, & ipſe ſignificat partem affectam cutim, & quod eſt ei ſimile, & affectum diuiſionis ſolidi initium. Et causa vaporem qui fit materia reſolutæ, aut ad quem materia tranſmitteretur non multo pòſt. Dolor autem naturalis eſt in ſingulis partibus corporis, tametſi careant neruis: quoniam viuunt per animam, quæ ſenſum præbet, & cum omnes habeant motum per ſe vel per adiuncta, ideò etiam habent ſenſum, aliter fruſtra ei datus eſſet motus. Et vt paucis agam, & experimentis, ac re non rationibus, dico quòd hic dolor eſt euidens, & maximus in corde & eius penetralibus, adeò vt nullum ſit maius. Et contingit in periculoſiſſimis affectibus, & ſi maneat, perducit ad interitum, & non poteſt aſſimilari cuipiam alij, quia eſt alterius generis, & eſt contrarius alacritati illi quam ſentimus etiam ſine neruis dum bene valemus. Et qui negat ipſum, vt ſcribit Galeno ſimilari videatur, eſt velut qui non vult videre rem quam præ oculis habet, & vult oculos claudere vt phalangius in metu accipitris. Et ſignificat partem affectam tetricet cor, & affectus magnitudinem, & ſæpe melancholicum vaporem ipſam petentem, aliter mortem paulò pòſt imminentem. Et ſi diffundatur materiam frigidam ei proximam aut ſcirrhum incipientem, & ideo curatur cum boragine, & croco plerunque, ſi curationem recipiat: quia cordi ſunt propria moderatè calida, & dilatant. Qui verò ſit ex palpitatione, eſt etiam cordi proprius, & moleſtiſſimus tanto deterior alio genere quod per neruos fit, quanto pribre minor, vt ſit quaſi medius. Et ſignificat membrum affectum, & affectus cauſam flatum, aut vaporem, aut qualitatem quæ in eo incipit generari, calidam, aut frigidam, aut venenoſam, & diſtinctio earum eſt ex his quæ præceſſerunt ex annexis & auxiliis. Torpidus dolor eſt velut in cruribus quæ in malo ſitu iacuerunt, aut in membris quæ vincta inde reſoluta fuêre. Et eſt neceſſariò ſemper ob id cum granitate. Et ſi ſponte accidat, ſit vel à vapore craſſo, vel materia tenui in neruo, vel materia craſſa melancholica circa neruum, & indicat diſcrimen tempus reſolutionis. Et eſt reſolutionis nuncius ſi ſit magnus, & diuturnus, & in membro magno, & abſque cauſa manifeſta. Et qui ſit cum punctionibus vagantibus (per ſæpe enim hoc accidit) eſt leuior, & tunc eſt miſtus ex quatuor, dolore leui, punctione, granitate, & ſtupore ipſo. Et quandoque eſt cum calore, & eſt mitior, & talis ſit ex vinculis, & nonnunquam cum frigore, & eſt deterior. Vrens qui ſit ceu ab igne, & eſt acris valde, & cum vrigine multa & calore, & penetrat celeriter. Et ſignificat cauſam quæ facit ipſam calidam valde, & exuſtam. Ideò ſi fiat intus, non poteſt eſſe verè vrens, ſed æſtum magnum ſentit & ſitim, & extrema frigent. Et ab inflammatione, aut eryſipelate in loco. Et diſtinguitur doloris magnitudine ad tactum, & tumore è regione membri patientis. Coquens ſit, cùm eſchara ſuperinducta eſt vrenti aut flagranti parti. Et eſt mitior, & ſentitur in eo dolor, calor & pruritus: ideò componitur ex illis. Conſtringens ſeipſum docet, & ſit à frigore in multa materia locũ amplum amplectente. Si autem frigus ſit maximum, pungentem efficit, vt ſuprà diximus. Cum enim conſtringens deſeuit, tranſmutatur in pungentem. Et pungens proximior eſt vrigini cæteris ſpeciebus dolorum. Dulcis autem atque ſuauis eſt miſtus plerunque ex dolore & voluptate, vt in deuirginata: in pene eius qui cutim ſeparauit à præputio, in coitu violento, in eo qui ſcalpit ſcabiem, aut pruritum, in eo qui moritur, aut qui in lipothymiam incidit. Qui verò eſt ſimplex, fit velut in titillatione, quoniam leuiſſima vellicatio ſimul & voluptatem & dolorem affert, fit & cum membrum dolori exiguo conſuetum,

tum, & dolet, & suauem sentit dolorem ob consuetudinem, vt in animo ex domesticis, ac filiis parum morigeris. Repentinus ergo significat exsolutionem, & si cum virium robore suppurationem materiæ facientis morbum, aut eruptionem si sit cum rigore. Et si diuturnus sit, & cum mollitie partis est proprius suppurationi factæ, ideò non negligendus. Dolor autem simpliciter quandoque sentitur absque vlla differentia: quemadodum in scapula Conciliator: & si sit magnus (nam in paruis plerunque latent differentiæ) est ex materia multa frigida & humida locum diuidente, & ob dolorem trahente calorem ad locum, vt frigiditas non percipiatur.

6. *De caro, seu somno profundo.*

Hic fit vel à frigiditate, & humido abundanti: vel ab altero eorum, & reliqua qualitate leui. Et frigiditas est potentior humido ad somnos: sed siccitas est potentior frigiditate ad vigilias. Et fit vel ob substantiam, vel materiam, vel ob vapores, aut ex his. Et materia collecta, aut sparsa, putrescente, & tum adest febris, & non putrescente. Et grauitas, & obtusio sensuum, cum materia adest, sunt maiora. Oportet ergo considerare quæ à naribus eiiciuntur, & qualia sint in his & cæteris capitis affectionibus. Inspice etiam oculos, & sit hoc vitium in anteriore cerebri parte, & oculi clauduntur in eo, & spiratio non læditur, & fit etiam ex contusione ossis vbi membrana cerebri læditur: vel si in perforatione ventriculus medius offendatur. Et fit etiam in magnis doloribus ex virium collapsu.

7. *De Vigilia.*

Hæc fit vel à calore, vel à siccitate exuberante, vel ab vtriusque vel à curis aut vaporibus vellicantibus, vel defectu corporis humidi, vel in inedia, vel mutatione cubiculi inter causas externas: quibus sublatis considera si adsit febris. Et si adsit pondus, hoc est deterrimum, ostendit enim humorem crudum, aut etiam melancholicum. Et si febris adsit erit à toto, si obuersantur imagines, & nauseabundus sit, erit à ventriculo. Inspice etiam oculos si rubent, est à calore: si sicci sunt à siccitate, si vtrunque ab vtroque.

8. *De Vigilanti Comate.*

Hoc est quasi medium, & vtriusque particeps. Et fit à bile simul & pituita, dicebat Galen. 3. de locis. bilis enim cogit vigilare, pituita coma excitat: Et ita fit coma vigilatiuum, nam qualitates absque materia contrarias difficile est inuenire, à frigiditate enim, & siccitate velut in decrepitis idem ferè contingit, sed febris non adest, & omnia arida sunt, fieri etiam potest ex intemperie calida, aut sicca in cerebro absque materia cum pituita multa. Et hoc frequenter accidit: contrarium autem rarius. Distinguere igitur oportet per rationes dictas, cum sint affectus communes, ideò cuncta repetere longum esset. Pro reliquis autem affectibus primum enumerare eos oportet: sunt enim sex, mœror, hebetudo, perturbatio, furor in ratione, & cum imaginatus falsa, & obliuio, componuntur autem pluribus modis: sed de his sufficit dicere.

9. *De Insania.*

In huius & cæterorum affectuum disquisitione non solùm excrementa cerebri considerare debemus, teste Galeno, verumetiam vigiliam & somnum: illa quidem propter se, hunc propter se & propter insomnia, cum hæc sint argumenta frigidi & humidi, aut calidi, & sicci. Sed & meminisse decet eorum in Commentariis de Aere, Aqua ac locis de eiusmodi scripsimus. Igitur quòd à quauis immoderata intemperie membrum, & spiritus destruente, omnia talia contingere possint, haud dibium est. Sicut quod à calido peruersio, & à sicco, à frigido autem & humido impotentia haud dubium esse potest, tum verò à compositionis prauitate nimia raritas, nimia durities, diuulsio partium: & omnia hæc præ oculis habere decet. Tum verò distinguenda sunt nomina ob multitudinem illorum, & interpretationum apud antiquos. Nunc voco insaniam perturbationem rationis sine furore. Hæc igitur fit à motu præpropero spirituum, ideóque vel ex nimio calore, vel siccitate, aut vapore perturbante. Et eius sunt tres species, vt de comitiali dicemus inferius. Et vicissim permutantur comitialis, & insania, & ex ea est Dæmonium, & hoc duobus modis accipitur, propriè, cum veram sortitur cognitionem quæ illi non conuenit, & non propriè, cum agitur in furorem, & præcipuè cum viribus corporeis supra naturam fertur.

10. *De Hebetudine.*

Fit à frigore aut humido aut defectu spirituum, aut cerebri compositione mala, vt cum terreum euadit, velut in decrepitis.

11. *De Furore.*

Hic fit vel à calore nimio, vel à siccitate, vel vtrisque, aut vaporibus vrentibus & concitatis.

12. *De Mœrore.*

Hic cum sit saluis cæteris; aut materiam melancholicam significat, aut spiritum eiusmodi factum, & si sic, periculum est cæcitatis, aut insaniæ, & si ob materiam, scirrhi, aut catalepsiæ, aut insaniæ.

13 *De falsa cogitatione.*

Hanc imaginationem malè Barbari vocant, & fit ab eisdem causis quibus perturbatio rationis.

14. *De Obliuione.*

Hæc fit semper ab humido, quoniam formas non suscipit benè, multo minus retinet: à frigore autem, quoniam coctionem impediendo primùm humidum copiosum generat, postea etiam membri compositionem dissoluit: ideò maxima in decrepitis. Distinguuntur autem hæ facultates, quia memoria fit omnino sine motu, est enim habitus quidam, & continuatione partiũ retinetur, vt vna alteri succedat: Ratio & cogitatio cum motu fiunt, sed ratio est formarum compositarum vis imaginandi simplicium. Et tales formæ sunt cum magnitudine, & ideò etiam figuram habent, memoriæ autem formæ indiuiduæ sunt.

15. *De conuulſione.*

Quæ in membris anterioribus eſt & ſuperioribus, & pauci motus à neruis cerebri ortum habet, hi autem ſeptem paribus comprehenduntur. Si verò in poſterioribus aut inferioribus partibus à collo, aut magni motus à neruis orientibus à ſpinali medulla. Fit autem ab humore, & à ſiccitate, & cauſæ quæ præceſſerunt docent cuius generis ſit, & habitus corporis, & omnis conuulſio eſt cum motu & abſque cognitione, & ortum habet à cerebro, niſi ſit ex conſenſu inferiorum.

16. *De Tentione.*

Hæc ſimiliter fit in neruis, & totidem ex cauſis quot conuulſio, & ortum habet à neruis & eſt quieta, & mens conſtat, ideò ſi in tentione motus accidat, conuulſio imminet: & ſi mens turbatur, æger eſt prope mortem, & tentio vniuerſalis toti corpori eſt neceſſario, & principaliter in parte poſteriore, nec communicatur toti corpori, niſi ob ingruitudinem affectus, quia origo neruorum eſt à parte poſteriori. Incipit ergo prius ſemper opiſthotonos, inde tranſit ad tentionem, & eſt deterior, vt dixi: Emprosthotonos autem non inuenitur in toto corpore, ſed ſolùm in partibus faciei, quia nerui cerebri non pertingunt eouſque. Et quæ eſt cum motu, eſt media conuulſio.

17. *De Comitiali morbo.*

Duplex eſt opinio, vel quòd à craſſo humore, vt Galenus, vel quòd à ſpiritu fiat, vt Auerrois conueniũt quòd in ventriculis cerebri non prorſus impeditis: nã fieret attonitus. At via ſimplicior omiſſa propter veritatem, & facilitatem Galeni opinione, vt ſic diſtinguamus: vertigo fit à vapore occupante partem ventriculi, comitialis ab occupante totum: apoplexia, ſeu attonitus à materia occupante ambos ventriculos. Si verò vnum tantum reſolutio: quia per alium ſtat vita, ſi autem non plenè paraplexia, quanquam Galenus velit apoplexiam fieri ex materia in ſubſtantia cerebri non in ventriculis contenta. Hæc diſpoſitio expedita eſt, & experimentis ac rationi ſatisfacit. Et de flatu quidem vidimus expreſsè in Franciſco Corio cum manifeſtè aſcenderet per eius tanta multitudine, vt videretur fons quidam, aut canalis magnus ad hunc effectum à natura fabrefactus, conueniunt authores in materia quòd ex melancholia aut pituita craſſa ſpiritus ille gignitur, ſed & de ſolo, aut enim ex ventriculo, aut ex aliquo membro alio, aut ex ipſo cerebro defertur ſpiritus tanquam materiæ ſedibus. Quocirca demiror quomodo Galenus admittat comitialem morbum fieri ex materia quæ alibi genita ſit, & ſecundarium eſſe, deinde omnem comitialem eſſe credat ex materia. Sex ei morbi ſimiles, ſunt, tentio & reſolutio, attonitus, & deprehenſio, ſed in his conſtat ratio, & motus non adeſt, & in attonito ſpiratio magis lædituꝛ, & difficilè ſoluitur. Vertigo, ſed in illa ratio & ſenſus manent, & motus voluntarius, conuulſio hæc valde ſimilis eſt ei, ſed non ſoluitur per ſpumam in ore, & ſæpius copulatur febri, & maiores mutos habet, & in comitiali partes vtræque anterior & poſterior contrahuntur, & poſt acceſſionem non adeò perfectè liberatur conuulſus, vt qui patitur comitialem: & comitialis ſit ſubito, & conuulſio ſenſim, & comitialis mutatur per totum corpus, & conuulſio hæret quibuſdam membris magis, vtpote brachio vel facie: & differt ab hyſterica paſſione, quia in ea non aboletur ratio tota, & neque ſpuma adeò aduenit, & cauſæ eius notæ ſunt, vt in viduis. Et differt à lethargo quòd cum comitiali non eſt febris, neque pulſus eſt plenus vndoſus, & ſoluitur per ſpumam lipothymia (nam ſyncopis pulſus defectum habet, & manet immobilis) motum intercipit in cæteris valde ſimilis breues etenim & ipſa acceſſiones habet. Signa ſpecierum ex ſenſu habentur: item ex parua capitis læſione. Et quæ eſt ex ventriculo difficilius cognoſcitur, & ex ſignis communibus dictis, & à lædentibus atque iuuantibus, in his enim in quibus monetur è ieiunio, aut ira ex ventriculo originem ducit, contingit etiam ex frigida vel ſicca intemperie conſtrictis ventriculis, ſed hoc ex venenis, aut morituris. Eſt & morbus ſacer cùm febris adeſt, & anhelatio, & morbus magnus cùm tremor & ſudor. Ob hæc cum ſit triplex primum, Sacer morbus ſeu mater puerorum qui occidit, & comitialis, qui non occidit, & conuulſio quæ eſt ſine febre, & media eſt, rarius tamen aduenit, vt hæc diuiſio eſt, propria ei: alia communis cum inſania triplex etiam à cerebro, à ventriculo, à toto: alia communis omnibus fermè morbis ſumpta, ab humoribus autem quatuor fient in vniuerſum ſpecies ſexxxvi quas ſi à primis differentiis ſumas facilè diſtingues. Deorum enim cognitioni aſſimilatur aliter fermè nunquam aſſequeris.

18 *De Vertigine.*

Signa ſi ex primaria cerebri affectione contingant iuxta Archigenem capitis grauitates, & dolores, & aurium ſoni, tum vel in olfactu, vel in oculis, vel in lingua læſio accidit: ſi ex ventriculo morſus nauſea, aut flatus erumpunt: ſi ex reliquis partibus pulſus agitatio, & titillationes. Sunt eius tres ſpecies cum quis abſque cauſa titubat, vixque ſubſiſtit ne cadat: quæ leuior eſt, cumque omnia circumuerti videntur, aut obtenebrantur, & cum vtrunque. Circunuolutio fit ob vaporem delatum ad oculos, vel ex cerebro, vel ventriculo concitato, & inſueto motu tenebræ cum niger fuerit. Eſt igitur morbus oculorum. Si auta abſque motu delatus vapor ſit, imagines parit, eſt verò cum circumuolui videntur, ſed oculus non hæc cernit, atque hæc eſt vera vertigo, & morbus cerebri non prima. Ergo cum quis abſque viſione vlla caſui proximus eſt, initium eſt vertiginis: non enim vapor ad oculos, ſed ad cerebrum delatus eſt: deeſt autẽ motus ille violẽtus, hæc autẽ non prodita (vt morbi valde diuerſi natura ac poteſtate) inuicẽ cõfundãtur:

Primus

Primus enim initium est suffusionis, seu à cerebro, seu etiam à ventriculo (sed & hoc ignorarunt antiqui) secundus autem comitialis morbi vel à cerebro, vel à cerebro, vel à ventriculo.

19. *De capitis doloribus.*

Cum in toto est cephalea, cum in medietate hemicrania, cum in parte ouum. Cum in particula parua clauus. Inde considerare oportet si ad tactum sentiatur. extra est, si non, intus: si ab intemperie, sensim fit, si à vapore, repente. Qualitas etiam doloris si in tenui membrana, acutior, si in crassa, hebetior. Considerare oportet & grauitatem quæ materiam ibi adesse significat. Tum verò calorem frigus causas antecedentes, & à quibus iuuantur aut læduntur, colorem faciei, oculorum, sternutationes, & somnos ac vigilias.

20. *De Attonito morbo.*

Cum iacet homo tanquam mortuus sine sensu & motu, & repente id contingit, & respiratio læditur, tunc est morbus attonitus. Et si respiratio maneat, & aliquis motus, adest stertor. Et alius per se contingit, alius succedit morbo comitiali, & si non desinit, interficiet: si desinit, facilius & citius priore dissoluitur. Et futuri obliuio stoliditati similis, & capitis dolor vehemens.

21. *De Resolutione.*

Hæc est dimidiæ partis priuatio sensus & motus, absque dolore, & stante ratione. Hæc etiam triplex est: alia incipit. Sunt igitur modi lxxiiij.

22. *De Paraplexia.*

Hæc est diminutio sensus & motus magna in aliqua parte, absque dolore.

23. *De Stupore & Tremore.*

Hic est diminutio sensus, & plerumque etiam motus alicuius partis cum dolore obtuso. Tremor autem fit ab imbecillitate virium. Hæc autem vel defectu spirituum, vel materia, vel anima hæsitante.

24. *De Torsione oris.*

Hæc est species emprosthotoni, & est cum dolore. Et pars laborans fit breuior, & si fit species resolutionis, est sine dolore, & pars affecta est longior. Ad hanc verò partem latam pauci nerui, inquit Galenus, ex quinta cerebri coniugatione veniunt, reliqui omnes à vertebris cernicis.

25. *De Lycaone, seu Lycanthropia.*

Hæc est melancholiæ quædam peculiaris species, noctu enim domo egressi lupos in omnibus imitantur. Et donec dies illucescat circa defunctorum monumenta plerunque vagantur. Hæ comites ipsorum notæ sunt: facies pallida: oculi ad videndum imbecilles & sicci: lingua aridissima, nulla in ore saliua, sitis immodica: ibiæ, quod frequenter impingant, exulceratæ adeò vt sanari nequeant.

26. *De Amore.*

Iuuat hoc scire, nam frustra huiusmodi homines auxiliis communibus curauerit. Quinimo Erasistratus, vt author est Galenus, sanauit Antiochum Regis filium: luceratusque est hac cura. c. Talenta, id est, aureorum connatrum. lx. M. Oculi concaui non illachrymant, sed tanquam voluptate pleni apparent. Continens palpebrarum motus, & cum reliquæ corporis partes non collabantur, soli hi amantibus concidunt. Pulsus ipsorum propriè nullus est, vt quidam opinati sunt, verùm qualis eorum deprehenditur qui cura conficiuntur. Cum verò id quod amatur in mentem ipsis vel auditu, vel visu, & præsertim repente venerit, tunc pulsum animo turbato contingit immutari, neque naturalem æqualitatem, neque ordinem retinere: Dico multis lachrymæ vberes excidunt, atque his potissimè qui iam potiti sunt.

27. *Morbi cerebri in compositione.*

Horum quidam sunt cum materia, & hi facilioris sanationis: namque materia sublata desinunt: qui materia carent, in his opus est mouere iam morbum. Signa quòd vbi materia deest, necesse est aliquam adesse causam externam, velut vulnus ictumve aut casum, insolationem, aut calorem immodicum, aut frigus. Qui verò ex materia accidunt, alij ex flatu, alij ab aqua, alij ab humoribus simplicibus aut complicatis, quorum mitior natura est sanguis, sed quoniam extra venas est, deterior redditur tunc pituita. Pituitæ autem morbus minus sæuus quàm flauæ bilis, sed longior: flauæ bilis contra: melancholiæ deterrimus, & periculosior & insanabilior. Aqua autem si membrana peculiari non contineatur, proxima est pituitæ, & minus noxia quam humor crudus, si peculiarem habeat vesicam qua contineatur, nonnunquam repentè interficit. Signa pondus & frigitas. Et quælibet materia bifariam afficit, vel sparsa, & tunc æqualiter afficit: Minorem dolorem excitat: & febrem: & tardius putrescit. Collecta omnia efficit contraria. Et quilibet horum morborum, aut fit in membrana dura, & videtur os capitis affici: & cutis exterior: & pondus est maius. Reliqua sunt minora febris, dolor, vigilia, delyrium: aut fit in membrana tenui, & dolor est quasi in medio quo ad altitudinem, & est deterius, & symptomata sunt grauiora. Aut accidit in falce, & est in cerebri medio quoad latitudinem, Et dolor tendit ad imum, & omnia symptomata sunt grauiora. Et quandoque sentitur pulsatio, & cum tumor includit, aut tangit arteriam adeò vt sentiatur pulsatio, tunc etiam pulsant arteriæ illi coniunctæ in omnibus, & ideò his etiam pulsant tempora, & periculosior morbus. Periculosissimus autem in substantia cerebri, & dolor penè nullus, nisi grauitas: Et oculi contrahuntur, & pedes refrigerantur, & facies fit liuida, & scias quod morborum magnorum signum est non posse videre splendores, aut audire voces nisi remissas: idem in saporibus & odoribus, sed minus, aut significant cerebri imbecillitatem, aut vtrunque.

28. *De flatu seu vaporibus.*

Vapor est crassior flatu, & ratò flatus inuenitur in corpore humano. Et non est res quæ magis imponat medicis flatu: quoniam & dolores læuos, vt humor acris, excitat, & tumores vt abscessus. Et stringit

git pectus vt pituita, aut tuberculum, & mouetur vt vermis, & pungit vt lapis, & nauſeam mouet vt bilis, aut humor corruptus in ventriculo, & titubare facit, vt morbus cerebri, quamuis ſit in ventriculo, nihilominus eſt cum leuitate, & facilè mutatur tempore & loco. Et ratò aſſociatur febri magnæ: Et adducit crepitus, murmur, eructuationes, ſternutationes, alices & oſcitationes. Et Galenus exiſtimat quod flatus fiat à calore debili non tamen prorſus extincto. Ego autem puto neceſſarium eſſe etiam præter naturalem.

29. *Inflammatio.*

Dolor maximus & diuturnus: Robur in facie cum tumore molli. Caput intumeſcit: Oculi fiunt emiſſicij: Præterea nauſea & bilis vomitus.

30. *Eryſipelas.*

Cerebrum & caput vri videtur, facies frigida & ſubpallida, Os ſucceſſit.

31. *Phrenitis Arabum.*

Hic eſt abſceſſus in cerebro vel membranis ex bile flaua. Et ſigna communia initij ſunt febris acuta valde ob membrum & materiam: & rigor in principio, propter propinquitatem ortus neruorum, & facies multum à naturali mutata, quia bilis cerebro valde aduerſatur, & frigus extremorum ob calorem capitis vehementem, & vigiliæ ob naturam humoris. Et mentis perturbatio, ob mutationem temperaturæ cerebri & vehementum ſpirituum motum. Et vrina tenuis & aquoſa, & fæces albæ vt plurimum. Quod ſi ſit in membranis, dolor eſt magnus, & pulſus durus & inæqualis valde, ac paruus: Et ſi in cerebro, dolor exiguus cum parua grauitate: Et pulſus mollis & valde paruus, & oculi fiunt caui. In incremento facies rubet, & oculi fiunt ſanguinei & ſicci, & cum lachrymantur vel alter eorum, & aſpectus ſit toruus, & ex nare altera modicum ſanguinis. Huic ſi calor exuberet, & obliuiſcuntur & alte reſpirant, & fiunt iracundi, & abhorrent radios. Et delyrium perpetuum, & lingua fit arida & aſpera, & colligunt feſtucas oculis clauſis. Et cum morbus tendit ad malum, vrina fluit ipſis ſentientibus aut non ſentientibus, & dentibus ſtridet & tremunt, & cum prorſus tendunt ad interitum, coma vigil eos inuadit: Reſpiratio manifeſtè læditur: Vrina denigratur, & corpus refrigeratur & ſupinum iacet.

32. *De futura Phrenitide.*

Febris acuta praua, cum aluo valde aſtricta, & obliuio, & triſtitia ſine cauſa, & dolor capitis cum grauitate, & vigilia cum ſomnis turbulentis, dolor faciei malus, & dolor iuxta Athlanticam vercebram.

33. *Signa quæ diſtingunt phrenitidem ab abſceſſu in ſeptro tranſuerſo.*

Adſunt fermè omnia ſigna morbi lateralis. Delyrium non eſt adeò continuum nec furioſum, & alleuiatur, cum febris miteſcit: Oculi non adeò permutantur, & calor eſt magis circa pectus, & coctæ mendoſæ ſuperius trahuntur, & ſpiratio inæqualis redditur.

34. *Phrenitis Græcorum.*

Hæc eſt inflammatio ſola abſque colleræone. Signa febris acuta quæ mitis videt: Vigiliæ cum ſomno turbulento: Delyrium. Obliuio: Oculi ſanguinei magis quam in priore, aridi tamen & cum lachrymis: lingua aſpera, ſanguis à naribus fluit: Floccos colligunt: pulſus exigui, languidi, duri, reſpiratio magna & rara, Et ex hoc genere eſt morbus quem Hippocrates vocat ſecundo de morbis febrem interficientem.

34. *Lethargus.*

Lethargus fit à pituita congregata in cauitatibus cerebri, & putrefacta. Et ſigna ſunt febris lenta, cum ſomno profundo: pulſus magni, rari, vndoſi: reſpiratio rara & imbecillis, obliuioſi, ſtupidi: vrinæ turbulentæ: ſæpe febrem horror antecedit ob cauſam dictam in phrenitide: Oſcitatio multa: deſcenſus ad pedes cum in phrenitide aſcendant, cætera omnia pituitoſa. Sudor quandoque adeſt inutilis circa ſupremas partes, & cum abundauerit, interficit: quia vires deiicit. Et ventura ſigna ſunt, tremor capitis, & pigritia, & grauitas.

36. *Signa quæ Lethargum à caro diſtinguunt.*

Caros ſequitur ad febrem, febris autem ad lethargum. Et ipſa febris in lethargo eſt minor: & caros ſeu ſapor alias etiam cauſas, vt dictum eſt, ſubſequi ſolet. Vnde duplex eſt & homonymum. Et quandoque fit à materia pituitoſa putrefacta, & quandoque ſine materia. Et in caro eſt maior mutatio pulſus & rationis cum expergiſcuntur, quàm in lethargo. Et caros ſæpè accidit in initio febrium intermittentium, & generaliter lethargus ex materia fit, caros potius ex vaporibus.

37. *Letargi, & grauedinis diſcrimen.*

Differt etiam à grauedine quæ cum febre eſt, & ſi putrida non ex materia quæ grauedinem efficit. Et materia illa ſecreta eſt ab alimento, aut congeſta ex vaporibus non à ſanguine conuerſa. Et in grauedine perpetuò ſeparatur & defluit, in lethargo manet atque putreſcit.

38. *Catochus, ſeu ſibare.*

Conſtat ex flaua bile, & pituita putreſcente, vt ſit compoſitus ex phrenitide & lethargo. Iacet æger ſupinus extenſus, facies ſubtumida liuet & ſubrubra eſt. Et gena ſuperior quaſi conuulſa, vt non conniuere poſſit. Reſpiratio quaſi nulla. Pulſus exiguus, languidus, creberrimus, Vrina & aluus cohibentur. Hæc initij, ſi malum ſæuiat deglutiendo ſtrangulantur. Et exit potus per nares: Reſpiratio læſa eſt valde: per vigilium continens, vrina ſupprimit, ſudores erumpunt. Facilè ab hyſtericis diſcernitur cum illæ ſæpe febre vacent, & inclamanti attollunt oculos, & naturaliter iacent, & meminerunt vbi redierint. Neſcio quid in mentem venerit Galeno cur diceret quòd in catoche magis afficiantur poſteriora capitis, in Apoplexia & comitiali vtraque pars, niſi vt diuiſionem æqualem faceret: nam in caro dicit anterior, cum tamen in catocha reſpiratio parum lædatur aut nihil, quæ per nẽruos poſterioris partis cerebri fit.

Oculi

Oculi autem ipso teste maneant aperti, quod vitio anteriorispartis celebri necessario accidit, sed de hoc supra dixi.

39. *Abscessus melancholicus.*

Hoc similis est priori, adeò vt quidam catochum huic tribuerint, & mirum est quod si hic non est, non videntur authores eius mentionem fecisse. Dico ergo quòd cum in febre lenta adest Coma vigil. cum dolore leui capitis & grauitate: Deinde ad Catochũ tendit, iam collecta est materia melancholica in cerebro vel membrants: & delirant per interualla, & decubitus supinus est. Et Catochus, quæ succedit in fine febrium, fit resoluta parte tenuiore, & est ex hoc genere. Et catochus ex melancholia differt ab eo qui est ex pituita, & bile flaua, quia facies est nigrior sine rubore, & corpus est frigidius, & pulsus minor vt sit quasi capillus, & non sudat, & febris nulla, aut occulta, aut exigua, & longa præcessit. Et ego vidi eum sæpius.

40. *Aqua.*

Signa eius quæ supra duram membranam est grauitas, lachrymæ assiduæ, & oculos claudere non potest, tumor in cute prominet, qui non facilè tactui cedat, & se condit infrà dolor vehemens: frons ipsa exterius producitur. Nullam recipit sanationem peculiarisque est infantibus.

41. *Cerebrum occupatum.*

Contingit ex vino, & est minus malum. Signa dolor acris, & quod obmutescit statim. Hic acutior est sequentibus, vt qui intra tertiam diem occidat cum alter intra septimam, Sed plures tamen ex hoc euadunt, maximè si ex ebrietate contingat. Hic & duo sequentes sunt Hippocratis.

42. *Cebrum concussum.*

Cum cerebrum colliditur vt in septima Aphorismorum signum est à causa. Inde ex secundo & tertio de Morbis. Dolor caput tenet & ad spinam descendit, Aeger non audit, frigus descendit ad cor, & ex illo ad caput deuenit, totus intumescit, & voce priantur, facies liuida fit, febris cum rigore apprehendit: Derepentè nonus sudor fluit, & per nares sanguis, vomuntque multi.

43. *Cerebrum corruptum.*

Dolor ex ceruicis neruo ad spinam tendit, & ad cor frigus descendit, sanguis perfluit & sudor repentè, pluribus etiam vomitus. Moritur vt plurimum intra tertium diem. Acutiorque est præcedenti, ideò si producatur, paululum potest euadere, seu quia non perfecta sit corruptio, seu quod natura potuerit separare, inde viam inuenerit expurgandi quod corruptum est.

44. *Vulnus celebri.*

Si cerebrum membranaue eius vulnus accepit, sanguis per nares. Quibusdã etiã per aures exit, fereque bilis vomitus insequitur. Quorundam sensus obtundũtur appellatique ignorant, quorundam trux vultus est, quorundam oculi quasi resoluti huc atque illuc mouentur, fereque tertio vel quinto die delyrium accidit. Multorum etiam nerui distenduntur. Ante mortem autem plerique fascias, quibus caput deligatum est, lacerant, ac nudum vultus frigori obiiciunt.

45. *Medulla Spinæ vulnerate.*

Medulla quæ in spina est dissilsa, nerui resoluuntur aut distenduntur, sensus intercidit, interposito tempore aliquo, sine voluntate inferiores partes vel semen, vel vrinam, vel etiam stercus excernunt.

46. *De læsione olfactus.*

Hæc fit vel in narium meatu, vel in osse pumicoso, vel in neruorum propagine minori tertij paris, vel in processibus mollibus cerebri iuxta neruos concauos visorios, & si nihil deriuatur per nares, erit obstructus meatus, & intemperies quæ lædunt hunc sensum, sunt frigidæ aut humidæ.

47. *De cæcitate.*

Hæc contingit oculis incolumibus, obturatis neruis cauis qui sunt primi paris aut scirrho, aut inflammatione, aut fluxione. Si verò vitiatum sit membrum proprium, scilicet cristalloides, in qualitate, tum maximè quod humor lucidus non sit, id euenit, quoniam alimentum melancholicum est & siccius, aut aquosius quàm par sit, neque enim spiritus visiuus in aqueo humido viuare potest. Sin verò non in illo, vitium erit inter corneam, & ipsum obducta nebula, vt in suffusionibus. Et suffusionis initium plerunque à cerebro est materia per cauos neruos descendente. Veruntamen & qua ratione fiunt imagines ex vaporibus à ventriculo ascendentibus, eadem etiam & ab illo suffusiones: rarius tamen consistunt vapores, quàm humor per tot media dilatus, nam super araneam tunicam constat fieri suffusionem. Ergo non per cristalloidem materiam suffusionis defertur à cerebro, sed per tunicam: per cauitatem autem & vapor qui ex ventriculo, & humor, qui morbum efficiunt guttã serenam, quod cæcitatis genus ex ipsa generatione insanabile est. Vt sint tria genera totidemq; morbi quibus hominibus cæcitas aduenit, non duo tantùm: Aut quoniam corneæ pars, quæ pupillæ obducitur, crassior & obscurior facta sit: velut in decrepitis senibus quocirca acuto gladio, aut seta caudæ equinæ detergi solet. Quartus morbus cæcitatis causa rhagoidis, id est, vuuæ constrictio, dilatatione ea deterior, maximè præter naturam. Contingunt & morbi manifesti, velut inflammationes, vlceri, cicatrices, albugines, quæ visu deprehenduntur: at de his loqui propositũ non est.

48. *De Imaginibus.*

Suffusiones & imagines in quibus nihil videtur in oculo, & si vterque oculus eadem patitur: & si inæqualiter per tempora afficitur: & si vitia in ventriculo apparent, hæc omnia ab illo imagines fieri ostendunt, cõtraria vitio cerebri & oculi, & similiter à sphiera picta nihil iuuetur: sunt & qui propter cerebrum laborant, vt in phrenitide talia videre se putant. Quod si oculo vno compresso alter dilatatur, aut demitti potest: si non, neminem quamuis nobili artifice sanatum ait Galenus.

49. *De oculorum malo situ & motu.*

Si oculi immobiles sint (dicit Galenus) secundum par neruorum ad oculos venientium affectum est. Cum verò bifariam musculi afficiantur, contractione ad suam ori-

ginem, aut reſolutione ad contrariam partem, velut ſi oculus declinat ad angulum interiorem, vt in ſtrabis accidit, vel muſculus exterioris anguli reſolutus eſt, vel interioris conuulſus. Quòd ſi prolabatur omnino reſolutis his, qui eum continent, neruis, cauos neceſſe eſt diſtendi, minuſque hominem videre. Et ſi nimis prolabantur, excitare prorſus inſanabili laborare.

50. *De Palpebrarum ſitu.*

Quæ inferior eſt, immobilis eſt, & ob id non niſi vlcere aut inflammatione vitiatur, in ſuperiori eadem dicenda, quæ de oculorum ſitu ac motu, nam vel reſoluuntur vel conuelluntur. Diſcrimen reſolutio fit ſine dolore, pallet locus, non tumet, repentè fit.

51. *De Aurium vitiis in operatione.*

Oculorum ſenſus tenuiſſimus eſt, dicit Galenus: Sed Aurium proximus vt olfactus, poſt illum inde guſtus, tactus autem obtuſiſſimus. Ergo auditus læditur vel ob tinnitum, vel quia obtuſior redditur. Et tinnitus fit à vapore, qui intra tympanum colligitur; & quandoque extra ex conſuetudine magnorum ſonorum: Intus autem & à cerebro & à ventriculo, ſunt enim foramina intra os quæ ad aures permeant, quocirca voces per os exceptæ, & per lignum dentibus prehenſum, audiuntur. Surditas autem fit & auditus grauitas, vel ob meatum obturatum aut tinnitum, vel ob craſſitiem & duritiem tympani, vt in ſenibus, vel rupturam eius: vel ob neruum auditus ex tertio pari, aut connexionem trium oſſiculorum.

52. *De Auris dolore.*

Fit vel in tympano ob flatum, vel intemperiem, vel phlegmonem, & in muſculis ob phlegmonem aut intemperiem: & in neruis ob materiam influxam aut intemperiem. Et in omnibus intemperies eſt frigida, calida enim ſi tumorem non afferat, dolorem non mouet, nec reliquæ. Et ſigna ſunt communia.

53. *De Linguæ Affectibus.*

In linguæ affectibus præclarè ſe geſſit Galenus, nam cum ea laboret triplici affectu ſentiendi, guſtandi atque loquendi, guſtus autem ſit quidam tactus exquiſitior, ideò ambo hæc à neruis tertij paris cerebri habet, motum autem & loquendi facultatem accipit à neruis ſeptimi paris ipſis cerebri: quo fit, vt mouere linguam amiſſo prorſus tactu & guſtu eius poſſit, ſicut accidit Auguſto Corbettæ amico noſtro, vt contra amittere motum linguæ ſaluo guſtu licet vitiatis neruis ſeptimi paris, non his qui à cerebro veniunt: quod longè frequentius quàm primum accidit, idque perſæpe videmus: ſicut & id quod lingua ſemiſyderata ſit: quod euenit vna parte ſpinæ, aut neruis ab ea orientibus læſis, aliis ex aduerſo incolumibus: iſque redditur ſemiblæſus, quòd ſæpius longè etiam contingit quàm quod ex vtraque parte, cum id vitium accidat ſolùm in apoplecticis comitialibus & catochis, qui iacent vt mortui, hæc verò ex quauis cauſa reſolutis: tum etiam peculiariter quibuſdam lingua ſic reſoluitur, & tamen nil aliud, quod & contingit per ignorantiam aut alio caſu inciſo altero neruorum ramo qui ad linguam ex ceruice tendit. Quæ verò adiicit verba huiuſmodi: Quod ſi namque anterior aliquando ſola pars cerebri affligitur, ſupremum ventrem ei conſentire neceſſe eſt, atque cogitandi actiones quoque vitiari. Et qui ita affectus eſt, neque ſenſus neque motionis munere fungitur, ſpirandi tamen facultas haud quaquam læditur: vocaturque hic affectus Caros. Hæc ſi, vt ionant, intelligantur, falſa ſunt: lædi enim poteſt cerebri anterior pars ſic, vt oculi & olfactus & lingua non fungantur ſentiendi munere, nec tamen ventriculi anteriores, quod aliquando vidimus manente etiam dis affectu, ſed ita legi debent verba. Quòd ſi quando anteriorem partem totam affici contingat: ventrem cerebri anteriorem lædi neceſſe eſt. Vt non ſolùm addatur totum, ſed (omiſſa ſermonis elegantia, quam in continuatione conſtituit) ſermonem manifeſtè ex linguæ ſymptomatibus traducat ad cerebri affectus. Et communicat lingua cerebro per materiam: pulmoni per vapores: ventriculo per tunicam: iecori per venas: cordi per arterias: tótque modis colores fœdi & ſubſtantiæ variatur. Vnde qualitatis mutatæ ſignificata. Quod ſi malus ſapor ſentiatur, talis humor in ea vel in ventriculi ore imbibitus eſt, ſed ſufficit etiam ex eis conſenſus, nihil enim prohibet transmitti quicquam per medium, quod qualitatis eius, vt ſenſilis eſt, non eſt capax.

54. *De Neruorum cerebri diſtributione.*

Primum autem par neruorum ex cerebro ſenſum oculis largitur, vocantque obtici, ab effectu: eaque ſunt & valde magni: Secundum oculis dat motum: Tertium præbet ſenſum naribus, linguæ, dentibus & gingiuis, pluribuſque oris partibus & labris: Quartum palato: Quintum auditui: Intermedium inter quintum & ſextum par ad mandibulam inferiorem. Sextum dat ſenſum laryngæ, ventriculi ori, vt ventriculo ipſi, iecori, cordi eiuſque inuolucro, pulmoni, coſtis, omento, duodeno inteſtino, veſicæ ſellis, renibus, lieni, meſaræo, veſicæ. Vt non miremur in cæteris ſi cui quodammodo omnia, aliis fermè nihil tribuatur, & munerum & miſeriarum. Septimum par muſculis, linguæ ac laryngis motum præbet: quod durius ſit: & in poſteriore parte cerebri oriatur, cuius maior pars, imò totum fermè, commiſcetur ſexto, & cum illo ad inferiora deſcendat. Atque hæc à Veſalio clarius habentur deſcripta.

55. *Angina.*

Quadruplex eſt, cynanche, ſynanche, paracynanche & paraſynanche. Synanchen dicimus cum fauces (id eſt communis locus gutturi & gulæ) inflammantur: quæ propriè Angina eſt. Cynanchem cum gutturis tunica & muſculi. Paraſynanchen cum iuxta fauces. Paracynanchen cum extrà omnino. Quintum additur Quarto de locis, cum luxata in anterius verbera comprimuntur gula aut eius muſculi vel gutturis, & æger ob id videtur ſuffocari. Omittit autem paracynanchen, vt ſint in vniuerſum anginæ ſex genera, nam non ſynanche ipſa, ſed potius

ſecundum

ſecundum genus videtur deſcriptorum à Galeno quod ab Hippocrate commemoratur in Aphoriſmo. Atq; idem in tertio Prognoſticorũ dicente. Quæcunq; nec in ceruice nec in faucibus conſpicuum aliquid efficit, plurimũ verò doloris infert, ac ſpirationis difficultatẽ, quæ non niſi erecta ceruice trahatur, hæc eodem die auctúſque ad quartum ad ſummum ſtrangulat, in hac nulla luxatio fit, vt ſit aliud genus in quo accidit luxatio vertebrarum. Et ob id dixit Hippocrates; ſi à febre habito collum peruertitur, & vix poteſt deuorare, lethale eſt. Manifeſtum eſt quòd huiuſmodi ægris contingit reſolutio in partibus inferioribus; quæ ſi contingat, luxatio facta eſt. Vnde Galenus etiam meminit eorum quæ ſcripſit Hippocrates in ſecundo Epidemiorum, vbi inquit: Angina cuidam accidit ſub ea vertebra quam dentem nominant, verùm non adeò acuta quibuſdam verè ob rotunditatis magnitudinem conſpicuà, fauces autem vt ea vertebra quæ dens dicitur (eſt autem proceſſus dentiformis ſecundæ vertebræ qui caluariæ dearticulatur vt caput antrorſum retrorſumque deducat. Nam ſuper prima aut immobili iacet aut ad latera tantùm mouetur) inflammatione minimè laborabant. Quibus ergo tumor rectus fuit neque aquam reſoluti ſunt, atque hi omnes ſuperſtites manſerunt, quibus verò luxabatur vertebra ab ea parte, à qua luxabatur reſolutio non totius corporis, ſed duntaxat vſque ad manus reſoluebantur; meminit etiam his verbis: Colli vertícula introuergebant; quibuſdam amplius, quibuſdam propè, & collum forinſecus conſpicuam cauitatem intro habebat, & hac parte ad contactum dolebat. Concludendo ergo dico quòd in Angina vera non ſit luxatio vertebrarum; deinde quod in angina vera neceſſaria eſt febris acuta: & quòd ſynanche deterior eſt quæ circa ſecundam vertebram ſit quam quæ inferius. Anginæ ergo proprium febris acuta, ſtrangulatio vehemens in ſpiratione, abſque aliquo ſigno externo prorſus, luxationis verò vertebrarum reſolutio tum tumor, vel cauitas, vel inclinatio. Cum enim locus ille non ſit propinquus membro principali, nec facilè corrumpatur, non interficit niſi ſtrangulando: ſtrangulantur autem facilè, ſic igitur eruntſex genera anginæ. Verùm quod ſynanche vocatur, & eſt inflammatio in faucibus, & vocatur ſynanche, & cum ſine cauſa ſtrangulantur, & nomine caret: & cum inflammatur tunica & muſculi gutturis, & vocatur cynanche: & cum inflammantur muſculi propè fauces, & vocatur paracynanche. Et cum à vertebra luxata comprimitur gula, quæ propior eſt compatiente etiam ſæpe gutture, & nomen proprium non habet: & cum glandulæ inflammantur ex quibus fauces per conſenſum læduntur, & vocatur paracynanche. Non pigebit autem adiicere ſingulare quod Galenus narrat: ſcilicet tertiam coniugationem neruorum dorſalis modullæ miſceri cum tertia coniugatione neruorum à cerebro deſcendentium.

56. *Gibbus.*

Cum vertebræ exterius luxantur, non ex acuto morbo fit Gibbus, ſi ad interiora ladolis ſpecies, alia fit etiam in vtranque partem quam vocant obſtipum, primam propriè vocant incuruationem etiam; fit & quandoque vtrinque quod tamen difficile eſt; vidi nuper in puella nobili annorum circiter decem obliquitatem in latus, ſeu genus illud quod vocant obſtipum, erat autem ſpina dorſi obliqua ſicut anguis, referens S, literæ imaginem. Hoc volui adieciſſe quod ad intellectum præſentis loci facit. Proponit ergo tria Galenus, primùm noxa quæ accidit ſpinæ, vel eſt per ſe, vel non per ſe, ſed conſequentia quadam noxam per ſe vocat abſceſſum ſeu inflammationem, ſeu intemperiem, in hac ſi contingat fieri reſolutionem, ſeu ex vna parte, ſeu ex ambabus, neceſſe eſt omnia membra, quæ ſunt infra illam partem ſpinæ quæ reſoluta eſt, reſolui, ſeu ex vna parte tantum ſeu ex ambabus. Si verò noxa ſit ex conſequentia tantùm, velut in gibboſitate in qũa ſpina dorſi non patitur aut parum, ſed neruus qui facta luxatione obliqua, ſeu ad vnam partem opprimitur ab ea parte in quam ſpina deflectitur, quoniam vertebræ magis conſtringuntur, ex oppoſita autem nerui nimis diſtenduntur; ideò in hoc caſu cum ſpina dorſi ſeu medulla non ſit affecta prorſus, ſed nerui tantùm ab ea orientes, & ob id reſolutio non fit niſi in membris quæ recipiunt neruos è regione partis medullæ leſæ, Sicut in exemplo priore, in quo ob luxationem vertebrarum colli tantum manus reſoluebantur, & non inferiora membra; hoc etiam fit minus, inquit, ſi luxatio fiat ſenſim aut ſi fiat intus vel extra; & in lumborum vertebris minus quàm thoracis, & thoracis quàm colli; quia in ceruice vertebræ inter ſe connexæ æqualiter conferunt foramini, vnde neruus prodit, ſed in thorace magis confert foramen inferioris vertebræ, & longè minus in lumbis, qui ergo noxam patiuntur per ſe in medulla ſpinali, his omnes partes inferius reſoluuntur, & quanto noxa fuerit maior, & aduentus repentinus: qui verò noxam patiuntur in neruo tantùm, vt in gibboſitate, & obliquam, id eſt, in latus, hi patiuntur reſolutionem ſolùm in parte quæ eſt è regione vbi nerui læſi ſunt, ſi vel læſio magna ſit vel repentina, vt in angina, in qua vertebræ luxantur ad latus: ſi verò luxatio vertebrarum fiat ſenſim vel etiam repentè, ſed intus aut extra non in latus, his nulla contingit reſolutio, ob hoc ergo qui fiunt gibbi per caſum aut iactum, ſi fiant obſtippi, reſoluuntur; ſin autem incurui aut repandi, non reſoluuntur; quia tameſi repentè fiat non eſt obliqua luxatio, qui verò ſenſim fiunt gibbi, & ſi obliqua ſit luxatio, non reſoluuntur, quia non repentè facta eſt, quæ verò ſenſim facti ſunt incurui aut repandi, nullam patiuntur reſolutionem, tum quia ſenſim vertebræ luxatæ ſunt, & interim ſpinalis medulla, quæ mollis eſt, potu t extendi, & ita nihil paſſa eſt, tum quia luxatio recta eſt in qua nerui neque comprimun-

tur neque iuſto plus extenduntur. Ex quo concluditur quòd in luxatione recta graui, & repentina poterit contingere etiam reſolutio, quia licet in Angina non fieret, contingit hoc, quoniam ex tribus conditionibus quæ faciunt ad reſolutionem, ſcilicet, quòd ſit repentina, magna, obliqua, non aderat niſi prima; ſi verò adſit & ſecunda, vt in vehementibus ictibus aut caſibus, tunc reſoluentur membra inferiora aut ſaltem quæ ſunt è regione. Vertebræ autem luxantur quatuor modis, aut caſu, aut ictu, aut crudis tuberibus, aut materia ſenſim influente; quamuis hæc non vt in propoſito Galenus omiſeris; cuius hoc eſt præſtantiſſimum ſanè inuentum.

57. *Spiratio mala.*

Spirandi difficultas magna cum totus thorax mouetur ante iugulum, poſt ad ſcapulas à lateribus ad epomidas motus aſcendit. Fit autem vel ex calore nimio, ſcilicet neceſſitate, vel ab anguſtia ab inſtrumento; vel ub facultatis imbecillitatem à viribus. Calorem nimium declarant per ſe tactus partium pectoris, expiratio multa, denſa & quæ exſufflando fiat, & præter reliqua calidior. Et pulſus magnus, velox, frequens. Adijciuntur his ſigna ex Oculis, facie, lingua, ſiti, ardore ægri. Vbi verò ob imbecillitatem totius, vel capitis ſolùm, aut ſpinæ ad quam reſolutio ſequitur, aut ſepti tranſuerſi (quia ipſum per ſe ſolùm mouet pectus, cum ſecundum naturam ſpiratio fuerit; cum non ufficit, ab intercoſtalibus muſculis adiuuatur) atque ſingula hæc bifariam vel ad neruos vel ad muſculos pertinere poſſunt; Nec non quia aliæ non adſunt, vel ob ſpirandi modum, nam & parum dilatatur pectus, & longior eſt inſpiratio, & parum efflatur, & pinnarium contrahuntur. At ſi ex anguſtia fiat, thorax multũ dilatatur, nec pro ratione aër exit. Et ſigna repletionis ſunt in faucibus aut gutture aut pulmone, vel pectore ex materia influxa, aut tuberculis aut inflammatione. Tuberculum à lentis humoribus ſtertore differt, ſi in aſperis arteriis hi ſint. A tenui fluxione aduentu repentino, nec febris adeſt, & ſicut ob calorem inducitur difficultas ſpirandi, ita magna frigiditas in membris reſpirationi ſeruientibus, eſt cauſa difficultatis ſpirandi potior.

58. *Compoſitæ malæ ſpirationes: & quædam aliæ peculiares.*

Commune quidem eſt ſpirationi malæ, ſi vel à calore vel ab imbecillitate fiat, vt totus thorax moueatur, & ſi in inſpiratione pinnæ narium contrahuntur, id maximæ imbecillitatis virium indicium eſt. Si autem inflammatio cum anguſtia ſocietur; tunc ſurgere cogũtur, ſitque orthopnœa, ſimilem tamen ſortiuntur ſpirationem vbi in aſperam arteriam materia multa confluxerit, ſed minime calida reſpiratio redditur. Si autem locus ille ſanie repleatur, idem accidit, ſed facilè ſtrangulantur: quoniam nullius empyematici vires validæ eſſe poſſunt, ob id & ſigna imbecillitatis & empyematis adſunt ſuprà enarrata. At ſi turberculum adſit plurimum quidem dilatatur pectus, ſed & perpetuò inſpirat & expirat, vt quies nulla adſit. Veruntamen paucus aër exſufflatur, & frigidus. Si verò talia non in aſpera arteria, ſed intra corpus pulmonis nec cum calore, fit reſpiratio celer & frequens: dilatatur pectus multum, ſed parum aeris attrahitur. Duplex autẽ reſpiratio magna cùm pectus multum dilatatur, & multum aëris trahitur aut non trahitur, quam ad diſtinctionem prioris ſublimem appellat Hippocrates. Similiter & magna reſpiratio vera duplex: vna quæ fit cum auxilio muſculorum ſuperiorũ: alia ſine: Vtraque, ſi rara ſit delyrium, oſtendit. Pauca verò celer crebra, cum virium conſtantia dolorem vel impedimentum in partibus membrorum reſpirationis, aut quæ cum eis mouentur, ſignificat. Sunt autem ea epar, lien, ventriculus & gula. Membra autem reſpirationis ſunt pectus, ſeptum tranſuerſum, Diaphratondes, Cor, pericardium, Pulmo, & Guttur. Nam os etſi reſpirationi ſeruiat, non tamen mouetur motu reſpirationis: neque quicquam ad motũ iuuat. Cum dixi hæc membra, partes etiam eorum intellexi: velut muſculos & neruos, & has præcipuè. Quæ autem immota non dolent, mota dolent, exiguum affectum nunciant, aut in parte minus ſenſili. Si autem immota dolent, vtrunque adeſt affectus, ſcilicet magnus in parte ſenſili: ſi autem cum virium imbecillitate, plurimum calorem præter naturam & exiguum naturalem declarat, vnde mors imminet. Si verò frequens ſit, & non celer laborem membrorum ſpiritualium: qui etiam cum dolore eſſe poteſt: ſanè imbecillitatem facultatis. Exigua autem & rara, refrigerationem magnam cordis aut pulmonis: Vnde in acuto morbo præſentem mortem. Si verò ſenſilis quies ab inſpiratione aut exſpiratione fiat, conuulſionem muſculorum thoracis oſtendit: tum calorem membrorum ſpiritualium, licet hoc videatur abſurdum, quia calor deberet facere reſpirationem frequentem, tamen imago huius manifeſtè apparet in pueris plorantibus in quibus hęc tria ſunt, calor & ſimile conuulſioni & quies in inſpiratione, vt rectè animaduertit Thomas Vega, ſed in his eſt ſpiritus reduplicatus: ideò dicendum quòd eſt duplex hæc quies, vna ſine reduplicatione, & fit à conuulſione ſine calore, aut cum reduplicatione, & ſignificat calorem in membris reſpirationis cum diſpoſitione ſimili conuulſioni in muſculis mouentibus pectus, ſed verè in reduplicato vtraque quies fit in inſpiratione: quoniam calor exigit longam attractionem, & muſculi non poſſunt dilatare pectus ob conuulſionem. Aut quia impeditus motus ab alio motu (vt in ploratu) qui fit conſtringendo cerebrum, etiam dixi quòd anima, cum ſit indiuida, non poteſt duo ſimul facere. Aut quia cogitur, quieſcere, aut in valde imbecillibus, calor igitur eſt cauſa multæ attractionis, conuulſio quietis, & ideò in pueris magis eſt euidens, quia habent calorem magnum, facultatem animalem imbecillem & pectus anguſtum. Apnœa autem qualis in atro-

nitis

nitis comitialibus catalepsi seu catoche & sopore, declarat primum principium respirationis, id est, cerebrum esse refrigeratum. Hæc autem refrigeratio duplex est: vna quidem qualitatis eius exuberantia, altera virium resolutio: ideò inter illas distinguere diligenter oportet, & meminisse eius, tum neruorum, qui à medulla spinali oriuntur. In omni huiusmodi affectu, cum multa ab illis per se procedere possint, quandoque totum, in omnibus verò partem sibi vendicare. Cum ergo spirationis causæ, quemadmodum & pulsus, sint tres, facultas, instrumentum & finis: facultate super cerebrum, instrumento super pectus, fine supra cordis dispositionem significat: tum quæ his communicant: vt cerebro nerui, pectori lien & iecur, cerebro & pectori septum transuersum: ideo ipsum maximam in hoc significationem habet: cordi pulmo & quæ circa ipsum sunt.

59. *Vox & sermo.*

Vox in expiratione consistit, hæc verò quinque se per ordinem habent expiratio, exsuflatio tacita, exsuflatio, strepens vox & loquela. Exspirationis instrumentum est septum transuersum, sed & per se etiam fit coincidente spontè pectore, tum ob grauitatem, tum violentam extensionem, adiuuant etiam pectoris musculi, vt trifariam fiat, sed strepens ab intercostalibus præcipuè musculis fit. Vox autem à gutture & faucibus & membrana quæ gutturi & faucibus intus adhæret. Tum musculis præcipuè, laryngæ, inde gutturis. Tum neruis qui ad ipsos veniunt à sexto pari ab inferiore parte, vnde recurrentibus appellatis. Sunt etiam quædam quæ vocem moderantur, non efficiuntur Vua, quæ gutturi superstat nam ea vitiata. & præsertim præcisa, vix homo audiri potest: & nares vt in Polypo earum, loquelam autem lingua & eius vinculum, Palatum, Dentes præcipuè anteriores & labra: Nec ignoro quosdam futuros adeò impudentes quæ vitium narium ad loquelam referent: dicentes id voluisse Galenum & me per ignorantiam aberrasse, atque illius incuriam pro lege sibi statuent aduersus res. Verum neque pro hoc aliisque omnibus, quę multa in melius mutaui obiter ab eo scripta, quicquam respondebo. Cum ergo vitium aliquod inciderit in voce aut loquela, cogita an ex propriis accidat instrumentis, an ex priorum ac illi necessariorum vitio? (nam ex posterioribus accidere nō potest: velut ex vitio labiorum non potest vox vitiari: nec exsuflatio ob guttur aut musculos eius) inde rationem eorum perpendenti, & in dissectione naturalique Philosophia, tum maximè Dialectica exercitato, præsertim cum acumine ingenij ex Mathematicis inuentionibus confirmato, facilem habebis cognitionem: nam singula prosequi longum esset nobis, & peritis qui facilius inuenient admoniti diuisionis quam ex me discerent: & imperitis quos nullus labor docere posset vtilius.

60. *Sanguis ex superioribus partibus reiectus.*

Contingit vt è naribus & ex ore & ex auribus. Sed hic nisi ex vulnere multus effluere non solet: & periculo caret, propterea quod ex venis citra tympanum eiciatur. E naribus verò quandoque ex sanguisuga: inspicere igitur oportet narem in sole. Et quandoque ex ore fluit, & ob copiam transmittitur, & cum vomitus aut tussis adest. Aut à cerebro: periclitamur autem ex æquo ne illum qui ex ore fluit arbitraremur è naribus, atque illum qui è naribus ex ore prodire. Eius ergo qui è capite fluit quem prætermisit Galenus quanquam aliquot ex eo mori viderim: Signa præcipua multitudo è naribus paucitas ex ore. Et quod sentit æger eius descensum in os. Et præcessit dolor capitis. Et alleuiatur ab exitu: & paucæ guttæ antea defluxerunt aliquot diebus. Et quod guttatim venit non confertim strangulans. Demum si præcessit insolatio, aut grauis pilleus aut versatus est in loco calidiore. Et omnis sanguis qui prodit è corpore, est vel ex vena vel arteria, & est calidior, tenuior, clarior, & exit cum maiore impetu, & est periculosior: Et rursus omnis eiusmodi sanguis exit, vel quia resudat, vt in morbo laterali: vel quia ves apertum est: vel quia erosum, vel quoniam est fractum: hoc periculosius, præcedens insanabilius: duo prima periculo vacant. Qui ergo ex cerebro fracto vase prodit, omnino interficit. Et contingit violenter ex casu aut ictu aut vulnere: vel sponte ob erosionem, & qui venit ab origine nasi, non facit vigilias, neque malum habitum adeò. Et qui fit ex fractura vasis in cerebro, fiunt etiam in vltima imbecillitate; & est magis refertus fibris, & non sedatur à frigore.

Sanguis autem ex ore quandoque venit à nasi initio, vt dixi vel cerebro, & à ventriculo, & à pectore, & à partibus oris, & à gutture, & suprema parte isthmi, & ex ore, vt palato, lingua, mandibulis, gingiuis, dignoscitur visu: & est plerunque paucus, quamvis duo eruto dente obierint ob multitudinem sanguinis, sed alter eorum erat decrepitus, in reliquo fuit vas satis amplum in radice dentis, & laceratio magna.

Qui verò venit à gutture est paucus: & exit cum excreatione, & nonnunquam sentitur in gutture dolor. Si autem ex superiore parte isthmi, hoc fallit medicos vt etiam abscessus, & exit semiputridus, quia ex vlcere paucus sine tussi & vomitu: & non apparet signum in ore: Et diligenter inspicienti partes saltem circumuicinæ rubræ apparent.

At si cerebro accidat, in his euenit plerunque quibus nil è naribus prodit: & qui odorem non sentiunt: & adsunt causæ antecedentes: & adest tum tussis, tum vomitus: & febris non succedit.

Quibus autē cum vomitu, his ex ventriculo educitur; modum alias, vt sutcrebat, docui; sed nunc diligentius, Quærere enim quis posset quónam pacto postquam in duodenum transierit erumpat magis per superiora, quam inferiora, cum grauis sit? Et cur non potius etiam per alia intestina descendat, & præcipuè cum videamus excedere

quam

quantitatem cc. vntiarum? vt in ſacra virgine quæ mortua eſt? & ccc. vt in principe muliere de qua Braſauolus? Dico ergo quod primum ex arteria magna, quæ gulæ incumbit, exeſa, id accidere poterit: vt infrà declarabimus. Et tunc nulla quantitas admirationi eſſe poteſt. Quòd ſi modo ex ventriculo prodeat, continget iecore ad ventriculum per ſtelechiam tranſmittente, ſeu per venas, vt ſit compoſitionis ratione. Cum venæ quæ ex eo prodeunt in imum ventriculi penetrant in ſecundam tunicam, & tunc ex impetu ſanguinis bilis comiſti rumpuntur, atque ita fit illa immoderata ſanguinis excretio. A pectore verò ſeu pulmone commune illud ſignum per aliquot dies, ſi guttulæ quædam ſic per tuſſim reiectæ, conſpiciantur. Id coniicere facile eſt, ſed inter pectus & pulmonem diſcrimen, ſi ſpumoſum: ſi ſine dolore veniat; ſi plurimus; ſi leuior ſit tuſſis & ſi tenuis ſit, ſplendidus ac ruber & calidus: Demùm ſi pars aliqua Bronchij aut tunicæ arteriæ ſimul eiiciatur. Et febris breui conſequitur. Et qui ab arteria venali prodit, maiore cum impetu & magis ſpumoſus eſt; & plerunque etiam maiore in copia effunditur. Qui verò à pectore paucus, niger, grummoſus, difficulter cum dolore eiicitur. Et quamvis diuturnum fiat vlcus, ſanationem, dicit Galenus non recuſat. At in pulmone etiam non negat ſanari quæ contigerint vlcera, ſed relinqui calloſum corpus ac fiſtuloſum, & quod facilè exorietur. Rupto vaſe alio modo; exitus multitudine & cauſa violenta, vt ictu, caſu, clamore. Ex eroſione; ſenſus ſaporis acris aut ſalis; & quod ſenſim adueniat. Tum verò partes quædam nonnunquam ſubſtantiæ aſperæ arteriæ aut pulmonis educuntur, & dolor adeſt exiguus vbi iam vlcus factum ſit.

61. *Pulmonis.*

Nullus quidem dolor acris, vt qui membranam habeat tantùm ſenſus compotem qua cingitur; eámque paucis ac exiguis neruis reſperſam; nihilominus grauitatis ſenſum habet, & tenſionem percipit, quæ & à ſpina retrò, & ad pectus antè, quibus membrana ipſa hincinde annexa eſt, peruenire videtur. Sed & anguſtia ſpirandi fermè illo affecto ſubſequi ſolet, ſemper autem pulſus mutatio & inæqualitas, quæ communis eſt materiæ contentæ, & in aſperis, & in leuibus arteriis, & in ipſa etiam ſubſtantia; at ſpirandi difficultas ſolùm verè dicitur cum ad aſperas arterias noxa communicatur: id fit præcipuè cum materia fuerit in eis: ſecundò cum in ipſa ſubſtantia, comprimit enim arterias; in leuibus autem arteriis cum quaſi plenè occupantur; tunc verò maior fit ſpirandi difficultas quàm ſi in ſubſtantia pulmonis materia contineatur.

62. *Peripneumonia.*

Spirandi difficultas & anguſtia grauitas, acuta febris. Non neſcius ſum anguſtiæ nomen modò pro genere difficultatis ſpirandi, vt hîc, accipi poſſe: modò pro inſenſili quadam ſpirandi difficultate, vt paulò pòſt dicemus; modò pro intercepta reſpiratione & maxima difficultate reſpirationis. Differt à laterali morbo pulſu molli & vndoſo febris, & calidæ exſuflationis aut difficultatis ſpirandi magnitudine & dolore.

65. *Eryſipelatis.*

Acuta febris: Intolerabile incendium: Grauitas autem & ſpirandi difficultas, minora quàm in peripneumonia.

64. *Vomica.*

Huius meminêre latini authores, vt Q. Serenus, & Scribonius Largus. & Cor. Celſus. Præter cæteros dum inquit: Dolor autem pulmonis, ſi neque per cucurbitulas, neque per ſanguinis detractionem, neque per victus rationem finitus eſt, vomicas aliquas interdum excitat. Meminit & in tertio, cum dixit; ſuppurationes autem quæ in aliqua interiori parte oriuntur, vbi notæ fuerint reprimendæ, ſi non digerendæ, ſine id licet matureſcant; omnis enim vomicæ finis eſt, vt rumpatur. Meminit & V. Maximus de quodam Iaſone Phæreo cui caſu exciſa vomica, dum ille mortem fatagit, ſalutem affert. Eam ego vidi; laborant febricula, tuſſi aſſidua tabeſcunt, pondus in imo thoracis ſentiunt, nihil expuunt ſanioſum, poſt tempus diſrupta vomica plurima expuunt & moriuntur.

65. *Empyema.*

Differt à vomica quoniam pus perfectum eſt, & in pectoris cauitate continetur, non in pulmonis ſubſtantia. Igitur febris qualis dicta eſt. Ex laterali morbo in quo parum aut nihil ſputi proceſſerit, fluctuatio, & cum transfert ſe ex latere in latus quippiam fluere videtur. Communis ſolùm eſt ſenſus grauitatis in imo thoracis. Pus autem, vt cognoſcas fætet, deſcendit in aqua, ſoluitur in atoma.

66. *Intemperies abſque materia.*

Calidæ quidem æqualis ſitim, Appetitum frigidi aëris: Demum finitur in febrem, frigida contraria appetit, contraria deſiderat, in fluxiones finit: & ſi quis occurrat acri frigido quandoque non poteſt inſpirare: quod accidens mihi puero erat familiare valdè, ſubſidet enim pulmo adeò vt mors præſens videatur: ſed non attracto aëre breui incaleſcit & explicatur. Inæquales autem tuſſim excitant.

67. *Pulmonis morbi rari.*

Sputum mediũ inter flauum & pallidum: bilioſum nulla acredine infectum: Inde auctum. Poſt febricula ſuperuenit, inde ſputum purulentum: Demùm etiam ſanguinem eiiciunt, & obeunt. Alii ex tuſſi lentoque ſputo ac exiguo, fruſta grandini ſimilia, & tandem poſt aliquot annos moriuntur. Quibuſdam maxima diuerſitas in pulſu non ſolùm ſyſtematica, ſed in vna pulſatione tantùm & abſque febre & ſpirandi difficultate oboritur: vt Antipatro Medico: duraruitque per ſex menſes: quod glutinoſo humore aut tuberculo crudo leuis arteria magna occuparetur, poſt difficultas ſpirandi leuis inuaſit accedente cordis palpitatione. Et poſt xv. dies oborta maxima difficultate ſpirandi obiit. Hæc Galenus. At nobis contingit vt in filio Gadij diſſecto, cum vt phthiſicus haberetur: ſiquidem & tabidus & cum maxima ima tuſſi, & febre lenta obierat; in eo tamen nullum vlcus in pulmone fuit, ſed in

eius

eius superficie tubercula quinque, ni fallor, saniosa, & portio huida, fusca velut igne exusta; & in recore alia tubercula illis similia. Alius puer ex Casalium familia cum ob opes magnas de veneno suspicio esset dissectus, habuit pulmonem exesum cum sanie alba, cruda mista, aquæ multæ, perierat in quatuordecim diebus ex febre. Symptomata non scio quia non adfui curationi. Constat tam longo morbo absumptum, vt existimaretur (sed falso) obiisse ex recidua.

68. *Pulmonis hydrops.*

De hoc Hippocrates secundo de Morbis. Febris & tussis tenet, & aceruatim respirat, & pedes tument; & vngues omnes contrahuntur, & patitur talia, qualia is qui suppuratus sit, sed debilius ac diuturnius: Et si quid infundas, aut fotum aut suffitum adhibeas, pus non sequitur; atque ex hoc sanè cognoueris non pus, sed aquam intus esse. Et si multo tempore aure ad latera adhibita audire tentaueris, ebullit intrinsecus velut acetum: Et hæc quidem aliquandiu patitur, postea erumpit ad aluum, & statim quidem sanus esse sibi videtur, ac à morbo liberatus. Verùm progressu temporis aluus incenditur, eadémq; illa patitur, & adhuc amplius. Aliqui etiam intumescunt ventre, scroto ac facie. Et ab quidam inferna aluo esse putãt, quum videant ventrẽ magnum & pedes tumidos: Intumescunt enim hæc sectionis tẽpus transgrediaris. Accidit hoc I. Bapt. Ramundino Bononiensi, Trapezitæ viro sexagenario quę maximam in pulsu inæqualitatem patiebatur, & difficultatem spirandi, inde repentè obiit, dissecto pulmo aqua plenus, inde thorax inuenti sunt.

69. *Pulmo Vulneratus.*

Spirandi difficultas est, sanguis ex ore spumans, ex plaga rubens simúlque etiam spiritus cum sono fertur, in vulnus inclinari iuuat. Quidam sine ratione consurgunt. Multi si in ipsum vulnus inclinati sunt loquuntur, si in alia, in partem obmutescunt.

90. *Morbus lateralis.*

Quamvis cor pulmoni natura magis coniunctum sit nihilominus morbi thoracis adeò similes sunt pulmonis morbis, vt sæpè medicis imponant. Ergo morbus lateralis duplex est, verus ac non verus, siquidem verus dicitur qui in latere sit pectoris: at non verus qui in septo transuerso, in diaphratondis & in Pericardio: Veri rursus exquisitus est & non exquisitus, & mendosus; mendosus in musculis pectoris exterioribus qui nullo modo membranæ interiori subcingenti costas participat, hic tactu percipitur. Non exquisitus autem qui in musculis intercostalibus mediis facta inflammatione participat membranæ. Differt à priori, quoniam tussis adest; tametsi ficca, atque in hoc differt ab exquisita, neque pulsus tensionem atque duritiem eandem habet, nec febris adeò acuta, nec difficultas spirandi tam magna. Exquisiti ergo signa sunt, dolor lateris, pungens tussis, difficultas spirandi, febris acuta, pulsus serrinus. Huius quoque tres sunt species, pura, notha & sublimis; sublimis fit è regione trium costarum superiorum versus iugulum, & rarius accidit, pura in sequentibus veris costis; notha in inferioribus costis à septo transuerso, hanc differentiam non minorem reliquis esse puto, quòd in cura plurimum euarient iuxta Hippocratem, quanquam Galeno refragante. Doloris autem locus declarat eas, neque in notha acuta febris & spirandi difficultas tanta est, sed & illa sputo non purgatur. Quomodo autem quod resudat in pura & sublimi ex inflammatione sputum deferatur ex cauitate in pulmones, Galenus declarit. Manifestum est autem quòd quemadmodum in empyemate pus insidet septo transuerso; interim verò illo valdè concusso vibratus eliditur ab ipso septo transuerso in bronchia, & fines asperæ arteriæ, qui in ambitu sunt pulmonis, atque hic modus est Galeni satis benè excogitatus, postquam non alium inuenire potuit quò Erasistrato contradiceret. Sed nimis magno in periculo versarentur tales ægri, si non alia esset via, & certè imaginari potius hunc modum quàm referre licet, primùm quia tale sputum persæpe lentum est & paucum; deinde oporteret collimare exquisitè, vt vix vnquam bene expurgaretur, ideo dico quòd & de bronchiis & de loco materiæ consentio, verùm non adeò tanto impetu indiget; sed contracto septo transuerso adhæret pulmoni dum inspiramus aërem, atque eo facto dum retinetur, iunctum manet; exsugitúrque ob caloris vehementiam, quæ in pulmone est, tum spiritum qui totus circumcirca ad illius medium trahitur, vt in leues arterias traducatur, atque ex illis in cor. Vnde consequenti motu quicquid inest super septum transuersum exquisitissimè transumitur in pulmones, a que sic excitata tussi ob sensum arteriæ, quæ impeditur, eliditur ad guttur ac expuitur. Si dolor vagatur, est turgens.

71. *Septi transuersi & aliarum membranarum inflammatio.*

Proxima ergo affectioni superiori est non verus morbus lateralis, qui vt dixi, trifariam contingit inflammatio septo transuerso & Diaphratondis & Pericardio. Cum ergo febris acuta fuerit, & spiratio modò exigua & frequens, modò magna & angustiosa. (Siquidem antequam delirent exigua & frequens, vbi delirium accesserit, magna & difficilis.) Tum quoque ab initio reuellitur hypochondrium sursum: Et delirium ipsum quamvis ex consensu sit fermè perpetuum est, tunc septum transuersum inflammationem patitur. Dolor modò adest cum in parte neruosa fuerit, modò non adest, cùm in parte carnea: est enim septum circumcirca & quasi in ambitu carneum, & rubrum in medio, & vbi quasi vincula coniunguntur, & caput illius esse creditur, id est, ex quo se dilatat, & ad quod contrahitur nerueum, & album. Differtque à phrenitide quod tardius inuadit delyrium: & spiratio inæqualis; quinimo ab initio, vt dixi, parua, & frequens. Quod etiam de pulsu addit Princeps, & partes circa caput, & faciem non eadem patiuntur. Et hypochondrion sursum attollitur. Sed pe-

ricardij

ricardij inflammatio grauiora habet ſymptomata, quo ad febrem attinet, & cordis palpitationem, & non eſt difficultas ſpirandi adeò magna, neque dolor, & pulſus ſunt maximè inæquales: Nec adeò delyrant vtin ſepto tranſuerſo. Moriuntur autem breui. Diaphragmondarum autem inflammatio eſt media quaſi inter lateralem morbum, & Pericardij abſceſſum. Eſt magna ſpirandi difficultas & inæqualitas, tum in ea, tum pulſu, pondus quoddam, non dolor alius, neque delyrium: videturque cor à dextra parte palſare, nam ſi in ſiniſtra membrana ſit inflammatio cor refugit ad dexteram, ſi in dextera tanta habetur perturbatio ibi vt cordis palpitatio videatur, ſuperſúntque multis diebus. Mirum quoddam videbitur de motu cordis, ſed cum infans quidam cecidiſſet ægrotaſſétquead mortem, ſanitati reſtitutus nobis experientibus hoc idem paſſus eſt, & perſeuerauit.

72. *Septi tranſuerſi hectica.*

Hecticam in ſepto tranſuerſo duntaxat ſemel vidi Maraſmum nunquam, quod antequam abſoluatur patiens intereat: inquit Galenus. Et iure merito: ſiccatum enim neque contrahi, neque extendi poterit. Signa ſunt dicebat ibi Delyrium plerunque, & pulſus, & reuulſio præcordiorum ſuprà, & ſpirandi difficultas admodum inæqualis & varia: quippe aliàs parua admodum, & frequens, aliàs manifeſtè rara, ſed quæ ſubitò velut gementium reduplicetur, modo in inſpiratione, modò in expiratione. Eſt etiam vt totum pectus cum ea laboret vſque ad ſcopulas opertas, ſeu omoplatas.

73. *Septi tranſuerſi vulnus.*

At ſi ſeptum tranſuerſum percuſſum eſt, præcordia ſurſum contrahuntur, ſpina dolet: ſpiritus rarus eſt: ſanguis ſpumans fertur.

74. *Pericardij aqua.*

Hæc congregatur quandoque ibi, & patiuntur perpetuam in corde palpitationem: Abſque manifeſta cauſa, corpus contabeſcit, & deinde repentè moriuntur. Dicebat autem Galenus niſi conſenſu cor afficiatur: exteri morbi ex einſmodi panniculis integentibus membra, tanquam partium ignobilium habentur.

75. *Cordis vulnus.*

Cor cum ſit vitæ principium ideò ipſo ſolo extincto animal perit quod in eo anima ſit, & ea vnica ſit vt Galenus hic veritate coactus non habeat quo experimentis reſpondere poſſit neque ſuſtinet inflammationem: vulnerati autem ad horas xxiv. viuunt ſi non ad ventriculos vulnus penetrauerit: tunc enim ſtatim moritur. Ex ſcirrho autem diu ſuperuiuere queunt. Vt in Gallo vidiſſe ſe Galenus teſtatur. Igitur vt ad rem redeam, Corde percuſſo ſanguis multus effertur, venæ langueſcunt, color pallidiſſimus, ſudores frigidi maliique odoris tanquam irrorato corpore oriuntur. Extremíſque partibus frigidis matura mors ſequitur.

76. *Cordis Palpitatio, & ſyncopis.*

Scire decet nomen hoc palpitationis bifariam accipi. Vt commune omni motui cordis præter naturam excedenti in magnitudine, celeritate, vel frequentia, & propriè, tum uerò commune illud ſignificatum diuiditur, in tremorem cum frequens eſt motus & velox non tamen magnus, & palpitationem, cum eſt inordinatus & magnus, & ſaltum, cum mouetur pectus ab ea parte, & attollitur: ſeu ordinatus, ſeu inordinatus, Et ideo benè dixit Iachinus in Conmentario ad Almanſorem quod quid ſit palpitatio à nemine declaratum eſt niſi paucis, ſed obſcurè à Galeno ſcilic. ſecundo de ſymptomatum cauſis. Vbi docet quod etiam vena arterialis ipſa palpitat cum corde. Et 5. de locis: quandoque ergo fit ab aqua intra pericardium: & contabeſcit corpus: & fit ab intemperie calida, & adſunt ſigna incendij, & forſan etiam cauſæ, & fit à frigore: & non ſuccedit noxa notatu digna, quia affert ſibi auxilium ipſa palpitatione, incaleſcit enim cor, & fit à vaporibus melancholicis, & conſtringi videtur cor: & nil incommodi ſequitur niſi forſan triſtitia, aut fluxus hæmorrhoidarum, & fit ex timore, & cauſa nota eſt, & fit à flatu, & indicium eſt quod eſt innoxia. Et fit in quauis fluxione ſanguinis: & indicat eam aduentus eius. Et fit à veneno, & oſtendunt ſymptomata mala: ſicut etiam illam quæ fit à reſolutione, & fit à conſenſu oris ventriculi, & indicant illam nauſea, & morſus, & purgatio eius. Et fit à mala ſpiratione, & reducitur ad eam quæ fit à caliditate: periculum enim propriè eſt in hac ne cor inflammetur. Tremor autem contingit ex pauore propriè vt in auiculis. & ex cauſa frigida, & quandoque adiungitur, & palpitatio, & ſaltus, quoniam paruitas motus non eſt ex eſſentia tremoris, ſed frequentiæ magnitudo. Saltus autem aliud per ſe aliud cum aliis ſignificat: nam per ſe ſignificat neceſſitatem refrigerationis cordis: quæ accidit, aut ob calorem auctum, ſicutin curſu, ira, aut ob aëris ingreſſus impedimentum in cor, vt in ægre ſpirantibus, vel ob pulmonis obſtructiones, vel ſepti tranſuerſi hecticam. Nam ſaltus omnis eſt cum pectoris eleuatione magna, ſin autem non adſit, dicetur palpitatio aut tremor cordis, & ſi adſit pectoris eleuatio magna, nec cordis motus mutatus ſit vt in quibuſdam ſpeciebus aſthmatis à crudorum humorum copia: in qua tantum minuitur neceſſitas reſpirandi, quantum eſt impedimentum membrorũ reſpirationis, non dicetur, nec palpitatio nec ſaltus. Cũ verò ſaltus habet inæqualitatẽ vel defectum vitiũ, cauſa etiam eſt in corde. Et ſaltus eſt deterior palpitatione, & ſæpe includit eam. Et ſi corpus colliquatur, in eo plerunque eſt cum corruptione pulmonis. Et adeſt color malus in facie, & roſeus in pomis, & fœtor ſpiritus. Et ſi ſine illis, & color niger, & ſplen durus aut magnus ſit à melancholia Quod ſi quis obiiciat, nec tuſſim, ſpirandi difficultatem adeſſe, neque in pulſu ſentiri. Reſpondemus ex Galeno de Antipatro, prima duo pertinere ad læſionem aſperæ arteriæ ſolùm, tertium cordis per ſe patientis. Et cum vides palpitationem hæc inſpicito, ſi linquitur animo, ſi ſudat, ſi facies multum mutatur, ſi pulſus afficiatur inæqualitate, & quoniam tria ſunt ſymptomata quæ principalem ad ſe curam trahunt,

trahunt, seu superuenerint, seu immineant etiam, teste Galeno, conuulsio, spirandi difficultas & syncopis, & duorum priorum signa proposuimus, reliquum est vt tertij signa proponamus. Et sunt quod iaceat immobilis sicut mortuus, & cum facie etiam eiusmodi, & pulsus cadat aut vt formica videatur, & sudor præcedat quasi ros in facie.

77. *Pulsus significata.*

Pulsus autem cum ab ipso propriè pendeat super ea quæ ipsius sunt. Primò significat facultatem, calorem, impedimenta & cogitationes: secundò supra coniuncta pulmonem, os ventriculi contenta in Pericardo, sedem ipsius, arterias & venæ partes quæ principalia interiacent Post supra membra principalia præcipuè cerebrum. Demùm supra totum neruosum genus. Quæ autem post leuiter tantùm aut vt his communicant, supra autē aliàs facultates scilicet animalem & naturalem non significat, nisi quatenus supra subiecta illarum. Et intermittentium pulsus initij accessionis vel est humilis, vel est contractio valdè velox & crebra.

78. *Gula, seu Oesophagus.*

Eius initium est à linguæ radice, & vtraque parte tonsillas attingens, à palati extremo ortum ducit, inde descendens hæret spinæ borsi à media ceruicis vertebra per quatuor primas thoracis, inde à quinta per aliquot alias ad dextrum latus declinans paululum procedit: post iungitur magnæ arteriæ è iuguli maximè regione. Ea ergo duplicem vsum præstat, transitus seu intra vt deglutiendo, seu extra vt euomenbb. Et functionis cum per interiorem tunicam trahat, teste Galeno per exteriorem autē expellat: quapropter & duplici morbo laborabit, vel vt præcludatur via, vt operatio impediatur. Impeditur ergo ab abscessibus, & à spinæ vertebris, vt dixi, incumbentibus luxatis. Porrò abscessuum calidiorum sunt signa, dolor vehemens, febris non admodum ardens, impedimentum in deglutiendo maximum: sitis & calor ingens: si verò non adeò calidus sit citra reliqua, dolor & impedimentum deglutiendi & inæqualitas apparebunt, in processu verò Ephmera, & rigore succedente euomunt rupto abscessu saniem. Post vlceris signa remanent dolor, & cum deglutiendo acuta, magis exasperatur, quòd si vomitus sanie præcesserit, vix seruantur, & ægrè adolescentes: nam prouectiori ætate pereunt. Cumque vlcus fiat ex fractura vasis, aut erosione, aut relinquatur ex abscessu suppurato & distrupto, hic modus est periculosior: inde qui ex erosione, ex fractura autem minimè periculosum est vlcus si ad alia conferatur. Verùm si difficulter deglutiat, & æquale sit impedimentum, ab intemperie est. Ego aliquos eiusmodi vidi, sed frigida præcipuè est, quæ officium illud prohibet. Vnde vir ille cum per multos dies sitim tollerasset ex intempestiuo aquæ multæ potu superueniente difficultate deglutiendi, ac postmodum aliis succedentibus affectibus mortuus est

79. *Os ventriculi, seu stomachus.*

Consensu huius constat incidere homines in syncopim, cordis palpitationem, lipothymiam, sternutationem, melancholiam, comitialem, conuulsionem, soporem, vertiginem, atque huiusmodi. Dignoscitur hoc si ieiuno si ex ira, si vomitus sequatur, si nausea præcedat, & somnia terribilia absque alio graui symptomate, sed & præter has propriæ sunt illius affectiones sitis, deiectio appetitus, nimiaque fames quam caninam appellant, & citra quæ propria est prægnantibus, singultúsque cum nausea & vomitu iam dictis, fames autem quæ cum satietate est, vt ægri comedere nolint, partim communis, & sitis vt fit à calido & sicco, ita fames à frigido, & humido, & caninam plerunque citra deiectio, ac quasi leuitatem intestinorum consequi solet, & sitis fit non solùm huius vitio, sed consensu etiam pulmonis, iecoris, renum, mesaræi, ieiuni, intestini, cordis etiam, & totius corporis.

80. *Ventriculus.*

In ipsum vndique excrementa præter propria quæ ex cibo non obsolutè elaborato fiunt, ex cerebro, iecore, fellis vesica & liene confluunt: vt quinque his ex causis laborare soleat. Proprium verò eius opus est coctio, & circa coctionem vitia: ostendemus enim primùm plerunque illam debilitaris at à frigore id maximè, à calore autem peregrino corrumpi in nidorosam substantiam, à putrido putrefieri. Sed & à materiebus crudis debilitatur, à biliosis in nidorem vertitur: à putridis putrescit. Item à tumoribus frigidis non solum coctio impeditur, sed corpus absumitur, à calidis autem non fit coctio vlla, sed cibi maximum inferunt detrimentum, & calidorum quidem tumorum signa sunt vegemens dolor tactuque percipitur, febris ardens, sitis ingens, accedunt nausea. (Sed ratò vomitus natura timente) singultúsque. Ex horum genere est, morbus liuidus cuius meminit Hippocrates secundò de morbis: impeditur etiam ab vlceribus a substantia eius rarefacta, diuulsaque, sed vlcera declarant vomitus, & deiectiones, & acrium assumptio ciborum & potuum, quemadmodum de gula diximus, & fit impedimentum à tenuitate corporis eius, & raritate substantiæ ipsius. Et horum duorum indicium est, quòd maximè iuuantur à leuibus cibis & coctis, vt maturè edant: nam tales præter cæteros ieiunio læduntur. Et qui raritate peccant assumpto cibo multo, distentionem manifestè sentiunt cum dolore, & accidit ex motibus grauibus à repletione præcipuè potus, à defectu omenti, vt in gladiatore illo & persæpe etiam à flatu.

A deffectu præterea influentis caloris, seu cordis, seu iecoris. Nam trifariam vitium accidit in operatione vel ob facultatem læsam, vt si vulnere, aut contusione pars membri corrupta sit aut ob impedimentum, vt in morbo, aut obstructione: vel deficiente auxilio. Eius aliud opus proprium est vomitus, & fit dum comprimit se ad superiorem partem, & est eructuatio, & est cum comprimit se æqualiter à lateribus, & expressio

chyli, ſed hæc fit quaſi abſque auxilio eius dum iecur trahit, fit tamen ex compreſſione partium ſuperiorum, & ſigna ventriculi habentur ex operationibus ſecundum naturam, vt appetitu. Et præter naturam vt eructuatione, & ſymptomatibus vt flatu, & doloribus, & vrigine, & tumoribus, & ex his quæ prodeunt per ſuperius, aut inferius. Et conſenſu, vt macilentia totius corporis quæ eſt maximè familiaris patientibusex eo cum febris, aut fluxus non eſt cauſa, & vrinæ multitudo, & hypoſtaſis craſſa, aut tenuis. Et conſenſu partium adhærentium vt cum durities intercedit inter iecur & ipſum, aut tumor lienis, & dolor fit in tota ſubſtantia eius vrigo in tunica interiore, & colore faciei, & conſenſu ſymptomatum, & dolor ſimiliter ab huiuſmodi cauſis fit, & nonnunquam à lapillo ibi genito eſt, & diuturnus cum granitate, & tandem occidit ſicut in Cæſare Taberna. Non negauerim ſi agnoſcatur poſſe quamdoque ſanari. Et cum cibus in ventriculo non concoquitur vel proprio vitio, vel alieno, vel quia non retinetur in eo, fit vitium quòd leuitas inteſtinorum appellatur: fit autem perſæpe ob acres etiam humores qui in eo ſunt vel quia prægrauant, vel quoniam inutilia ſunt nutritioni, idem de vomitu dicebat Galenus. Dico etiam à flatu talia & ſæpius fieri ſolent. Cur autem magis per vomitum bilis, aſtus, conſuetudo, flatus vrgens neceſſitas. Inter quoque ventriculi morbos connumerantur cæliaca & cardiaca paſſio, atque cholera, quamuis cholera ſit communis affectus ventriculo & inteſtinis. Dicente Paulo: Cholera eſt immodica ventris perturbatio ſupra infraque ex cruditate ciborum proueniens, quæ nonnunquam ex ipſorum ciborum prauitate prouenit, nonnunquam ex vitioſis humoribus. Cæliaca verò eſt lienteriæ ſpecies cum cibus diu retinetur, ſed non concoquitur nec diſtribuitur, & exit incoctus, tardè tamen cum in leuitate inteſtinorum, paulò pòſt per inferiora eiiciatur: nec eſt aliud diſcrimen inter eas quam moræ, vt Paulus refert. Cardiaca verò eſt, vt Celſus docet lib. 3. cum ex ventriculi imbecillitate conſtante mente, immodicus ſudor effluit ex partibus tantùm ſuperioribus, inferioribus ſiccis & frigentibus, cum languido & exili pulſu. Cum autem coctio fit inferius os, dicit Galenus, id eſt, pylorus perfectè concluditur, de ſuperiore non meminit.

81. *Inteſtina.*

Omnes fermè morbi omnibus partibus eueniunt, ſed quidam peculiares videntur pluribus partibus, eò quòd frequentius contingant, & acrius infeſtent, velut inteſtina Ileos, Colicus, Diarrhæa & Dyſenteria. Dyſenteriæ propriè ſigna ſunt, bilis & dolor mordax, inde ramenta, poſt ſanguis, quamuis omnia hæc in vna die accidere poſſint. Vt verò quibus in inteſtinis fit intelligat (quod craſſis per œnemata, tenuibus per potus medeamur) conſiderare oportet, ſi ramenta cum pinguedine ſint, ſi cruor ſupernatat non immiſcetur fæcibus. Si ſtatim exit, ex craſſis inteſtinis eſt: ſin autem dolor medius ventris ab vmbilico infrà intercedit, & non per circuitum, vt non aſcendat ad ſiniſtrum latus, morbus eſt in tenuibus, ſi aſcendat, in colo, inteſtino vel cœco. Differt à dyſenteria epatica, quod in illa tenuis ſanies inde paulò pòſt ſicut fæx ſanguinis paruo aut nullo cruciatu, & interdum interquieſcit ad vnum vel duos dies, inde maior redit. A tineſmo, qui ex vlcere in recto oritur, differt, quoniam dyſenteria quæ pauca hic excernuntur. Cum vehementi nixu immixta, fæcibus pituitoſa & pinguia referunt quandoque lapides eiectos: ſed oportuit altius genitos eſſe, vt in loculis coli. Cui fidem facit quod de ventriculo diximus. Coli autem dolores maximè ex ſitu inteſtini dignoſcuntur, & plerunque ſunt ex aſtrictione alui, & eiecta excrementa dura ſunt & rotunda, & nauſea ac vomitus pituitoſorum: nam colon à dextra parte incipit, & aſcendens pergit ad iecoris regionem, inde peruenit ad ventriculi imum, & poſt ad lienem, vt eum nonnunquam attingat, inde ſinuatim deſcendit per ſiniſtrum ilium ad rectum inteſtinum concameratum totum, & Ileon fit in parte ſuperiore in inteſtino ſic vocato quod longiſſimum eſt, ſiquidem pedes plerunque habet plus quàm xxv. Diarrhœa verò fit aut tranſmittente iecore, aut mordacibus qui in eis ſunt ſtimulantibus, vt non poſſit continere fæces, & dolore acriore ab altera diſtinguitur. Aſſimilatur autè leuitati inteſtinorum, ſed in hoc chylus loco ciborum videtur cum ſit in ventriculum quod eiicitur iam elaboratum. Eſt etiam inteſtinorum crepitus qualis ructus ventriculi, ſed fit compreſſis muſculis ventris.

82. *De differentia inter dolorem coli & nephriticum.*

Euomunt magis pituitoſa, crepitus ventris & ructus & fæces retinentur quæ plerunque etiam aquæ ſupernatant, & vagatur magis, Et ampliorem occupat locum. Quòd ſi altius infeſtet renibus etiam, id eſt, ſignum. Nephritici autem tenues & puras reddunt ab initio poſt inæquales, demùm arenoſas alleuiatur etiam colicus clyſteribus. Ex his quoque quibus ſoluitur dolor velut lapide in vrinis, aut frigido humore inter excrementa alui, cum tamen ambobus ab initio clyſteria auxilientur.

83. *De abſceſſibus meſarai.*

Nihil hoc frequentius nihil damnoſius quoties iſtud euenit, latitant, vt etiam dicit Hippocrates ſub febribus lentis & longis. Signa febris cótinua vltra vigeſimam diem, in maioribus natu triginta annis. Cum vrini. crudioribus quàm pro ſtatu morbi, & moleſtia hæc indicat abſceſſum ex febre quoniam materia per criſim non eſt ſoluta. At eius qui ſit ab initio morbi ſigna ſunt vt habetur. *Quartadecimaterty.* Vt ſint ſigna inflammationis iecoris, ſed remiſſa & febris occulta, & excrementa alui chyloſa. Et tenſio & calor eſt inæqualis in omni inflammatione, nam de dolore, pondere, tumore, non dico, quia non ſunt obſcuri, ſed ſunt magni, hoc autem latere poteſt expertum medicum: at hic non tractamus niſi ea quæ fallere poſſunt etiam peritum

medicum

medicum, sed si sit scirrhus, vix potest ab obstructione distingui: verùm si sit œdema, adest mollities durities loco, & sanies mesarœi est alba fusca aliquantulum, sed iecoris rubra, & in ventris abscessibus apparent rigores, & febres diuersæ. Et pulsus pro ratione loci, & non soluuntur cum auxiliis solitis in febribus.

84. *Excuntia*

Cum verò de intestinis actum sit, par est vt de excuntibus nunc certo ordine agamus. Quæ autem magis familiaria ex eis sunt stercus, vrina, sputum, mucus, sudor, sanguis & vomitus, horum omnium stercus & vrina sunt naturalia, necessaria, communia & generalia, sputum & mucus naturalia sunt, non tamen necessaria neque communia sunt tamen generalia omnibus non sunt necessaria, quia aliqui sine his viuunt: non sunt communia quia vnum est excrementum cerebri aliud glandularum quæ sub lingua sunt: sudoris materia naturalis est necessaria communis & generalis, forma nequaquam, sanguis est communis omnibus partim autem naturalis est & necessarius, generalis nequaquam, nam menses mulieribus stato tempore & ætate tum hæmorrhoides quibusdam aliis è naribus profluit sanguis. Est tamen euacuatio communis toti corpori, non tamen omnibus naturalis aut necessaria. Vomitus & ipse communis est, non tamen naturalis aut necessarius aut generalis. Singula horum quinque modis prodeunt, præter vomitum, naturaliter, vitiata, symptomatica, critica & per circuitus, naturaliter est quod est absolutum & purum, vitiata quæ non perfectè cocta sunt, aut corrupta symptomatica quæ humorem permistum habent, aut vi quadam exprimuntur. Critica, seu iudicatoria quæ duntaxat semel, aut paucis vicibus eiecta liberant à morbo. Per circuitus quæ vel vitiosa, vel humoribus mista emittuntur, quorum quædam meliorem reddunt habitum natura le exonerante cum satis sibi boni alimenti reseruauerit quedam deteriorem. Excrementorum vitia quo ad obstructionem attinet sunt: multitudo, crassities, lentor, sed simpliciter adde corruptionem, & acredinem. Cæterùm quod ad expurgationem attinet pars resima iecoris, intestina, ventriculus, lien per aluum euacuantur, per vrinas autem iecoris gibba, & quorquot his superiores sunt scilicet ex pectore pleraque.

85. *Stercus.*

Quòd secundum naturam est æquale, ideò non aquosum leue, & ob id non admodum siccum figuratum, quare non nimis liquidum coloris mali, medici benè maturi, odore naturali, multitudine & tempore debitis. Ei associantur quoduis genus humoris magis tamen crassi, & quod crassissimum est fit in ventriculo, id est quoniam ibi materia eius transmutatur, & secernitur quòd eius optimum est, elaborator autem à iecore, tum etiam segregatur: intestinis verò figuram recipit. Ideò si ventriculi functio tollatur, stercus esse non potest, sed fit leuitas intestinorum, quoniam iecur supplere actionem ventriculi non potest, similiter & à iecore diuersis modis afficitur. Permutatur ergo eius substantia & figura ex his tribus: color autem & odor, tum ex his quæ illi commiscentur. Et odoris prauitas indicat corruptionem ipsius aut eorum quæ cum eo exiuerunt: Color autem maximè permutatur à iecore & mesaræo, cum liuidus & fuscus à liene, cum admodum croceus à vesica fellis bilem copiosam eructante, cum verò albus, aut aqueus, aut mucilaginosus à ventriculo vel cerebro. Distinguere autem oportet eum qui à cerebro est, quia crassior est & lucidior. Niger autem & ruber, & viridis si sint cum febribus acutis, sunt valdè mali, & fiunt à iecore & corruptione febrili praua. Excuntia autem distinguere non vna ratione oportet, nam adeps albus, non pituita, sed lenta, ruber sanguis, atrabilis, nigra, & splendidior sanguine, dicebat Galenus, spumosa, alba, elevata, colores reliqui bili tribuuntur: putrefacta, fœtida, inæqualia, prauorum colorum, & cum defectu animi eiiciuntur Melancholia nigra aut fusca non cohærens, quòd cohæret nigrum sanguinis, fæx si non cohæret, & splendet parum & nigrum est, sanguinis fæx in iecore exusta est, colorum multitudo cum fœtore corrupta esse docet, inæquale solùm stercus eruditatis indicium est: & scias quòd diarrhœa, & quælibet fæcum copia velut & sanguinis consueti multa reiectio non solùm signum est, & symptoma, sed etiam morbus.

86. *De Vrina.*

Naturalis substantiam habet crassiorem, contenta autem tenuiora. Color verò substantiæ velut paleæ tritici maturæ cum splendore contenta, argentei quasi coloris, lenia, æqualia, subsidentia in formam pyramidis, occupantia plus tertia parte altitudinis vrinæ, odore naturali absque spuma cum circulo paulò candidiore quàm ipsa vrina, veruntamen splendidiore, quàm sit sedimentum: multitudine & tempore debitis pura, & non conturbatur, nisi in magnis frigoribus Pessima est cuius substantia est valdè tenuis, & sedimentum valde crassum, vtrunque enim ostendit omnino inelaboratã esse à venarum virtute: quod si præter id aquea sit, obstructionem significat, aut bilem ad superiora tendentem, atque ideò in acutis phrenitidem. Per eam excernitur humor tenuis, & etiam crassus, plus tamen ex mediocri. Quæ verò ramenta continet in acutis, colliquationem à prauo calore solidorum significat, Quæ nigra est si tenuis sit, extinctionem caloris aut exustionem ostendit: non enim potest esse critica, quia esset crassa qualia igitur contenta quæ secundum naturam sunt talis actio venarum in excrementum primæ coctionis. Quare & eiusmodi in proprium alimentum, bonum, optimum, malum, pessimum permutatur tamen vitio renum, aut vesicæ, quorũ solùm detrimenta significat, & si arenas rubras continet, à renibus sunt. Partes autem laminis similes fibrosæ, ac albæ à vesica deciduntur, caruncule à renibus, pus secretum ab vrina à vesica est vel penè: valde mistum ei à membris superioribus. Ex his si à renibus signa

propria præcesserunt, sed si mediocriter mistum sit tum dubium est, vrina autem sedimento caret ob caloris vim, sed tunc est colorata, aut cum materia fertur ad membrum principale, vt in phreniticis: aut quia materia deest ob continuam euacuationem, vt in Diabeticis affectibus, aut in sanis & ægris, & tunc obstructio est in renibus, non enim aliunde fieri potest, vt concursus venarum prohibeatur, cum materiæ noxiæ ex illis aliquid quotidie excernatur, vel in sanis non in ægris, & tunc est obstructio inter cauã & gibbam iecoris: tunc enim nihil præter fluit ex recremento concoctionis primæ quòd est materia sedimenti in sanis vt etiam solamque ex venis cum iam ille sanguis sit expurgatus per proprias vrinas singulorum dierum, tametsi obstructio non antea præcessisset. Indicat hoc tunc grauitas præcordij dextri non renum, & corporis extenuatio: at illam plerunque dolores consequuntur iuxta renes, & vrina sanguini mista, dignoscitur ab ea quæ atræ bili splendore: tardiore & non perfecta separatione, & grummis. Et vix quicquam est cognitu difficilius, nec mirum, nam melancholicus humor sanguinis est fæx, ideo & ipse sanguis. Si verò sit atra bilis aut humor niger alter lethalis est, alter non, nisi cum vitio splenis manifesto exit: nigrumque conspicitur in vrina, non rubrum dilutum. Generaliter autem vno exemplo omnia declarabo quæ vrinis citra putredinem accidunt. Sit igitur aliqua substantia tenui, sedimento crasso & flauo: Tenuitas substantiæ imbecillitatem coctionis, hic autem vel ob vires, vel ob materiam: crassities contenti atram bilem flauus color influentem flauam bilem. Vnde vel quoniam amplius generatur ob caliditatem, aut retinetur: inspiciendæ igitur sunt fæces. Iudicium influxioni paratum cerebrum, est enim flaua bilis velut explorator & dux qui deducit milites, generaliter igitur substantia est à venarum actione. Color albus ab eadem, vel obstructione, vel enim materia tincturæ deest, vel fernor, vt apud fullones. Color vlterior materiam elaboratam præter naturam, aut ex venis, vt in febribus, aut ex meatibus, contenta autem si desint ventriculi negant actionem, aut obstructio est, aut calor ardens, substantia crassa naturalium venarum actionem negat: præter naturam resolutionem à calore igneo aut exustionem in renibus. Color mistionem tantùm. Et scias quod in puerperis, & menses patientibus exigua diligentia detergendi Vuluam, & collum matricis vrina colligitur impolluta, vt possit videri, & per eam integrum sumi iudicium.

87. *Mucus.*

Coloris est vitrei & perspicuus, facilè fluit: quatia verò sibi iunguntur talia abundant in cerebro, & si viridis sit aut sanguineus, & fœdus, vel quasi densus, puluerulentus malus est, & si malè olet vlcera significat in naribus vel osse pumicoso: tam crassa quàm tenuia per ipsum educuntur.

88. *Sputum.*

Hoc debet esse aqueum, subdulce, minimè tenax, paucæ quantitatis inodorum, in morbis pectoris, & cerebri magis variatur secundum substantiam quàm in morbis ventriculi. Secundum saporem autem sæpius à materia in ventriculo contenta accidunt, & acre à liene, & melancholia fit amarum, à ventriculo salsum: tàm à ventriculo quàm cerebro sanguineum si sine tussi & vomitu sit ex apertione venarum cerebri plerunque est, aut vitio oris. Per ipsum tenuia secundum naturam, crassa etiam expurgantur: omne etiam genus excrementi expurgare potest quatuor humores, & crudum succum, & purulenta, sanguinem tamen rarius.

89. *Sudor.*

Expurgat tenuia & mediocria: color naturalis est fermè vt vrinæ patientis, & fit ex aquea substantia quæ in venis sanguini coniuncta est: crassa educere non potest: super cordis affectus propriè significat, neque enim vllo modo sudare contingit nisi communicato affectu cordis, & ideò in syncopi sudor frigidus aduenit si benè cedat, nulla conuenientior expurgatio in febribus, quoniam & vndequaque aduenit, & colliquatur quicquid mali est cum sanguine.

90. *Sanguis.*

Expurgantur omnes humores potestate: Qui multus est & floridus & ruber, semper salutem in febribus pronunciat. Prodit aut à corde, aut à iecore non sine horũ consensu, nisi compositionis vitio & sanguinis corruptionem, & fluxum sequuntur malus color mollities, & vitium appetentiæ & concoctionis.

91. *Vomitus.*

Is præter naturam est, ideò naturalem descriptionem facere superfluum est. Fit propriè à virtute ventriculi. Criticus solus, & qui per circuitum fit ratione materiæ & ratione finis, naturalis dici potest, actionis autem contentorum seu eorum quæ eiiciuntur, nequaquam. Est illi nausea quæ tinesmus excretioni per aluum, idemque affectus in vrina eiicienda dysuria, in tussi cerchnos, hæcque pessima semper, cum sint impotentis naturæ indicia & affectus violenti. Quæ excernuntur per vomitum nõ mali odoris, & cõgruentia, morbo & pituitosa, & mucosa, & facile, & non valdè multa, & eiusdem coloris, nisi sint ex cruditate, plerunque autem & quasi pro naturalibus habentur, & fermè semper bona, nisi nimis frequentent. Sapores autem declarant succum: insipidus, acidus, salsus pituitam: amarus bilem: dulcis sanguinem, aut melancholiã: fœtidus horribili cum amarore, putredinem, Eadẽ fermè, in egestionibus, & vrinis.

92. *Musculorum ventris tumores.*

Rectorum musculorum tumores, & in medio, & oblongi, & in superficie in quo conueniunt cum obliquis descendentibus, ascendentes autem sub his occultissimi, transuersi quòd in profundo sint. Quatuor enim paria sunt. Quidam quinque esse aiunt, sed pusilli admodum qui in imo supra pubem inuenti sunt.

93. *Iecoris morbi alij.*

Cum obstructio adest sensu grauitatis dignoscitur. Si verò & distentio adsit, flatus est indicium. Quod si etiam tumidum sit,

dolor

dolor adest. Qui nonnunquam etiam ad iugulum pertingit, grauitas, tussis exigua, color linguæ primùm ruber inde niger, ingens cibi fastidium, implacabilis sitis (si tamen cum calore sit) Vomitus bilis syncerę aut vitellinæ, quandoque etiam viridis. Aluus astricta, qui verò ipsi accidunt morbi per consensum à ventriculo intestinis, & maximè ieiuni tum lienis cauam partem eius magis vitiant. Si verò à pulmone septo transuerso, tembus gibbam, & frigidas quidem intemperies modo fames modo inappetentia sequitur, calidas autem semper inappetentia, & cibi fastidium, sitis vehemens, vomitus biliosorum, febris.

94. *Iecoris imbecillitas.*

Eiusmodi morbus fit vel à paucitate caloris, vt in decrepitis, & vbi multus fluxerit sanguis & in inædia, & vbi quis cibis exigui alimenti vsus fuerit præsertim si à pane abstinuerit. Et à raritate substantiæ, & per morbos, & persæpe iungitur imbecillitas frigiditati: & eius proprium, est egestio sanguineà similis loturæ carnis: quæ etiam addit in causam, & cum iecur est imbecille venæ ex ea parte stelechiæ, aut cauæ sunt imbecilles, & si vtraque parte vtræque, & non est necessarium, vt conuelsum huius sit verum. Ergo quibusdam serosam sanguem deficientibus in frigida intemperie inde retentis excrementis, febris succedit quæ vsque adeò ab imperitis negligitur, vt ægrum febricitare haud existiment, sed esse cum affectum inædiæ. Vnde aucto cibo rediit fluxus, atque hepaticus manifestè, cæterum quibusdam ex his appetitus cibi nullus est, quibusdam etiam immodicus. Et si inualida sit attractrix eius, fluxus chylosus aduenit. Differt ab eo qui fit ex inflammatione, aut erysipelate in mesaræo quòd hic sanies serosæ quippiam habet cum eiusmodi affectu iecur non laboret: cruentarum autem egestionum quatuor genera sunt, inquit Galenus, similis loturæ carnis, & sanguinis splendidi, sed nigri, cum in prima iecur minimè traxerit chylum, in secunda traxerit quidem, sed non retinuerit, & plerunque accidit, vt prima etiam secundam in hoc casu antecedat. Tertiũ est in dysenteriis, quòd ad iecoris affectum non propriè pertinet: nam in eiusmodi sanguis primùm exiguus minutim eiicitur, & cum dolore ob vitium intestini: interdum concretus, etiam post succidit pus & Ephelicides, & membranosa intestini substantia subsequitur cum morbus sit intestinorum, quamvis causa, quæ bilis est aut salsa pituita, ex iecore possit excerni. Quartũ verò ad ipsum pertinet cum quæ sanguinea deficiuntur non ob imbecillitatem illius fiant, sed per circuitum, exonerante se natura seu ob suppressas menses, seu ob præcisum membrum seu ob otiosam vitam quæ laboriosæ successit, quia in his syncerus sanguis excernitur, sicut & ab eis expurgationibus quæ accidunt per eruptionem concoctarum inflammationum, aut erysipelatum, cum in hiusmodi vitiosus, cœnosus & putris sanguis sit. Cum ergo egestio est velut lotura carnis, ab imbecillitate iecoris oritur, sin vt fæx, sanguis etiam affatur. Si verò flaua admodum & perseuerat, calor tenuis dominatur in eo, sed absque imbecillitatis inditio.

95. *Iecoris inflammatio.*

Communia sunt febris acuta. Dolor qui persæpe ad costas mendosas dextri lateris pertingit: nam etiam pluribus non annectitur eis, & signa sit etiam vsque ad iugulum Tussis sicca.

96. *Inflammationum differentiæ.*

Quæ in sima parte sunt Inappetentiam, Nauseam, Vomitum bilis, Sitim magis, Minus autem tussim, Dolorem in respirando. Et vt vsque ad iugulũ pertingat. Participat tamẽ totum iecur in vtraque affectione.

97. *Inflammationis gibba, & morbi lateralis differentia.*

Egestio qualis lotura carnis dolor ad nothas costas pertingens, spiratio parua & crebra, Tussis exigua sicca, & ex longis interuallis. Grauitas in dextro præcordio & si magna sit inflammatio, dolor vsque ad iugulum tendit, Pulsus non adeò durus.

89. *Iecoris Erysipelas.*

Inflammationis iecoris cum sitim, & febrem ardentissimam adiicies, colliges signa Erysipelatis tum verò dolor acrior est certè minus grauis.

99. *Iecoris scirrhus, & de differentia inter scirrhum & scirrhosam dispositionem & carcinoma, & ædema.*

In Scirrho durities maior est, quàm in inflammatione: febris nulla eius causa, & musculi ventris è regione illius macilescunt. Cum tamen augetur, vt sit magis tactu conspicuus, aduenit aqua intercus, & non potest cognosci. Verum ex hoc videtur aqua primum colligi in iecore ipso non in ciuitate ventris, nam est impedimento quòd inferius descenderet ad imum eius: sed si sit, per multos dies antea collecta fuit, & tunc tumor in pedibus, & imo ventris potissimum est signum. At in scirrho materia fæculẽta & terrea iam extrea venas collecta est. Sin autem soiùm sit in venis scirrhosa est dispositio, cui si occurratur tenui victu secundum triplicem rationem, & incidentibus, atque attenuantibus è iuuenibus omnes, è senibus quidam euadunt. Signa sunt quoniam tumor premendo cedit, quia adhuc substantia iecoris sana est reliqua adsunt. At si tumor non adeò sit circumscriptus neque durus, erit à cruda pituita, si mollis & dolore carens ædema, in omnibus autem iecoris tumoribus, ac etiam collectionibus facies ostendit humoris qualitatem. Quòd si sit carcinoma (cuiuslibet enim carcinomatis, cuius causa externa non præcessit, vt ictus, radix est in iecore ipso (glandula in modum, tumor durus in iecore cum dolore & calore perpetuo citra febrem, & si præcesserit, retentio sanguinis corrupti consuetæ euacuationis, iam hoc manifestius est. Et non gignit ascitem, quia glandula non augetur iecore in dies se exonerante. In elephantiasi autem plures tales sunt, nam nihil horum esse potest nisi à iecore ipso.

100. *Vesica fellis morbi.*

Et Vesica fellis quidem impletur quandoque bile, vel quoniã non potest expellere ob imbecilli-

imbecillitatem maximè ex frigida intemperie quæ tenui ſubſtantiæ, & exangui facillimè aduenit, & plurimum obeſt. Aut quoniam repleta nimis, atque ob id extenſa laxatur, nec poteſt ſe comprimere. Quibuſdam lapis innaſcitur, qui grauitate diſtrahens eam debilitat, vt quod intus eſt non poſſit effundere, tùm verò huiuſmodi hominibus ſcabies indomita accidere ſolet, vel quia obſtructæ ſunt viæ per quas eiicere conſueuit, apertæ per quas recipit. Demùm quod aliquid pituitæ aut humoris ſecum habeat bilis, vnde tenui reſoluta parte craſſa ad expulſionem inhabilis redditur. Vidi nobilem Bononienſem de Bobiis cuius veſica fellis adeò tumida erat, vt lapidi rotundo in acutum velut pyro tendenti aſſimilaretur.

101. *Lienis morbi.*

Commune eſt in omnibus lienis morbis, quemadmodum ſuprà diximus de iecore, vitiari colorem totius corporis, ſed faciei præſertim (quòd ille ſoleat eſſe nitidior ob multitudinem ſanguinis & ſpirituum puriorum, & tenuitatem cutis, & maiorem recipiat mutationem propter contractiones quæ fiunt à corde & cerebro, vt in timoribus, triſtitia, verecundia) ad fuſcum, & nigrum. Sin autem miſta ſit diſpoſitio ad viridem, vt in ſecunda parte diximus liuidus autem membris principalibus, vt cordis & cerebro proprius magis eſt, vnde in morituris morientibus & mortuis maximè apparet. Morbi reliqui proportione reſpondent morbis, ſed ſunt grauiores in viſcere, & in læſione leuiores. Qui verò in compoſitione ei accidunt magis conſpicui ob illius ſubſtantiæ raritatem, & omnes illius noxas notatu dignas conſequi ſolent, ventriculi euidentes mutationes, velut vomitus ſanguinis nigri, aut omninò melancholici. Is ergo cum ad ventriculi os melancholiam effuderit, peculiarem morbum facere ſolet: in ſapientibus quidem mœrorem & ſomnia terribilia: in aliis etiam timorem & melancholiam. Et ex hoc genere eſt morbus niger de quo in ſecundo de Morbis.

102. *Lienis tumores.*

Iuxta hoc ergo inflammationum, febrís, & reliqua præter dolorũ minora ſunt, velut ſitis & vigilia & vomitus: vomitus antè aquæ ſubnigræ aut viridis acidi ſaporis, dolor autem maior aliquanto quã in iecore, grauitas tamen minor. Et in tumoribus excreſcit mirum in modum, quamquam perſæpe tumorem meſaraei aut muſculorum pro lienis ſcirrho aut tumore accipiant; cætera, vt dixi, pro ratione iecoris. Verùm tumores illius ſemper difficultas ſpirandi, & dolor ad tactum (ſi ſcirrhus tamen non ſit,) & fames aut nulla, aut canina ſed hoc ſæpius, & corporis totius extenuatio ſequitur. Meminiſſe etiam quòd partes habeat tres conſpicuam, & auerſam quæ eſt ſub illo ad poſteriora reſpicientem, & quæ eſt ſub mendoſis coſtis latitans.

103. *Iecoris & lienis tumorum à muſculorum tumoribus differentia.*

Scirrh & inflammationes iecoris ſunt in vnum collecti: muſculorum oblongi. Et ideò ob duritiem facilius eſt ſcirrhos quàm inflammationes diſtinguere. Cũ etiam ſcirrhi iecoris extenuent corpus valdè: Et in abſceſſibus iecoris & lienis mutatur magis color faciei, & pulſus non eſt adeò durus.

104. *Renum.*

Eſt illis proprius quidam affectus quem vocant Diabetem, & eſt mictus plurimus humoris non mutati, cum ſiti inextinguibili, atque hic ſenſim incipit, velut & canina fames. Sed videtur ob hoc repentè incipere, dicit Galenus, quoniam cum renes careant ſenſu animali, non ſentit patiens illius initia, donec ex multitudine mictus in admirationem ducatur, & ob huiuſmodi ſitis atque potus memoriam dicebat ibidem: qui ex magna ſiti confertim bibunt quatuor pericula incurrunt, ne euomant idque minimum eſt: vt effluat per inteſtina ſtatim, & lienteriam excitet, vt retineatur, & diſrumpatur homo quod ſæpè accidit, & vt in diabetem tranſeat, Sed & quintum ſi non protſus optima ſit aqua, ne in malum habitum. Et vt hæc diſpoſitio ſit à calore & ſiccitate, & fermè non niſi in locis calidis, ita in noſtris regionib. fit alia illi ex vngue contraria, vt cum exiguo potu (quippe ſine ſiti) incredibilem mingant vrinæ quantitatem, & in proceſſu temporis multo maioris ponderis, quàm ſit corpus totum infirmi, cum cibo & potu interim aſſumpto, & ſanatur cum calidiſſimis & ſiccíſſimis medicamentis per longum tempus exhibitis,

105. *Renum inflammatio & vlcera.*

Si quis dolorem cum pondere in renibus ſentiat, & ſi conuerſus in ventrem, & in alterum latus pondus perceperit, & rigores interpolati & inæquales cum febribus inordinatis ſequantur, inflammationis renum hæc ſunt indicia. Quòd ſi poſt ſaniem, aut à ſanguinis mictu excernat, & dolor adſit, vlcus in eis eſſe oſtendit. At verò ſi ſine his ambobus, & ſine dolore veſicæ vel membri, expurgatio eſt partium ſuperiorum, nihil patientibus renibus, correſpondens fluxui epatico cum & in illo venoſum genus expurgetur, nihil patientibus inteſtinis. Cum verò ſanguis cum vrina exit, & à membro & à veſica & vreteredibus excerni conſueuit, ſed paucus, & cum dolore, à renibus autem multus, & citra dolorem, perſæpe ex circuitibus, quandoque ob laxitatem oris venæ emulgentis quæ ſe reni inſerit: ſed hoc difficile eſt noſcere niſi lapillum aliquem prius emiſerit: hoc enim eſt indicium quòd à renibus excernatur. Cura tamen & locus è regione poſitus fermè ſunt eadem. Et ſcias quòd poteſt eſſe vlcus in renibus abſque dolore ob ſubſtantiam eius, & ſine ſanie quando fuerit in meatu, & cognitio pendet ex diuturnitate paſſionis quæ eſt continua fermè: Et quòd mingitur nõn eſt ſanguis verus, ſed dilutius & obſcurius, & cum flagrantia.

106. *Lapillus vbi de renum dolore, acri difficultas.*

Porrò in lapillo & pilis magni dolores aduenium, & vtriſque ab initio vrinæ tenues, aut etiam retinẽtur. Poſt craſſę, & tamẽ

contenta

contenta diuulsa. Inde arenosa subsequuntur,& non lapilli, aut sanguis;& dolor pungens est. Quocirca de duobus dubitare expedit: primùm quomodo accerrimus ex lapillo contingere soleat dolor renibus, cum ipsi non expiant ramos neruorum nisi paucos & exiguos, vtpote ex fine sextæ & septimæ coniugationis cerebri,& in membrana ambiente non intus: velut & iecur & pulmo, quæ membra obtuso sensu prædita sunt: præsertim cum etiam de abscessu fateatur Galenus non solùm in illis, sed etiam renibus esse exiguum ex inflammatione dolorem, ac fermè solùm grauitatem quandam,in lapillo tamen acerbissimi sunt adeò, vt nobilis mulier de Raudis Hyppolita fassa sit extremos esse qui partus cruciatum superarent.Est & difficultas de vrina,quomodo percoletur,cum constet septo membraneo medio diuidi renes,nec tamen ab illo percolari velint. Igitur causam huius manifestam prodit Vesalius, quoniam scilicet perforata sit illa membrana cribri instar, vt solum lapillos retinere possit non arenulas, nedum tenuem vrinæ colluuiem. Igitur diligentia naturæ percolatur, quòd primum venarum & arteriarum oscula in tunicas desinunt, vt non pateat exitus per ora earum fermè, vt inter cauæ & gibbæ iecoris venas, sed hoc non satisfacit, quoniam excrementosa potius quàm sanguis retinerentur, & ita stillantis vrinæ prodirent atque sanguineæ,cuius contrarium euenire solet,nulla igitur arte componi potuere renes ad hanc symetriam, vt sanguis retineretur, & sanguine crassiora prodirent Hypostasi enim liquatus sanguis tenuior est;at naturali facultati facile fuit, vt cum renes essent validi, crassi & partium diuersorum parúmque sanguinis vrina contineret, totus extingeretur. At dolor hinc prouenit, quòd tunicæ illæ neruosæ sint, velut & membranæ aliæ ventriculi, & intestinorum quæ à frigido pungente plurimum læduntur, grauémque excitant dolorem,vt alibi docui, at in iecore & pulmone & liene nullæ eiusmodi sunt; à calidis ergo in renibus dolor acris non generatur, sed à frigidis tantum:in pulmone verò & iecore, aut liene, neque à calidis, neque à frigidis tales dolores excitantur. Vreteræ verò plurimum adiuuant ad doloris magnitudinem ob substantiam vesicæ similem. Sapienter ergo hoc de sensu factum est in renibus quòd ob tot excrementa immunda,fabulosa vndique confluentia ex toto corpore,non ex iecore solo (nec ipsis comprimere se valentibus non solum ob duritiem,sed longè magis, ne compositio, tàm exquisita quid sinistri pateretur, ad excernendam vrinam,aut purgandam,aut coquendam inutile (lapides geniti nisi obtuso fuissent præditi renes, moram ibi ducerent, & renum corpus dinideretur, atque vias obstruerent, vt altero horum duorum incommodorum plus quàm dimidium humani generis perire necesse fuerit.

107. *Vreterarum.*

Locus,tendunt enim à latere ad os pubis,& operatio læsa, intercipitur enim vrina, & natura doloris pungentis, aut lacerantis & magni.

108. *Vesica.*

Morborum quædam signa sunt non illius, sed vt via est,quemadmodum pus quod persæpè ex pulmonis aut pectoris suppurationibus expurgatur, dictum est autem de his. Dolores autem ex loco ex operationis læsione & tacta,scabiei, vrigo & pruritus & fœtor vrinæ, sedimen furfureum, & vrina est velut aquæ mista,& quandoque cum ea exit modicum sanguinis.

109. *Vesica inflammatio.*

Loci affecti dolor pungens, & cum pondere febricula, Delyrium,vomitio bilis synceræ,vrinæ suppressio,& quandoque fæx retinetur,& exterius rubor apparet,& inuantur à perfusionibus,& aquæ tepidæ vapore, symptomata autem eius praua sunt sitis, & nigrities linguæ, & spirandi difficultas, & frigus extremorum, & si perueniat ad suppurationem apparet rigor, & frigus inordinatum. Ideò nota hæc signa quæ non sunt pathognomica; maior est difficultas in dignoscendo inflammationem eius ab inflammatione musculorum propinquorum, & præcipuum est Delyrium,magnitudo febris, & vomitus bilis præsertim sinceræ. Et symptomata mala si superueniant difficultas spirandi,& frigus extremorũ,iam sumus certi.

110. *Tenuis, Dyssuria, Stranguria.*

Membrorum operatio læditur quandoque propter ea quæ eis insunt, nec tamen sunt ex illorum substantia prognata, velut vrinæ suppressio per lapidem, trumbos, arenam, pituitam,saniem; hæc omnia sunt accidentia,affectus minimè:At si ex vlcere,aut vesica refrigerata non solum accidens est,sed affectus. Tum verò actiones quædam quæ à duobus perficiuntur aliæ sunt ambæ naturales vt eiectio chyli in duodenum:nam & retinens pylorus naturaliter contenta exprimit, aliæ ab ambabus voluntariis, vt vinculum trahendo stringimus,atque trahimus;aliæ ex vtrisque, vt mictus, & fecum eiectio: cum enim voluntariè retineantur à musculis in functione relaxatur musculus per voluntatem, exprimitur facultate naturali se comprimente intestino,aut vesica;quanquam,& expressioni naturali natura voluntariam vtrisque ex musculis ventris addiderit,quoniam longè periculosior esset inuita retentio offendentium,quàm vtilium eiectio. Verùm si musculus vesicæ retinere non queat, semper fiet diffusio vrinæ in voluntaria; non ita fæcum musculis circa annum laxatis, quòd fæces non sint adeò fluxiles vt vrina.Hyeme ergo Ischuria fit,id est,vrinæ suppressio vel obstructo meatu,vel functione constringendi se,sublata à vesica; velut ob nimiam retentionem vrinæ contenta vesica,vel ob cõuulsionem musculorum continentium collum vesicæ:sunt enim duo vnus externus magnus,Galeno notus, alius intra collum longè minor industria posteriorum inuentus. Similiter Dyssuria est cum difficultate mingere,paulò pòst autem mingit, vel cum dolore mingit, & tunc Dysenteriæ intestinorum proportione respondet. Ergo dolor in

mingendo, ſeu vrigo ſit vel ab vlcere, vel à materia acri. Et materia acris ſanioſa, vt in vlcere renum, aut ob admiſtionem arenæ, vt in lapide, vel ichoris acuti, vt in ſcabie veſicæ, aut bilis (nam caliditas ſola id efficere non poteſt.) Et dolor in ſcabie eſt maior quàm ex materia acri: In vlcere verò longè etiã maior quàm ex ſcabie: Et intemperies omnis maximè calida vel humida, cuiuſcunque mẽbri eſt res non grauis & facilis curationis, ſed cum permanet, corrumpit membrum, & tunc eſt verenda. Suppreſſio igitur vrinæ, aut propter reſoiutionem eſt velut in retinentibus diu vrinam, aut in luxata ſpina dorſi. Vel ob obtuſum ſenſum, aut obſtructionem, & tunc ſupra veſicam, vel in collo veſicæ, vel in pene. Fit etiam vrinæ ſuppreſſio ob imbecillitatem: & de difficultate dubium non eſt, cum ſit proprium, vt in decrepitis: cui eſt familiaris, & hæc antea deſcribitur à Galeno ſexto de locis. Sed de ſuppreſſione cum idem ibi confiteatur, vt in his inquit, qui diu continuerunt vrinam, & Princeps fatetur: dico non doceri modum, non enim comprimi poteſt, ideò ne detur vacuum exeunte vrina, & non compreſſa veſica, retineri. Id ergo rarum: & tunc etiã imbecillitas cauſa dici non poteſt retentionis, ſed ſtillicidii. Retentionis ergo cauſa per ſe eſt repletio, imbecillitas autem cauſa ſine qua non retineretur vrina: nullo modo enim imbecillitas retinere poteſt vrinam, niſi veſica ſit plena, & valdè plena. Sola etiam repletio id facere non poteſt, ſed ſolùm ſi imbecillitas adſit: Sed imbecillitas non ſufficit ad retentionem, etiamſi ſit plena veſica, niſi ſit valdè plena. Ergo imbecillitas non poteſt dici cauſa retentionis vrinæ per ſe ſed plenitudo & plenitudo magna, quia vt dixi aër non poteſt ingredi, adeò cõpreſſione ſanatur. In meatu autem à lapide, aut verruca, aut carne, aut cicatrice, aut arena, aut ſorditie, vel pure, aut inflammatione, vel ſcirrho, aut carcinomate. Fit quoque ex ſanguinis trumbo ſæpius eſtque in ea ſuppreſſione quid admirabile, vt dicebat Galenus, vt non ſolum contentus in veſica, ſed multò magis in inteſtinis ventriculo, atque thorace & in cauitatibus quæ inter muſculos ſunt ſequantur pallor animi, defectio pulſus, paruus: obſcurus, frequens, vt laborans difficulter poſſit reſtitui: quinimo ſæpe putredo partium, & marcor ſequi ſolet, & refrigeratur totum corpus, & præcipuè extrema, quinetiam dicit quamuis rutè curati omnes ex grumis in veſica præter vnum perierũt. Fit & nonnunquam obſtructio à Tumoribus, Inflammatione, Carcinomate rarius à ſcirrho. Stranguria cum guttatim mingit, vnde in ſtranguria ſemper adeſt impedimentun non ſemper dolor, in diſſuria dolor, non impedimentum: vlcus autem, & dolor, & impedimentum ſemper cum perſeuerant ſe conſequuntur, nam dolor erodit, & inflammatio, & cauſa doloris vlcus efficiunt: Et impedimentun meiendi putrefacit vrinam, & vlcus efficit: ipſum verò propter ſaniem etiam cuncta hæc efficere poteſt, ideò cum vnum ex his tribus adeſt, plerunque adſunt, & reliqua. Cum vrina ſuppreſſa eſt in veſica dolor adeſt in illa, & tumor, & cathetera ſoluitur, ſed in pene impedimentum eſt ſenſile. In collo autem veſicæ ex his quæ apparuerunt iam. Inflammatio autem febrem acutam & dolorem ingentem efficit. Carcinoma autem eſt ſine febre, & adeſt pondus, & dolor magnus qui nullis placatur auxiliis. Caro doloris eſt expers.

III. *Lapis.*

Si cathetera exploretur, & reſonet certum eſt. Aut per anum digito medio immiſſo, ſed colocato lapide, & vt inteſtinum non ſit ob hæmorrhoidas nimis craſſum, & λαθροφ-, habeat longũ digitum. Et ideò ſtãtim ceruice, & difficilius, ſed certius ſupino in imo & facilius, at modò à latere, modò ſurſum dilabitur etiam. Quòd ſi non inuentus fuerit iis viis, aut æger non patitur: tunc ſi contingat vt ſæpè, repentè ſupprimatur vrina, & maximè ſtanti, & ſitu mutato repentè mingit, & ſentit grauitatem, & motum maximè repente ſedendo, aut pedem concutiendo in terram, aut aſcendendo Veſica iam exonerata, tum lapis adeſſe ſignificatur, & mobilis. Quod ſi tangatur cathetera reſonat intus & eſt certũ ſignum. Quòd ſi cum his vrina præceſſerit ſplendida & aquea, & arena alba in fundo ſtatim á mictu, antequam refrigeretur, appareat, & virginem etiam ſentiat, tunc potes eſſe ſecurus, ac ſi tetigeris, & ſigna lapidis aſperi ſunt, vrigo, & lapidis qui atteritur arena, & ſi lapis non ſit mobilis, non ſentitur, niſi grauitas & vrina aquea & ſplendida apparet, & rarò arena: Et tunc vrigo percipitur, & non eſt omnino tutum tunc pronunciare, ſed eſt adeò rarum, vt neſciam an poſſit accidere, Et defectus omnium aliarum cauſarum eſt, commune ſignum in hoc non ſolùm morbo, ſed omnibus aliis ad declarandum vnam quampiam è pluribus. Velut hic de lapide in ſuppreſſione vrinæ aut vrgine.

III. *Penis & ſterilitatis viris.*

Morbi eius ſunt Gonorrhœa, Priapiſmus, Satyriaſis Impotentia ad venerem, & Sterilitas Vicus: reliqua non ſolùm nota ſunt, ſed & cauſas notas habent. Diſtinguitur vlcus eius à veſica quod ſanies præuenit vrinæ exitum, & in exitu dolet. Gonorrhœa eſt aſſidua ſeminis effuſio abſque voluntate ſine penis erectione, ſed eſt accidens quidem penis, ut tranſitus: morbus autem uaſorum ſeminalium, vel ob imbecillitatem contentricis, uel ſtimulo ſeminis. At Priapiſmus eſt erectio penis ſine voluntate coeundi, ut perſepè accidit in pueris. Fitque plurimo flatu diſtendente arterias, & eas tum neruum fiſtuloſum implente, Et quia arteriæ penis ſunt maiores. Quòd ſi adſit ſemem irritat ad Venrem huiulmodi erectio, eſtque tum ſatyriaſis: quæ ſatyris propter tentionem veretri prompta ſit ad venerem facultas, ob id ergo glans in erectione non augetur, quia ad ipſam arteriæ non perueniunt, ſpiritus autem ille calidus eſt, & humidus, & denſus, & à corde immittitur, vnde flatus potius

obeſt

obest quàm prosit. Venit autem ex renibus; nam eò tranieunt venæ, & arteriæ ad colem, ideò supinus decubitus ad erectionem facit: contra defectus eius efficit impotentes ad erectionem, seminis autem ad concubitum, vtrunque verò, vel etiam seminis corruptio causa est sterilitatis. Sterilitatis ergo viri signa sunt ætas vltra lxx. annum. Semen vt aqua Impotentia magna ad Venerem. Et vt non rectè tendatur penis. Breuitas, & longitudo nimia eius phthisis hydrops non generant, aut non viuunt nati, & viri nimis studiis intenti, aut stultos: aut excessus primarum qualitatum, præsertim frigidæ, & etiam calidæ cum valdè rarum efficit corpus, & venæ post aures sectæ.

113. *Vteri.*

Propriè illius affectiones sunt situs mutatio cum quasi voluntariè moueatur ad latera vel prolabatur inferius laxatis vinculis, quanquam in omni situs mutatione collum eius pudendo annexum maneat quandoque tamen inferius descendit inde mensium mutatio, vt supprimãtur, vt copiosiores exeant, vt corrumpantur, & alba prodeant, & hydrops. Tum quæ ex gestatione fœtus, ac partu seu abortum accidunt. Tum præfocatio de qua mox dicemus. Cætera cõmunia aliis, & maximè pro exemplo similia his quæ vesicæ accidunt, Et suppressionis mensium signa sunt, grauitas corporis, Cibi fastidium, Inæqualitas aliena, quòd si os vteri apertum est aut clausum: sed durum, nec tum lac est in mammis, suppressi sunt menses, si durum est os, & menses suppressi, & dolorem cum grauitate in latere sentit, aut in imo, motus loco est vterus. Signa ergo aquæ intercus in vteris ponuntur, Primò de morbis mulierum Venter sæpius intumescit, & mammæ molles sunt, & lac malum. Et putat se in ventre habere, & os vteri ad tactum gracile & humidum. Et rigor ac febris corripit, & menses praui pauci, & ante tempus deficiunt, & in processu temporis dolor augetur ad imum ventrem, lumbos & ilia. Ita dignoui solus inter duodecim medicos Vxorem Comitis Annibalis Vicecomitis laborare vteri hydrope, cum ipsa tum plerique ex medicis crederent esse prægnantem. At fluxus mensium fit aut sanguinis multitudine, feruore, aut acritudine oculorum, venarum, vel imbecillitate retentricis.

114. *Hysterica passio.*

Vetius passionis nomine quod magis conueniat quàm affectus, & licet hoc nomem critici isti pro Medici Grammatici duce Cicerone refugiant, Princeps tamen eorum Priscianus admittit. Vbi etiam sciendum (sunt enim ambo hæc vna in pagina) quorum vnum medicis familiare alterum communis loquendi vsus abundè commodior redditur: sed ad rem redeo, huius duæ sunt species, prima Heraclidis Pontici qui de ea scripsit: Cũ mulier iacet immobilis absque sensu, & pulsu duntaxat aliquid caloris circa mediũ corpus relinquitur, quo à mortua distinguatur. Vt autem cum respiratione careat, cognoscamus an viuat, flocculos ex tenuissima lana (melius gossipio) è narium regione appo-

nunt. In altera mulier audit, & ratione vtitur, & membra mouet, sed animo linquitur, & spirã li difficultate laborat. Vtrisque commune est corpus refrigerari, sed tamen magis in prima. Causa primæ est corruptio seminis in veneni frigidi qualitatem, in altera semen idem, sed minus exitiali corruptione laborat, aut menses. Vtraque cor afficitur, ideò Apnœam ferre potest, sed in prima consentiente cerebo: ideò motu & sensu destituitur, inde etiam quædam ex his conuelluntur in secunda cerebri loco, pectore, & eius partibus.

115. *Hysterica ab alys similibus morbis discretio.*

Quoniam hysterica passio solis mulieribus conuenit frustrà distinctionem aliorum morborum nisi ea supposita quesiuissemus, tametsi in comitiali posuerimus differentiam ob exempli perfectionem. Differt igitur ab apoplexia, quoniam aut non vitiatur respiratio, aut si vitiatur remanet mens & motus, si conparetur leui apoplexiæ tunc distinguitur, quia in ea non est stertor. A lethargo, quia non adest febris, & subitò aduenit. A syncopi quoniam non sudant, & in syncopi magis impallescit. A caro seu sopore quoniam corpus in eo calet, & pulsus manet in illo. A cathoca quoniam corpus est magis flexile in hysterica, neque facies adeò mortuo similis. A balia autem catocha, quoniam in illa adest febris. A tentione quia corpus non adeò riget nec mens integra est.

116. *Sterilitatis.*

Os vteri à pudendo auersum, aut cõclusum, aut quòd concludi non potest, aut nimis distortum, aut vterus leuis nimis si vel fistula laboret, aut si carcinomate, aut nimis paruus, aut resolutus, aut intemperies immodica maximè calida, aut frigida, aut si aqua plenus sit, aut testiculis suis careat, aut menses nimium prodeunt, aut omninò non prodeant, sed hoc non semper. Et si suppositã ex odoribus validis vuluæ per diem, vt aromata, & allium os illius non oleat. Et fœcunditas, & menses probe fluentes sunt propria signa sanitatis vteri.

117. *prægnans.*

Vterum absque tumore, ac duritie adeò conclusum habet, vt specilli acumen non admittat: oculi caui, & distracti. Candidum eorum liuidum fit, habent & maculam solarem in facie: id est, maculæ nigræ cum lentiginibus quæ figura solis formam referunt: appetitus cibi, & potus mutatur Saliua redundat, & morsum ventriculi patiuntur, & circa vmbilicum leuis, dolor & in ipso coitu horror, & retentio seminis, & venæ mammarum virides. Et Mammæ tumidæ, & post lac in eis, vt tempore quo infans moueri potest linteum expresso vino frigido quo imbutum erat super impositum hinc illinc in parte uentris inferiore cogat infantem moueri, Et inter iugula pulsus manifestus oculis, & pulsus fiunt maiores velociores, & crebriores. Illud tamen animaduertere decet, aliquibus prægnantibus singulis mensibus prodire purgationes, sed paucas, quia ex solo collo vteri.

118. *Prægnans*

118. *Prægnans in quo ab hydrope diſcernatur.*

Venter & mammæ duriores, & lac melius & os vteri ſiccum, & menſes nulli aut boni. Dolor & febris, ac rigor nulla, aut quæ procellu temporis deſinunt.

119. *Maſculi & Fœmina.*

Hæc ſcientia velut apud Belgas lucroſa eſt ob pignorum certamen: adeò vt quidem mercator aliquot millia coronatorum dono offerret, ſi cum certum de huiuſmodi reficere poſſem. Galenus ſexto de locis affirmat, ſedem in dextro latere pro maſculis, in ſiniſtro pro fœminis eſſe quaſi certum ſignum adeò vt etiam in animalibus quæ geminos ferre ſolent, vt capris, ouibus, ſit animaduerſum. Mamma etiam qualis eſt tumidior, proportione ventri reſpondet, Oculis ſimiliter, vter maior atque ſplendidior, & ſi benè colorata eſt, maſculum, ſi male fœminã inquit Hippocrates.

120. *Abortus futuri aut incipientis, tum partus imminentis.*

Cum mammæ ſubitò extenuantur, & cũ ichor incipit fluere, & lactis multitudo præter modum, & dolores vteri magni, & perſeuerantes, & fluxus ventris magnus. Et in febre facies valdè rubra, & dolor in profunde oculi, & laſſitudo in toto cum grauitate capitis, aut rigore, & morbus valdè acutus, & deſcenſus vteri ad inferiora, & morbus grauis in octauo menſe. Partus autem temporis deſcenſus vteri, frequentia mictus, dolor, & ichores deſcendentes.

121. *Fœtus mortui.*

Dicebat Hippoc. in libro de Superfœtatione, ſi qua partui vicina oculos cauos habeat, & fauces ac pedes, & totum corpus vt in alba pituita intumeſcat, & aures & apicem naſi alba habeat, & labra liuida, fœdus mortuus eſt: aut ſi viui naſcentur non tamen vitales erunt. Dico aliud eſt cum ceſſat motus ſolitus, & ſenſim, & cum mammæ repentè extenuantur & frigiditas ſuminis & cum conuertitur cadit quaſi pondus ex latere in latus.

122. *Vermes & Serpentes*

Vermes vbique fermè gignuntur maximè tamẽ vbi excrementa tranſeunt ſemper autẽ vbi calida ſunt, & quieſcunt vt in cœco inteſtino quibus illud magnũ eſt, nam in pleriſque hominibus tam exiguum eſt quàm nullum: ibi igitur vbi tale & in recto inteſtino, & in colo, & in ventriculo, & in veſica præcipuè generantur, ſed exigui valde: poſt qui in recto inteſtino. Eorum qui exeunt certæ notę ſunt, ſed quærimus eorum qui non prodeunt ſigna: In ventriculo odor proprius (eſt enim illis) declarat eos, & magna titillatio cum reuolutione, & morſus maximè ieiunis, & ſtridor dentium in ſomno, & mandunt, febris Nauſea Dormitatio quædam in infantibus aſſidua. Et varietas ſymptomatum grauium cordis, & cerebri, & pulmonis abſque cauſa manifeſta. Serpentis autem deuorati ſi ſentiat magnam reuolutionem, & morſum ante cibum, & poſt ſubuerſionem, & faſtidium ingens. Et dormierit in campis aſſuetus dormire ore aperto, inde ſurrexit ex ſano cũ his ſymptomatibus. In inteſtinis vermes, vt in ventriculo ſunt: teretes plerunque, morſus, & putredinis, & motus ſigna ſpectato: & à paruis pruritus ingens oritur: degunt enim in recto inteſtino vocanturque Aſcarides, lati autem iunguntur, & ſunt albi, & in incedibilem longitudinẽ creſcunt, & non percipitur motus eorum, verùm eroduñt inteſtina, & extenuant corpus. Et apparent in excrementis ſpecie ſeminum cucurbitæ, & pulſus inæqualis, & imbecillis.

123. *Hernia ſeu Rumex.*

Herniæ fiunt aliæ in ſcroto aliæ in pube, aliæ in femine, aliæ circa vmbilicum, & commune eſt eis vt ſit tumor interiore ex parte, qui aut manet ſemper, aut ſaltem donec non comprimatur, & fiunt ex defluxione, aut dilatatione aut ruptura, & materia eſt aqua, humor, corpus venoſum, caro inteſtinum omentum & flatus, & tres vltimæ compreſſione redeunt, vt vinculis prohibentur reliqua neutro modo. Et primas dignoſcimus tactu. Flatus ſtatim redit compreſſus. Quæ eſt omenti, eſt deterior inteſtinali, quia ipſum creſcit, & etiam quòd non deſcendat trahit ventriculum infrà, & tandem interficit, poſt inteſtinalis trahit, ſed non niſi cum deſcendit. Differunt quia inteſtinalis eſt figuræ longæ, & ſentitur quandoque rugitus in ea, & cum deſcendit prohibet fæces & flatum exire, & redit ad ventriculum, & mouet dolorem.

124. *Podagra.*

Quoniam articularium morborum, vt latinus ille medicus dicebat, violentiſſimus eſt podagra, vt etiã qui ſæpè recurrat, ideò eius propriè ſigna referre decet occupat ſæpius pedes, vnde etiam nomen ſumpſit quod infrà ſint. Et latiores etiam habeant meatus, & plus incaleſcant, & exercitantur. Verùm in manibus acres magis excitant dolores. Et cum prædominatur poſtmodum etiam reliquos occupare ſolet. Et collum, & ſpinam, & mandibulas, & cubitos item dentes, & linguam, demum etiam viſcera, & interficit. Et nil aliud eſt podagra quàm inflammatio ſpontanea articulorum. Signa dolor profundus cum calore in pede aut manu, qui motu articuli valdè augetur.

125. *De Venenis abditis, & Cane rabido.*

Diximus de hoc in ſecundo de Venenis, ſed hic adiecimus hoc, vt aliarum cauſarum recta notitia habeatur cum non adſint: perfecta enim cognitio exigitur non ſolùm vt ſciamus an adſint. Maximum ergo ſignum eſt cum in corpore ſano rectè viuente ſine curis in bono aëris ſtatu mutantur Vrina aut egeſtio, aut pulſus deiectio appetitus, aut deſiderium rerum inſuetarum & malarum, vigilia, aut ſomnia terribilia, & exitus ſanguinis per loca inſueta, ſputo, vrina, fecibus: coniunctio differentium, vt dyſenteria cum ſpirandi difficultate, Punctio perſeuerans in ventriculo vel Inteſtinis, inchoati motus, vt tineſmus fæcum vel vrinæ, vel nauſea, vel voluntas tuſſiendi lingua infecta prauo colore: liuor vnguium triſtitia ſine cauſa perſeuerans: nam ſignificat vel venenum aſſumptum, vel ſponte genitum vel melancholiam, vel eſt argumentum imminentis calamitatis grauis. Et vulnus præcedens,

dens, aut nauſea hæc enim ſemper initium comitantur. Et in Canis rabidi morſu medio tempore apparent ſigna melancholiæ exitialis quia eſt ex eius genere. Et ideò amant ſolitudinem vigilant vagantur, & Caninos induunt mores. Etenim per neruos tantum aſcendit hoc venenum, & cerebrum afficitur, & cogitatio, & finiuntur in conuulſionem, & ideò ſi multus fluat ſanguis rarò pereunt, quoniam ſaliua quæ in neruo infixa eſt à ſanguine abluitur, & vis eius etiam retunditur. Et Canis rabidus abhorret aquam inde etiam cibum, perpetuo vagatur, Domum ſuam deſerit, Dominum, & domeſticos non agnoſcit. Caudem retrahit inter crura Mordet omnes obuios ſpuma circa os, Os apertum, prorſus mutus, etiamſi percutiatur, oculi rubri, lingua exerta. Corpus inflexum aſpectus toruus Canes fugiunt ſi non poſſunt, blandiuntur. Illos autem infectatur ſtudioſè, & mordet; & ſemitam in curſu non cuſtodit. Et ſi vulnus pane tangatur canis alius non edit tametſi famelicus, nec nucem gallina: ſi vi adacta deuoret, moritur.

226. *De ſignis atræ bilis.*

Quoniam hic humor cauſa eſt omnium fermè magnorum morborum, & inſanabilium, & mortis, ideò illius peculiaria ſigna dicere propoſui, & communia ſunt temperatura calida & ſicca, ætas poſt conſiſtendi tempus, Autumnus, regio arida non perflata, morbi eius generis exitus concluſus, vt fiſtulæ antiquæ aut hæmorrhoidarum, victus ratio Propria autem puſtulæ, & maculæ, & præcipuè circa palmam, ſtatus hypochondriorum alnus aſtricta, vigiliæ, & inſomnia terribilia, affectus animi, iracundi, triſtes cum timore, aut ſuſpitione & deſperatione.

227. *Modus, vſus huius libri, & Vtilitas.*

Cum oblata fuerit læſio operationes conſidera ad quam facultatem pertineat, & ſi ſit cordis, an ſit generalis vt febris, & ſi iecoris, an communis, vt hydrops, & an ad cerebrum, aut membra generationis? inde conſidera membrum, & hoc ex argumentis aliorum, primùm quæ citra ſuſpicionem ſunt. Deinde ex propriis illis vndecim ſignorum generibus vt membrum affectum dignoſcamus Quo cognito conſideremus quædam ex his denuò, & quædam alia quæ adiiciemus. Velut primùm generalia, inde genus, vt in pulmonis affectibus quæ dicta ſunt de pectore Diaphragmate, & aliis. Propinqua, vt ventriculo gulam, lienem, omentum. Similia vt in ventriculo vterum, veſicam, gulam, pulmonem, inteſtina, penem: hæc enim omnia habent cauitatem cuidentem per quam quippiam naturaliter tranſit. Subſtantiam, vt renum, iecoris, pulmonis, omnia enim hæc parenchymate conſtant abſque fibris. Et ſenſu ideò ſingula perpendere oportet quæ talia patiuntur. Ordinem velut in cerebro, cor etiam & iecur: nam ſunt principalia, & contingit de his quædam in aliorum tractatione dicta eſſe generaliter. Poſt coniunctionem per neruos, venas & arterias, demùm etiam ſitum, vt ventriculo cerebrum ob rectitudinem compatitur, & pulmo, atque viciſſim in ſingulis repetendo argumentum per ſigna quæ indicant alia de quibus veriſimile eſt affici non pati. Veriſimilia autem in quibus fallimur regio vt cum dolent, renes an colon: Tuſſis à pulmone an pectore vel ſepto tranſuerſo? læſionis ſimilitudo, an phrenitis, an ſepti tranſuerſi inflammatio in delyrio cauſa ſit? Modum miſtionis in tranſitu ab excremento ad excrementum, vt à pure miſto in vrina valdè, aut mediocriter, aut ſecreto prorſus ad idem miſtum, aut ſecretum à fæcibus, tranſitus ab excremento ad membrum, aut à membro ad excrementum, vt à veſica ad vrinam, ab vrina ad caput: à fæcibus, ad morbos, & ſigna inteſtinorum patientum. Conſenſus an vomitus bilis ſit à ventriculo, vel iecore? an pituitoſa excrementa à cerebro, an ventriculo? Demum magnitudo affectus. Ex ſymptomatis magnitudine, ex cauſa externa, ex cauſa interna, & loci patientis nobilitate, & auxilij.

Et ſcias quòd ſalus non aduenit niſi per iecur, conſentiente corde: nec mors niſi per cor, conſentiente cerebro & ideò mors ex iecoris morbis aduenit, aut per *δυσπνοιαν*, & tunc perueniunt ad vomitum, aut ventriculi colorem, & inſtat mors infra breue tempus, aut hydropem, vel conſenſu cerebri, aut iecoris cum materia ad ipſa vel iactura peruenerit. Ex cerebro autem propter reſpirationis difficultatem quam plerunque præcedit conuulſio, rarò tentio, maximè in febribus. Ex corde autem per reſolutionem quam præcedit plerunque ſyncopis, & proprium ſignum eſt, imbecillitas pulſus: aut ſuffocationem per ſuum calorem, aut ex conſenſu cerebri factam, ideò in morbis quæ ad iecur pertinent cibi appetentia eſt fermè ſignum diſtinguens mortem a ſalute, nam qui appetunt cibum, primùm poſſunt reſtaurare corpus. Et indicat ſaluum eſſe cerebrum propter virtutem animalem quæ eſt in neruis ſexti paris, & virtutem naturalem in iecore, quæ ſola diuina eſt. Nam concoctrix, & retentrix, & expultrix ſunt præſentium, appetentia etiam abſentium, ſed de his in expoſitione libri de Alimentis, & in Prognoſticorum Commentariis, quæ hunc librum ſequuntur, dictum eſt.

Porro vtilitas ipſa iam non alio quam exemplo aliquo oſtendatur, ſit qui laborat febre acuta cum vigiliis petiturque auxilium quod vires deficere videantur. hic primum conſiderabis, an morbus iam inualuerit, vt cerebrum, ſi nimio calore, aut ſiccitate laboret, vel vtriſque? an id ob vapores ſolùm contingat, vel ex vtriſque, nam ſi diuertere ſtudeas, nec vapores adſint, malum augebis cerebro magis exſiccato. Si cerebrum perfuderis ſoli vapores in cauſa ſint, plus ſatis trahes vaporum nec quicquam proficies, ſi vtroque peccet, & ſi vnum auxilij genus tantùm adhibueris, parum proficies. Et ſimiliter ſi vtrumque, & in vno tantum peccet. Præterea ſi humida calida cauſa, aut frigida ſiccæ deduces, in catochum: aut ſi vtraque vni, aut ſi vnum vtrique, tunc non proficies, ſimpliciter ergo

ſex

ſex modis agere licet ratione loci cauſæ, totidemque ratione qualitatis calidæ, aut ſiccæ, aut vtriuſque. Triginta igitur modis adhibere curam cuilibet vigiliæ licebit, inter quos vnus tantum vtilis eſt, alij mali, nonnulli valdè mali. quidam etiam pernicioſi, aliqui etiam ex his valde pernicioſi. Vt triginta quinque modis in quouis vigili peccare liceat, vno tantum auxiliari. Sed & rurſus ſi non perpurgatus ſit adhibuerisque ſomnifera, omnino perdes ægrum, niſi quempiam bona fortuna, te inuito ſeruauerit eum, adhibitis. enim ſoporiferis cum illa vapores craſſos ad caput mittant, qui cum bilioſis, aut melancholicis, aut ſalſis ſanè ſemper putridis, & crudis miſti mutabunt eos ob craſſitiem: inde catochi, & cari, & comata vtriuſque generis, & ſomni à quibus deterius affecti excitantur, vnde etiam phrenitides & mors. Tum ergo auertere tantùm expedit, & à cauſis noxiis cauere quod in omnibus fermè caſibus ſolum tutiſſimum eſt. Neceſſe eſt igitur morbos & morborum cauſas ſcire, quæ conmodiſſimè explicatæ ſunt in hoc lib. Vt demum cum Hippocrate fateamur omnes ægros poſſe ſanari. (Siquidem omnes qui pereunt ob id pereant quoniam non tempeſtiuè morbo occurritur, quòd ignotus ſit) niſi vel ab initio omnia ruant, dolent renibus, & toto corpore, non appetunt, vigilant, aut ſomnus damnum affert, diſperant de ſalute, aut ſi morbus eſt inſidioſus, ægrotare non videntur, ſed meſti degunt, & vires abſque cauſa collabuntur, & non congruentia patiuntur.

DE VRINIS, LIBER.

PROOEMIVM.

CVM præcipuarum, trium artis Medicæ tractationum scilicet dissectionis ac pulsuum, tum vrinarum, duas quidem priores Galenus attigerit, hanc verò vltimam quæ omnium ad curam atque prædictionem est præstantissima ne vel vt dici solet à limine salutauerit, operæ pretium facturum me esse duxi, tum præsertim quòd neque alius quisquam cuius monumenta ad nos peruenerint, præter vnum Actuarium qui & ipse tum pauca & pertrita inter tot atque recondita, atque ex his nonnulla etiam falsa, omnia verò sine demonstratione tractauerit si vniuersam hanc methodū Petre Donate Cæliæ præsenti in disputatione docuero. Nam cum dissectio plus ad contemplationem quàm ad curam pertineat maximè minutarum quarundam partium, pulsus verò & minus tanto notus vrina quanto visus certior in nobis est tactu, atq; etiā multò minus cum vrinarū cognitio & notissimis differentiis, pulsum autē obscurissimis innitatur, & neque vt in illis aliorum iudicio & maximè idiotarum quod certissimum vt synceriſsimum est vti liceat, id etiam vrinarum doctrina habet peculiare, vt causam morborum qui ex materia pendent nos præter pulsum doceat, vnde curandi intentio tota sumitur. Sed neque in prædictione par est pulsus exquisita cognitio ei quæ ex vrina sumitur: cum coctiones ac cruditates nos doceat, atque opera nutricis facultatis à quibus Hippocrate teste salutis ac mortis tum etiam Galeno iudiciorum & aliarum functionum omnium quæ ad mobi sanationem pertinent ratio pendet. Seu ergo rei difficultate deterritus Galenus, seu quod illi familiare fuit alienis laboribus inniti non potuerit, seu omnino scripta hac in parte vt multa alia præclarissima eiusdem viri interciderint, certè nulla alia in causa neque nobiliore, nec magis necessaria Medica scientia plus manca euasit. Quamobrem eam attingere aggredimur more nostro imo Aristotelis atque cæterorum sapientum vitorum à nobis notissimis initium facientes.

CAPVT PRIMVM.

Causæ concretionis vrinæ.

NOTISSIMVM igitur illud est & quanquam alias à nobis in libris de Subtilitate (qui omnium disciplinarum non solum naturalium & liberalium sed etiam supernaturalium ac Mathematicarū tum etiam mechanicarum principia continent) demonstratum, esse causam concretionis vrinarum adipem quēdam, nihilominus vt ea quæ ibi ob operis paruitatem breuiter & obscurè tractata sunt hic doctrinæ clarioris causa dilucidè & diffusè etiam omnino explicabuntur. Decet autem nos iuxta consuetudinem nostram. (Quod etiam alias testati sumus) obscura clarissimè tradere vt clariora obscurius ob causarum inuentionem: at in abditis causæ cum sint obscuriores luminis non parum addere necesse est. Ob similitudinem etiam & affinitatem multorum necesse est explicatius loqui, tum præter reliqua quod de hominum salute ita agit vt nihil maius illius causa vrinarum scientia excogitari possit. Mitto difficiliores quæstiones atque magis ambitiosas quam vtiliores: velut quod à diffinitione ac propriis in tractando initium ducere oportuisset? Sit sanè ita vt ordinatim res tractaretur, atque melius memoriæ mandaretur, sed tum tanto confusius, aut minus

certam doctrinam tradere necesse esset, quòd non eadem nobis atque naturæ nota sint prius, aut igitur repetere, aut omnino sine demonstratione, quod magnæ iacturæ essent hęc omnia scripsisse necesse fuit. Quãobrem absit tantum nefas, & iam ad ipsam rem transeamus. Illud primum supponentes docente sensu quod aqua munda, neque paucis horis neque etiam diebus concrescit. Quòd si gelu concrescat & gelu tamen illud perspicuum est vt crystallus & pleræque nobiliores gemmæ. Huic autem si parum macræ carnis nec diu incoxeris in æstate ius fiet perspicuum per se & quod etiam multis post horis non concrescat, neque tamen dilucebit vt aqua. Sed fac caro pinguior sit & aliquanto maior pauloque magis coquatur fiet rursus ius perspicuum sanè sed non adeò vt primum non tamen concrescat neque æstate, neque etiam mediis temporibus. Hyeme autem congelatum fiet turbidum. Sit denuò frustum carnis maius, diu excoquatur, non tamen valde, sit etiam pinguius, hoc quidem licet non sit turbidum, nec æstate concrescat, hyeme tamen mediisque temporibus fiet turbidum, ita sensim mole pinguedinéque auctis fiet primo vt licet clarum sit dum calet, æstate tamen refrigeratum concrescat. Demum etiam turbidum post ipsam coctionem & in ipso coctionis fine omnibus ferme ad extremum deductis. Vides igitur concretionis, tres planè causas manifestas, pinguedinem, & pinguedinem humori mixtam, & frigus, neque alias licet inuenire causas. Quis igitur dubitabit, quin etiam in vrina idem contingat? Cum ergo vrina concrescit aut ob frigus extremum aëris concrescit, aut ob pinguedinem quemadmodum etiam in febribus. Indicio etiam est sic esse quoniam in omnium vrinarum concretarum summa superficie aliquod simile adipi mãnifestè deprehenditur.

CAPVT II.

Vrinarum quæ concrescuntur numerus & reliquæ generales differentiæ.

VRinæ ergo aliæ claræ mingantur inde concrescant, aliæ claræ perpetuò manent: aliæ verò turbidæ minguntur ac manent, aliæ magis concrescunt aliæ sedimento infra dimisso clarescunt. Quæ autem claræ minguntur, post concrescantur, demumque sponte clarescant, nõdum à me visæ sunt, vixque ratio admittit, scientibus nobis quod scil. concrescãtur à frigore concrescũtur, quomodo ergo concreta iam pinguedine nisi calor superueniat clarari rursus poterunt. Ignis autem auxilio frequentissimè contingit, separat enim pingue ab aqueo. Cæterum concrescere, aut claram esse vrinam differentia vna est atque ea, vt dictum est multiplex, alia à substantia sumenda, alia à contentis, alia à spuma, alia à circulo, alia à supernatantibus, alia à multitudine paucitatéque, alia à successionibus, alia ab odore, alia à cõparatione rerum naturalium, alia à generibus morborum, alia à complexionibus, alia à singularibus, alia à commorione, vt sint in vniuersum quin decim generales. Singulæ vero harum in plurimas partiuntur differentias. Sunt præterea aliæ differentiæ propriorum membrorum in quibus generantur causa vt renum vesicæ vretarum. Sunt & quædam significantes morbum, aliæ morbi causam, aliæ magnitudinem, aliæ salutem aut mortem. Est etiam consideratio de substantia vrinæ naturali ac partium eius, tum causis harum quæ ordine doctrinæ anteponenda fuit. At de his omnibus dicendum est.

CAPVT III.

Causa cur calor separet, frigus conturbet.

CVm verò in vrinis calor separet, frigus autem conturbet, in aliis autem liquoribus contrarium contingat, vt in vino ac decoctis aquis, magnã affert dubitationem. Verum aliud est clarare, aliud separare, neque enim calor separat sed quæ sunt diuersarum substantiarum miscet, frigus autem separat. Sed quomodo separando concrescit, commiscendo clarificet? dubitatione dignum est. Igitur quod crassum est ac terreum dum cogitur separatur, descẽditque ad imum, claramque vrinæ substantiam reddit, at si tenue sit occupat vrinæ substantiam, cumque densum sit, illam turbidam efficit. Semper ergo frigus densas & cogit, sed leue tenue pingue condensando concrescit vrinam: crassum verò graue terreum, cogendo quoniam descendit, vrinam reddit clariorem ac puriorem. Indicio est quod in talibus vrinis athomi, corpusculáque quædam remanent quæ mouentur facile: quoniam licet ex substantia densa & grauí essent, ob paruitatem tamen descendere non potuerunt. Tales igitur vrinæ terream substantiam declarant. Contraria ergo ratione calor dum spargit, si pingue sit claratur vrina, quia licet misceat pingue tamen perspicuum euadit. Sin autem terreum magis, proculdubio facta permixtione denuo concrescit. At dices hæc omnia satis assequor vt rationi consentanea, sed quomodo, frigus condensẽt pingue non video? cum condensata pinguedo minor euadere debeat, at pinguedo semper totam vrinam tegit, atque occupat, imò plerumque in fundo matulæ pars non parua præpinguis tamquam non tota potuerit spargi per totã vrinã, subsidet? Ratio ergo quòd dum frigus adipem cogit: si aquea pars multa sit necesse est quod sæpe videmus in ea magnam partẽ vrinæ esse perspicuam, paucã autem pinguẽ & opacam, at si humor præpinguis multus, aqueus autem paucus, idem continget quod in oleo puro sed minus euidens; at oleum videmus dum liquidum est esse perspicuum, dum à frigore cogitur opacum, terreum igitur quod sparsum est in vnum coactum efficit opacum quod antea erat perspicuum. Ergo

go opaci non omnis pars opaca est, vt verò seruetur quantitas dum partes quædam coguntur alias rarescere necesse est, aut quod verius est, minuere.

CAPVT IV.

Obseruationes circa vrinas.

COlligenda est vrina matula vitrea perspicua rotunda in imo, ac tanta rotunditate vt vesicæ capacitati coęquetur, ita magna virorum parua autē puerorū, tegatur & loco calidiore hyeme quam æstate: reponatur, non solum ne ab hyemis frigore conturbetur, sed quoniam hyeme corpora sunt calidiora, debet ergo apponi loco adeò calido vt est vrina cum mingitur, nec tamen in sole aut apud ignem. Integitur autem ne puluis incidens speciem telæ & supernatantis pinguedinis referat, oportet etiā cauere ne omnino moueatur aut agitetur. Ignis & sol vrinam non parum tingunt, ideò vrina si claresçat, ignis beneficio præcipuè si moueatur magnum errorem affert. Sciendum enim vt in arte parua curandi declaratum est, quòd duæ vrinæ inter se erunt exquisitè similes ferme, & iudicio etiam maioris partis medicorum, nedum idiotarum, & in eisdem morbis, atque hominum conditionibus, & tamen altera mortem imminentem significabit altera salutem, quomodo ergo vel leuissimo in videndo errore admisso aliquid securè, aut saltem tuto pronunciare poterit? Et ideò cauendum est ne error omnino aliquis in videndo committatur. Et similiter quædam sunt quæ mutant vrinam multum, vt vigilia ira etiam Rhabarbarum aromata cassia nigra cepe alia porri omniaque ex cedentis odoris aut saporis & omnia ferme insueta. Et propter hæc quidam dixerunt vrinas esse fallaces. Sed hoc non contingit ratione rei ipsius, sed naturæ oscitantiæ imprudentiæque. Ea tamen diuersitas quæ tanti refert, non est nisi in conuersione colorum puta ad colores non eiusdem speciei, & ita contentorum & nebulæ supernatantis quæ in aliquibus significat hecticam, in quibusdā est cum perfecta sanitate. Et ita vrinam pauci dignoscunt quæ tamen mortis certæ, & febris factæ iam confirmatæ firmum signum est. O quoties ostendi medicis colores euidentes, quos ne ipsi adesse suspicabantur, fatebantúrque & admirabantur artificem quem oderant & insectabantur. Hac tamen in parte Galeno felicior, & æmuli mei minus mali, quod prædictiones quibus pluribus notus fui, non in alienas scientias (quod tamen in me facile fuisset) quēadmodū de Gal. quitamen Astrologiæ imperitus erat, sed in scientiam Medicinæ retulerunt. Opus ergo singulis vrinis certo ordine collocatis vnamquanque diligenter explorare. Primo quidem à latere inde supra inspiciendo, post obducto brachio, inde in sole, tandem etiam suppositio pallio nigro. Considerandā etiam quæcunque superius dicta sunt in singulis, & an mingendo vriginem impedimentúmve aut calorem perceperit. Cumque vrina quatuor principaliter significet, morbum causam morbi coctionem aut cruditatem mortem vel salutem: non minus in tribus primis quæ ad salutem ægri pertinent, quam in vltimo quod ad solam gloriam tuam debes esse diligens. Sed cum in illis partibus debeas esse diligentissimus, in has debes esse prudentissimus, vt non solum vnam sed plures obserues ac processum earum atque mutationem, addita etiam aliorum signorum in hac parte præcipuè spirationis consideratione. Quamquam vrinæ si rectè explorentur in morbis, in quibus materia in venis consistēs causa est & morbi & causæ & coctionis plenam & solæ notitiam præbeant vitæ autem & mortis plenam, licet non solæ: nam si vrina mala est æger morietur, nec alia cognitione pulsus aut spirationis indigebit. Alius tamen poterit etiam mortem ex spiratione licet non tam certò, alius ex pulsu licet etiam longè minus certè prædicere. Ego tamen hæc vt consideres non perhibeo, maximè vt propinquitatem cognoscas exquisitius mortis, & quia non forsan omnia quæ in hoc libro tam diligenter & plenè poteris intelligere aut in singulis morbis animaduertere. Memineris etiam eius quod in Apologia nostra aduersus Thessalicum medicum dictum est (prædictiones scilicet) ad mortem certiores esse quam ad salutem, quod mors nullo errore in vitam velut vita in mortem commutari possit. Itaque tum hæc tum alia, sæd hæc præcipua animaduertere decet volentem ex vrinis præcognoscere, at alia posterius dicam. Vbi enim diu ac diu vrinam consideraueris ita vt reiicere iam deliberes, tum etiam commonenda est, vt discas quomodo contenta sibi firmiter cohæreant, vas vero ipsum omnino purum sit ac mundum, & neque post sextam horam eam fidem quam ante cum nuper mictæ fuerint, adhibebis.

CAPVT V.

Vrinæ concretæ an eædem turbidæ cur etiam iumentorum vrinæ turbidæ.

CÆterum nimis oscitanter ne imperies dicam. Galenus de vrinarum differentiis locutus est, cum concretam turbidæ quasi eiusdem essent generis: opposuit nam contraria in eodē genere constitui oportet, atque etiam maximè proprio vt albū & nigrum in colore, calidum & frigidum in qualitatibus, amarum & dulce in saporibus, iniustum in recti deliberationem. Neque sufficit vt iustum opponatur auaro aut luxurioso, quod sub moribus vtraque contineantur, aut vno ex quinque habitibus animæ, alterúmque sit bonum reliquum malum. Sed vt dixi sub proprio & minimo genere sub quo genus aliud non sit, esse debent. At concreta & turbida, non vnius talis sunt generis? quin etiam ex tur-

bida fiat concreta : vt magis hæ contrariæ sint inter se, quam clara ex concreta ei quæ ex clara concrescitur. Sed neque turbidæ & concretæ sunt contrariæ: sed magis tamen contrarietati proximæ, quâ vt vna eademq; fit. Ostendit plane causã, vtriusq; vt diximus, ni cum à crasso humore & terreo morbosóq; vrina turbida fiat & à calore, quæ etiam à frigore soluatur: concreta à pingui & natura leui & perspicuo tum à frigore, quæ soluitur à calore. Aspectu verò concreta à turbida ita differt vt vulpes à lepore, nam in concreta nihil vides nisi vrinam concretam & nihil etiam perspicui: in turbida ferme semper perspicui aliquid est & partes quæ turbant & quæ turbantur, adeò vt ni prorsus asinus sis alteram ab altera etiam nemine monente dignoscas. Et si non dignoscas iam planè non sis medicus sed multis idiotis inferior. Quòd verò turbida concrescatur causa est, quia turbida vrina est clara sed permixta, atque ideo turbulentia ad contenta pertinet, concreta ad ipsam vrinæ substantiam. Vnde ex hoc soluitur non leuis dubitatio scilicet an sedimentum propriè Græcè ὑπόστασις, in concretis ac turbidis pro materia sit? Nam in turbidis est: atque id cum concreta est planè nullum est: cum concrescere incipit globosum est. Sedimentum enim globosum fit cum ei terrea substantia admiscetur, cum verò abundat nec separatur globosum est. Et si etiam magis dissoluitur totam vrinæ substantiam efficit turbidam. Est igitur materia turbulentiæ sedimentique vna & eadem: sed sedimenti concoctam à naturali calore non ab alieno concretum: in perturbatis omnino seu turbidis crudum & alieno calore agitatum. Cum vterque calor viget vtraque materia adest cruda & concocta: & vterque calor naturalis & alienus, tantoque alteruter maior, quanto turbulentiæ aut puritati proximior fuerit: nam sedimenti multitudo non caloris naturalis, robur sed materię abundantiam significat. Porrò non tempus est vt nunc quomodo sedimentum fiat edoceam: neque qualiter ab aliis quæ in vrina subsident rebus differat, declarem: sed sufficit vt quod subsidet si prorsus naturale sit sedimentum simpliciter dicatur, si prorsus alienũ à natura, vt furfures farina pili communi nomine retrimentum: sin medium quodammodo sedimentum cum adiectione: vt sedimentum crassum diuulsum rubrum globosum atque ita in reliquis doctrinæ clarioris causa. Neque opportunum duco, vt Galeni more integras paginas ne dicam libros vt ille facere solet, contendendo absumam. Cui hæc non satisfacient non legat si è re duxerit. Elogium meum est: Tempus possessio mea. Et rursus illud nihil apud nos tempore preciosius. Sed iungendum vitium reprehendo, in vitium incido. Reuertor ergo ad propositum: non idem est sedimentum & turbulentiæ causa, sed tamen materia vtriusque eadem est. Differunt autem non solum quia vnum est concoctum, aliud crudum sed à naturali calore: nam sedimentũ cum à naturali calore fiat cogit, ille enim semper cogit: turbulentiæ autem materia, quam retrimentum sparsum appellare possumus à putrido violentóque calore agitatur, atque ideò spargitur. At in conturbatione nihil penitus differunt sedimentum & materia illa pinguis: sed forma prorsus conueniunt. Id solum interest, quòd sedimentum non est concretum àfrigore, materia conturbatione concreta est & is copiosior sedimento. Indicio sunt quod quæ claræ sunt vrinæ cum tenui valde sedimento non conturbantur: contra quibus plurimum & crassum est sedimentum faciliter & celerrimè conturbantur. Et etiam quod cum concrescit vrina si sine motu leuique calore restituatur apparet confestim concretum sedimentum: vt non obscurum sit in conturbatione non fuisse corruptum sed latuisse. Altera quoque dubitatio manifesta sit, scilicet cur iumentorum vrinæ sint turbidæ. Videntur autem & turbidæ & concretæ: turbulentiæ causa est copia humoris crudi cum calore immodico, secernitur enim plurimus humor crudus tum ob cibum terreum grana frondes ramulos fœnum, tum ob cauitatem magnam quæ necessaria fuit vt tãtum cibi recipi posset, quantum pro alimenti naturalis illius paucitate satisfaceret. Accedit horum animalium vigilia longa breuis somnus vt nisi maximo calore & multiplici ventre iuuarentur statim post lactationem interirent. Horum ergo animalium non sic canum aut vulpium vrinas necesse est esse turbidas. Sed & concretis similes sunt ob paucitatem innati caloris, vnde immodicè refrigeratæ quamuis purum pingues peruertuntur. Actuarius verò dum huius concretionis quam crassitiem vocat causam reddit, incredibile est quam ineptè de his loquatur ac pueriliter, vnde nihil mirum, quod vir esset vt existimo cuiusmodi nunc plures sunt, & Galeni ætate Thessalus, & Hipp. tempore Gnidij medici, qui per mille technas milleque dolos ad famam improbæ multitudinis ascenderunt. Nos autem declarauimus in lib. de Arcanis Æternitatis quænam sit omnino horum errorum causa. Certè id affirmare contenderim illum ne hanc materiam digito attigisse: cum tamen septem libellos conscripserit. Galenum in pulsuum tractatione imitatur, non secus ac gauia olorem, cuculus Philomelam, nam & de differentiis atque iudiciis tum causis ac præsagiis binos ac binos in vnoquoq; argumẽto scripsit. Vt ergo ad rem tedeam, si medicamentorum historiam solum ille conscripsisset forsan vituperati non poterat: quòd res illa nec iudicio nec ingenio nec scientia rerum naturalium sed sola narratione indigeret. In iumentis igitur, cum calor naturalis acutior sit sed non magnus, vrina turbida & aliquãtulum concreta euadit, non sit in canibus aut vulpibus, quorum historiam nunc prosequi supernacuum est: multo verò minus in hominibus. Verum hoc discrimen concretæ atque turbidæ bonorum omnium author Hippocrates nos docuit dicens, ἐπόσιοι δ' ἐν πυρετοῖσι τὰ ὑρῆα ἀνατεταραγμένα. Ideſt febricitantibus quibuscunque vrinæ concretę declarãt qualiter, ἤτοι ὑποζύγιοι, ideſt quales subiugaliũ: non ergo de concretis aut cõmutatis

sed

ſed concretis ſeu turbulentis aut turbidis(nihil nominis varietatē moror modò de re ipſa conſtet,loquitur. Demitor autem quod febricitantibus omiſerint cum falſam efficiat ſcientiam: turbida enim vrina quæ præter febres accidit citra dolorem capitis etiam per annum perſeuerare poteſt, vt viſum eſt in Hieronymo Palauicino Principe pro quo conſilium à nobis editum eſt. Sed de his in commentariis Aphoriſmorum dictum ſatis eſt nunc ad reliqua tranſeamus. Sit igitur clarioris doctrinæ gratia,aqua in qua tenuiſſima farina velut in Zetho diu incocta fuerit,diuque prius iacuerit,ſitque prius cribrata farina: alia in qua eodem modo ſed non cribrata: demum alia in qua farina non cribrata nec diu iacuerit, nec diu incocta ſit. Sint & aliæ aquæ quæ furfur craſſum eodem modo exceperint, manifeſtum eſt ſtatim ſex aquarum differentias fieri: quibus totidem concretarū vrinar ſpecies reſpondent. Prima turbata diu manebit non tamen adeò obſcura erit. Obſcurior verò in qua plus farinæ ita vt iam ſint duodecim ſpecies differentiæ verò tres à multitudine,à ſubſtantia,à mora. Sed ſubſtantia triplex quoniam tenuis craſſa & mixta ita fient duodecim. Eadē ergo diſcrimina erunt vrinarū iuxta quæ ſic prædicemus.

CAPVT VI.

Indicia ex turbulentia & claritate vrinæ.

SI vrina turbida mingatur, nam poſt concreſcere poteſt turbari non poteſt,niſi iuxta ignem apponatur, indicatio à dictis ſumi debet. Ea enim ſolum eſt ſcientia, is ſolum tradendi artē modus qui ex vno principio per demonſtrationē cūcta deducit,igitur ſi turbida fuerit craſſarumque ſolum partium & tardè clareſcit in febribus, permixtionem magnam craſſioris materiæ oſtendit, quæ cum non ex diuturna mora contingat, frequenter enim tales mingere ſolent ex calore prauo aut magno valde neceſſario contingit, ideò febrem colliquantem quaſi decernit. *Quæ ſi fereat colliquantium iam in genere eſt.* Sunt enim inquit Galenus febres, quæ æſtum & ſitim maximam & circa ventriculum maximam noxam atque intollerabilem pariunt, quæ tamen prorſus periculo vacant,loquiturque de continuis etiam,cum aliæ rurſus mites videantur,quæ contra maximè ſunt exitiales. Quòd ſi tenue ſit quod continetur, nec tamen clareſcit (quod plerunque accidit) & hæ periculoſiſſimæ ſunt, ſed non adeò vt priores. Quòd ſi pars craſſa ſit pars tenuis,quia vterque humor iam peccat, ea media eſt inter periculoſiſſimam & omnino lethalem, tales autem plerumque parte craſſiore demiſſa in fundum non tamen penitus ſed mediocriter clareſcunt. Quòd ſi præter id quod non clareſcant hæc ſingula genera etiam concreſcunt, virtuſque debilis exiterit,mortem proximam omnino denuntiant. *Nam turbidam manere feruoris maximi præter naturam certum indicium eſt:* Concreſcere imbecillis natiui caloris:quod ſi vitiatis facultas cum his etiam eſt imbecillis quis iam dubitat tales morti non eſſe proximos? At ſi vitalis facultas valida extiterit cum naturalis imbecillis ex hoc ſigno quod concreſcant decernatur (eadem enim hæc anima ſeu vis eſt calori naturali, atque ad illam omnia vitæ munia tum leuandorum morborum tum iudiciorum vt etiam alibi Galeno teſte docuimus pertinent) certum exitium ſed tanto ſerius quanto vitalis facultas robuſtior extiterit,palàm oſtendunt. Quòd ſi non ex innati caloris imbecillitate vrina peruertatur, ſed abundantia pinguis humidi(nam & hæc cauſa inter eas quæ vrinas conturbare poſſunt ſuperius adnumerata eſt)cum tantus calor præter naturam vigeat,vix fieri poteſt & maximè ſi craſſa ſint quæ perturbant, vt tanta flamma tantoque oleo omnina prorſus non ardeant,atque hæc etiam experimento conſentiunt,vnde maximè mirum eſt de Galeno qui ſcripſerit vrinas turbidas quæ turbidæ minguntur turbidéque manent,mediam coctionem ſignificare: *Cum omnes toto genere lethales vt dixi ſint.* Lethaliſſimæ etiam vt nuper docui quæ præter id concreſcunt. Solaque modicum turbida ſi vires admodum validæ ſint non omnino pernitioſa eſt, non quia quicquam boni in ſe contineat aut coctionem ſignificet, aut illius initium vel ſpem eius præbeat,quippe toto genere mala, ſed quòd non eo prauitatis proceſſerit iam,vt omnino lethalis ſit, quemadmodum cruditas virium imbecillitas nihil in ſe boni continent: ſi tamen non magno cum lapſu ſinti mortem haud certò pronunciant. Sic vipera parua aut aconiti germina è genere ſunt omnino malorum: non tamen ſemper occidunt:ſed aliquam ſalutis ſpem non quia bona ſint aliqua ex parte, ſed quia adhuc imbecillia, relinquunt. In vniuerſum tandem turbida vrina,quæ non defecatur,nullius boni cauſa fit, neque indicium eſt vllo modo bonum:ſed feruoris maximi atque periculi. Sed neque illa quæ clara poſtmodum euadit coctionem ſignificat, ſed in quibuſdam decreuiſſe naturam & noxiam materiam per vrinam purgatam oſtendit. Indicio huius ſunt hæc tria:primum quod coctionis materiæ ſignum non à turbulentia vrinæ ſed ab hypoſtaſi ſumitur vel ipſo Galeno teſte, nec par eſt abſolutæ coctionis duo eſſe plena & ſeiuncta omnino indicia,ex eadē cauſa ſumpta. Secundum quod has vrinas non antecedunt hæ quæ turbidæ & confuſæ planæ ſunt, de quibus paulo poſt dicam, & tamen par erat tales antecedere,cum mediam coctionē ſignificent,ſintque eiuſdem generis. Quinimò ex claris turbidæ ſoluto quaſi morbo fiunt in quibus multa materia craſſa ſecedit. Sed neque confuſis ſolent ſuccedere turbidæ huius generis,ſed potius liuidæ nigræ atque mortiferæ, cum quibus mors ipſa ſequitur. Adeò vt hac in parte Gal. videatur non ſolum vrinarum rationem & cauſas non intellexiſſe, ſed neque vnquam animaduertiſſe, imò neq; turbidas vrinas vidiſſe. Ita temere de illis ſcripſit. Deductus verò eſt ad hunc errorem vt reor duplici coniectura: altera

quidem quod videret iuxta finem morbi turbidas vrinas quæ post modum elucerent succedere, cum tum non hoc sit signum vt dixi coctionis absolutæ per se sed potius iudicati morbi, atque materiæ per vrinam euacuatæ quandoquidé neque hoc verum sit omnino: oportebat quemadmodũ & in hypostasi coctionem semper absolutè adesse, & coctioni semper hypostasin, at turbulentis vrinis quæ residēt neque semper coctio adest vt infra ex Hippocrate ostendemus, imò neque frequenter: neq; coctioni semper aut vt plurimũ saltē vrina turbida succedit, sed cũ hypostasi laudabili, non igitur turbulentia vllo modo etiam si secedat cum coctione aliquid habet commune. Sed est turbilenta huiusmodi cruda maximè, atque exactissimè cocta, vel etiã cum media, nihil enim refert cum ad omnia sit signum indifferens. Altera causa euidentior est, sed quo euidentior eo absurdior: si quidem pulchrè videbat congruere vrinarum numerum numero affectionum, quæ circa coctionem versatur. Veluti cruda, initium coctionis, coctio media, & absoluta: vt sint quatuor membra, totidem verò sunt vrinarum species iuxta suam diuisionem, scilicet clara quæ clara manet, quam cruditati comparat, inchoatæ autem clara mista quæ fit turbida: quæ turbida manet mediæ: turbida quæ clarescit perfectæ. Ita videbat numerum numero conuenire. Sed quod in hac comparatione errores sint non est vt dicam. Primum concretam cum turbida commiscet, quas non ex eodem genere esse iam clarè demõstratum est. Deinde turbidę nihil vt dixi cum coctione commune. Sed neque in concreta rectè sentit etiam vel ipso iudice, nam si per claram quæ clara manet absque hypostasi ac vllo contento, seu crudo seu cocto intelligi? Verùm dicit quòd talis vrina omnino coctionis expers est: Sed rarò imò rarissimè imò nunquam propter morbi initium apparet: verum si appareat ob cuiusdam alterius morbi longi iam diu inchoati, talis euasit. Vnde tales vrinæ pro acuto nihil prorsus decernunt, vt pote impeditis propriis vrinæ instrumentis vt inferius ostendemus: pro diuturno autem quod sit insanabilis. Ita Galenus sub hoc sensu nihil habet, quod si per claram, eam quæ hypostasin continet, modo non concrescat intelligit: falsum omnino est, cum talium vrinarum pleræque coctionis processum, aliæ etiã absolutionẽ ostendant, quandoquidem vt dixi coctio ex cõtentis præcipuè, inde ex vrinæ substantia non autẽ ex concretione dignoscitur. Ipse etiam antea fassus est turbulentã vrinam significare coctionis initium, atque adeo exiguum, vt occultum sit, nec finem principij morbi ostendere possit. Itaque superi me ita seruent vt numquam hac in causa quid sibi voluerit intelligere potuerim: nec tamen defuturos homines intelligo, qui seu ignorantia seu ambitione ducti, conabuntur illum iustè vel iniustè ostendere, neque hoc sufficiet nisi etiam me calumnientur. At valeant hi vt de humano genere promerebuntur, nobis sit satis nostro tam pulchro inuento tantum lucis atti, tantum commodi mortalibus, tantum gloriæ his qui nostra hæc sine liuore legent comparasse: nam haud dubiè etiam longè maior quo ad prædictiones attinet, quã quæ iam habentur ex pulsibus notitia accedet, quo verò ad morborum ac causarum dignotionẽ incõparabili interuallo: nam pulsus minimum indicant de eiusmodi, vrinæ autem omnia atque præstantissimè. Sed ad rem redeo, turbida vrina in febribus (nam tantum de his loquor) cum secedit eo modo se habet vt decocta cum clarescunt, caloris enim praui diminutionem ostendunt. Mingitur turbida, concretam nũquam vidi mingi, nam calorem resolutum omnino indicat, quare non nisi in morituris, aut his quibus vesica immodicè refrigerata fuerit: quod nec extremo vitę periculo vacat, solum mingitur. At turbidam quotidie videmus. Quæ ergo serò clarescit magnum æstum denunciat. Porrò de qualitate materiæ posterius dicam. Hoc solum nunc adiiciam quæ turbidior est multitudinem materiæ à calore agitatę declarat, quæ parum pauca ad horam vsque illam, nam fieri potest vt augeatur.

CAPVT VII.

Confusa vrina quid? vrinæ partes quot?

POrrò genus quoddam est vrinarum turbidarum quod confusum dicitur haud differens ab aliis: sed cum sit ex earum numero atque vulgare ac notum, ne sæpe cogamur longis circuitibus ipsum demõstrare cõfusum vocamus, idest quod turbidum adeò est vt neque clarescat, neque vlla ex parte sit perspicuum, in quo concretis assimilatur. Solent enim turbidæ vrinæ plerumque omnibus in partibus imo tota penè substantia perspicuæ esse, velut si aquę farina admisceretur, confusa autem vel ob diuturnã moram vel ob substantię quæ admiscetur tenuitatẽ, vel ob crassitiem ipsius vrinæ, vel ob caloris vehementiam sicut de fulgure fertur, quod metalla colliquet, tota obscura est & opaca. Decuit autem huic generi seorsum nomem imponere: vt cum hæc omniũ sit pessima ab eo quod summum est in vnoquoque genere omnia mensuræ modum accipiant. Dicimus enim regulum inter serpentes, & latronum principem & tyranum, quamuis in mala causa, tum etiam quod hoc solum genus à concretis aut crassis distingui mereatur, nam reliqua vulgus medicorum etiam nouit. Sed aut crassas & cõcretas à confusis distinguere sciamus, noscere oportet præter spumam & supernatantem pinguedinem in nebulæ modum quæ non sunt perpetua, nec vrinæ immixta, neque talia vt ab eis vrina nomem sortiatur, esse in vrina quinque partes, duas non naturales, tres autem naturales, nam aquea pars omnino ad vrinam spectat, vt nulla vrina sine ea esse possit. *Cum vrina sit sanguinis serosa pars a renibus attracta.* Secunda pars non adeò vrinis omnibus communis pinguis est, qua vrinæ concrescunt magisque procul splendent, quam prope, quod vrinis ferme ita proprium est, vt hoc

indicio

indicio ab omnibus aliis distinguantur : in quibusdã tamẽ aqueis vrinis deest & præcipuè in diabete, forsan salsa etiam qualitas, quæ in substantia aliqua proculdubio posita est in pingui collocat, si non quatuor substantias naturales fingere voluerimus. Sed quando huius omnino apud medicum nullus sit vsus in præsenti prętermittatur Tertia substantia minus adhuc propria, propria tamen dicitur sedimentum qualecunque sit modo naturale. Non naturales partes sunt humores vnde vrina concrescit tingitúrq; Et rectiméta quæ in vrinæ fundo subsident velut: pili, vermes furfures, farina, squammæ, sanies, pus, humor lentus, ac similia.

CAPVT VIII.

Turbidam ab humore fieri & quali.

CAeterum postquam ostensum est duas esse substantias naturales, vrinæ etiam præter contenta aut saltem duas, atque ab his vrinæ substantiã constitui, scire decet turbulentiam ab humore fieri, quod in regiis morbis seu iecoris seu lienis deprehenditur: cum enim in horum altero crocea, in altero nigra, in vtroque verò turbida prodeat vrina, videamus etiam lintea alba tingi eo colore quod experimentum est laborantium regio morbo, & si in charta scribatur vrina, literæ veluti certo atramento scriptæ leguntur: intelligamus etiam certa ratione tum ex dissectione laborantium bilẽ alterutrã vrinę in hoc morbo permisceri constat, turbulentiam fieri ex humore maximè bilioso, seu flauo seu nigro, seu colorum aliquorũ mediorũ infecto: nam hic & ob leuitatem potest attolli, & ob subtilitatem permisceri & ob exustionem tingi. colores enim exustione fieri aliter dicimus. Atque hæc in confusis: in aliis verò turbidis, admixta pituita facilis fit descensus, nec confunduntur cum vrinæ substantia, sed quasi flocci aëre suspensi manent: liquet igitur confusas vrinas prauas esse valde, non solùm ob coloris magnitudinem atque acutiem, sed ob materiam biliosam ex qua fieri solent, verũ non humorẽ esse hunc, qui spargitur ostendit quod non sit concretus, quod non nisi ratò videatur: sola n. sanguis tenuis cum vrina ad renes permeat, at confusa vrina fit in ardentissimis pestilentibusque febribus: quocirca non iam humorem esse illum deprehendimus sed, propriè & exactè fuliginem exusti humoris, vnde etiam si nigricat non solùm ardere, sed atram bilem nuntiat extremamque ægri sortem. Expellitur autem non trahitur à renibus cum nihil boni in se contineat. Quamobrem rectè quidem Paulus præcipit in cura febrium putridarum ab initio & sudores & vrinas, & alium læuiter prouocanda scilicet, vt fuligo illa quæ morbum plurimum adauget expellatur: vnde si tales vrinæ cum vrigine prodeãt, bonam spem afferunt, quoniam nõ solùm fuliginem sed & humorem expelli intelligimus: non esse autem hypostasim è genere fuliginis huius declarat, quod hypostasis naturalis sit perspicua coniuncta quorum nullum fuligini adest.

CAPVT IX.

Turbida vrina in quo à crassa & concreta differat.

IAm vero turbida crassiorum partium à crassa & concreta adeò manifestè differt vt iam admonitione non indigeat. Similiter & confusa ab ea quæ valde concreta est rursus plurimum differt. Hæc superius demõstrata sunt, nam inter reliqua cõcreta semper quidã splendor ac nitor inest qui in turbulentis desiderat, verum leniter concreta & crassa vrina à confusa sed tenui non tam promptè dignoscitur: quantum verò intersit vt alteram ab altera dignoscas ex prædictis satis intelligis. Ergo confusa perspicua non est neque nitet vt crassa, circulus quoq; superior in confusa obducta manu plurimũ colore differt à totius reliquæ vrinæ colore: perspiciturq; perturbationis materia velut puluis quidã tenuissimus, quorum neutrũ in crassa apparet: à leuiter autem concreta vehemẽter confusa differt tum coloris inæqualitate, tum quia vt dixi non omnino iuxta circulum opaca est, tum quia non nitet, vltimo experimento apud ignem posita deprehenditur cum turbulentior euadat. Sed hoc experimentum fugimus, quantum licet, quoniam neque tutum est has vrinas ab igne supponere naribus: neque amplius relinquitur facultas rectè de illis iudicium ferendi. Porrò crassa à leniter concreta differt, quia concreta quantumuis parum opaca est, vt crassissima perspicua aliquantisper. Potest enim vrina adeò leuiter concrescere vt vix deprehendi possit, atque id mihi nonnunquam antequã hæc scire contigit. Rursus in permixtionibus etiam facilius decipimur cum crassam turbidam pro turbida valde aut pro concreta accipimus, aut concretam turbidam pro concreta tantum: sed vt dixi turbidæ maximè confusæ non æqualem retinent colorem vndique: quod fuligo illa tenuior sit in summo, vnde plerumque tales vrinæ virent ibi, in medio autem aut densiores & magis confusæ, ac nigriores magisque fuscæ : in imo minus, leuis enim est fuligo.

CAPVT X.

Turbida vrina quibus in casibus non omnino sit lethalis.

IAm verò ex præcedentib. velut in principiis conclusiones, ita in his quæ dicta sunt ratio lethalium ac non lethalium vrinarum continentur : nam quæ non ex Febre turbida est mortem non significat, cum caloris præter naturam vehementiam haud significet: similiter nec quæ vitio renum aut vesicę,

vnde illud Hippocratis, & caue ne vesicæ vitio decipiaris. De renibus etiã est intelligendum. Aut cum morbus per vrinam turbidam soluitur vt sæpè in morbillis vidimus, tum etiam febribus & ideo dicebat Hippocrates: Quibus speratur abscessum futurum ad articulos in his vrina multa, alba, crassa, qualis in laboriosis febribus quarta die fieri solet liberat ab abscessu: constat ergo per crassam vrinam turbidam intelligere. Quæ causa fuit vt Actuarius turbidæ nunquam meminerit sed solum crassę. Antiqui enim Hippocratem secuti turbidas crassas appellabãt, quanquã vt docebimus non parum inter crassam & turbidam interfit, sed quæstio est de nominibus. Alibi etiam circa carnum vrinarũ huiusmodi meminit dicens: optimi sunt effluxus velut sanguis è naribus & vrina. Et paulo post: scopo vrina crassa & turbata subsidebas leue & planum sedimentum, cum verò subalbum esset quippiam genituræ simile adhærensque vasi postridie iudicatus est: vrinæ namque copia multa tum sedimenti. Tenacia etiam & turbata stercorant atque hæc quasi in his qui iudicantur accidebãt. Et rursus vrinarum bonarũ excretione morbi soluebãtur. Ideo subiiciebam in multis morbis purgationes quę fiunt per vesicã bonæ sunt. Sed hic turbatæ non meminit: nec vllibi vt video clarius quam in Nicodemo decimo ægrotante. *Tertij Epidemiorum*, qui in Abderis habitabat his verbis: vigesimo quarto die multam vrinam & albam reddidit, in qua multa subsidebãt, sudor ei toto corpore calidus emanauit: absque febre iudicatus est. Quanquã in Fragmento dicat Galenus sudore illum iudicatum. Itaque videt mihi planè Hippocrates censuisse crisim nullam per vrinam fieri, quanquam Galenus & Auicenna id senserint ac merito. Memini enim cum essem in fans annum ni fallor agens quintum, laboraremque morbillis adeò vt triduo nihil degusta verim, profluxit vrina copiola turbida crassa similis his quæ à iumentis prodeunt: cumque cæteri terrerentur, pater gauisus inquit, iam solutus est morbus: quod & euenit. Et Auicenna docet febres & multitudinem humorum paralysim quanquam huiusmodi vrinis licet rarò (inquit) curari. Et præcipuè cum crassa fuerit, & antea vix prodibat: Et cum abscessus rupti præsertim circa renes vesicam & gibba iecoris (nam hæ partes Galeno teste crisim per vrinam postulare solent) solutionem morbi non mortẽ declarant; Et cum splen durus est & elatus quamquã vrinæ etiam non subsidant, tamen si sanguis fluxerit è naribus seruari possunt, vt Hippocrates de Bione narrat. *Secundo Epidemiorum*. Similiter & morbus regius quamuis cum febre tamen mortem non significat: sed ipsius morbi qualitatem, vidi quamquã nigras quale est atramentum vitio splenis velut ferrugineæ indicant vitium eparis. Distinguntur solent ab aliis turbidis indito linteo quod planè tingitur, vt à croco aut nigra terra. Germani medici vt aliquid maius atque superstitiosius efficere videantur, calamo seu anseris penna scribere solent in chãrta candida, nam non secus quam ex atramento conscriptæ notæ videntur. Neque in mulieribus vitio vteri exitialis est vrina turbida præcipuè si menses retinent. Sicut neque in viris vitio defluxus seminis quod Græci Gomorrheam appellare solẽt, omnino enim in his præter hunc ipsum affectum nihil mali prorsus significat. His septem modis exitiales in febre non sunt turbidæ vrinæ. Sed neque semper vrinæ turbulentæ & confusæ lethales sunt etiam præter hos casus, vt in Epicratis vxore *primo Epidemiorum*: dum inquit vrinæ crassæ turbatæ subrubræ quę quiescentes non subsidebant. Hæc tamen circa vigesimam diem apparuerunt cum octuagesima, tantum liberata sit. In vniuersum verè turbidę etiam si non clarescant, non nisi in acutis cum ob incendium fiunt exitiales sunt. Meminisse autem semper oportet cruditatis aut celeritatis separationis.

CAPVT XI.

Sedimentum & confusionis materiam eandem esse. Ideò & plerumque turbulentiæ.

PORrò sedimentorum materia quænam sit à plerisque quæsitũ est, oportet autem ostendere eandem esse quæ & turbulentiæ eius generis quæ non clarescit: nam corticum crustarum farinæ eorumque quæadimum tendunt alia prorsus est substantia. At verò quæ vrinæ commiscetur tria sunt indicia quod eadem sit sedimento. Primũ quod cum turbatur vrina, sedimentum aut corrumpitur aut ex toto abscedit. Secundum quod cum turbidæ vrinæ sensim ad sedimentum redeunt, videmus paulatim concrescere athoma illa, deinde etiam temporis successu in vnum cogi: aliud si sedimentum vehementer concutiatur vrinam reddit cõcreta, deinde paulopost rursus concrescit in vnum. Tertium quod idem videmus in fecibus: nam primum in fluxibus solutæ apparent, inde mitescente morbo incipit eadem materia concrescere in feces. Cum igitur ex humoribus turbulentia fiat, fiet & sedimentũ. Quomodo verò cogatur, & cur in apicem ascendere soleat cum optimum est, nunc demonstrare aggrediemur. Sed prius de ipsius generatione agendum.

CAPVT XII.

Sedimentum quomodo fiat & vbi.

SEdimenti materiam resecari ex prima secundaque concoctione, perfici verò vlteriore coctione in venis alias *in Quinto contradicentium medicorum libro ex* Galeni sentẽtia docuimus maius verò argumentum huius est, quod homo si plurimum edat multum habet sedimentum, si parum, parum aut nihil.

nihil. Quod tamen indicium est potius seruati humoris in venis per coctiones præcedentes, quã quod quotidie fiat & excernatur. Verum qualnam venas intelligat, non satis declarauit, nã his quæ ante hepar sunt, si assignetur coctio, plures erunt coctiones tribus: & etiam in hepate perficitur non in venis, cum ex his ad epar sit transitus. Si autem venæ cauæ hoc munus ascribatur, necesse erit omnino quartã coctionem ponere. Verùm vt vt res se habeant, non quæ fuerit tã Galeni sententia quam quæ rei veritas demonstremus. Sic enim forsan facile fuerit Galeni studiosis si hoc contendant illum vt sic dixerit persuadere. Ego tamen quod ipse fatetur tanquã Confessũ assumã atque ita distinguã vt nemini scrupulus dubitationis ex his quæ videntur relinquatur. Manifestum enim cuicũque esse existimo etiam si homo tribus diebus perpetuis ieiunet, à ciboque abstineat paucum futurum sedimentum, forsan non tamen nullum. Quòd si per plures dies non abstineat, sed solum parcè viuat, paucum certè aut forsan etiam nullum futurum sedimentum. Itaque constat sedimentum non ex quotidiano cibo totum saltem fieri, sed vel non fieri vel partem tantum. Rursus si sedimentum prius ex coctum fuerit, atque ante plures quam mingatur, certum indicium haberi non poterit initij morbi, quandoquidem & morbi initium cruditatem, & cruditas morbi initium ostendat, & associetur. Non ergo ex humoribus fiet qui per corpus sparsi sunt, nam qui in eis venis sunt, quæ sunt vltra epar, tot diebus ibi antea contenti, etiam per initia morborum emissi, coctionis absolutę initium ostenderent. Quòd si in venis ante epar sedimentum consisteret, quomodo morborum qui in magnis ramis cauæ fiunt index esset. Fit ergo sedimentum ex humoribus, qui ante & post epar sed propriè in epate consistunt, quique ea die concoquuntur, vt in humores perfectos transeant. Vt enim singulis diebus ventriculus recipit, concoquit, membra nutriuntur, excrementa alui & vesicæ eiiciuntur, aut saltem fiunt: ita necesse est generari singulis diebus sanguinem pituitam flauam bilẽ & nigram in iecore. Omitto nunc difficultatem de pituitæ generatione alias disputatam: illud potius quærere operæ pretium erit, an hæc hypostasis ex humore eiusdem diei. 1. nouiter genito generatur velut & sanguis? Palam verò est etiam si homo nihil edat per vnum aut duos dies ex seruata pituita sanguinem nouum generari, vnde fames talibus vtilis est. Verisimilius igitur est sanguinem gigni partim ex nouo chylo, partim ex asseruatis cruditatibus, tum in iecore tum ante tum post: ita & sedimentum, maiorem tamen partem ex cruditatibus asseruatis, ita enim metallica omnia confici solent sal, alumen, ferrum, cæteraque huiusmodi: veteri enim materiæ penè absolutæ & etiam planè absolutæ noua adimgitur, totumque perficitur. In morbis ergo cum par ratio sit, ostendendum est, cur crudæ vrinæ prodeant per initia non autem semper.

CAPVT XIII.

Cur initiis morborum crudæ vrinæ appareant.

CAeterum ad dignotionem maximæ quæstionis huius pertinere arbitror, vt sciamus curnam plerumque & quomodo per initia morborum qui ex materia putrescente ortum habent, presertim autem si in venis putrescãt vrinæ crudæ videantur? Qualis autem vrina cruda sit, primum scire oportet quod *quartum Aphor*: inquit vrina perspicua & alba est exquisitissimè cruda & intelligit de albedine aquæ. *Et libro de Totius morbi temporibus.* Vrina cruda exactè nihil habet contentum in ea, neque in imo, neque medio neque summo, ipsius verò substantia est alba & perspicua, nec opus vt istud ostendam pluribus aũtoritatibus: sufficit enim scire quod ita sit. Quæ autem sensim ad coctionem accedunt ab illa recedentes, describuntur Primo de crisi. Igitur cum primum materia corrupta atque putrescens iuxta epar est, venosum genus percellitur, atque qui in eis continentur humores refrigerata venarum substantia negliguntur vt ita dicam, atque omituntur: incoctique manent. Ideò manifestum est quantus error sit, quanta pernities si quis cibum tunc ægro offerat. Deinde successu temporis cum iam materia cõcoqui incipit minus refrigeratur venosum genus, ideóque & humores qui in eo continentur concoquuntur, vîresque restaurantur & corpus alitur. Demum peracta coctione materiæ peccantis nihil læditur genus venosum aut valde parum ob id vires reficerentur si cibum dare liceret. Sed non licet persæpe natura ad crisim ac separationem intenta atque occupata. Hæc igitur horum ratio generalis.

Propria autem causa in accessionum initio facta paulo post. 1. post duas aut tres horas mingitur cruda omnino atque aquea, nam & hoc ad cognitionem generalis rationis pertinet, quasi tum affecto venoso genere primum, cum antea & in ipsamet accessione concocta exeat, aut ergo tum primum putrescit, aut tum primum iecur afficitur? nam venosum genus affici tunc primum, cum antea intus materia contineretur nec læderet, nunc autem exeat exieritve absurdissimum est. At si ob putredinem contingat, quomodo venæ quæ vltra iecur sunt afficiuntur, materia versus ventriculum protrusa? Melius igitur est existimare ob concussionem iecoris cessare coctionem, verum detrusa materia, foras statim natura concoctionem inchoat: non ergo materia quæ extruditur per vrinas sedimentum facies est pars materiæ peccantis, sic enim & cruda esset, & paulopost concocta, atque denuo recrudesceret, quæ omnia absona sunt. In intermittentibus igitur propter duas causas sub initiis accessionum materia recrudescit, tum ob iecoris concussionem tum obrefrigerationem venarum.

Sed

Sed si ob refrigerationem venarum tum in intermittentibus, tum præcipuè in continuis vrinæ crudę fiunt,cur in ardentibus& tertianis quartũ,materia est calidissima vrinæ apparent crudæ? An ideò quod humor ille vt dixi impedit opus caloris naturalis? quemadmodum si quis insperſus feruente aqua sentit horrorem atque rigorem, refugit enim calor noster à venis atque arteriis ad membra ipsa, sepelitur etiam atque obruitur ab externa materia, quamuis calida. Verum in continuis diu permanet vrina cruda, iuxta principium, in intermittentibus verò celeriter mutatur, quoniam vt dixi cruditas intermittentium & impedimentum coctionis fit ob iecinoris concussionem, in continuis verò ob materiæ in venis contentæ impedimentum. Semper ergo materia est quæ afficitur, atque hæ inter se distinctæ sunt. Verùm dicet cum tanta sit copiat vrinæ in corpore,cur sola ea quæ cruda est initio accessionis emittitur?nam tota vrina cruda esse non potest, cum breui spatio cocta crudæ & cruda coctæ alia accessione superueniente succedat. Indicium hoc est corlorem hunc vrinæ fieri in venis membrorum vrinæ, nam certum est eam solam quæ tunc ibi continetur emitti. Ex ratione ergo impedimenti illarum venarum, totius generis impedimentum coniectamur. Ob id ergo maximè cauendum est,ne vitio talium membrorum decipiamur. Memini me vidisse quemdam de Basgapidis, cuius omnes vrinæ per totum morbi decursum crudæ ferme æqualiter eraut, quod vesica laboraret. Sed dices in intermittentibus quomodo in initio erunt vrinæ crudæ,cum status accessionis iudicet illam? Et si erunt coctæ in quo differet status ab initio? Equidem medici in hoc etiam adeò stupidi sunt, vt non agnoscant, quemadmodum dixi in arte medendi naturam paruam esse partium diuisionem, ac velut in abscessibus status diuersos & augumenta initiaque, hoc tamen habent vrinæ accessionum initij, quod cum multa sit materia antecedens (hanc ego præparatam vocare soleo) etiam ab ipsa vrinarum genus grauatur,impeditur: & frustratur,vnde crudiores sunt vrinæ initij quam incrementi. Cum vero in ascensu morbi materia præparata minuatur, coctæ magis in vigore quam antea vnquam vrinæ apparent. Quòd si tales non videantur nouam materiam motam dicunt Medici, sed vt plurimum verius dicerent, si faterentur erratum fuisse erga coctiones, atque ob id circa victus rationem. Ergo etiam in intermittentibus vrinæ in statu coctiores videntur quam initio vel incremento, non tamen est discrimen quantum in continuis, quoniam materia coniuncta est in venis in continuis, extra venas in intermittentibus. Præparata verò cũ in vrisque in venis sit impedimentũ, discrimen facit iuxta temporum rationem:quod discrimen in continuis est euidens, quia coniuncta etiam in venis manet:ob id ergo tempora vniuersalia intermittentium paruũ habẽt concoctionis discrimen in vrinis. Vrinæ igitur colorem in propriis membris scilicet renib. vreteridib. vesica recipiunt:contẽta à venis quæ sunt à ventriculo ad iecur:argumentum coctionis ex venis renum, ac supra reliquas venas, præcipuè iecoris ostendunt. Coniecturam ob id supra reliquorum humorum qui peccant, tanquam causam impedimenti docent; verum vbinam tingatur vrina nunc ostendam.

CAPVT XIV.

Vrina vbi tingitur.

Cæterum vt diligentius disquiramus vbinam vrina ipsa tingitur scire primũ necessarium arbitror, eam esse veram cuiuscunque quæsiti rationem, quæ omnibus experimentis satisfacit, nam etsi pluribus accommodetur, vni autem soli minimè satisfaciat, non erit ea vera causa. Quemadmodum igitur nuper diximus vrina, in his qui vesica laborant, quanquam etiam per grauissimas febres nunquam tingitur Sed neque in hyeme ipsa adeò colorata est vt in æstate, maximè in mulieribus, quod vesica eo tempore in illis multum refrigeretur. Cum enim ventres eo tempore & venæ calidissimæ sint, vesica quod sit exanguis. & à corde ac iecore plurimum remota, magna quoque & amplo collo ac breui maximè in mulieribus frigida est, sed tamen si vrina in vesica tingitur quomodo in tam amplo vase ac minimè calido & quomodo in rubrum aut nigrum aut fuscum? Et rursus quomodo si ibi tingitur affectus totius corporis significatur? Galenus quoque testatur non coctionem sed admixtionem humoris tingi. Rursus contra in Diabete non tingitur quia in renibus non figitur. An forsam quia tamen paucus humor, non sufficit ad tantam proluuiem? Indicio est quod in aliquibus materia apparet, & sedimentum, & cædem, tanto sunt coloratiores: videtur sane hæc non leuis quęstio cum Hippocrates sentire videatur vrinam in vesica tingi illis verbis: Et caue ne vesicæ vitio decipiaris. Galenus in primo de crisi admixtionem humoris: ipsemet in libro de totius morbi temporibus ex venarum actione, adeò inter se & à seipsis dissentire videntur. Ratio quoque hic inde etiam fauet. Quòd si quis dicat tingi ab humore vrinam humorem autem ex coctione? ne is quæsito satisfaciet:nam humores iuxta propriam naturam coloris nanciscuntur. Præterea miscerí humores in venis & iuxta iecur satis constat, nam ibi miscerí verisimile est etiam vbi gignũtur & expurgantur:quod in iecore accidit. In renibus cum à sanguine expurgetur relinquũtur serosa pinguia aquea & humorum fuligo si qua sit: nam hypostasis & nebula aut suspensum, quod in imo hypostasis, medio suspensum summo nebula cõtinetur,vocari solet ex humorum tẽuiore pinguique parte cõstat, vrina enim iuxta Galeni sententiã libro de Atra bile aquea & humida tenui biliosa substantia quã serosam vocat, velut è flaua pallida bilis cõstat. Idem secundo prognosticorum inquit: Dum omnia nobis secun-

dum

dum naturam ſunt, excrementa totius corporis per vrinam repurgantur quæ in ventre pariter cum ſtercore excernuntur. Præter naturam autem ſe habentibus cum vrina pariter quædam morborum in renibus ac veſica indicia exeunt, cum ſtercore verò corporis totius. Itáque non rarò de purulenta vrina quæſtio extitit vndenam veniat pus? Et de ſquammoſa, nam & actia & fætida & bilioſa prodeunt ſæpe propter veſicam & renes, non rarò etiam propter totum corpus id eſt concoctionem humorũ in toto animali facultatem, quæ (vt indicauimus) veluti focum ardentem & fontem obtinet iecur. Interdum ipſa haudquaquam affecta per veſicam & renes totum animal expurgatur: aut partium aliquarum in eo excrementa quædam quæ in venas inciderunt ſanguine purgato ex renibus prodeunt, quemadmodum abſceſſus quoque conſiſtentes ſæpenumero per vrinã excernuntur. Hæc Galenus ſatis obſcura & ambigua protulit, adeò vt non facile ſit diuinare quid ſibi voluerit. Rem tamen vt introſpiciamus ex euentib. diſcere oportet. Veſica igitur crudas vrinas efficere poteſt, ex crudis concoctas minimè: color verò ex concoctione pinguis humidi cum materia ei miſcetur quod in decoctis videmus, nam ſi quis verzinum aquæ immiſceat non ob id tingitur etiam ſi contritum ſit, ſed vt puluis vagatur: at ſi coquatur tingitur aqua: & quanto diutius coquitur tanto melius tingitur, & ſi oleũ tartari quia pingue eſt addatur eo magis ac melius adhuc: adeò vt ſtatim ſi ſolum ſit. Ita ergo veriſimile eſt in vrina contingere, & iuxta eius quod admiſcetur & coctionis ipſius rationem. Coctio verò in membris rubris iecore & renibus. Ergo ſi vrina non concreſcit, colorata tamen exiſtit, & perſpicua, paucum pingue humidum eſſe declarat, bene tamen excoctum, at contra plurimum & crudum, ſi facile conturbetur & pallida ſit. Sed quomodo quod iam concoctum eſt crudum in veſica euadere poteſt? De renibus nihil mirum eſt, retentis per obſtructiones his quæ continentur: in veſica verò cum id non poſſimus oſtendere alio experimento, non niſi iam intemperie renibus & vreteridibus communicata. Aut quemadmodũ ſi vino lac immiſceatur, corrupta enim materia in veſica vrinæ admiſcetur. In vniuerſum autem etiam vina rubra in cadis dealbantur. Et ex vinis rubris atque vinaceis referunt acetum album fieri, Ergo ſic vrina dealbatur in veſica: in ſuperioribus autem membris tingitur.

CAPVT XV.

Quæ his libris de vrinis non determinantur.

DIcemus autem & diſtinctius de his alias verum non omnia etiam referre licet vbique, quoniam tractationes hæ vt coniunctæ ſunt, ita etiam alia ratione ſeparatæ velut perpauca quæ alibi tractare conſti ſumur, vt de vrinis turgentis materiæ: nam materiam turgentem in libro Artis medendi paruæ: Et an vrina concocta eſſe poſſit ab initio morbi ad finem, & cur vrina in coli dolore ab initio ſit craſſior, de quibus *in Quarto contradicentium*. Et an rubra vrina breuem indicet morbum? quanquã hæc omnino potius hic intelligi queant ſine illis, quam ibi abſque his. Itaque talia ſolum pauca prætermiſimus: velut & de generatione ſedimenti, de quã ſupra abunde diſſeruimus. In vniuerſum igitur tractatio hæc abſoluta eſt & præclara, in qua non ſolùm differentias vrinarum ſed & cauſas ac ſigna narrauimus, ſed & quomodo ex earum cognitione quid facere oportet docemus. Sic etiamſi in floridorum libro quædam ſubtilius diſputauimus, quaſi connexa aliis non per ſe tractata.

CAPVT XVI.

Vrinæ color qualis? & in quo à ſero ſanguinis & ſudore differant.

ERgo vt ad tractationem propoſitam reuertamur, & cauſam ac locum vbi vrina tingitur doceamus, illa primum ſupponenda ſunt, quæ circa ſudores & ſerum ſanguinis, dum ſanguis per venæ ſectionem educitur, apparent. Viſus enim eſt Gal. *quartadecimo methodi* dicere ſudorem vrinæ colorẽ referre. His verbis: Erythropelas pallidus flauuve eſt, vel ex pallido flauoque miſtus: talis namque maximè eſt, quæ cum ſudore quotidie bilis exit, licetque multorum qui in balneis ſudorem, ſibi ſtrigilibus detergunt, hunc eius videre coloris cuius lotium eſt, iis qui diutius cibo abſtinuerunt. Neque enim ignoras eorum qui diutius inediam tolerant pallidius ex aquoſo lotium reddi mox etiam flauum. Hæc illi in quibus tamen non ſimpliciter, ſudorem lotio ſimilé facit, ſed coloratiori, quale eſt quod per inediam mingitur. Neque aquoſum ſimpliciter lotium ſanorum appellare decet, hocenim non ſolùm abſurdum ſed nefas eſt dicere, ſed aquoſũ ad pallidum comparatum dicere oportet, vt ſit color naturalis vrinæ, qui paleæ recenti tritici omnino ſimilis eſt, nitore, & coloris ſubſtantia quanquã non ſit perſpicuus, pallido dilutior: ac pallidum aliquanto coloratius minuſque dilutum naturali vrinæ colore. Ita vna ratione duorum colorum ſubſtantiam ac notitiam adeptus es, naturalis ſcilicet vrinæ & pallidi, quo rurſus aliquanto flauus eſt coloratior, ac tantò quantò palliduseo qui in vrina deprehenditur cum naturalis eſt. Hoc autem iucundum & vtile, quod omnes hi colores in eadem vrina apparent, eiuſdemque hominis, cum primum moderatè antea cœnauerit, deinde à cœna die ſequenti abſtinuerit: tertia verò die non ſolùm à cœna abſtinuerit, ſed & in prandio modicum panis ſolum ſumpſerit: cæterum illud dubitatione dignum occurrit, quonam

quonam pacto ſudor flauus magiſque vrina eſſe poſſit, cum vrina ex eadem materia conficiatur, ex qua ſudor, & præter id in renibus magis concoquatur? Sed huic dubitationi ſic reſpõdebimus: cum ſudore plus de bile ex Galeni ſententia loco adducto per meat, ob id ſudor quamuis non adeò concoctus pallidior euadit. De aqua verò quæ cum ſanguine ſecta vena exit, eadem ferme ratio, quæ de ſudore: nihilominus mihi ſemper vrina pallidior viſa eſt: neque eas ſuſcipere mutationes quas vrina, ſed generaliter neque perſpicua, neque turbida, neque vnquam concreſcit vt vrina, quia non eſt: pinguis. Quamobrem pinguedinem illam ex renibus vrinam adipiſci, veriſimile eſt, colorem ſæpe viridem perſpexi, ſed vbi à ſanguine aquam ſeparaui, nunquam niſi obumbrata illa. Cauſa ergo viridis coloris eſt pallor rubro fuſco adumbratus, vbi enim ſanguis fuſcus ſit & aqua pallida, in vreeo videtur viridis, atque admodum viridis, quæ ratio ad opticam diſciplinam pertinet. Porrò quæ de vrina hic adiicimus ex Galeno fere ad verbum habentur, *Decimo de ſimplicibus medicamentis*, hanc in ſententiam. Vrina humana modicè pallida in ſanis eſſe debet, ſudor autem vt magis elaboratus falſus, & ſubamarus, ſed & ipſe pallidi coloris eſt. Ex quo intelligimus non tamen adeò pallidum ſudorem eſſe debere, vt vrinam, verum aliquanto coloratiorem, tametſi colore ſimilem eſſe dicat vrinæ: intelligendum enim de ſimilitudine generis coloris non menſura. Erit ergo ea ratione vrina ſimiliter falſa manifeſtè atque ſubamara.

CAPVT XVII.

Sedimentum quid ſit & vbi fiat.

QVæ in vrina naturaliter continentur & coacta manent, trium ſunt generum ob locorum diſcrimen. Alia enim in imo, vocantúrque ſedimenta, alia in medio, Enæoremata, alia in ſuprema parte Nebulæ. Palàm verò eſt, quanquã tota vrina talia contineri, nonnunquam in imo medioque aut medio ac ſummo: rarius autem in imo ſimul ac ſummo loco abſque intermedio. Hæc omnia quoniam eiuſdem ſunt rationis, ſedimenti nomine appello, ſeu hypoſtaſis, quanquã vetius contenta, quam ſedimenta vocari poſſint. Sedimenti nomine hæc omnia digna puto, quod in ſanis eodem in homine, diuerſis tamen diebus perſpiciantur. Nonnunquam etiam die eadem. Plerumque à ſomno in imo ob coctionem à prandio, in ſummo cum adueſperaſcit ſemiperfectã coctione in medio, coctio enim denſat & grauius ob id efficit: grauia autem in imum deſcendere ſolent. Sic etiam iuxta ciborum rationem, atque hoc idem diſcrimem in ægris eadem die perſpicitur. Duarum vero differentiarum hypoſtaſis Galenus meminit, & eius quæ in ſanorum vrinis apparet, & quæ in febricitantium. Primæ quidem in ipſo fine, *Primi libri Prognoſticorum*, dicens: Etenim ſedimentum quod in vrina ſubſidet veluti pus generationem habet: quod proportione quaſi medium inter ipſum & naturales humores illius naturæ reſpõdeat. Quicquid enim alimẽti in ſanguinis generatione naturæ refugit confectionem, ſubſidet in vrinã, neque vt ſanguis, ab ea commutatum, neque vt pus præter naturam cauſæ particeps. Non naturalis autem ſedimenti in *Tertio de Prædict.*, ex pulſibus his verbis: Quod verò in febribus ſedimentum eſt, veluti cineritium, non perinde, quia craſſum eſt, poteſt excernere (contractione arteriarum ac expiratione) ſed per inſignes quoſdam meatus educit, ſi in vaſis ſit per vrinas, eſtque ſedimentum: ſi vero in partibus ſit inflammatis pus efficitur. Idem etiam teſtatur de ſatis *in Primo de Criſi*, quod dixerat in Prognoſticis: inquit enim. Nam ſi colorem exquiſitè ſeruauerit, ſubſedentiam vero albam & leuem & æqualem multam fecerit, ſic etiam coctionis quidem ſignum etiam exquiſitum fuerit, ſed plus de humore crudo euacuari demonſtrat. Præterea & in pueris omnibus fere in perfecta ætate hominibus, qui otioſam degunt vitam, aut quouis modo repleti ſunt, ſatis multam habent vrinæ ſubſidentiam, quoniam in his omnibus plus eſt de incocto & crudo humore: His quidem propter deſidem vitam, illis verò propter ſatietatem. Pueris verò & ob ſatietatem (voraciores enim ſunt) & ob id etiam quod vna vẽtriculi operatio non poteſt duobus ſimul ſufficere augendo ſcilicet atque alendo. Antequam ergo in ipſo ſufficienter alimentum concoctum ſit, ipſum ad ſe corpus trahit, atque hinc fit, vt plurimum crudi humoris coaceruet. Hæc quoque cauſa eſt vt iis qui ex ocio & repletione febricitant, ſi ſanitati reſtitui debent, neceſſario plurimum ſubſideat: contra his qui ex inedia & labore ruſæ quidem & bilioſæ vrinæ ſunt (ſoluitur enim plerumque prius morbus ipſe quam aliquid ſubſideat) ſufficit enim in his & nebula alba & ſuſpenſio bona, talis autem eſt alba & leuis & æqualis. Nam & ex ipſis ſanis qui multum laborant, & pauciori cibo vtuntur, ſunt vrinæ bilioſiores: Quare neque ſimpliciter Hippocr. vituperauit vrinam rufam, ſed quando ſimul & rufa fuerit & ſubtilis. Ita igitur inquit: Donec rufa fuerit vrina & tenuis morbum crudum ſignificat, liquet autem quod neque aliquid ſubſidet in huiuſmodi vrinis: neque enim contingit vt quæ tenuis ſufficienter fuerit, vel ſi multo tempore quieta ſteterit, aliquam recipiat ſecretionem: adeò vt craſſior pars, quæ in ipſa pendebat, ſubſideat, tenuior verò ſuperferatur: nam hoc ſolum aduenit his quæ aliquam craſſitudinem habent. Non tamen ſi breue quicquam quod ſubſideat habuerit, & mediocriter craſſa fuerit, iam cocta erit. Si enim vel farinæ hordei craſſiori, vel quamuis vel furfuribus ſimiles habuerit ſubſidẽtias vel nigras viridéſue aut fœtidus, præter id quod quęcunq; tales ſunt, cruditatem habent, etiam aliquæ ſunt pernicioſæ. Videtur, quanquam ſatis obſcurè, in his omnibus primum id docere quod ſanorum

norum vrinæ ſedimento non carent: quandoquidem ſi eſuriant & laborent, à tenuibus nebulis vel ſuſpenſis nõ deſtituantur. Par autem eſt omnium eandem eſſe materiam, ſcilicet humorem qui concoqui perfectè nequit. Ideo *Quarto de Tuenda ſanitate* inquit: Ergo vbi crudus planè ſanguis eſt vtiq; tenuis aquoſaque vrina cernitur, nihil quod ſidat aut pendeat prorſus habent. At vbi inconcoctus eſt, hæc in vrina apparent. Et *Primo de Febrium differentiis* vult id cõtineri in venis, atque in febribus eſſe partem humoris peccantis quale pus eſt in abſceſſibus. Fit ergo non ſimpliciter in iecore ſed etiam in venis quæ poſt iecur ſunt. Et ſubſidunt cum calor ſufficienter humorem illum coxerit, non quia grauior factus ſit, ſed excluſo flatu per quem ſuperius fertur. Actuarius in *Primo de cauſis vrinarum* cenſet ea quæ continentur in tertia concoctione gigni: hæc enim habet: Tertiæ concoctionis propria ratione excrementa ſunt tum contenta quæ in vrinis apparent, quibus ſunt tenuiores ſudores, & quæ percutim abſque ſenſu tranſpirant. Ergo quod peccatum fuerit in huiuſmodi concoctione, id demonſtrabunt exquiſitè ipſa contenta. Hæc ille ſatis clarè, ſi non in eoſdem cum Galeno laqueos incidiſſet, paucis enim poſt verbis ſubiicit: ſimile quiddam in contentis ſpectare licet: namque quod in venis in ſanguinem mutatum non eſt, id in ſimilem puri ſpeciem tranſmutatur, vincente concoctrice virtute. Quantum verò ipſa non vincens aberrauerit, tantum etiam contenta ſpectantur mutari in ſpecies malas, verum ſenſum hunc excipere oportet: cum non ſit veriſimile tam paucis verbis interiectis alia ſenſiſſe quam prius, cum humor in venis perfectam tranſmutationem in ſanguinem non fuerit aſſecutus, in tertia coctione quæ in membris celebratur, tranſit in materiam puri ſimilem, quæ eiecta per vrinas contentum efficit. Sed adhuc manet difficultas quonam pacto materia illa detrudatur ex membris in vrinas? Deinde quomodo contenta oſtendere poterunt coctionẽ, quæ in iecore fit ac venis ipſi? quam tamen præcipuè oſtendunt. Demum ſi caput concoquat, lien autem, non qualenam vrinæ contentum erit? Mihi ſane videtur hac in parte Actuarium quod neceſſe eſt volenti illum tueri, quatuor coctiones indicaſſe: vt per tertiam eam ſignificauerit quæ in venis non membris celebratur. Oportet enim hanc coctionem & ad vnum principium redigere, & venoſi generis autorem, tale igitur eſt iecur. Atque hæc ſatis conſtant & rectè dicta ſunt. Sed ſuperſunt dubia multa: nam primum cum vrina in venis fiat veriſimile non eſt contenta in eiſdem etiã fieri? Præterea non poſſumus rationem aſſignare, cum alba in ſanis & in ſeruandis ægris ſint ſedimenta? videtur tamen hoc difficile conſideranti Galeni comparationem non fuiſſe exquiſitam, dum in prognoſticis pus quod in abſceſſibus generatur dealbari à membris quæ à ſemine fiunt affirmat. At materia illa extra venas continetur in libro de Inæquali intemperie, hypoſtaſis autem materia in ipſis venis, quarũ tamen ſubſtantia à membrorũ dictorũ ſubſtantia non differt. Nam & venæ ex ſemine iuxta Gal. generantur. Galenus ergo non comparat generationẽ partis & Hypoſtaſis loci ſimilitudine ſed cauſarum, à quibus vtraq; generantur. Sed verè Gal. vt turbulentiam cum concretione confudit, ita etiam contenta cũ retrimentis. Eiuſdẽ enim generis, quæ plurimũ differunt eſſe, exiſtimauit. Ob id Auicenna parum admodum de cauſis huius, quæ tamen ad medicinæ ſcientiam maximè ſunt neceſſariæ, locutus eſt, cum in aliis minus neceſſariis ſoleat eſſe prolixior. Sed vt ad rem redeam, quid dicendum erit vbi apud Galenum hoc octionis tertium genus auferatur, nonne hoc opus ſecundæ coctioni aſcribendum erit? Illud planè dubium eſt, quomodo vrina ſuper membrorum coctionem ſignificabit, ſi tam eius ſubſtantia quam contenta in venis generantur? Ateertè nos in abſceſſibus ãtequã febris putrida ſæuias, videmus contenta ſanis ſimilia: vt non debeamus dubitare, an illorum abſolutio fiat in venis, & non in membris. Verum quod contenta hæc & enæoremata & nebulæ & ſedimenta, nõ ſint è retrimẽtorum genere ſatis perſpicuum eſt: nam retrimenta nunquam in ſedimentum vel nebulam tranſeunt: at nebulę deſcendunt teſte Hippocrate atque Galeno, & fiunt non ſolùm ſuſpenſa ſed etiam ſedimenta, igitur non ſunt hæc ex retrimentorum genere. Retrimenta etiam vel ab vno proprio membro deciduntur, vel criſis vi exeunt, horum autem neutrum conuenit his quæ nos contenta vocamus. (Sic enim communi nomine appellamus ſedimenta enæoremata nebulaſque, non ergo vnius generis eſſe poſſunt. Ex quo etiam manifeſtum eſt, ſedimen nullo modo poſſe eſſe partem materiæ concoctæ, ſic enim frequenter ægros liberari videremus per vrinas cum copioſis ſedimentis, ſed tamen non videmus. Sed qui criſibus per vrinas liberantur, copiam ſeroſi humoris, nonnumquam cum retrimentis, quãdoq; ſine, vt Hippocrates teſtatur emittunt. Piget quod toties Galenum coarguere cogar, vt videar vanæ huius ambitionis cupidus à qua maximè abſum. Sed quid agam, tranſibõne cum his falſis principiis, & homines in tam ſalutari opere deſeram? aut omnino ab hac tractatione abſtinebo? vel quod ſolum reſtat totum tempus in peruertendo verba Galeni ac falſo interpretando abſumam? vt poſtmodum & ego rudis videar, & operis authoritati detraham? certè quid in hoc ſtatuam non habeo. Qui tamen nos norunt, fructumve legendo hæc aliquem vt ſpero futurum, colligent, intelligent me tantum à contradicendi ſtudio abeſſe, quantum propenſior Galenus ipſe fuit. Et certè neq; intento meo qui ad huius finẽ operis propero, neq; naturæ aut moribus meis hoc conuenit, nec dignitati tanti viri: cũ etiam id intelligã multos futuros, qui amore illius etiam hæc quamuis vtilla futura ſint, contemnant. Sed vt rem paucis colligam contenta in iecore ac venis generantur, quæ in vrina apparent. Suntque omnino alterius generis à

retrimentis ipsis, quæ solum ægris in corporibus apparent; cum contenta sint prorsus naturalia. Nec sunt vllo modo contenta in febrientibus partes concoctæ materiæ. Hæc cum ita sint manifestum est, cur clarissimi viri qui Galenum secuti sunt, Aetius, Paulus, Auicenna, Rasis, non sint ausi de vrinarum causis præcipuè contentorum loqui, cum in difficillimas quæstiones incideret, si illum sequerentur: illum verò deserere quem vbique sequuti erant, piaculum videbatur, cum vel sic agendo, à tot difficultatibus quas nuper proposuimus explicare se non considerent.

CAPVT XVIII.

Contenta vrinarum cur alba & quomodo.

IAm ergo ex dictis constat in sanguine quinque esse excrementa, imo verius sex, flauam bilem, cuius fecem vesica felis suscipit, nigram bilem cuius quod superfluum est & inutile lien ad se trahit, aqueam partem quæ tum ad vesicam tum per sudores eiicitur: spiritum quēdam seu fumum quem in omnibus humidis feruentibus exhalare videmus aqua, musto, fimo: atque hic per insensilem euacuationem per corporis meatus educitur: & crudum humorem qui cum serosa parte pro sedimento eiicitur. Hic quidem in sanis & in quibus naturalis facultas venarum non impeditur, vt in his quorum morbi & causæ in venis non continentur, & in ephemeris, & in defluxionibus putridarum, & aliis etiam albus conspicitur: Sed non ea vt rectè inquit Actuarius albedine quæ niui, imo ne puri rursus respondet conspicitur. Atquè hoc contingit vt Galenus docebat in *primo Prognosticorum*, ex actione venarum, quarum substantia cum non sit exquisitè alba, nó etiā potest facere sedimentum album exquisitè. Et quamuis Galenus *sexto Epidemiorum*, dicat quod sedimenta variant colorem pro natura humoris, adeò quod si fuerint sanguinea euadunt rubra, si pituitosa alba, manifestum est quod loquitur de retrimentis: & ita apparet quod si quis vult Galenum liberare à contradictione, oportet vt distinguat inter contenta quæ fiunt ex humore crudo agente, in ipsum substantia venarum vt assimilet (assimilat autem vt nutriatur) & retrimenta, quæ ex humoribus fiunt, & actionem caloris non synceri naturalis.

CAPVT XIX.

Non omnis alba hypostasis bona.

VT verò dignoscamus hypostasim ab humore candido pituitoso tria ponuntur signa, quor primum solum ab Actuario scilicet, quod tantum abest vt hypostasis sit verè candida, vt sit candidum sit quod residet non iam hypostasis sed humor sit pituitosus. Et verum est quod dicit, vnde magnæ profectò socordiæ Galenus argui potest: qui cum quotidie multas vrinas spectaret de sedimentis ita locutus est, quasi de Æthiopico aut Indico quodam animali, quod nunquam viderit sed ab aliis tantum audierit: ita candidum sedimentum absolutè pronuntiauit, quasi candidum esset vt vix. Adeò verò inualuit hic error, vt etiam Medici nostræ ætatis illud expectent, vt Iudæi Prophetam vt dici solet Messiam. Et quamuis de hoc admoniti sæpius à me sunt, & rationibus confutata opinio, adhuc non credunt, quia Galenus id non dixit: volunt que etiam socordiam & obliuionem Galeni aut forte quod scripta de his interciderint (nam nefas duco illi tam crassæ ignorantiæ crimem impingere, etiam pro inuiolabili lege haberi. Duorum verò reliquorum signorum meminerunt Galenus *libro de vrinis*, seu quicunque auctor fuerit: & in *libro de vrinæ significatione*, in fine. Alterum est quod hypostasis est æqualis & lenis, humor autem crudus minime, sed est inæqualis in substantia & forma: scilicet asper & velut mons abruptus. Reliquum est quod humor crudus ab initio morbi residet in fundo, deinde successu temporis pendet in medio, & ascendit adeò vt in fine sit velut nebula. At hypostasis ab initio non est eiusmodi: sed morbo inchoante apparet primum nebula, deinde Enæorema: & sub fine morbi conuertitur in hypostasim & residet. Et hæc fuit etiam quasi sententia Galeni *Quarta Aphorismorum*, non solum in morbis absque febre, sed etiam cum febre. Verum ego etiam aliud signum distinctionis adiicio scilicet peruiam substantiam, quæ in hypostasi apparet, cum crudus humor gossipij instar opacus sit. Adde quod talis humor nec in apicem adeò attollitur, velut hypostasis quæ coni formam præfert.

CAPVT XX.

Vniuersalis eorum quæ subsident partitio.

EOrum enim quæ in imo subsident partitio est in ea quæ coacta sunt & quæ non, velut scobs arena, furfur, criminodes ac talia quæ à similitudine taliter voco, atque hæc nemo est nisi admodum rudis, qui ea à vera hypostasi discernere non queat. Quæ verò coacta sunt difficilius cognoscuntur, adeò vt non solum rudes, sed omnes eos, qui solis præceptis noscere vrinas didicerunt, fallere soleat: quales sunt iuniores Medici, & hi qui sibi plurimum fidunt. Non tamen in omnibus decipiuntur, sed in eo solo genere quod leue est & in acutum quoquomodo definit.

Nam

Nam cum cocta ſubſidétia quinque ſint generum, alia quidem quæ verè ſubſidentia laudabilia ſunt, alia quæ ex humore crudo rariore & in coni figuram tendente, in quo ſolo periti Medici falli ſolent: alia ſunt, prorſus craſſa vt pituita opaca alia nō adeò craſſa, ſed tamē quæ omnino æqualiter à fūdo vaſis diſtat, quæ etiā à Medicis eruditis vel mediocriter agnoſcitur: Quintū genus eſt quod inæquale eſt: partim ſumma in parte prominēs, ſed non quantum decet, partim diuiſum: vidi enim in vxore Ortigiæ Hiſpani quæſtoris exercitus cum duabus laboraret tertianis, duas hypoſtaſes ſatis abſolutas loco penitus diſtinctas: breuique altera ſtatim diſcedente conualuit. Sunt & quæ inæquales ſunt ſubſtantia aliæ diuulſæ: atque ita huius poſtremi generis variæ ſunt differentiæ. Sed de his inferius, nam hæc genera non abſurdum fuerit in proprias differentias diuidere.

CAPVT XXI.

Hypoſtaſis bonæ differentiæ

VIdentur autem bonæ hypoſtaſes non vnius eſſe modi quandoquidem in fine morborū & in optime ſanis quædam appareat hypoſtaſis aurei coloris, quæ in conum minimè aſſurgit, neque me memini harum vllam vidiſſe quæ in conum aſcenderet, ſed omnes ſunt æquales, ſplendidæ, aureique coloris, & in acutam figuram finiuntur: ſed non ita vt conum efficere videantur. Semper etiam hæc hypoſtaſis pauca eſt pro vrinæ ratione, & optimè coniuncta. Aliud eſt genus hypoſtaſis commune, etiam ſanis & ægris, & maximè ephemeta laborantibus, atque id eſt tenue, candidum, pellucidum, ſed neque candidum admodum nec pellucidum vt priusmec adeò denſum vt aureum, & copioſius hoc in acutum tendit, vt coni ad vnguem formam referat. Quandoque etiam obtuſius eſt. Tertium genus quod ferme ſolum Galenus animaduertiſſe videtur, ſub fine ſtatus putridarum febrium, & in morbis articulorum cum materia præparata eſt, apparere ſolet: album, lene, æquale, in conum tendens, quantitate communiter inter duo prima genelia & craſſitie & perſpicuitate medium. Decet autem pro tot varietatibus morborum & habituum corporis etiam plurima eſſe genera hypoſtaſium, quæ tamen abſoluta ſint iuxta propriam naturam. Vix enim veriſimile videtur, etiamſi ego de hoc te non admonerem, eandem eſſe hypoſtaſim in declaratione morbi, & in ſtatu, & dum homo omnino ſanus eſt. Aurea enim declarationi magis propria eſt: alba vigori morbi: tenuis ſanis, nam ſani cum robuſtum habent calorem naturalem, & plurimo vtantur cibo, multum & tenue ſedimentum meritò habēt qui conualeſcunt ſi pura habeant corpora, parum habent quod reſecent, atque ob id optimè coctum à naturali calore & non à putredine: lotide ò quacum denſum minimè candidum: cum verò morbus in vigore eſt materia plurima adeſt, & cocta, ac in quam tamen calor putridus non parum egit: ideò plurimum etiam ſedimem, ſed non tantum vt in ſanis, & candidius ob præternaturalis caloris actionem. Vnde liquet falſum (cum venia Galeni dixerim, eſſe rationem candoris puris, quam aſſignat ob membrorum ſeminalium colorem: nam nullum membrum adeò candidum eſt, vt pus præter mammas ex quibus fit lac, nec aliquid dealbatur vt pus præter lac in corpore. Et ſanies pulmonis & iecoris candida non eſſet ſaltem exquiſitè: Et videmus etiam ſitum efficere mucorem candidum, tamen non ſemper prouenit à rebus candidis. Quid ergo eſt cur Galenus cum fateatur pus effici etiam ex actione caloris præter naturam, vt velit cauſam coloris eius totam confere in rem naturalem? Hypoſtaſis verò non ſit adeò candida vt pus, quia cum materia ſit in loco latiore non adeò putreſcit vt puris materia.

CAPVT XXII.

Crudi humoris hypoſtaſim referentis natura

CÆterum vt dixi non omnis crudus humor hypoſtaſi aſſimilatur, qua nimium conſidet: at ſi debet aſſimilari hypoſtaſi, vt attollatur neceſſe eſt: cum verò quæ attolluntur neceſſario leuia ſint oporteat, & quæ leuia ſunt, vel tenuia vel rara rurſus eſſe neceſſe ſit: at crudus humor ſi è genere pituitæ ſit, tenuis eſſe non poteſt, ſi ex alio genere non candidus: relinquitur ergo, vt crudus hic humor neceſſario rarus ſit. Rara dicimus quæcunque multum aëris admixtum hunt. Quæ verò talia ſunt etiam neceſſario ſunt inæqualia, hypoſtaſi ergo crudus humor cum ſimilis fuerit, inæqualem & aëre plenam habebit ſubſtantiam: aër verò cum in ſubſtantia humida eſt, opacam eam reddit & candidam, vt alias de lapide diximus, qui ſponte candidus & opacus, aquæ immerſus, aqueum colorem contrahit, fitq; pellucidus. Omnia igitur habet ficta ea hypoſtaſis, quæ adeò vlterius procedit, vt quandocunque veræ ita aſſimiletur, vt vix ſcientiam ipſā diſtingui abſque peritia à longo vſu acquiſita queat. Hoc igitur euenit, cū materia non exquiſitè pituitoſa, ſed melancholiæ atque bilis particeps fuerit: nam nunc ob calorem febrilem dealbata & attenuata imaginē veræ hypoſtaſis refert, vt quæ non adeò ſit candida vt prior, multò verò tenuior, atque ideò exquiſitè perſimili hypoſtaſi appareat. Talem vidimus in Iacobo Philippo Clauenzano qui ſeptima die ex febre cum exanthematibus periit. Itaque non res ipſa decipit, ſed artifex ipſe potius decipitur vitio proprio.

CAPVT XXIII.

Vrina non esse signum fallax.

MVlti tamen ob prouerbium & Medicorum temperiam animaduertentes, tum etiam Galeni & aliorum fulti autoritate, existimant vrinam solere persæpe fallere, quòd *Tertio de Præsagio ex* Pulsibus dicat de Pestilenb, morbis loqueris: Ne ex vrina quidem petere in eiusce modi affectibus firmam notitiam licet semper, sed est anceps colore & sedimento similis naturali. Et hoc etiam dixit Auicenna de vrina febricitantium tali morbo, verũ quod ad prouerbia attinet, non est par vt Medicus vulgi placitis atq; opinionibus adhæreat, sed vt vulgus sapientium. Quòd verò imperitos fallat: neque hoc: nam sic nulla esset ars, nulla scientia, quandoquidem in omnibus disciplinis rudes & sycophantæ autoritatem peritorum euertere soleant. Vt enim demonstratum est in libris de Æternitatis Arcanis, scientia solum est apud Deos, si de vera loquamur, nos imaginem tantum quatumcunque retinemus. Si quis autem obiiciat quod in peste solet vrina esse fallax, ibi Galenus hoc tanquam maius miraculum fatetur, quam quod pulsus etiam fallax sit, quem tamen fallacem esse fatetur in huiusce modi morbis. Cũ ergo ibi in propria de pulsuum tractatione fateatur, vrinam esse firmius signum pulsu, pulsum autem verum præconem appellet, manifestum est nihil certius esse apud Medicum signo ex vrina sumpto. Sed si obiicit quod tamen periti etiam aliis in morbis persæpe fallantur: Respondebimus hæc vera esse quoniam vt Auicenna inquit seruanda non seruantur. Sed hæc facilia & pertrita. Illud potius est demõstrandum, vrinã suo ordine visam nunquam fallere posse: hoc enim rarum, vtile, verum, & admirabile. Nam si verum esse ostendero, vtile inquã erit, cũm medici summã in hoc diligentiam sint adhibituri, qui alioqui diffidentes perfũctorie tãtum de hoc signo tractauerunt, & oscitanter illud animaduertunt. Cum ergo nouerint in hoc signo omnia contineri, morbos causas symptomata, exitus, tempora, quis dubitat præcipuam in eo curam omnes reposituros. Admirabile rursus erit si verum quod in tam paucis differentiis, in tam instabili fũdamento scilicet materia non operatione, excremento non substantia, tot argumenta tanquam firma collocauerit. Rarum etiam quod iam à nemine creditum est, cum omnes fallaces vrinas esse clamitent. Ergo vrinæ differentias suas vel ab assũptis rebus, vel à casibus, vel à vi membrorum adipiscuntur. Quæ assumuntur perpendere debet Medicus, nec ante pronunciare, qu talia sint quæ vrinam tingere possint aut aliter mutare, aut coctiones impedire, aut ordine aut quantitate erroris ansam aliquam præbere. Itaque si erroribus vrinæ respondeant, iam minimè fallaces dici merentur, quæ causas suas ostendunt. At si casus aliquis etiam superuenerit vt tristitia, ira, inedia, labor vigilia, nihilosecius hæc animaduertere oportet, & supra hos significabit ipsosque ostendere dicetur. Sed si contingat non ostendere: fac ita sit? tunc illud nobis declarabit, adeò bene ferre naturam, hęc incommoda, vt ab illis non concrescat, atque ideirco validam esse ac robustam, scilicet iecur ac venosum genus, ita omnino & rectè & verè significabit. Sic enim gratia exempli facultas aliqua ex cibi multitudine adeò perterrita, vt omnino concoxerit, disterque cibus ille à debita quantitate duplo, in alio verò pari ratione optimè concoquat, tertius vt par est mediocriter concoquet. Dicemus ergo facultates has ita comparari, vt secundus duplo maius habeat facultatis robur tertio, vt tertius primo. Portio enim consueta sit octo, nam sexdecim à tertio si medio modo concoquitur octo debita est si autem à primo penitus non concoquitur consueta portio quæ est octo, duplo maior est quam esse debet: Quare aut non rectè concoquitur, aut solum ob consuetudinem. Sic licet octo sit portio consueta tertio, con coquere tamen sexdecim rectè posset. Ergo omnino significatio vrinæ secura est ac firma. Sed si dicas oblæsis membris puta renibus hæc non procedere, nonne tunc renum læsionem talis vrina significabit? Rursus si naturam accuses monstrificam, velut & in cœnis, mancis, surdis, vt omnino iudicium vrinæ irritum sit? Respondeo id rarius contingere, quam in cœcis surdis atque debilibus, aliter aut etiam claudis, quòd hæc operatio sit vitæ necessaria & generalis toti corpori: vnde fit vt rarissimè in hoc natura delinquat. Quòd si tamen delinquat, hoc omnino extra artem est vt monstra. Supponimus enim naturam esse, at hic natura non est, sed materiæ impedimento desiit esse vt in partubas acephalis?: numquid ergo ob hos partus caput homni non necessarium esse potest? Ex his liquet posse ex vrina medicum non solùm de præsenti morbo sed etiam de futura vita tanquam vatem eximium prædicere. Et nos non semel aut bis cum vidissimus homines pingues, & alioqui vt videbatur boni habitus, diiudicauimus intra paucos annos illos morituros, quod & euenit. Habebant enim vrinas aqueas omnino & copiosas ac sub virides, de his autem inferius sermonem habebimus. Sed ad propositum redeundo, cum quis secundum naturam fuerit dispositus, & rectè vixerit, nec casu aliquo fuerit impeditus, tunc necesse est talem esse dispositionem in corpore, qualis est venarum, sed vrinæ iuxta venarum dispositionem mutantur atque humorum: itaque ex vrinis manifesta erit totius corporis dispositio. Fullones enim non variant colores, nisi vel ratione materiæ quam immittunt, vel ignis quantitate quam adhibẽt. Oportet igitur ex vrinis necessariam esse rationem supra contenta in venis, & calorem ipsarum. Duo igitur sunt quæ principaliter ab vrinis significantur, materia quæ transmutatur, & vis coloris naturalis quæ transmutat. Iuxta quæ etiam accidũt duæ differentiæ in ipsis ἀπεψία & διαφορὰ πεπτικὴ, seu cruditas ac peruersitas quibus opponuntur coctio & benignitas vt ita dicam.

dicam. Cum ergo in vrinis duo hæc considerentur coctio & eruditas, quæ ad caloris naturalis magnitudinem propriè pertinent, & benignitas ac peruersitas, quæ ad materiæ virulentiam, horum primum magis in vrinæ substantia declaratur, secundum in contentis ac sedimento. Porrò de his etiam aliter sic distinguemus.

CAPVT XXVI.

Vrinam vices gerere signi & excrementi.

SIgna sumuntur propriè ab operationibus aut partibus ipsius: nihil enim est præter hæc inuenire ex operationibus, excrementa tum naturalia tum à natura aliena habentur. Exemplum: Pulsus est operatio facultatis vitalis: sudor & vomitus excrementa præter naturam, feces excrementa naturalia: vrinam excrementum naturale esse satis ex superioribus constat: Vnde in libro diffinitionum sic describitur. Vrina est superfluum excolatum ex sanguine in magna vena per renes & vreteras in vesicam deductum. Aliter ibidem, vrina est excrementum in iecore generatum, quod separatur in renibus, & per vreteras ad vesicam deducitur. At Galenus *Primo in tertium de Morbis vulgaribus.* Vrina est serum humorum in venis contentorum. Quocirca videtur vrina tres personas vt ita dicam gerere: vnam excrementi simpliciter, vt sterc usiqua ratione indicat solum de sui suppressione aut diminutione abundantia vel moderatione. Alteram vt ex pluribus partibus componitur atque immutatur de qua superius dictum est. Tertiam vt est quasi recrementum & expurgatio se exonerantis naturæ. Ideò dicebat Galenus in *Tertio de symptomatum causis* quod nonnunquam à pure, nonnunquam ex topho occluditur meiendi meatus, nam talia & sanguis & humores pituitosi per vrinam solent expurgari, quod etiam generaliter *Quarta Aphorismorum* testatur. In vniuersum videtur vrina & signum esse, & naturale excrementum, & purgatorium totius corporis, quæ autem expurgentur singulatim nunc tempus est vt dicam.

CAPVT XXV.

Quænam per vrinam potissimè expurgari soleant.

QVanquam omnes succi per vrinas & sudores excerni soleant teste Galeno *Quarto de Tuenda sanitate*, etiam si planè corrupti sint, nihilominus quidam frequentius, alij rarius non solùm quod rarius etiam in corpore abundent, sed quod etiã si adsint nihilo secius non expurgantur vel ob crassitiem vel ob distantiam. Præcipuè autem expurgatur vt *Primo ad Glauconem*; & serosa sanguinis pars. *Quarta Aphorismorum* quæ tota altera duarum dictarum viarum excerni solet. At etiam crudorum humorum qui sunt crassi post concoctionem peior pars seduci solet per vrinam. Inquit enim Galenus. *Tertio prognosticorum*, si humores sint calidi ac tenues solent excerni, sin crudi & crassi in abscessum coguntur aut concoquuntur concocti per vrinas plerunque, per aluum rarò excernuntur. Vnde liquet vrinas crassis humoribus educendis magis esse idoneas, quam aluum, non tamen vbi adhuc crudi sint humores, tam tuto possunt educi quod obstructionis periculum immineat. Contingit verò præter hæc omnia scilicet bilem serosamque partem sanguinis & crassos humores concoctos etiam spiritum excerni vt *Quarta Aphorismorum* Galenus docet. Idem *septima Aphorismorum* testatur & expressius: vbi docet spiritum Flatuosum cum vrinis excretum morbum in renibus longum decernere. Plerunque autem ostendit ex bullis quæ longo tempore antequam dissoluantur manent. Pituita etiam cum vrina solet excerni, imò non vulgaris tantum atque obuia in itinere, sed quæ inter septum transuersum & ventriculum continentur, vt in eadem particula inquit Hippocrates. Paulo post Galenus docet etiam aquam in ascite solere extrudi. Quod etiam testatur autor *secundi libri de facile parabilibus.* Generaliter autem *secundo Prognosticorum* excrementa totius corporis Galenus expurgari docet, dum homo bene se habet, per aluum autem solùm quæ in ventriculo & intestinis. At in ægris versa vice per aluum totius corporis superflua, per vrinas autem vesicæ tantum renum atque vreterarum. Nihilominus quanquam pus & fœtida & acria atque squammosa tum biliosa plerumque à talibus membris educi soleant per vrinas, nonnunquam tamen etiam à facultate totius corporis, dum talia excrementa in sanguine recipiuntur per vrinas excerni possunt. Vnde etiam abscessus partim pectoris atque aliarum expurgari solent. Et vt generaliter agam omne excrementum tam naturale quam præter naturale, per vrinam educi & potest & solet. Et quid mirum postquam lapides ipsi ex v a etiam sponte eiiciuntur. Vidi in Hieronymo Gorla & Christophoro Bolato, postquam difficultate meiendi laborassẽt lapides magnitudine fabæ maioris aliquos parvæ auellanæ excretos. Si igitur lapides tam magni qui præter id duri sunt & asperi excernuntur, quid prohibet etiam omnis generis excrementa purgari eadem via? Quod *in Arte Medica & secunda in primum de Morbis vulgaribus habetur*: vbi docet quod & quasi superius dixi totius corporis excrementa tam per vrinam quam per aluum expurgari. Quod etiam *Quarto Aphorismorũ*, testatur, verumtamen talis expurgatio tarda est, & plures exigit dies, vtipse paulo post declarat: omnium enim expurgationũ celerrima est, quæ per sanguinis fluorem fit, vt etiã ibi docet, sicut tardissima per vrinas inde

per aluum : quanquam per aluum etiam celeriter corpus repurgetur. Per vomitum celer, media inter omnis per sudores. Quæ autem per abscessus dum fiũt pro ratione humoris se habent : & dum suppurant calidi enim & à tenui materia, & à robustis viribus breui fiunt & breui suppurant: contra serò verum suppurati pro ratione quantitatis materiæ ac loci repurgantur serò, aut celeriter. Sed hæc præter propositum. Per vrinam igitur expurgatio tarda est : & si confertim eueniat periculosa.

CAPVT XXVI.

Per vrinas quæ partes magis expurgentur.

CÆterum per vrinas solent expurgari iecoris gibba, & quæ sunt supra ipsa: & deinde quæ infra septum transuersum sunt, magis quam quæ supra : & magis ex pulmone quam ex thorace vt Galenus docet *sexto de locis affectis*, vbi etiam declarat, nihil per vrinas apcius excerni quam quæ in illius viis renibus scilicet vretecidibus & vesica continentur. In arte autem medica censet totius iecoris venas per vrinas expurgari debere, vbi palam est de artificiosa non naturali expurgatione illum loqui. Sicut & in *septimo methodi* cum dixit : si gibba iecoris & renes ac vesica immodico succo referta sint, per aluum debent quæ continentur educi, sin non multò per vrinas. Palam est hic de artificiosa rursus purgatione intelligere, velut & in priore authoritate de renibus & vesica præter iecoris gibba. In vniuersam igitur quando totum corpus transpirabilem est inquit Hippocrates, totum etiam corpus per vrinas necessariò expurgari potest, non tamen commodè : sed proximiora loca à natura sic expurgari solent, quandò minus arte conuenit, quæ remota sunt ad illam deriuare. Et rursus cum materia multa est, etiam quod propinqua sit, non debemus illam per vrinam propellere : at naturæ hoc facere licet. Et similiter si crassa sit & lenta, vel nondum concocta Medicus nunquam nisi ratione curandæ febris, natura tamen facere id potest, vt per vrinas secernatur. His ergo modis natura propellit materias per vrinas, expurgátque corpus, Medico idem facere minimè licet. Rarò tamen in his casibus feliciter cedit spontanea expurgatio, à Medico vix omnino vnquam. Periculosiòr est quæ sic fit per aluum, quoniam validioribus auxiliis fieri solet. Pus autem pulmonis, quanquam procul sit sæpe videmus & contenta in pulmone per vrinas fieri, quamuis ex distante loco: quoniam venæ per quas hæc deferuntur amplæ sunt, Et multum conueniunt membra respirationis cum genitalibus mẽbris ac propinquis locis. A capite verò dicebat Hippocrates in *secundo de morbis* seu quisquis alius fuit : Multum vrinæ emittitur vbi caput nimium incalueris, liquescit enim in ipso pituita, liquescens autem succedit partim ad nares, partim ad os partim ad venas, quæ ducunt ad pudendum. In vniuersum ergo videtur omnia membra per vrinas posse euacuari, sed caput minus reliquis. Articulos verò liberari à morbo iam facto difficile est : à superueniente autem frequenter iuxta Hippocratis sententiam. Quibus speratur abscessus ad articulos liberat ab abscessu, vrina multa crassa & alba facta, qualis in lassitudinariis febribus quarto die quibusdam incipit fieri. Non existimes materias in articulis concretas quæ iam per vrinas exiuere, quæque nec per aluum vel per venæ sectionem, neque totas, neque maximas ex parte posse educi per vrinas. Sed quod nos plerumque decipit est, quod dum artus dolent, maxima pars materiæ premit locum, minima verò intus seruatur. Sectionem igitur venæ, aut purgationem, sublata parte ea, quæ solum premit, quiescunt dolores, nec tamen finitur morbus ipse, quoniam materia quæ defluxit adhuc manet. Indicio est quod titillat tunc membrum potius, quam doleat, quoniam vapor résoluitur & exhalat. Hoc est etiam quod dixit Galenus dolorem fieri à temperatura quæ mutatur, non quæ iam mutata est : nam sic materia quæ in membro continetur, membri naturam iam mutauit, quæ adiacet perpetuò mutando dolorem creat.

CAPVT XXVII.

Materiæ quæ per vrinas educuntur. aut in eis continentur.

ERgo cum triplex sit iã genus materierum quæ per vrinas educuntur naturale naturaliter se habent: naturale non naturaliter se habent, & omnino præter naturam necesse est vt vnunquodque genus per proprias diuidatur differentias. Naturalis igitur est hypostasis & nebula atque Enæotema. Nebula ergo & Enæorema in sanis apparent cum candida sunt ac pellucida: at hypostasis bonæ vt dictum est, tria sunt genera, vt in vniuersum quinque sint species laudabilium contentorum. Differunt autem quoniam in sanis nebula & Enæoremia salutis & concoctionis signum esse possunt, in ægris etiam status tempore, sed cum sic incipiunt nequaquam concoctionis factæ sed bonæ salutis futuræ signum esse possunt. Dico autem hoc non vt de prognostico vrinarum hic agam, vbi locus non est : sed vt intelligat quando nebula & Enæorema sanitatis signum dici poterunt, & absoluta bonaque contenta. Præter naturam autem naturalia contenta affecta esse dicuntur, cum huiuscemodi quæ dicta sunt vel colore quod præcipuum est, vel substantia, vel continuitate, vel forma, vel lenitate à propria naturalique consuetudine deuiauerint, ita erunt quinque, quæ per quinque species priores ductæ conficient viginti quinque. Tot igitur erunt species naturalium contentorum,

torum,non naturaliter ſe habentiũ. Sub his rurſus aliæ ſpecies minores continentur,velut ſub colore (dicam autem præcipuas) alba admodum vt nix, crocea, viteſcens rubra, cinerea fuſca & nigricans. In continuitate diuulſa: in forma quadrata, in ſubſtantia inæqualis aut craſſa, in figura aſpera. At præternaturalium ſedimentorum alia ſunt naturalia ratione materiæ, & modi ac actionis, ſed non congruentia naturæ vt pituita non mutata, & ſanguis, tum bilis ac melancholia. Alia vero naturalia ratione materiæ & actionis,ſed non modi, vt caruncułæ non corruptæ, & generaliter partes qualeſcunque membrorum exeſæ. Alia ratione materiæ & modi,ſed non actionis,vt pituita corrupta aut ſanguis Alia ratione materiæ tantum, cuius duæ rurſus ſunt ſpecies, imo tres potius, pus, ſanies & pars membri corrupta. Alia verò ſunt præter naturam omnino, atque hæc duorum ſunt generum, animata vt vermes: Ex his ego ſemel prælongos vidi nec recordor quo morbo laboraret: breues verò & exiguos candidoſque ego ſæpius, & multos ſimul per ſanitatem minxi. Erant autem adeò exigui, vt craſſitie acus cuſpidem non ſuperarent, longitudine verò pulicis. Non animata duorum ſunt generum:alia ſcilicet omnino præter naturam, vt lapides & arenulæ ac pili, alia ex naturalibus quaſi deducta, ita tum vt non niſi in corpore ægro apparere poſſint: vt cruſtæ, ſquammæ, furfures, & criminodes, tum tenuis farina. Horum omnium ferme Galenus meminit tum Hippocrates. Dicam autem quæ mihi primum in his occurrunt,veluti de Furfuribus. Galenus *Aphoriſmo illo*, Quibus in vrina craſſa furfurea quædam ſimul exeunt, iis veſica ſcabie laborat: hæc habet: Furfurea ſcabie laborare veſicam indicant, quando venæ nullum affectum habent. Feruntur enim ex ipſis aliquando furfurea, cum earum tunica patitur quemadmodum & veſicæ: vel cum ſanguis qui in ipſis continet à febre ardente peruritur. Aptior autem ad hoc eſt, quicunque humor in eis craſſior exiſtit, & magis qui veluti fex ſanguinis eſt, quem melancholicum humorem ſolemus nominare. Sicuti enim cutis ſuperficies (quam Epidermida, id eſt, ſuperiorem pelliculam appellant) in ſcabie & lepra, atque lichenibus tenue quidquam remittit, quale eſt quod ſerpentum ſenectus vocat, ſic vbi in partibus interioribus, ea quæ eſt veluti cutis, tale aliquid patitur, & caſus erit affectui ſimilis. Hæc ratione igitur & venæ ipſæ atque veſica ſcabie laborantes, furfureos cortices vna cum vrinis emittent. Diſtinctio autem fiet ex tenuitate ac craſſitudine vrinæ, vt antea diximus. Tenuis enim vrina venas, nonnenuis autem veſicam pari indicabit. Nostamenà furfuribus craſſas diſtinximus, quod furfures ſubſtantia tenuiores ſint & æquales magis craſſis. Et generaliter videmus furfures in cutis capite gigni abſque vlcere, & in vitiligine: at craſſæ cum vlceribus fiunt, & ſi craſſæ ſint profundis. Communis tamen cauſa exuſtio eſt, ergo & in vlceribus & in ſcabie veſicæ furfurea retrimenta apparere poterunt. Sic & ex febre fit exuſtio, & non ſolum furfurea,ſed etiam quaſi cinis apparet, vt in Theodori vxore & in Menone, *Septimo Epidemiorum*, quanquam aliquis ad colorem ſolum id referre poſſet:conſtat tamen talia quæcunque contingere retrimenta. Quocirca melius eſt cauſam quærere & furfurum, & cineris, & farinæ, & cur etiam hoc, & non illud eueniat. Farina igitur fit à candidiore materia quam cinis, vt cinis quaſi illud indicet quod dici ſolet, memento quòd cinis es, & in cinerem reuerteris. Fit enim cinereus color vel ex nigro aduſto, vel ex quacunque materia immodicè imò penitus vſta. Quandóque verò album modicè calefactum cinereum euadit, ſed non exquiſitè verum fuſcum, & nec ſubſtantia adeò attritum, vtrumque etiam à cruda materia fit, & minimè lenta, furfures autem à lenta atque tenuiore. Et cum adhæret materia tunc ob formam corporis cui hæret euadit lata & tenuis. His tribus modis furfures à cinere & farina diſtinguuntur. Pili quoque ex lenta & craſſa materia gignuntur, quos & veriſimile eſt à loco, in quo fiunt formam ducere, vt Galenus *Sexto de locis affectis* docet: quamuis de loco dubitet. Nec conſentaneum putat in renibus fieri, tales vidiſſe ſe affirmat palmi maioris vel ſemipedis longitudine. Meminit & eorum Hippocrates, *Aphoriſmorum quarta*, dum dixit. Quibus in vrina craſſa caruncułæ paruæ, aut veluti capilli vnà exeunt, iis ex renibus excernitur, vbi Galenus iterum ſe vidiſſe affirmat medij cubiti longitudine: & nos ſemel vidimus ferme palmi minoris. Generantur autem vt ibi Galenus docet ex cibis craſſi admodum alimenti, & lenti, vt leguminibus cum caſeo. Et quibuſdam dolorem in renibus intolerabilem afferunt,vt videantur vel ibi vel ſupra renes generari,ſed ſi ſupra renes generantur,quomodo tam exiles eſſe poſſunt, cum emulgẽtes venæ quæ in renes tendunt ſint latæ & amplæ:melius eſt igitur in vreteridibus aut venis iecoris generationis locũ conſtituere: nam hæ ſatis longæ & tenues ſunt. Difficultatem hæc autẽ omnia habent,nam vreteræ non ſunt continuæ, vt pili in eis gigni poſſint, cum ſint meatus ſpongioſæ magis materiæ, quam venis ſimiles: venæ autem iecoris tam duram materiam vix generare poſſint circa magnum incommodum. Præcipuè cum non iecur in his ſed renes laborare perſpicuimus: in anfractibus etiam renum exeundo implicarentur, atque ita ferme inſanabilem dolorem efficerent: quod cum non contingat melius eſt exiſtimare illos in renum anfractibus generari, & vt lapides expelli,ſed difficulter propter vreterarum dictam conſtructionem. Meminit & eodem loco ſcilicet de membris affectis ramentorum, quæ ſunt partes membrorum tenues velut ſi quis corporis parte aliqua,in tiroeneſtin aut aliam duram atque aſperam rem offenderit; atque in hoc à caruncula ramentum differt, quod caruncula eſt partis ſimplicis portio quæ dignoſci facile poteſt, præcipuè carnis, vnde nomen ſumpſit, inde venarum, neruorum, vinculorum, & cartilaginum. Epanthiſmata quoque quæ

aliquando rubra vel æruginosa sunt, atque ea mala sunt. Dicuntur autem hæc similia spinis retrimenta ab ἀκανθώδεσι quod est spina. Manifestum est autem quod talia sunt acuta, crassiora & breuiora pilis, ideò talia & in venis, & in renibus à lenta & crassa materia fieri possunt. Arenarum non vno loco sed pluribus meminerunt, vt quæ non ægris solum sed etiam sanis adueniant. Nos enim arenosam vrinam quadraginta iam annis omnino renum incommodi expertes emittimus, & adeò copiosam & assiduam, vt matula nulla sufficiat vltra quindecim dies, quin figulina pro vitrea videatur, adeò pars interior cũtra hiticrustam. Meminit ergo earũ *Quarta Aphorismorum*, sed de his in eorum commentariis dictum est diffusius. Satis nunc est quod & in renibus facile generantur, rarius lapides, forsan & in vreteribus: sed lapides in vesica facile, arenulæ rarissimè: sed si ab ea excernantur ex calculi attritione deciduntur, atque hæc consideratione diligenti digna sunt: nam calculus in vesica simul totus persæpe generatur aut semper totus, aut maior pars, aut ex renibus delatus augetur, vt in Augusto sculptore: vix autem lapides absque morbo fiunt, pili persæpe, arenula vt dixi plerumque, velut & quæ hordeo vel eruo similia sunt, de quibus Galenus. *Quinto in sextum Epidemiorum*, agit docens, differentiam inter carunculas, & hæc retrimenta: vt enim à renibus carunculæ, ita hordeacea & eruo similia à iecore colliquato: & præsertim cum dura fuerint & non candida, à carne enim deciduntur vt nigriora, à liene & pinguia ab adipe, atque hæc in febribus cum substantiam membri referunt: Sed si substantiam haud referant ex humore lento & crasso, talia generari, & cuiuscunque generis conuenit, velut & citra febrem per erosionem separati ac eiici Oportet igitur in huiusmodi sedimentorum retrimentis mentem diligenter adhibere, & sensum acuere, non vt Galenus absque distinctione proferre. Vnde factum est vt medici nostra ætate soli dubitent in quibuscunque talibus, si verò sint plures inuicem discordes sint: quoniam Galenus quæcunque speciebus conueniebant generibus tribuere solet; ac si quis de animali loquens diceret esse rationis capax aut forte, & de gemmis quod perspicuæ sint, quod & plures credunt, cum animali sensus & motus voluntarius gemmæ quod à chalybe non atteratur propria sint: reliqua specierum sunt: velut hominis aut leonis carbunculi aut adamantis. Est etiam aliud genus strigmentorum fabaceæ pulti simile, quod ex humore crudo ac crasso fieri solet, Galeno teste in libro *de Multitudine*, atque in his præcipuè qui multo cibo vtentes, ac à cibo balneis, ab exercitatione abstinent, hanc etiam sordem non exquisitè albam esse constat. Alia verò sunt farinæ similia de quibus Hippocrates, *Tertio de Morbis vulgaribus*: Vrinæ tenues cum variis suspensionibus minutim dispersis perinde ac farina crassiore semen referente, quæ cum residebant liuida erant: quanquam hanc extremam partem ad tertiam diem solum referre liceat, talia inquit Galenus in commento praua etsi esse affirmet, id tamen non minus coloris quam substantiæ ratione esse apparet. Ergo talia sunt colliquationis signa, & naturæ venarum haud concoquentis indicia, quamobrem aut mortem aut longum morbum indicabant, seruatus est enim quadragesimo die cum talia in secundo apparuerint, nec simpliciter seruatus est morbo cõstante, sed bis vndecimo scilicet & vigesimo à febre liberatus est. Nec etiam quãquam fatiget quod diximus apparere strigmenta in vrinarum imo. Galenus autem hoc neget *Septima Aphorismorum*: cum per strigmenta similia balneorum sordibus intelligat, quæ substantia in vrina simile habent nonnunquam, forma verò difficile est similia illis inuenire. Pus quoque sæpe & sanguis cum vrina prodit vt *Sexto de Locis*, á Galeno habetur, pus quidem soluta seu rupta vomica, sanguis verò ex lapide qui venas perfrigerit. De pure tum ibi tum in *Quarta Aphorismorum* pulchrè Galenus distinxit, & quod ex vesica & ex renibus & ex locis superioribus ac pene ipso seu virga, & quod rupto abscessu & ex vlcere vt Hippocrates in textu ait effluere possit. Et quanquam pus in virgæ vlceribus non cum vrina exire dicat, nihilominus ita intelligendus est Galenus, vt pus vbi ex vesica vel superiore membro defluxerit, semper cum vrina educitur, nunquam sine: ex vlcere verò virgæ tametsi cum vrina nonnunquam, aliquando etiam absque illa effluere potest. Et huius ratio perspicua est, cum enim virgæ meatus semper pateat, semper etiam pus effluere poterit, cum tamen admodum crassum fuerit, aut paucum, aut in vlcere valde cauo, quod per se non potest prodire cum vrina exit, & tunc medici dubitant, an ex vesica, an ex pene prodeat, & tamen immeritò, nam ex vesica non potest prodire nisi collo illius aperto: collum autem aperiri non potest quin effluat vrina: par enim est prius illam effluere quam pus, quod copiosior sit ac tenuior, & forsan etiam acrior. Quandoq; tamen exigua pars absque vrina exprimitur, quæ meiendo retenta fuit, quemadmodum quosdam arenulas, & alia retrimenta expresso pene extrudere vidi. Similiter & de differentia puris quod ex abscessu rupto & ex vlcere prodit: nam ex vlcere diu manet, nec finitur nisi diligenti adhibita cura, ex abscessu paucis diebus si non sanè tres aut quatuor sufficiant. Et si ex altioribus locis prodeat, valde permixtum vrinæ erit, si autem facile separetur propior peni est locus affectus: crassiusque pus ipsum, talia certè satis clarè disseruit: At de sanguine quòd vel rupto vase, vel eroso, vel aperto, vel natura vt etiam per aluum secernente ex iecore citra noxam totius licet nunquam absque periculo impedimenti vrinæ, neque dixit, neque docuit: vndenam propriè locus ille sit, ex quo defluat, tum præcipuè quod morbus hic multis & etiam nobilibus viris sit familiaris, sed de hoc loco suo dicetur cum tractatio præsens alioqui per se satis longa sit, atque hæc satis: nunc de differentiis horum agamus.

CAPVT

CAPVT XXVIII.

Retrimentorum cognitio atque differentia.

POrrò similia inter se sic distinguere oportet: nam dissimilia inter se distinguere nemo non nouit. Sunt autē similia in colore, substantia, magnitudine, forma, velut in substantia lenta atque coniuncta, puls, sanies, humor crudus: & separata ac vt pulueres vel scobs, furfuracea, crimnodes, squammæ eruoque similia. In omnibus his forma & magnitudo ac color sunt conspicua, velut & substantia: color enim in recrementis exquisitus est, non vt in contentis, remissus aut in vrina, nam præter colorem rubrum in vrina, & flauum, rufum, & pallidum, qui omnes suūt naturaliter se habentis corporis, alij omnes scilicet niger, albus, viridis, cæruleus, cogitatione potius quam re in vrinis aut contentis inueniuntur: in retrimentis autem exquisitè, quo fit vt negligentiam Galeni hac in parte non parum demirer, qui sæpius vrinas albas pro aquis nominauit. Nam vrinam aqueo colore sæpius vidi, estque familiaris eruditati atque vrinis, & maximè mulierum, & in hyeme, albam non vidi, cum tamen sanguinem lacti similem bis viderim. Ita contemptim tradidit hæc Galenus, vt vel nunquam vrinas vidisse credamus, aut sua ætate etiam vrinæ alia essent natura prædictæ, quorum vtrumque absurdissimum est, aut quod negligendo, causam erroris nobis reliquerit. Quòd sicut notissima neglexit, cur in minimis ac notis, quæ tamen multo minoris sunt precij, adeò diligens fuit? An vt solum alios reprehenderet? Sed hæc mittamus, ad rem reuertamur, in retrimentis verè omnes colores spectamur, in vrinæ substantia solùm quinque iam dicti. Verum cum crudus humor puri vel saltem sanies admodum similis sit operæ pretium est, illa scire distinguere, quoniam ad rem medicam hoc valde necessarium est, & medici persæpe falluntur in diiudicando hanc differentiam, semper verò fermè hæsitant. Et quamquam alias in Arte medendi parua de hoc sim locutus, quantum per operis argumentum licet (ne si forte quod tamen non reor in lucem libellus ille prodiret repetisse præter morē idem bis videret) hic tamen diffusius explicare non grauabor, tum maximè quod hæc doctrina non solum huic negotio, sed etiam morbis, qui in capite ac magis in pectore gignuntur, vtilis est. Adscribere pulcherrimam ex Galeno doctrinam ex *Primo de Alimentis*, non solum propter propositum hoc, sed etiam propter alia quæ ibi adiiciuntur libet. Verba autem sunt hæc: Porrò si quis nostrum panibus illis vtatur, quibus diximus athletas vti, succus abundabit ex eis crassus ac frigidus: qualem propriè crudum succum nominare consueuimus. Est sanè & pituitæ succus crudus & frigidus, non tamen crassus, vt qui humidi plurimum in se contineat, & spiritum flatulentum. Crudus autem succus propriè nuncupatus talis est, quale id, quod in vrinis subsidet, puri quandoque adsimile. Verum pus & grauiter olet & lentum est, crudus verò succus crassitie & colore illi duntaxat & est similis, vt qui neq; grauiter olet nec lentus est: Non tamen febricitantibus quidem ex humorum copia crudorum solis in vrinis subsidet, cuiusmodi dixi, sed & sanis, qui multos iam passi labores cibos dures ac confectu difficiles esitant. Constat ex his verbis duplex primum esse genus humoris crudi, alterum quod pituita ipsa est, non crassa tamen, alterum crassum quod propriè crudus succus dicitur: hic quatuor differentiis cum pure confertur, in quarum duabus conuenit colore scilicet & crassitie, in reliquis autem duabus discrepat: scilicet odore qui in pure grauis est, ac substantia quæ puri lenta, cum in crudo succo minime sit. Sed obscurior est hic sermo quam vt ad docendum aptus sit, ne grauius illum accusem. Nam falsum esse non dixerim, plura tamen necessaria omissa, quā quæ dicta sunt etiam si ipse resurgat fatebitur. Nam crudum humorem negat esse lentum, vitrea pituita nam crassa est & lenta: si crassa quomodo nón est humor crudus quādoquidem crudus humor à pituita quæ non proprium cruda nuncupatur, sola crassitie differat si crudus est humor, quomodo à pure ipso lentore distinguetur? Sed tetro simul odore opus est, an non dixi cum Hippocrate, pus optimum esse quod minime fœtidum est? Sed fac vt verbum ἰσχνὸν, sic interpretemur, quasi comparatiuè non simpliciter dictum, quid de crudo humore in vesica, in pulmonéque diu contento, num omnino expers tetri odoris esse poterit: At doctrina ipsa vera est, sententiaque recta, sit ita quid ad opus ipsum conferet, vt pus tibi oblatum à crudo humore seiungere queas? si tam facilis esset ista dignotio non tam frequenter hæsitaret, non tam sæpe in diiudicando medici deciperentur. Propterea verum est quod dixit, Hippocrates, licet forsan sub alio sensu prolata sint ea verba; Iudicium difficile. Difficile est humorem crudum in vrina & non ferentem inuenire, Et rursus pus admodum lentum: cum pituita sit magis lenta. Quid si alterum adsit alterum desit, quod plerunque euenire solet. Vidimus sæpe lentas materias quæ non fœtebant: & iure, adeò enim erant in magna quantitate, vt corpus totum absumi vel vno mense necessarium fuisset, si pus fuisset: vt in Leone sacerdote Augustini: qui cum octogenarius esset hoc humoris genus iam per multos annos emittebat. Alios vidi vt Benedictum Pecchium Iurisconsultum, qui cum minimè lentum meieret, fœtidum tamē nonnunquam emittebat. Videtur igitur mihi pus vbi resederit diu friabile reddi velut & contra pituita vbi in loco calido atque concluso: tum etiam humor crudus & tetrum odorem & lentam substantiam acquirere posse. Sed dicet quispiam hoc est dedocere nos solum, non docere? Equidem vtilius est non decipi quam scire, quando errata periculosiora sint, quam commoda, quæ rectè geruntur. Neque

tot hac in causa penè frustrà laborassent, non tot essent de hac sententiæ, res non esset difficilima. Age ergo iam doce si potes inquit? plus constat in iudicio quam scientia, in sensu ipso quam ratione. Et tamen nonnunquá clarissima sunt vtriusque indicia, scilicet vbi friabilia & sine odore omnino, quod tamen rarò accidit minguntur, aut valde fœtida ac lenta. Quid quod in sputis tamen maximè pus esse dicimus, cum friatur atque dissoluitur. Vnde Aetius in aquam demitti imperat: hocque signo pus à pituita distinguit. Et nos tam diu spuimus materiá friabilem, pessiméque olentem, & tamen exitus ostendit fuisse crudum humorem in capite putrescentem, descendentémque ad pectus ac pulmones. Iugiter igitur repetamus rem ac illam doceamus, Galenum à calumnia vt par est vindicantes: quandoquidem hac in causa non vituperationem sed laudem mereatur. Verùm non potuit docere scribendo, quod sensu ipso indigebat vt perciperetur, nos tamen circumscribemus nec pro facultate deerimus vt intelligas, quòd si non intellexeris rei difficultatem, aut temetipsum accusa, non nos, qui multò clarius quam Galenus hæc tradimus. Initium facientis à pituita, quæ ferme tota perspicua est, pus autem nequaquam: & ob id crassum non propriè licet, si ob id crassum vocat appellare. Crudus autem humor & ipse opacus est, sed non nitet vt pus, adeò vt pituitæ genera vniuersa perspicua sint velut muccus humor Praxagoræ vitreus, salina, aut si perspicua non sint, non etiam nitent. Sed quoniam ob id opaca sunt quod non sunt cocta, sunt etiam inæqualia & ob id non splendida. Etenim gemmarij ob id expoliunt gemmas vt niteant: dum verò expoliunt manifestum est æquare superficiem, & quæ maximè æqualitatem hanc recipiunt, etiam si opacæ sint, etiam maximè nitent vt Achates magis iaspide. Pus ergo cum à calore naturali etiam concoctum sit æquale redditur, & ob id nisi soluatur nitet, non facile autem soluitur ob eandem causam ob cuius contrarium crudus humor friabilis est, neque tamen adeò lentum pus est vt pituita, quoniam calor præternaturalis tenuiores partes dissipauit, vnde non adeò lentum esse potuit. Declarauimus enim in *sexto de Subtilitate*, quod difficillimè dissipatur ex partibus constat tenuissimis. Est igitur pus materia mediocriter lenta buxei coloris æqualis, nisi agitetur & ob id splendens. Vnde perperam & in hoc medici vt in plerisque aliis agunt, dum vt an pus sit dignoscant ipsum agitant, id solum ferme in quo est cognitionis spes subuertentes. Propterea in sputis ob pituitæ similitudiné difficilius dignoscitur: in vrinis vbi plerunq; syncerum est: rarò enim contingit duo retrimenta emitti simul, quoniam ab vrina corrumpitur æqualitas, ipsa non minus sed magis difficulter dignoscitur. Ergo si in sputis mergatur in æqua tunc omnino dignosci nisi coniectura quadam non poterit. Ex odore autem non habeo quod dicam, nisi quod odor ille puris quasi proprius est illi substantiæ, non tamen maior neque tetrior, nisi his qui pus à putrido crudo humore distinguere norint, quam qui sit in crudo humore iam putrefacto. Quid igitur, velut qui vellet cinamomum ab omnibus aliis bene olentibus dignoscere, oporteret ipsum frequenter olfacere, sic enim à mosco 7. betho ambra agallocho croco garyophylis ladano lasereque distinguere sciret: licet reliqua minus aut magis bonum olerent, ita de pure dicendum est, quod opus vt minus liberale esse existimo ita tamen maximè necessarium, quanquam contingat vbi pus exquisitum non sit quod à nitore detrahitur vt in corrupta sanie fœtori adiicitur, adeò vt iam non dubium sit saniem esse non humorem crudum.

CAPVT XXIX.

Actuarij reprehensio, & de ordine horum librorum.

CÆterum postquam disputationem contra Græcos aggressi sumus, operæ pretium duxi vt sententiam etiam Auicennæ expendamus, qui putat pus in aqua tanquam grauius aut magis friabile descendere, pituitam autem non ita. Et certè pituita non adeò facile descendit, quoniam concreta est vt pus: sed crudius humor ipso pure vt sæpe experti sumus, magis descendit. Sed iam satis de hoc, nimis enim libet hic extenderetur in quo propositum solum est causas & genera vrinarum tum illarum partes edocere, à disputationibus quantum licet abstinentes. In secundo autem significata earundem ex causis ipsis deprompta. In tertio verò distinximus hæc eadem iuxta morborum genera ac tempora: velut in quarto compositarum notarum indicia & quæ supra fidem ob huiusmodi cognitionem nobis contigerint: atque alia etiam quæ minus ad artem attinét, sunt tamen huic cognitioni annexa. Velut cognitio vrinarum hominum ab vrina iumentorum quomodo habeantur, & vrinarum ab aliis liquoribus, quæ vrinam cieant, quæ purgent humores per vrinam, quæ ex vrina medicamenta fiant. At si quis hanc doctrinam ad Galeni ordinem de pulsibus traducere voluerit, inueniet differentias, cognitionem, & causas, quas ille tribus tractationibus distinxit immodicè ab illo auctas, vt speciem iusti operis singulæ efficerent à nobis in vnum librum redactas: quod principia compositis multo sint pauciora, atque ob id coactus est ille tanta nugari de diffinitionibus pulsuum, vt nemo sit qui patienter illa legere possit, nec forsan ipse si resurgat pro suis velit cognoscere. At de prædictione postmodum, de qua nos tres libros facimus, ipse breuiter admodum egit, adeò vt necessariorum maximam partem imo magis necessariorum prætermiserit. Veluti successionum quarum considerario & certissima & exquisitissima ac generalissima est. Hoc autem quisque admirabitur, & plerique etiam inuidiosè dictum existimabunt, sed

cum

cum rationem erroris eius intellexerint facile manus dabunt. Causa igitur huius erroris non ignorantia non desidia, neque aliud quippiam huiusmodi fuit, sed ordinis seruandi nimium studium. Pulcherrimum illi videbatur ab initio totam pulsuum tractationem in quatuor partes distinguere, quod & laude dignum fuit: Deinde singulas rursus in quatuor at hoc non tam laudabile, si quid est diuisiones aliæ aliis congruunt etiam de eisdem rebus tractantibus. Verum illud postmodum absurdum atque indecens quod voluerit omnia diuisionis membra esse inuicem commensurata ac quasi paria. Ex hoc enim sequitur vt alia nimis contrahantur & alia extendantur. Cum videamus in homine manus multo esse minores quam pedes, & pedes quam caput; ita ratio non in æqualitate consistit. Quisquis ergo hos ordines ab initio sibi statuit necessario vt in has classes incidat necesse est, licet his vti vbi tractatur materia diuersi generis, velut centuriis contradictionibus miscellaneis atque huiusmodi. At vbi vnica tractatur res turpe est rei naturam proposito sibi ordini maximè philosopho non ordinem ipsi rei accomodare: sed vt inquit Poëta:

— Et quandoque bonus dormitat Homerus.

Placemus nobis vi quadam naturæ subacti, & si non placeremus quis tantos labores sponte susciperet? non idem est homo semper, sed alia nunc quæ displicuerunt placent, alia displicent quæ placuerunt, non sunt hi errores appellandi vt nec Auiciem quem diximus nuper. Sed si quis ob imperitiam pertinaciter disputet vt Actuarius in Primo, id est, de differentiis vrinarum contra eos qui censent vrinas ob frigus conturbari sicut & nos superius docuimus. Inquit enim vrinas non crascescere ob frigus: & qui dicunt hoc imperitos esse. Primum quidem in errorem incidit & à veritate & à Galeni sententia alienum. Palam enim est Galenum non crascescere sed perturbari hoc appellare, vt *Primo de Crisi patet*, aliquas etiam vrinas crassas æstate non concrescere supra demonstrauimus, aliquas tenues hyeme peruerti, crassitiem quoque in vrina esse ex substantia conturbationem ex pinguedine & contentis, vix etiam inueniri contenta multa & crassa in vrina quin illa perturbentur, vnde palam est ipsum qui imperitos alios vocat, adeò rudem esse, vt in primis principiis aberrans substantiam vrinæ cum contentis confundat. Quid igitur huic homini in cæteris quæ de vrina tradidit fidei adhibere debemus, cũ in ipso limine cespitet. Experimentũ ergo negat quòd à frigore cõcrescant quoniã non omnes cõcrescunt, quasi quis neget pestem morbum esse lethalem, quod aliqui eo morbo laborantes sanentur, frigus est causa efficiens, humidum pingue materia, at hic vir ad id sapiẽtiæ vt video nõ peruenit vt genera causarũ quatuor distinctas esse sciret. Inde obiicit si vrinæ frigore crascescerẽ calore attenuarẽtur: at non semper claræ sunt æstate sed aliquæ cõturbãtur? Non videt hoc verum esse nullã vrinã conturbari sub eo calore, qui maior sit quam vesicæ calor, id est apud ignem: in æstate tamen conturbantur aliquæ nullus aër æstiuus adeò calidus est vt vrina tantum calescat in eo sicut in vesica, quod experimentum docet, omnis enim vrina in calidissima æstate micta refrigeratur, non solum quod aër externus non sit adeò calidus vt interior, sed qua vesica non respirat, & à membris circũ iacentibus fouetur. Experimentum enim quod omnium est magister, docet quòd aqua & liquida omnia aëri æstiuo & meridiano exposita minus retinent caloris quam sit in aëre ipso: cuius causam alibi edocuimus. Cõstat igitur quod vrinæ quæ concrescunt in æstate à frigore non à seipsis concrescunt, tum quia si à seipsis concretæ non claræ mingerentur: tum quia celerius concrescunt matutino & in nocte quam in meridie, & loco frigido quam calido, tum etiam vt dixi quòd aër æstatis calidus dicitur esse vt comparatur ad cordis necessitatem quod frigidius desideraret: sed tamen frigidus est comparatione contenti in cerebro pulmone vesica & arteriis, aliisque locis qui concludantur. Quòd verò vrinæ quædam concrescant quædam non eadem die, causa non est ex varietate caloris: sed vt dixi ex abundantia humidi. Atque hic homo adeo rudis est vt ita argumentari videatur, hæc causa puta creta est figulini vasis causa, ergo figulus non est causa. Constat enim figulum quæcunque posse vasa conficere, & quæcunque non posse. Ad experimentum rursus quo vrinæ in aqua calida positæ clarescere conspiciuntur, nesciens respondere, pueriliter obiicit nec alios scire suis argumentis respondere. O egregium disputatorem qui semetipsum conuincit, & quid alij dicturi sint, nec respõsuri sint suis subtilibus argumentis diuinare vult? videtur tamen velle quod calor ille igneus possit non secus ac naturalis attenuare. Si igitur potest attenuare seu claram efficere, cur frigus concrescere non poterit? Quando contrariarum causarum par sit etiam contrarios esse effectus. Demum dicit non posse quenquam præter ipsum hanc causam concretionis assignare, vt melius fuisset huic homini nequicquam de hac materia scripsisse, præter enim quod vt dici solet, operam & oleum perdidit, etiam auctoritatem aliis suis libris ademit: & ruditatem cum temeritate coniunctam declarauit. In primo igitur de causis vrinarum docere hanc suam præclaram opinionem aggreditur dicens: Vrina tenuis fit ob caloris naturalis diminutionem quæ contingit aut ob frigiditatem prædominantem, aut calorem præternaturalem impedientem. Vbi verò facultas concoctix à neutro horum patitur sed à multitudine materiæ tantum tunc vrinæ crassiores videbuntur. Etenim cum materiæ concoctionem natura aggredtur, nec tamen vniuersã superare potest, vrina ex tenui in crassam mutari solet, vrinæ autem crassæ semper fuere signa humorum quorumcunque aliquo pacto implentium ventrem, & intestina epatisque canas partes, vt crudæ morbi adhuc crudi, & quæ crassitudinem recipiunt vehementiam morbi, significant. Hæc ille sed

non

non continua ordine & confusa. Verùm id tamen, tum ibi, tum in secundo de Indiciis vrinarum sentire videtur, concretionem illam quæ à frigore sit esse genus cruditatis à multitudine materiæ, velut tenuitatem ab intemperie vt dictum est, seu frigida seu à calore pręternaturã facta. Sed præter ea quę obiecimus de agente causa, etiam non videtur veram concretionis causam docere, cum in sanis absque illa actione concoquendi materiam prægrauantem ac noxiam vrinæ non minus concrescant. Atque hi quibus hoc accidit álioqui maximè valeant, cum hi quibus nunquam turbantur, non sine suspicione magni mali ingruentis viuere possint. An ergo nullus horum perfectè concoquet? & in omnibus aderunt signa plenitudinis? An vicissim quibus nec per hyemem vrinæ concrescent, hi planè incorrupta omnino sanitate ac firma valetudine fruentur? Ea etiam verba. (Etenim cum materiæ, de mutatione non repentina, qualis in concretione vrinarum accidit) sed potius quæ post plures dies contingit, intelligi debere videntur tum quia concoctio materiæ non in vna hora fit: nec de mutatione crassæ in tenuem loquitur. Nec tamen scio si hic de ea non loquitur, vbi nam de ipsa sermonem habuerit: & quod pollicitus est præstiterit. Sed hæc nimis cum ex exemplis quæ de vrinis adducit appareat fuisse hominem prorsus indoctum.

CAPVT XXX.

De Crusta & Ephelcide.

EX vlceribus autem vt ad rem redeam quatuor propriè decidi solent pus omni & semper: Ephelcis & crusta soli, sed non omni neque semper: sanguis neque omni, neque solum, neque semper. Galenus *primo de locis affectis* ait ephelcis quacunque parte deferatur vlcus indicat, velut vesicæ si per vrinas, qui vertit, crustulã putat per ephelcidam Græcè dictã significari: nam ἐφελκὶς, propriè ramentum, ἐχέρα autem crusta est. Differunt materia & forma & causa efficiente. Ephelcis non nisi in profundis vlceribus fieri solet cum materia acuta substantiam membri erodit, fitque circa immodicum calorem, crusta citra erosionem præsentem ab immodico calore, vnde vt inducatur celeriter ignẽ admouere solent. Ephelcis substantiam membri refert, crusta furfuri crassioti assimilatur. crustæ sanguis, sæpe succedere solet, ephelcidi cruor aut etiam nihil. Itaque qui ephelcida cum crusta commutauerit non verbo sed re labitur. Ephelcis semper periculosior esse videtur crusta, quæ cum exciderit præterquam in pulmonis vlceribus (atque in his etiam sæpe si non magna sit) semper reparari solet: ephelcis rarissimè & magno cum labore. Ephelcida videmus in disenteriis quamuis egerendi actio non intermittatur: imò tum sæpius: crustas non: quoniam mora indigent. Sed quoniam de nomine forsan aliqua dubitatio erit, propterea quod Galenus *Quinto Methodi* velle videtur per ephelcida crustam intelligere, vt etiam in *tertio de Symptomatum causis*, ideò non disputabimus de nominibus ipsis; & pro ephelcida ramentum supponemus: nam & de hoc ibi Galenus loquitur, scilicet *Quinto Methodi*: cum meminit tunicæ laringæ, quam constat ex erosione ac putredine separatam antequam corrumperetur, & ideò vim esse putridi, non ignei caloris: vnde in pestilenti constitutione hoc accidisse Galenus ipse refert. Et Hippocrates in Epidemiis. Verum cum videantur ad hanc actionem duo necessaria, separatio, & vt non aduratur pars illa, neque ex toto putrescat, necesse est vt id adueniat quod in his in quibus separantur aliæ partes, scilicet vt media pars qua corpori iungitur non nutriatur, non nutritur autem quia siccatur, & non à vehementi calore: hoc enim suppositum est, relinquitur tandem ob siccitatem naturæ inimicam. In vrina ergo si partes carneæ appareant, erit hæc erosio in renibus, & si fuerint in vesica erunt neruis similes ac membranis, vt est substantia vesicæ. Crustæ autem magnæ ex vlceribus non adeò profundis fiunt: furfures autem ex leuibus vlceribus aut scabie. Porrò si fateamur furfures etiam ex venis per vreteras deferri, vt ex Galeno superius ostensum est, non video cur etiam ex renibus crustæ deferri non possint. Verum Galenus ob id existimat crustas in vesica fieri, quod is locus ob siccitatem crustarum generationi aptior sit.

CAPVT XXXI.

Vrinæ generatio & substantia.

SEd postquam de his quæ præter naturam sunt satis diximus, ad ipsius vrinæ generationem deueniamus, quam etsi in iecore palam sit fieri, nihilominus eius formã conficiunt renes & reliqua membra illis subiecta. Quomodo autem ad renes trahatur Galenus pulchrè docuit. *Quinto de Vsu partium* his penè verbis. Renum verò vterque multum quidem bilis flauæ attrahit, ac propemodum omne id quod venæ & arteriæ quæ in ipsis sunt continuerint: multum verò & sanguinis, quod scilicet in eo est tenuis ac humidius. At bilioſi quidem excrementi quicquid non admodum crassum fuerit, cum vrinis permeat: sanguis verò carni ipsi renum aspergitur instar fecis cuiusdam: inde iam paulatim vaporis modo in totam ipsam dispergitur, adhæresci, atque demum alimentum fit renibus. Si quis hæc in dubium reuocare velit, dicet, quis hoc arcanum quod tam absolutè profert illi renuntiauit? Verum hoc est quam verissimum atque facile demõstrari potest, atque ideò autoribus bonis si quis contradicat, demonstratione non suffultus, nonne is videbit velle veritatem euertere. Hæc igitur dicta sint aduersus eos qui quacunque ex causa temere bonis auctoribus contradicunt, existimantes nos aut alios qui id prudenter egerunt imitari

imitari: cum neque nostro neque illorum qui cum ratione id egerint exemplo id agãt. Et cum duobus modis peccare contingat, aut si quæ perperam dicta sint admittamus, tanquã vera, aut si omnibus quę absque demonstratione dixerint contradicamus; certè longè hoc quam illud deterius erit, tum quod magni viri in paucis aberrarint, ac comparatione eorum quæ rectè tradiderint malè tradita, vix vllam partem obtineant: tum quod aberrandi lata sit via: vt etiam in his in quibus rectè contradixerit, in longè maiorem errorem decidere possit. Quod exemplum in authoribus minus classicis etiam in medicina adeò frequens est Thurisano Thadeo Guglielmo Brixiensi, Gentili de Cingulo, dum conciliatorem oppugnant, quos Gentilis de Fulgineo reprobat, hunc Iacobus de Ferliuio, quem coarguit Vgo vt constet falsa opinione reiecta, non statim sequi, vt veræ fiamus compotes. Sed ad rem redeo tria cum trahantur à renibus, sanguis tenuis & humidus, is retinetur à renibus pro nutrimento: serosa pars & aquea, quæ tota ad vesicam expellitur: & bilis cuius pars tenuior ad vesicam cum vrina transmittitur, & crassior retinetur. Porrò quomodo rursus ex renibus in vesicam vrina feratur per vreteras, & quomodo in ipsa vesica recipiatur, ad mirabili sanè naturæ opere, cum vt Asclepiadieus ille disceptans bene animaduerterat vesica seu humore seu flatu plena, quantumuis compressa nihil remittat, Galenus *primo de Naturalibus facultatibus* abunde docuit, dicens: si etiam viuente animali ligato membro per quod meiere solet, vesicam plenam truderit, nihil ex eo humore regredietur in vreteras: sed si vreteras iuxta vesicam ligauerit, quicquid est supra, ex illis implebitur: ita vt eis antequam solutus vinculũ præcisis, cauitas quæ intra peritoneũ est, non secus atque in alcite vrina implecatur. Ipsa quoque vesicæ substantia ex duabus tunicis constat, quarum exterior quæ pars peritonei est, non illi est absimilis: interior autẽ quæ vesicæ est propria duplo exteriore crassior est. Ergo causam ingressus esse tradit vim membri, scilicet vesicæ, qua sibi familiare attrahit, & pro hoc multa adducit exempla, præcipuè de tritico Hippocratisque autoritatem. Sed rursus hic bifariam labi videtur Galenus: primum quod Asclepiadici non causam attractionis, sed modum ingressus quam Galenus non assignat, (verum illius loco attractionis causam) conquerebant. Secundo quod fatetur hunc lotij transitum fieri ob vesicæ attractionem & iam paulo ante dixit, ligatis vreteribus iuxta vesicam totum quod renibus adiacet, vsque ad vinculum impleri, cum tamen vesica tunc trahere nequeat summa vi, laqueo facultatem intercipiente. Nihilominus hoc idem confirmat in secundo libro dicens, eadem ratione qua lutulenta vrina seu sanguis permixta ex iecore ad renes ob familiaritatem partium, quæ in ea continentur, & nutritionis causa trahit, eadem syncerior facta, ob quoddam tamen vesicæ familiare (subintelligit autem ex quo nutriatur, cum nulla alia sit facultatis illius scilicet naturalis familiaritas, quam nutritio aut generatio) ex renibus ab ipsa vesica trahi. Itaque vt Galenum à contradictione liberemus, dicendum est non soli vesicæ eum inesse facultatem, sed etiam vreteribus, cum familiaritatem commodaque omnia, licet non adeò euidentia, quippe cũ viæ potius quam principalis membri illius functionis vicam obtineant: ob quod vesicæ tantum pro vi illa attractrice meminit. Præterea iuuatur hæc functio ab ea renum facultate qua noxia & superflua expellere possunt ac solent. Sed de his in *Quarto contradictionum* satis dictum est. Nunc satis sit docuisse, quod etiam ibi conclusum est, vrinam à renibus pelli potius, quam quod à vesica trahatur. Quòd verò ad modum ingressus attinet, cum venia tanti autoris, illum non tradidit, sed ignorasse visus est; cum tamen ex villorum artificiosa constructione id contingat. Namque id Vesalius ne amicum propria laude fraudemus pulchre docet his ferme verbis: Tandem in vesicæ cauitatem vreteri meatus alteram quoque tunicam aperientes penetrant modo sanè quãm simillimo, quo bilis meatum in duodenum inserti mirelatum est: lapis siquidem membranulis ad meatus foramen vtrinque ex vesicæ corpore appendentibus: non aliter quam si vesicæ internæ tunicæ tenues huiusmodi processus ibidem adnascerentur. Horum vsus membranorum processuum bilem deducenti meatui adnatorum vsui respondet, vt scilicet vrinæ quidem ex meatibus in vesicam defluẽti cedant: & dum vesica distenta, rursus vrinam in eosdem meatus repellit, collecti illi & meatum opplentes, vrinæ transitum præpediant. Id quod adeò præstant commodè, vt vesica vel flatu plurimo repleta, nihil planè spiritus per hos meatus reddere queat, verum quod & obliquus ille in meatuum insertione ductus, eidem vsui famulatur, vesicæ ipsæ dum inflantur, exactæ commonstrant. Eadem in follibus in dies experimur, nam per foramen quod à tergo illis adhiberi solet, aër quidem attrahitur, sed cum follis comprimitur, propter obicem vi aëris foramini inhærentem, nihil venti expirat. Idem quoque in pilis obseruamus, quas flatu distendimus. Quanquam longè maiore industria, neque adeò pendulis operculis rerum opifex in vrinatiorum meatuum implantatione vtatur, quam nos ipsius artificium in follibus imitantes & pilis, ac columborum caueis quas sic fabricamus, vt inclusis eadem non pateat exitus, molimur: Hæc ille. Sed ad rem redeo inquit Galenus *Quarta Aphorismorum*: cum enim ex venis vrina veniat, in renibus coletur & in vesica aggregetur, quicquid in ea præter naturã apparuerit aut venas aut renes aut vesicã malè se habere indicabit: sed de hoc alias. Illud potius scire decet quòd vrina tenuior est bile vt, *Secundo de Naturalibus facultatibus* habetur, & hoc probat duobus experimentis, & quòd fluat magis quam bilis, & quod per linteum facilius excoletur. Sed quamuis hoc affirmet Galenus, non tamen adeò periculum est quam velim, quoniam subtile multipliciter dicitur.

CAPVT XXXII.

Vrina quomodo retineatur aut emittatur.

VErùm his relictis hoc potius conſideremus oportet, quonam pacto vrina fluat & quomodo retineatur & vi excernatur? an ſponte excernatur, vi autem retineatur? an ſponte vtrumque fiat vt mucus? an vtrumque vi vt ſtercus? ſtercus enim quod durum ſit, & inteſtina inuoluta abdominis muſculis indiguit vt expelleretur: cum verò partes habeat liquidas nonnunquam etiam totum ſit liquidum, muſculo anus vt retineretur opus habuit. Ergo vrina cum liquidiſſima ſit & veſica haud inuolnta muſculis, non indiguit ad expellendum ſed ad retinendum. Itaque vt *Quinto de vſu partium habetur* à Galeno in veſicæ collo muſculum qui vrinam contineret natura collocauit. Atque hoc idem *Quinto in textum Epidemiorum* denuò repetit. Porrò ne ita credat ſponte vrinam excerni, quæ alioqui etiam ſi ſponte effluxura ſit, nihilominus lente & paulatim effluëret, etiam à muſculis abdominis auxilium vt confertim exeat recipit, quod *Tertio de Facultatibus naturalibus fatetur.* His ergo abſolutis ad ſermonem de concretione redeamus.

CAPVT XXXIII.

Vrinarum quæ concreſcunt varietas.

PRoprium concretarum vrinarum eſt vt claræ aut minus concretæ mingantur, quam poſt dum concreſcunt; Et vt impoſitæ ignibus aut feruenti aquæ clareſcant. Niſi enim clareſcant, non erant prius concretæ ſed turbidæ: verum quædam ex his concreſcantur ſtatim vbi mictæ fuerint, aliæ autem ſerius atque vtriuſque modi Galenus meminit *Quarto de Tuenda ſanitate* exiſtimans iuxta moræ tempus, ſignificari etiam moram initij coctionis materiæ. Sed de hoc infra. Nunc verò de propriis ſpeciebus concretionum agendum eſt, Initio ſumpto ex his quæ apparent. Hieronymus Galaſſus Quartanam patiebatur ſub hora noctis tertia, ſequenti mane liber erat vrinæque concreſcebant ſed ſolum prima aut celerius. Ea die & vſque ad ſequentem bene ſe habebat: vrinæ concreſcebãt. Sub noctem quaſi febriebat, ego tamẽ illũ ea hora, quòd eſſent incommoda inuiſere non poteram: ſed tanta erat moleſtia vt febrem adfuiſſe iudicaret. Mane ſequenti multam vrinam non admodum coloratam craſſam cum multa hypoſtaſi & craſſa mingebat, quæ non concreſcebat. Non poteram autem ob vrinarum in his morbis naturam ac colorem defectumque typi diiudicare, an febriret an non: Erat autem hyems maxima & profunda ſcilicet poſt brumam haud multum. Quæſitu igitur dignum eſt, primum cur eadem die nec calore aëris mutato, aliquando vrinæ concreſcant, & aliquando non? & cur priores quandoque, quandoque poſteriores? Et rurſus cur craſſæ non concreſcant, tenuiores concreſcant? Demum cur vina æſtate concreſcant magis quam hyeme, vrinæ autem contrario modo: videntur ergo vina potius vt à facilioribus incipiam celerius & facilius æſtate corrumpi quam hyeme, quod non concreſcant: ſed turbentur, neque enim pingue concreſcit à frigido. ſed pars caloris proprii à calore externos diſſipatur: corrumpitur enim quod pingue eſt, & non concoctum, & quod terreum eſt permiſcetur ſubſtantiæ liquidæ, atque ideò turbatur ſubſtantia ipſa, corrumpiturque ſapor & odor. Manifeſtum eſt igitur hanc corruptionem propiorem eſſe putredini, quam perturbationi aut concretioni. Propior eſt etiam perturbationi, ob id quod refrigeratione non contingit ſed ſoluitur potius. Nec tamen eſt perturbatio, quoniam non reſidet, ſed potius confuſio quædam, quoniam humidum illud pingue non admodum eſt: nam humidum quo confuſæ redduntur vrinæ, parum pingue eſt, nec valde craſſum, vnde nec concreſcunt vrinæ, nec reſident, ſed vndequaque ſunt turbidæ. Accidit ergo vino in aëre, quod vrinæ in corpore: quare conſtat vrinam turbidam ac confuſam à caloris corruptione fieri: atque ideò concreta longè deteriorem eſſe. Vini autem perturbatio non omnino eſt ſimilis vrinæ perturbationi ſed confuſioni potius, vixque in vini perturbatione contingere ſeparationem, in vrina autem aliquando, licet raro. Ignoſcant mihi emunctæ naris viri, ſi in hac inopia verborum, & iam ſeneſcentis linguæ latinæ ætate concretionis nomine vrimur ab animi ad liquorum affectum transferentur: nam concretam vt ſæpe diximus à perturbatione ac confuſione, quæ tria re ſcimus inter ſe plurimum differre, diſtinguere nolentes, cogimur hac nominum varietate, atque metaphora vti. Sed ad propoſitum redeo, vbi renes non concoxerunt, quod pingue eſt, licet multum ſit humidum, non concreſcit vrina, vt neque vinum quod perturbari poteſt concreſcere non poteſt: cum igitur vrina craſſa eſt, & non concreſcit, multum humidum pingue, ſed crudum vehementer ſignificat. Eſtque hæc coniunctio abſurda, & periculoſa, quoniam multum deficit ex eo quo maximè indigemus. Fit autem hoc, quia natura humorem nequit concoquere, ob motum materiæ peccantis: nam ea die acceſſio futura erat. Quòd ſi magis inſtet, iam cruda coloris ſubſtantiæ atque contentorum ratione erit. Ita igitur crudarum vrinarum quatuor erunt genera. Occultum cum craſſa & cum contentis copioſis ac colorata, ne dicam boni coloris non concreſcit: oſtẽdit autem præter impedimentũ coctionis calorem adhuc renum, & ſanguinẽ tenuẽ ac pinguem. Quòd ſi præter id quòd nõ concreſcat contenta habens & ſubſtantiam, coloris ſit quã ruſo remiſſioris: adhuc crudior eſt, &

cruditas ipsa est manifesta. Sed si etiam substantia tenuior sit, iam prope accessio imminet & cruda valde est. Cum verò hypostasis deest, iam non solùm venæ, sed & iecur ipsum refrigeratum est, tuncque extrema cruditas demonstratur. Atque hæc in intermittentibus febribus in quibus etiam succedentes paulopost accessionem vrinæ crudæ sunt. Iam verò inualescente concrescere solent quoniam propter calorem, multum humidioris sanguinis ad renes trahitur & ibi propter moram concoquitur, & ideò fit humidum pingue, quod est causa concretionis. Rursus eam in candescente febre pauca mingitur vrina, quæ quandoque concrescit, ob paucitatem enim concocta facile fuit in renibus, quandoque non, quoniam breuitas temporis obstat Plurimam verò si mingere contingat, rarò videbis concrescere: quoniam neque tempus neque calor sufficiunt. Pauca enim vrina ob id semper facilius concrescit quam multa, sicut etiam videmus in vrinæ profluuio. Postquam verò febris deferbuerit, vrinæ concoctæ excerni solēt, quæ non facile concrescant: quoniam pingue humidum maiori ex parte à calore febrili colliquatum iam euacuatum est. Quòd si ad interuallum deueniat, atque id longum sit, vt in puris exquisitisque tertianis, quartanisque magis solent per minguntur, si cætera non desint concrescere, magis facilius celeriusque, quam per bonæ valitudinis tempus. Ita ergo erunt nouem tempora mutationum vrinarum in intermittentibus febribus.

CAPVT XXXIV.

Vrinarum concretarum discrimen.

IN quibus tum etiam aliis morbis tres maximè concretarum vrinarum differentiæ conspiciuntur, magnitudo, celeritas & facilitas, Magnitudo intelligitur, cum materia multa quasi ab vrina separata in fundo iam concreta vrinæ residet. Hocque fit ob multitudinem crassi ac terrei pinguis humoris: tales vrinæ valdæ densæ sunt, nec in eis quidquam lucidum conspicitur. Videtur autē hoc dupliciter cōtingere, aut quia multa materia corrumpitur, vel quia valde cogitur, hoc autem fit quoniam pinguissima existit. Facilem dicimus concretionem, quæ à quocunque frigore prouenit: differt à celeri, quoniam in illa mutatio breui tempore fit, ob tenuitatem & coctionem substantiæ, sicut facilis à multitudine pinguis humidi. Videtur ergo facilitas concretionis, cum magnitudine eius, conuenire in copia pinguis humoris: sed differunt quoniam pinguis humor, quò tenuior, eò facilius concrescit, quò crassior magis concrescit? celeritas autem cum facilitate in tenuitate concrescentis humoris conuenit, differunt in multitudine: nam vbi plurimus humor pinguis adest, facilè & tardius vrina concrescat quam si exiguus esset. Igitur comparatiuè hoc ita se habent simpliciter non ita. Si ergo paucior & crudior humor in vrina sit non concrescet: si paucior & concoctior non faciliter sed celeriter concrescetur, cum concrescere contigerit: si crudior & copiosus faciliter, sed tardè: si copiosus & concoctus faciliter celeriter multumque concrescet. Porrò celeriter concrescere dicimus, cum initio in quo concrescere incipit, cito ad perfectam peruenit concretionem: cū verò à tempore in quo mingitur celeriter concrescit, hoc non est celeriter sed faciliter concrescere. Omnis enim vrina quæ faciliter concrescit necessario breui postquam micta est, si concrescere contingat, concrescit: & quæ difficulter concrescit serò, adeò vt comparatiuè, non autem simpliciter iam diximus, hæc dici & explicari debeant. Nam si dixeris vrinam qu faciliter concrescitur breui postquam micta est concrescere, falsum dupliciter dices: primum quoniam forsan non omnino concrescitur propter aëris calorem: vel quia sero ob eandem rationem. Ergo celeriter concrescit comparata ad aliam, quæ concrescatur, sed difficilius, quia humor crudior est: hoc ergo est celerius concrescere potius quam celeriter. Quæ igitur tardè concrescantur, postquam mictæ fuerunt difficulter concrescant, quoniam humor crudus est, quæ facilicer cito quoniam coctionem iam non paruam adeptus est. Quòd & si celeriter paucus est, si tardè multus: pauca enim aqua celerius geleſcit quam multa: crudus autem humor ille est, quoniam vt dixi non à calore naturali vincitur, materia obnoxia vel alimentum, non quia materia præparata educatur hoc autem superius ostensum est. Ergo in concretis vrinis fas erit etiam discernere quales sint, absque ignis auxilio, quanquam non consulam vt his solis contentus sit: cum enim multum obscuræ sunt, multum etiam adest materiæ pinguis, & ob noxiæ, vel multo vtitur alimēto: quòd si etiam præter id in imo quasi farinam habeant, humorem crudum ac terreum semiconcocto permixtum adesse significatur. Dum verò vrinæ concrescunt pars media primum concrescit, quoniam pingue ibi copiosius est: & pingue ibi est copiosius quoniam, ad medium velut ad centrum retrahitur: inde igitur paulatim ex imo ad summum quasi fumus cogitur, demum inferiores partes in ambitu, superiores autem aut non concrescunt, aut non perfectè, aut omnium postremæ: verum aliquando eos qui non animaduertunt decipit ea pars, o[pa]caque ob opacumquod in medio est videtur.

CAPVT XXXV.

Vrinarum turbidarum differentiæ.

REgressus autem cum à calore clarescunt, eodem ordine ab vltimis ad pri-

ma constat: quæ enim partes vltimo concrescunt, primum clarescunt, & quæ primò vltimæ sunt ad reditum. At turbidarum vrinarum nullus est ordo, quoniam tales euadunt ob caloris non naturalis vim: soluiturque perturbatio à frigore. At conturbatæ cum à frigore concrescant, quoniam frigus ipsum solum priuatio caloris est ordo caloris naturalis seruatur. Cæterum in turbidis quoniam ea perturbatio à crassa materia fit à calore agitata, vt *quarta aphorismorum* habetur? & neque crassa solum, sed vt ille inquit etiam densa & in spiritum quoque conuersa, nam & *secundo Prorrhiticorum* ex Hippocrate inquit: vrina turbida est tanquam subsidentiã conturbaueris ac commiscueris; constat multas esse differentias claritatis velut in concretis, ratione concretionis. Aliæ enim celerrimè alię paulopost, alię tardè, clarãtur, aliæ serius multo, vt alię nunquã. Quę celerrimè redeũt, palã est fuisse in vesica claras, ac ob mingendum solum fuisse concretas. Sicut si quis lixiuium ex vno vase in aliud cum cinere ex quo confectum est transfunderet, manifestum est turbidum futurum. At si paulo post clara fiat in vesica, non erat clara, quoniam cum censim in ea colligatur perpetuò concrescit, nouis decidentibus guttis: & cum non statim clarescat, & tamen paulopost mingatur, neque hæc, neque multo minus aliæ vrinæ in vesica claræ existunt. Accedit calor immensus loci, quo vrina turbida euadit. Itaque solum vrina quæ vt statim micta est clarescit in corpore, dum continetur clara etiam fuit: cæteræ turbidæ. Atqne statim clarescit dum mingitur, magnum motum in subsidentibus ostendit, quoniam cũ prorsus contenta à substantia vrinę secreta sint, immota substantia vrinæ, velociter per illam feruntur: non sic vrinis confusis aut quæ serius clarantur: nam in illis cũ contenta sint ob permixionem attenuata, non morantur, nisi cum vrina aut parum: & tenuiora sunt. Quæ enim statim clarescit cum contenta in vesica in imo essent, crassa ab initio fuerunt: vnde propriè contenta non sunt sed retrimenta potius. Liquet igitur talium vrinarum genus ab aliis multum differre, quia quod cum illis expellitur, rationem habet retrementi non contenti. Quare tales vrinæ cum crisi fiunt, aut iudicant membra vrinæ esse affecta. Hoc igitur sedimentum non propriè signum est, sed potius excrementum. Est etiam aliud genus vrinarum vt dixi turbidarum, quod non clarescit confusúmque dicitur, cuius duæ sunt species: quædam enim demittunt in imum aliquid, atque ita clariores fiunt, quod & Actuarius animaduertit, quædam in eodem concretionis statu manent nec aliquid ex eis subsidet. Porò cur id contingat satis est manifestum; constat enim hic materiam tenuem valde permixtam esse vrinæ velut etiam in ictero quoniam materia illa in iecore vrinæ permiscetur à magno calore, & diu manet mixta antequam mingatur, ob id concreta & confusa euadit: in alia verò duplex materia vrinæ immiscetur, crassa quæ non vehementer immiscetur ac tenuis ideò crassa subsidentè adhuc propter tenuem confusa remanet. Simili modo turbidarum aliæ concrescunt, & hæ plerunque in imum aliquid demittunt, aliæ autem non & hoc frequentius contingit quoniam vix fieri potest, vt cum calore illo vehementi tandiu vrina retineatur, vt concoqui humidum pingue ob quod concrescere vrinas diximus, possit. Sed quod Actuarius dicat esse vrinas crassas, concretas enim sic vocat, quæ non clarescant falsum prorsus: est nam si intelligit quod absque calore non redeant verum est, sed id omnibus concretis vrinis contingit: nunquam enim in vita mea concretam vrinam vidi, quæ absque calore ad claritatem rediret. Si verò censet vrinas aliquas esse concretas, quæ igni admotæ non clarescant, decipitur: qua enim ratione ob caloré dum in vesica essent claræ erunt, & dum mingerentur, eadem ratione ab externo frigore concretæ, ac denuo igni admotæ clarescunt. Quod siquis experimentum oppositum adducat sciat hoc contingere ob admixtionem alicuius pinguis, præcipuè olei: nam hoc vrinæ permixtum non permitit aliquando vrinam ad claritatem redire. Quo experimento deceptum Actuarium credo talia de concretis vrinis falso quod non reditent tradidisse: verum non omnia possumus omnes, Et ipse aliquid ad artem adiecit, & animaduertit quam sterilis doctrina esset à Galeno de vrinis tradita. Et vel hoc ipse à me in honore habendus, quòd quæ perceperit, quæ nouerit, quæ tradiderit vt sapientem decet virum in Deum referat.

CAPVT XXXVI.

Causæ moræ & tempus vrinarum in corpore.

CÆterum cum de vrinarum mora in vesica dictum sit, causæ frequentis mictus & paucæ moræ in vesica sunt enumerandæ. Simul & illud inuestigandum, an frequens mictus paucæ moræ vrinæ in vesica semper argumentum sit. Dicimus ergo causas frequentis mictus esse vrinæ multitudinem aut stimulum ob quantitatem aut vesicæ facilem nimis sensum aut imbecillitatem. Porrò multitudo cum prægrauet vt in diabete efficit, vt statim vbi collecta sit exitum quærat, & effundatur. Quare vt parum moræ contrahat, vtque celeriter exprimatur celeri collectione, atque ideò copia magna patentique transitu indiget: vnius ergo modi hæc celer ac frequens effustio vrinæ semper est. At quæ ob stimulum qualitatis accidit non ita: namque & ob bilem, & ob salsum humorem, & ob putrem, & ob formam velut in arena contingit vesicam ad expellendum stimulari. Sed facilis sensus vesicæ contingit vel perse & absque morbo,

vel

vel quia exulcerata est, vel phlegmone oppressa, velut & imbecillitas in vesica nonnunquam est, nonnunquam in musculo qui collum eius constringit. Et has causas enumerauit Auicenna, quamuis suo more, & vt translatus apud nos sine ordine & confusè. Verum lapis in vesica primum est causa putredinis & imbecillitatis vesicæ, ac nimij sensus ob vlcus, aut saltem nuditatem corporis eius à materia pituitosa quæ illam intus circumuestit. Nihil mirum igitur est, si qui vesicæ lapide premuntur, vrinam vel tantillũ retinere nequeunt. Ergo causæ frequentis mictus manifestæ sunt, quæ cum multitudine vrinæ si iunguntur longè fiunt deteriores, & ægri maximè laborant. Sed nondum perspicuum est, an cum frequens sit mictus, vrina parum conquiescat in vesica? & vicissim cum vrina parum in vesica conquiescit, an frequens mictus necessario succedat? Primum igitur necessarium omnino est: nam si frequenter mingitur, quomodo vrina diu in vesica quiescere potest at bene potest parum quandoque vrina in vesica quiescere, nihilo minus ratò homo minget, quoniam non descendit in vesicam nisi per longa temporis interualla. Tempus autem morę cõgruens in sanis ac quietis est horarum duodecim: sed in pueris senibus & crapula atque potu oneratis minus. In febricitantibus ob exustam bilem admodum paruum duarum scilicet aut paulo plus horarum: Et scias quod vrina cum ratò mingitur vt in conuulsionibus & lethargis, & non defecerit, multa aceruatim mingitur, vt in Philini vxore.

CAPVT XXXVII.

Vrina quo tempore contemplanda Et quomodo seruanda.

CÆterum quæ vrinæ maiorem vim significandi habeãt, & quomodo seruandæ nunc dicendum: constat enim ægros & sanos etiã mingere vrinas sub media nocte, & in aurora, & postquã iam diusol exortus fuerit, contingit & vrinas velle videre statim quandoque post horam, quandoque matutinas vesperi, nonnunquam concretas, an igitur hoc agendum, & quænam sint efficaciores scire oportet tum etiam in omnes? & qualiter seruari debeant scire expedit. Galenus igitur *Primo de crisi* hæc habet: vrinarum quæ secundum naturam se habent terminus est, in exquisitè sanis corporibus, primum coctionis perfectæ sanguinis tempus: Et qui hanc fuerit contemplatus, deinde veluti regulam aliarum vrinarum sibi statuerit, quænam mutant ipsam, dispositiones facile inueniet, verum in hoc sermone ægri primum haud comprehenduntur deinde comparatio fit ad alias vrinas non exactam sanitatem declarantes, quare neque eiusdem constitutionis. Videtur igitur hoc duplici coniecturæ inniti debere, altera cum tantum distat à cibo assumpto vt verisimile sit exactam esse coctionem sanguinis in iecore, alteram cum vrina optimè concocta est in substantia atque contentis, vt sit tamen colorata scilicet, nec tamen iusto coloratior. Hunc colorem Galenus ibidem iam definiuerat rufum, vt non absolutæ coctionis pallidum, iusto autem magis flauum: ita & in hypostasi mediocritas, vt ante coctionem copia maior, & transacta iam diu paucitas. Auicenna verò inquit: Et cum vrina multis permanserit horis mutatur à propria dispositione. Quapropter dixerunt quidam quod post sex horas inspicienda non est: quamuis ego dicam quod nec post vnam horam, quoniam non solùm color peruertitur, sed sedimentum dissoluitur aut crascescit. Sit autem prima vrina quæ mane mingitur, & non fuerit violenter diu retenta, neque ille cuius est peruigil fuerit. Actuarius docet tẽpus spectandarum vrinarum esse, vbi primum sint refrigeratæ: quod color & substãtia vrinæ tũ quæ intus continentur exactius appareant, tale igitur tempus ab horæ parte quarta ad finem extenditur vt sic cum Auicenna concordet. Isaac docet matutinas vrinas vrinas quoniam post somnum & quietem minguntur certius iudicium præstare vespertinis. Et si tota contineatur ad diluculum, ea est præstantissima. Sed si antea mingat æger, non erunt quæ suo tempore minguntur perfectæo mnes tamẽ considerãdæ. Quæ enim suo tempore mingitur, id est, diluculo, si media nocte iam mingeret æger, crudior est quam esset, si antea non minxisset. Vt enim docuimus vrina in venis & iecore conficitur, purgatur & concoquitur in renibus, absoluitur in vesica. Cum ergo parum in his membris manserit, vt crudior iusto sit necesse est. Solertis ergo atque diligentis medici munus est, vt singulas diligenter inspiciat, fidemque pro ratione temporis adhibeat: veluti quis mingit vrinam hora quarta noctis, inde sexta, deinde decima, post quartadecima: aduenial autem medicus hora quintadecima, & hora conueniẽs concoctioni absolutæ sit duodecima: primum quidem locum obtinebit vrina quartedecimæ horæ, inde decimæ, post sextæ, inde quartæ. Nam etsi quæ micta est hora decima, tam proxima sit absolutæ, quam quæ quartadecima, nihilominus quia iam præcessit alia sexta hora, bifariam cruda erit, & quoniam ante iustum tempus mictum est, & quia eam præcessit alia, vt solum in vesica steterit, per quatuor horas. Quæ verò quartadecima hora mingitur, tãetsi quatuor tantum horis in vesica manserit, in venis tamen plus iusto concocta fuit: quare non solùm propior est absolutè illius hominis quam quæ decima hora micta est: sed etiam quam ea quæ vndecima hora micta fuisset. Quę etiã pauca est facilius vt dixi concrescit, quia diutius in vesica & renibus mansit, plerumque tamen plus potest paucitas quam mora: quia in renibus concoctio non frustratur, nec etiam in pauca, plus autem possunt renes quam vesica. Quę igitur concretæ, etiã concretæ inspici, deinde claræ per aquam tepida paulo calidioré factæ debẽt. Duplici ergo vi de morbis & causis eorũ indica

indicare solent, cum quæ non concrescunt vnica tantum. Sed plus potest ea vnica vis quam ambæ illæ. Vt verò non concrescant seruari debent matulæ in æstuariis, aut si non adsint in aqua tepida confectæ, vel si etiam hoc non adsit, præsidium super cineres & absque igne. Qui autem seruant prope ignem vrinas vel super cineres cum prunis aut in aqua feruente, aut qui iam concretas aqua feruente clarescere ob temporis inopiam cogunt, hi vrinam semper coloratiorem reddunt: & ob id in iudicando postmodum decipiuntur. Concrescatur etiam vrina hoc modo, & quasi pinguior redditur atque contenta dissoluuntur. Et quanquam vrina tepida aqua ad claritatem redierit oportet velut in nuper mictis dimidiæ horæ tempus interponere, antequam inspiciatur: nam sic contenta coguntur & magis descendut & substantia ad propriam naturam tum color melius redeunt. Interim tamen loco temperato continenda est, ne si frigido prius denuo concrescat quam ad statum redeat naturalem: si calidiore magis à propria natura quam prius abscedat. Qui etiam mouendo matulam conantur celerius restituere, quanquam id haud dubie assequatur, corrumpunt tamen formam contentorum, atque substantiæ ipsius naturam. Est etiam alius modus melior prohibendi vrinas ne concrescant, scilicet vt puluinaribus calidis vndique, circundentur: ipsa vero puluinaria prope ignem contineantur ne possent refrigerari.

Quæ omissa sunt circa hæc.

Illud etiam animaduertere decet, ne prohibendo vrinas corrumpi nesciamus postmodum, an tales vrinæ è genere sint concretarum: nam hoc scire non solum vtile est sed etiam necessarium. Solet autem à quibusdam dubitari, an vrinæ substantia in concretione concrescatur? quoniam palam est prius contenta cogi, quòd vrinæ substantia ipsis contentis contumacior proculdubio sit. Verum vt dixi contenta non sufficerent ad concretionem, aquea etiam pars non concrescit, cum sola est, ergo contenta maximè, inde pars pinguis in concretionem coguntur, vnde quod suscipit concrescere, sed sub alio significato dicitur, id est, pars aquea. Sic enim dicimus aquam limo aut farina concretam, id est, quod aqua suscipit hunc affectum, non quod ipsa cogatur: aut pars aliqua eius vere concrescat. Illud etiam consideratione dignum est, an aliquando in his qui obstructionem in renibus ac vreteridibus non laborant, vacua sit aliquando vesica omnino ab vrina: An semper distillet, verum aliquando copiosius aliquando autem tenuiter? Nam si vesica aliquando vacua manet, & similiter renes, fieri potest vt vrina copiosa mingatur, & tum parum in renibus manserit, quoniam à tempore quo ex venis ad renes trahitur, vsque ad exitum illius è vesica, parum spatium fluxerit horarum, quoniam vrina confertim in vesicam delata sit. At si perpetuo fluit, necesse est vt contrarium contingat, scilicet vt multa vrina diu pauca parum in renibus tum vesica manserit. Inde ergo ratio concretionis vrinarum non parum variatur. Existimandum est meo iudicio confertim quandoque, quandoque etiam sensim illam deferri licet tum rarò ab hoc munere membra hæc essent, quoniam humor ille fluidus est ac tenuis, & bilem secum admistam habet. Quod tamen aliquando cesset hoc indicio colligitur, quod si quis à mictu statim famelicus edat, & parum admodum bibat, conetur autem mingere, nihil mingere consueuit: post sex autem aut octo horas parum mingit: atque id etiam accidit in his qui vrigine patiuntur in meiendo, ob vlcus aut lapidem aliamve causam. Verum si contingat eundem etiam hominem, & ab vrigine immunem post mictum edere, ac multum flaui præsertim vini aut albi si calidioris extiterit temperamenti bibere, breui id est, intra horæ spatium mingere, & satis copiosè solet. Ostendunt igitur hæc, naturam aliquando, licet rarò ab influxa vrinæ in vesicam cessare: cur autem rarò, iam effectiuam causam explicauimus: verùm alia est, cuius gratia id fit non minoris necessitatis, nam nisi perpetuo ferme ea flueret, periculum esset ne membra illa vel siccarentur vel refrigerarentur: atque ob id homines in lethalem retentionis vrinæ morbum, sæpe inciderent. Quin etiam illud animaduertere decet, eos qui multo potu incolumes mingunt vrinas quæ non concrescunt, adeò vt ego à trigesimo quarto anno vel circa vsque ad quinquagesimum quintum annum, cum vix vnam aut alteram quæ concresceret vrinam minxissem, quamvis alioqui concoctas, maximo in metu hoc toto tempore vixi, ne morbum aliquem lethalem & occultum sed diuturnum iam pateret, ex quo mihi mors in dies singulos repente immineret, atque ob id à publico profitendi artem medicam munere mihi sponte oblato anno ætatis trigesimo quinto, aliis negotiis grauioribus abstinuissem, quamuis postmodum non leui metu profitendi prouinciam, anno quadragesimo tertio, quòd obtrudetetur potius quam quòd ego quæsissem, & similiter eadem cum suspicione & paupertatis necessitate adactus, anno quinquagesimo primo oblatam itineris lucrosi conditionem susceperim, vbi quinquagesimoquinto anno febre deprehensus, etiam ob eruditatis periculum a copia potus abstinuissem, animaduerti dum tunc vrinas quæ concrescebant mingerem, non in causa illius symptomatis fuisse morbosam aliquam dispositionem, sed malam victus rationem, dum copiosiore quam deceret potu vterer. Et ratio huius manifestissima est, namque ex copioso potu diluitur, adeò pingue humidum & crudum euadit, vt concrescere non possit, quare nec vrina concrescere: febris autem colliquans, pingue humidum efficit, vt possit vrina concrescere facile, & eo faciliusque ardentior fuerit. Vt autem epilogum de concretis vrinis faciamus: vrinæ concretæ inspici debent inde vbi redierint, postquam quieuerint. Color earum candidior euadit atque remissior quam dum claræ essent: medius inter colorem vrinæ atque

sedimen

ſedimenti : ſedimentum autem quod in imum deſcendit candidius ſit, atque magis denſum, concreſcunt vrinæ magis in pueris, & qui crapulæ dediti ſunt parum potantibus, pinguibus, quam his qui contrariis modis ſe habent.

CAPVT XXXVIII.

Subſtantiæ vrinarum varietas.

CÆterum vt ex craſſis ad tenues tranſeamus, nam quæ concreſcunt quoquomodo, non quia concretæ craſſæ ſunt, ſed quoniam cauſam habent concretionis, ideò craſſæ ſunt. Etenim craſſiores aliquæ vrinæ non concreſcunt, cum tenuiores concreſcant: nihilo tamen ſiccius omnes vrinæ quæ concreſcunt è craſſarum genere ſunt. Ita eodemque modo crudæ vrinæ multipliciter dicuntur, vt apud Hippocratem in *Primo Epidemiorum*, cum inquit: Vrinæ boni coloris erant ſed tenues & cum paucis contentis, ſcilicet retrimentis tenuibus & bilioſis. Erant & aliis vrinæ aquoſæ multæ, puræ, tenues, poſt iudicium, in quibus multa ſubſederunt. Alij legunt, & ſubſidentia bona facta. Similiter & loco illorum verborũ ſcilicet retrimentis paucis & bilioſis, legunt alij cum retrimentis tenuibus bilioſiſque. Propterea Græci codices habent: ἢ ὑποστάσεις ὀλίγας ἔχοντα διαχωρήμασι κενοῖσι, ἢ κολώδεσιν. Inde ἢ ὑποστάσι πολλὰς γινομένης ἢ τῶν ἄλλων καλῶς κεκριμένων. Similiter alia litera Græca habet, ἢ ὑποστάσιας ὀλίγας ἔχοντα διαχωρήμασι κενοῖσι ἢ κοτώδεσι. Inde ἢ ὑποστάσι καλὰς γινομένης, ἢ τῶν ἄλλων καλῶς κεκριμένων. Priorem lectionem Galenus approbat, ſecundam habent textus Aldini: diſcrimen in ſenſu eſt quod legitur in vno codice paucis contentis, quæ erant retrimenta quædam bilioſa: in alio ſedimen paucum & cum retrimentis tenuibus ac bilioſis. Et rurſus loco verborum illorum ſubſidentia bona facta: ſolum adeſt in quibus multa ſubſiderunt. Hoc autem conuenit magis, nam crudis vrinis ineſſe bona ſubſidentia non poſſunt, multa poſſunt: ſimili ratione differentia magna eſt inter habere ſedimen, id eſt, retrimenta tenuia, bilioſa, vel ex tenuibus, bilioſis. Primæ differentiæ cui ratio ſubſcribit vtèrque textus Græcus refragatur, quoniam vtraque litera habet καλῶς κεκριμένων, quod eſt rite iudicata. Quanquam propter multa quæ ſubſiderint, licet non bona, recte iudicari ægri potuerint: vrina non ſigni vim, ſed decretoriæ purgationis vices ſuſtinente, vt prior litera quam Galenus etiam probat melior ſit. In alio diſcrimen eſt potius vertentium ratione, quam Græcorum codicum: nam κολώδεσι à κολώδεσιν, nihil differt ν. literam Græcis ad euphoniam ſolum pro arbitratu adiicientibus. Et inter ὑποστάσεις ἢ ὑποστάσιας, nullum videtur eſſe diſcrimen, altero contrahente dictionem, & accuſatiuum caſum, altero non. Vtcunque res ipſa admittit vtrunque ſenſum, ſcilicet & vt cum paucis contentis ſint retrimenta tenuia, quanquam rariſſimè id contingat, & vt contenta pauca ſint ex tenuibus ac bilioſis retrimentis, quod frequentes euenit. Ideò videntur vrinæ crudæ ſaltem ſecundariò ſubſtantiam poſſe habere, contenta & pauca, & multa etiam & rectè iudicare: vtrum autem bona, etiam hoc eſt dubium propter diſcrimen literæ cum in vna legatur πολλὰς, quod eſt multa, in alia καλὰς, quod eſt bona. Crudam tum vrinam non poſſe eſſe bonam diximus, niſi cum vicem gerit modi iudicatorij, & multa continuerit retrimenta, & fuerit poſt iudicationem factam, vel in die iudicatorio, vel ſaltem præcedentibus ſignis coctionis. Namque vt dicebat Galenus vrina tenuis ſit, cum venæ non ſecundum naturam ſe habent. Ideo vrinæ tenues cum retrimentis copioſis, per criſim purgatis contingũt, quod natura multam vrinam ob impetum & celeritatem cogitur extrudere. Vnde ob vtramq; cauſam cruda neceſſariò eſt. Neque ego in aliqua criſi per vrinam facta, illam concoctam eſſe vidi. Sed plerunque & ferme ſemper crudæ ſunt, alioqui ſubſtantia & abſque veris contentis. Cum verò in hoc, ſi etiam ratio aduerſaretur, ſolo experimento contenti eſſe deberemus, nunc etiã ratione ipſa ſubſcribente multo magis id credere debemus. Ibidem docuit Galenus vrinas mediocres quandocunque dici craſſas. Comparatiuè enim multa dicuntur, quæ ſimpliciter dici nequeunt, vt enim tenui opponitur quod mediocre eſt, craſſum dici poteſt. Craſſam ergo vrinam intelligimus, quæ ſecundum naturam eſt, tenuem quoque vrinam aquoſam appellat Galenus *Septima Aphoriſmorum*, & diuturnam. Diuturnam vocat ab effectu & ſigno, id eſt, quæ cum morbo contingit huiuſmodi. Sed vrinæ aqueæ ſunt, quæ incoctæ omnino ſunt, nullam prorſus in eas operationẽ venis agentibus, vt cum etiam in ventre penitus cibus non concoquitur. Exiſtimat ibi Galenus albã & tenuem neque concoctionem, neque concoctionis ſpem ſignificare. Et non ſolum non rectè mutari liquorem in venis, ſed neque quamdiu oportet retineri. At in aquea vrina ſimpliciter vna facultas tantum læſa eſt, vel quæ concoquit vel quæ retinet. Vocat ſimpliciter aqueam quæ ſimilis eſt priori ſed nõ abundat: ideò quantitatem minimè peccat. Idem ferme paulò inferius docet. Videtur vrinæ crudæ comparatio non ad crudum ſputum & aqueum fieri, *primo de Criſi*, ſed ad priuationem ſputi, quoniam vrina res eſt naturalis, quæ neceſſariò adeſt, vnde cruditas non poteſt in priuatione conſiſtere, ſed in ſubſtantia, colore & contentis: at in ſputo cum ſit res præter naturam vt ſputum, ſignificat materiam quæ ex abſceſſu deciditur, ſuprema cruditas illius eſt priuatis. Sunt & vrinæ craſſæ crudæ non ſolum tenues, vnde patet manifeſtum diſcrimen tenuis & crudæ vrinæ, omnis enim vrina tenuis cruda eſt, ſed non conuertitur, cum ſint vrinæ crudæ, craſſæ, de quibus nunc agendum eſt. Cum enim certum ſit craſſas aliquas vrinas eſſe, nec illæ coctæ dici poſſint, quoniam coctæ ſunt mediocres,

diocres, relinquitur vt sint crudæ. Sed quomodo ex cruditate tenuitas & crassitudo contingunt: Actuarius existimat concoctam omnem esse à mediocri calore, & mediocrem, tenuem ab imbecilli, vt crassam ab exuperante. Quòd si per exuperantem in quantitate intelligit, certe vix iste excessus dari potest, sed se declarant intelligere ob adulterinam quandam qualitatem: tunc substãtiam vrinæ crascescere, sic accipere oportet, vt illa per admixtionem alterius humoris talis reddatur. Ille enim per crassam non aliã vt superius dixi intelligit, quam quæ concrescit. Vtcunque sit illud verum, calorem præternaturalem efficere vrinas crassiores & crudas: nam si concoctiones redderet etiam à calore præter naturam solui posset morbus.

CAPVT XXXIX.

Vrinæ nigræ causæ.

CAusam nigrarum vrinarum author libri de vrinis triplicem esse docet; humorem atrum, exustionem & frigiditatem, quo fit vt exusto sanguine aut concreto, aut admissa nigra bile, necessariò omnis nigra vrina crassa sit. At non dicit ita Hippocrates, sed in Epicratis vxore vrinæ tenues, subnigræ, & in Herophone vrinæ tennes nigræ, & adolescente qui in mendacium foro decumbebat, vrinæ tenues subnigræ; & similiter in ea quæ ex abortu, vrinæ paucæ tenues subnigræ. At nihil manifestius quàm in *tertio Epidemiorum*, in eo qui apud frigidam decumbebat: vrinæ huic erant perpetuo nigræ, tenues & aquosæ, & in Heropytho vrinæ tenues nigræ, & id quod in medio pendebat sublime erat aliquando, aliquando non, vt constet etiam tenues dici, quæ contenta habeant sublimia: sicut & in muliere morosa, vrinæ nigræ, tenues, quod in medio ipsarum pendebat aliquandiu rotundum: Et Appollonius in Aberis, vrinæ nigræ, tenues. Quo fit vt dubium non sit esse vrinas nigras & tenues non solùm subnigras. Dicendum est ergo diuisionem illam non esse bonam: Sed esse nigras vrinas ex propria adustione non sanguinis, tum etiam admista melancholia, non vt cum vrina transeat, sed vt illius colore inficiatur: nam multis modis nigrescere potest vrina, non crascescere, si aduratur primũ illius substantia, non sanguis, vt in feruentissimis febribus, sed tenui bile, si eluatur res nigra, nam qualitates sine substantia subiecti simile sibi generant, licet non adeò manifestè vt calor, frigus, siccum, & huiusmodi, vel si aliquid transeat etiam ex substantia sed pauca. Piper incoctum aquæ acrem facit, non calida & sicca est aqua illa. Palma manus igne tacta plus calefacit, quàm calida ipsa sit, cum tenuis paucum admiscetur liquido qualitatem multò antea mutat quàm substantiam. Addas id, quod nigrum hic non oportet intelligere velut atramentum sutorium, multò minus quàm scriptorium: sed nigrum dicimus, quod obducto pallio nigrescere videbitur; vrinam enim nigram præterquam in spleniticis regiis morbis videre vix contingit. Propterea eiusmodi colores omnes non solùm nigrum & fuscum, sed etiam viridem, cœruleum, & quicunq; ab vrina alieni sunt, nõ videbis nisi in regiis morbis, aut obducto vt dixi pallio præsertim nigro ex aduersa parte. Voco colores non familiares vrinæ, quicunque in illis apparent, familiares sunt, aqueus, flauus croceus & ruber, atque sanguineus, cæterisque huius ordinis, scilicet ab albo ad sanguinem vsque. Nigræ ergo vrinæ aliæ quidem substantia, aliæ contentis, aliæ vtrisque. Substantia quidem dicebat Galenus quod & ad contenta extendi potest *secundo in primum Epidemiorum*: Nigræ quidem vtpote adusto iam bilioso humore: paucæ quod essent, omnis humor in sanguine ab ardente febre consumptus, quódque instrumenta vrinæ iam essent emortua. In *Quinto quoque super sextum* magis distinctæ vrinarum colorem efficit, vel potus natura, vt si vinum crassum nigrúmque biberit, crassior & nigrior vrina apparebit. At verò contentorum ratione colliquata indicant naturam membri à quo deciderint, vnde nigræ vrinæ retrimenta ea ratione à splene perueniunt. Non tamen videtur vllibi melius egisse de vrinarum nigrarum causa quam in initio primi Prorrhiticorum, vt suspicer alicubi distinctè de illis egisse, cum dixit: Demonstratum est autem nigras vrinas ob serum bilis atræ vnà cum excrementis aquosis emissum, procreari, Gemina vero bilis atræ existit generatio: nempe & ex flaua bile supra modum exusta, assataque, vel ex crasso sanguine. Supra modum autem assatur, propter vehementem caliditatem. Iure ergo in febribus, quę causticí si appellantur, & phrenetidibus talia meiuntur, cũ tum calidæ, tum siccæ affectiones eiusmodi existant. Inter vrinas autem, quæ per se totas nigræ sunt, deterioriores his habentur, quæ enæorema dumtaxat nigrum habent. In præsenti vero dictione, neque an vrinas totas nigras dicat, vel sola enæoremata, conspicuè est explanatum. In vniuersum cum omnis actio maximè autem ex calore proueniat vel ex robore naturalis caloris, vel ex eo quod in operando liber sit, aut quòd aliquid ei permiscetur ex materia peccante: ab imbecilli calore & qualis est senum in vltima ætate, nunquam vrina bene colorata euadit. Ex impedimento autem aut hypostasi carent, aut vitiatam habent non tamen nisi morbi causa valde magna sit, malum colorem sortientur, & vt senum vltimorum viresccnt. Permiscentur autem vrinis materiæ fuliginosæ, quæ initium adustionis non iam adustionem factam significant. Actuarius harum vrinarum tum in libro *de Vrinarum iudiciis*, tum in *Primo de causis*, illarum meminit, in quinque illas deducens. Medicamentum aut vrinam tingens, aut humorem, ad loca illa nigrum deferens, maximè cum exercitatione, & dabat exemplum seruo suo, qui medicamentum biberat: vel si sanguis per vrinam excernatur

cernatur velut in flagellatis, tum etiam ex renibus, coactus enim & putrefactus maximè niger euadit: alias tres causas diximus. Eadem vero ratio in contentis. Quandoquidem autem expediret semper loqui ordinate fieri posset, & cuperem. verùm cum multi auctores parum seruarint ordinem, confuderintque, velut & Actuarius qui postmodum eadem de contenuis refert suo loco, quæ antea de colore substantiæ vrinæ dixerat, duorum alterum efficere cogor: aut vt ego in enarrandis eorum placitis illos sequens, confusus euadam, aut eos redarguens longus vt Galenus, dum quæ dixerint recitare reprehendereque volo, satius est breuitati indulgere, quam tantam iacturam temporis facere, solumque ordinem ipsum custodire in his, quæ ex nostra sententia, quæ sola pondus habet & vim, scribuntur. Ita altero horum breuitati, altero claritati satisfaciam. Itaque hoc in omnibus libris obseruatum velim, me non curare alienos errores, sed vt recte dicam. Quæ igitur vrina nigra est ac tenuis, fuliginem quandam præfert, quæ crassa carbonem, atque ideò tantò detertor est crassa, nigra, tenui quanto carbo fuligine leui, imo fumo, velut etiam dixit Hippocrates *Secundo Prognosticorum*. Contrarium est de alba. Atque in hoc magis demiror Galeni doctrinam, qui cum Hippocrates comparet non pueros viris, sed quod pessimum, in vtrisque non potest reddere ob id rationem, quomodo vrina nigra sit deterior in viris. At hoc ita se habet vrina nigra deterrima est in viris & pueris, vt quæ sua natura incendium aut extinctionem significet: sed nigra deterior est, etiam tenuis in pueris vt quæ naturæ illorum aduersetur. Itaque nigra in pueris deterior est etiam quam in viris, sed ea ipsa etiam tennis: in viris ergo nigra periculosa sed non adeò vt in pueris, multo autem minus tenuis, vt sit ordo qualem infra vides. Est autem nigra cum

Pessima tenuis in pueris
Valde mala nigra in pueris
Mala nigra in viris
Mala parum tenuis in viris.

in alius, tum in hoc quasi tenni contraria, quòd quantò paucior, tanto deterior, tenuior quanto copiosior.

CAPVT XL.

Vrinæ sedimentum.

QVæsitum ac simul disputarum abunde supra, quid sedimentum, vbi fiat, & an idem sanorum atque ægrorum, putat Princeps Galenum secutus in *Prima Quarti*. sedimentum vrinæ in ægris ex febre putrida, ex ipsa putredine fieri: verum nos notas has declarare ad vnguem proposuimus. In ventriculo quidem sedimentum fieri in sanis perspicuum est: nam & super ipsam significat, & iuxta assumpta variatur: Et in iecore plura sunt, quæ confici ac separati oportet. Vbi quis febre putrida laborat, nisi maximus contingat ardor, aut grauis obstructio euenerit, eadem apparet, sed pallidior: quis ergo tam temerè dicere audeat, iam naturam totam, ordinem functionum inuertisse, vt proprij muneris oblita, funditus sustulerit sedimentum solitum, aliud haud congruum subiecisse, & biliosæ materiæ, quæ flauo non est minus colorata, album: aut si vtraque adest, duas hypostasis habebit tunc vrina; aut tgitur putrescit hypostases, & quasi somnium, neque enim vllum est liquum, nec febris in humore sita erit, sed hypostasi. Quòd si ex putrido humore hypostasis constat, cur attollitur, cur tenuis est, cur splendet ab initio etiam, nisi quòd pallida est, hæc enim omnia munia caloris innati non externi & putrefacientis. Quòd ad succedens tempus attinet, hypostasis tingitur cum sit in eodem vase à materia quæ putrescit: & demum vsque ad statum magis tingitur per incrementum, verùm cum coqui ceperit separatur, & tunc vrina redditur melior, & in sanabili morbo donec separata prorsus fuerit, fit sanè similior: tum quia separata non amplius vrinam tingit, tum quia natura intenta coctioni vtilis esse potest, relicta cura materiæ morbi velut minus molestæ. In statu autem cum sit prorsus separata, vrina concocta redditur. Et quomodo si esset ex materia morbi, posset esse prorsus similis? stuporem hac in parte Galeni & sequentium demiror: non ergo hypostasis puris imaginem in vrinis refert, sed quod vrinæ atque hypostasi admiscetur. Sed nonne declarant hoc vrinæ creticæ in quibus materia morbi expellitur, adeò dissimilis hypostasi, quantum differunt æra lupinis; nam neque attollitur hæc materia, & crassior multò est & colore omnino diuersa. In intermittentium etiam diebus quietis apparet hypostasis, & non ab humore putrido, cum tum non expellatur, & quoniam neque id Galenus audet affirmare: neque ex naturali humore, naturâ alternabit. Vides inueteratum errorem, quantum confusionis pariat. In morbis autem mortalibus materia hæc appareat, & adeò corrumpit hypostasim, vt illam totam mutet, & nulla quandoque sit. Nonnunquam natura hypostasim tinctam emittit, & cum hoc aliquid in fundo ex materia delinquente. In vniuersum materia hypostasis est diuersa à materia morbi toto genere: & materia hypostastis in ægris & in sanis est prorsus eadem, excepta modica parte quæ vrinam tingit. Error ergo totus est in illo dicto Galeni quod confundit totam doctrinam vrinarum, scilicet quòd id quod est pus in abscessibus est hypostasis in vrinis; Et si non potuissemus tradere doctrinam de vrinis absque hac (quæ videtur insectatio Galeni) admonitione; feciissemus per libenter) sed hoc erat confundere totam illam doctrinam, vt liquebit: periissent enim mille præcepta vtilia ad dignotionem morborum & causarum & prædictionis in illis. Quare melius fuit, vt intelligeretur res ad vnguem: Est ex ea vt docebimus inferius vniuersa quæ de vrinis dicentur, in tribus sequentibus libris.

CAPVT

CAPVT XLI.

De Hypostasi.

ALtius autem hæc repatentes statuamur initium disputationis non solum quod ab experientia discere licet sed quod à Galeno scribitur *Primo de Crisi:* concoquitur sanguis, vrina quæ mingitur leuem æqualem & albam ac multam subsidentiam habet: iam verò absoluta coctione color quidem vrinæ intenditur, minus autem subsidet. Et post: Quantum ad vsum refert, facillimum est inuentu, quod vrinarum, quæ secundum naturam se habent, terminus est in optimè sanis corporibus, primum exquisitæ coctionis sanguinis tempus & qui hanc fuerit contemplatus, eam pro norma habebit, vt reliquarum naturam inueniat. Nam si colorem exquisitè seruauerit subsidentiam quoque bonam verùm multam fecerit, exquisitæ coctionis indicium erit, plus autem humoris crudi euacuari ostendet. Præterea in pueris omnibus fere, tum etiam in agentibus otiosam vitam tametsi perfectæ ætatis sint, aut quouis modo repletis multa apparet subsidentia, his quidem ob satietatem, illis ob desidem vitam, pueris ob vtrunque. Sunt enim iusto voraciores, & ventriculi facultas non potest & alendo & agendo satisfacere. Verum corpus antequam coctum sit ad se trahit: ideoque plurimum humoris crudi coaceruant. Hæcque etiam causa est, vt qui ex otio & repletione febricitant, si sanitati restitui debent, necesse est vt in eorum vrinis plurimum subsideat. Quæras quando & vbi sanguis coquitur dicebat Galenus *Quarto de Vsu partium.* Postquam igitur deposuit qui apparatur in epare chymus prædicta duo excremēta, & ab innata caliditate coctionem exactam adeptus est, ruber iam & purus sursum ad gibbas epatis partes ascendit, ignis in humido diuini portionem detersam ab eodem colore præ se ferens.

FINIS.

ARS

ARS CVRANDI PARVA,

QVÆ EST ABSOLVTISSIMA MEDENDI METHODVS.

FRANCISCO ALCIATO EPISCOPO Ciuitatis,& à Libellis Pij Pont. Max. S. P. D.

VM duo sint officiorum præcipua genera, F. Alciate, quorum vnum in Reipub. confertur, alterum in optimum virum, cuique ob egregia beneficia plurimum debemus, ob hæc vtraque editionem horum librorum ac dedicationem, sub nomine tuo vtilissimam atque officiosissimam fore arbitror. Quippe qui non nisi perfecta re mea conquieueris; ego tametsi beneuolentia erga te parem me tibi esse putem, beneficium tamen tuum æquare posse despero. Itaque quantum in compensando illud mihi deesse intelligo, tanto honestiorem ac necessariam magis operam meam atque conatum magnitudo virtutis ac fortuna tua facit. Quod nisi mortalitatis nostræ conditio me commonefaceret hanc tuam singularem humanitatem animíque tui candorem in tam afflicta mea fortuna diuinas appellarem. Itaque hæc qualiacunque quibus tamen nihil maius potui inuentione, labore, industria, atque summo studio ac diligentia in publicum te auspice profero. Ac primum Artem medicam bis ac vicies à me conscriptam, quámque filiis pro peculio relinquere destinaueram, qua tot ægrorum millia seruaui. Difficilis enim cum sit medicina ac longa etiam, teste Hippocrate, vt à paucis legitimè ob id exerceatur, tum quia plerique ei initiantur sine his disciplinis, sine quibus nemo vel mediocris medicus euadere potest: Dico Dialecticam, Philosophiam, Geometriam & Arithmeticam, aliásque, sed has præcipuè: Deinde quod in gymnasiis etiam parum medicinæ ipsi operam dent: Nec in exercendo quantum oporteret insistunt, nec quos sequantur auctores aut magistros habent: Hi enim auaritiæ, ambitionis ac sectarum studio flagrantes omnia euertant ex illis quisque habet quod eis non satisfaciat: Desiderant in Hippocrate claritatem, & qua perierunt volumina: contra in Galeno breuitatem, ordinem, perfectionem: in Principe linguam Latinam: Oribasij vix quinta pars supereſt: Paulus supra modum breuis, Aetius fabulis scatet. Alij contra ita in Galeni verba iurarunt, vt malint mille perire ægros quàm vel à malè intellecta auctoritate vel mendo eius discedere: Nuper (cum ego aliàs quosdam Galeni errores adnotassem, & ex trecentis forsan triginta in cuiusdam manus incidissent, nec cur damnarem adiectum foret) ausus est tamen ille edito libello Medicinæ hæresiarcham me appellare, qui totis viribus Galenum duodecim editis contradicentium medicorum libris tuear. Atque ille ob id Galenicum se posse dici

dici sperat. Alij cum ægros queri ex longitudine morbi videant, & hæredes tristes illis mortuis hos lætos, illos nihil queri: malunt occidere tentando aduersus artis præcepta, quàm prætrabendo ex arte sanare. Atque ob id quæri solent homines nunquam aliàs fuisse plus medicorum quàm nunc, nec vnquam tamen minus in arte excitatorum: ob hæc igitur hunc librum ad leuandos labores, & ex methodo tamen quam breuissima medendum in publicum edo, & responsum simul ad criminationem illius falsam quam breuissimum, & Dialecticam. In qua præter id quod ordinatim quicquid est ab Aristotele ea in disciplina conscriptum quam breuissime contineatur, etiam Hippocratis & Galeni tum etiam Euclidis ac Ptolomæi dialecticam adieci. Quòd si per fata licuisset & peculiarem Plotini annectere potuissem, perlibenter facturus eram ne quid ad ornatum deesset. Consimili studio quædam consilia quæ forsan inter quinquaginta quæ in Europa sparsa erant superfuere his adieci, quoniam non vt plerique precario aut conficta vel sine fructu scribere solemus, sed à languentibus rogati & grandi pecunia & certo euentu solum scribimus. Vt intelligant homines non multitudine verborum aut friuolis disputationibus aut lenocinio quodam barbaræ facundiæ sanari ægros, sed breui pressaque oratione ac profundo iudicio. Tum vero cum summam malorum nostrorum in contemptu religionis, & falsa de his quæ post mortem sunt opinione esse animaduerterem, quod totum à Philosophorum placitis aut non rectè sentientium aut non rectè intellectorum proficisceretur, cum non plus ego dubitarem de animorum immortalitate etiam citra religionis nostræ constantissimam auctoritatem, quàm quod ouum ouum esset, quæ de rerum ipsarum principiis inueneram, huic proposito congruentia, in vnum collegi libellum, velut senectutis solamen (nam totam hanc tractationem in quarto & quinto theonoston diffusè conscripseram) quem vtilitatis communis causa edere volo cum cæteris. Vt consilio, ope, laboribus adhortationibúsque quantum in me esset humano generi prodessem. Neque enim quenquam futurum spero nisi non pium & qui de Diis ac eorum prouidentia nostrisque animis malè sentiat, qui creditam sibi infirmi salutem prodere velit. Huius igitur causa librum Hyperchen quasi (necesse esse) in medium protuli: Nec illos probauerim qui vt magis videantur pij eos damnant, qui subsidium aliquod à Philosophia pro pietate petunt, cum B. Augustinus Platonem vt Christianum colat, quod de animorum immortalitate ac præmiis eorum quasi cum religione sentiat, quamvis circa instituta valde ab ea sit alienus, vt contra Senecam etiam maiores nostri amplexati sunt cum Stoicis & Epicuro male sentientem, quòd circa mores rectè habuerit. Et Tertullianus & Cyprianus ac Eusebius, tum Lactantius Sibyllarum & oraculorum & hominum quorumcunque testimonijs vtuntur ad comprobandam religionis nostræ veritatem. Sed & B. Thomas & Scotus aliique celebres Theologi & viri sancti conati sunt fidei nostræ fundamenta confirmare, Aristotelis & cæterorum Peripateticorum rationibus atque auctoritatibus. Itaque tametsi religio nostra magis floreat quàm olim, & confirmata sit, non tamen pauciores sunt qui hodie illi aduersantur quàm B. Thomæ & Scoti temporibus: Idolatræ, Iudæi, hæretici & quod omnibus terribilius est, Mahumeti sectatores, qui iam penè vniuersum orbem occuparunt. Quid ergo est vt quod alijs laudi summæ fuit, nobis vitio vertatur? Qui contra nos non est, pro nobis est, dicit Seruator. Sed & hac causa, quanquam non nescirem quantam obtrectatoribus maledicendi ansam præberem, etiam libellum de Socratis studio cum his contunxi. Neque enim satis fuit vt liceret, malefacere nisi & idipsum malefacere hominis iudicio, mortalium ac Deorum, optimi atque sapientissimi probaretur. Adeò tot artibus dæmon malus humano generi imponere nixus est. Quis illum probauit? Dæmon. Quis fauit & astitit: Dæmon. Quale dogma, qualia præcepta? quæ dæmonem sapiant: faueant versutis, improbis, potentibus, miseris non solum non opitulentur, sed quod vnicum erat illis refugium, scilicet vt qui his malefacerent iusti haberentur: hoc ille vir adimit rationibúsque probat non esse malum obesse, sed contra leges obesse, sed leges vt tuo modo statuas permittit: Hanc totam fucatam probitatem, & maleficam virtutem, & fraudulentam innocentiam, in libro de Socratis studio conuellere propositum est: naturæ exemplum & Dei præcepta secutus non dæmonum oracula aut Philosophiam impium atque fallacem. Volueram & in studiosorum vtilitatem adiicere duos libros de Dentibus, sed secundum adeò tempestiuè absoluere non licuit, vt cum his mitteretur. Quamobrem patienter ferant qui nostra amant propediem & illos habituri. Verùm cum satis hæc esse

possent

possent ad publicum commodum cui maximè intenti eramus, nona cura quædam & inexpectata fuisti Typographum, vt literis suis Podagræ Encomium flagitaret, quod fortasse rem existimaret elegantiorem quàm sit, cui nos negare non potuimus. Habeat igitur vt reiectanea omnia solent suis originibus: nam sunt quædam huiusmodi quæ gratiam addunt non adimunt, velut ostreus suum vocatum papauer, & viscera coturnicum coturnicibus apud gulosos, nec tam contemnendus debet esse is liber similitudine argumenti, cum odiosa quæque laudari soleant, nam nos etiam in eo ferè de multis egimus. Et quamvis damnari possit, propositum hoc nos tuetur, quòd edita possumus omittere, suppressa non possumus legere. Neque ignoro quod ad reliquos etiam libros attinet quàm ab initio habituri sint multos inuidos & balatrones, qui suspenso naso eos auersentur; nam cum ipsi quæ probentur edere desperent, satis esse putant, quæ edita sunt & probantur, si ipsi vt sapientiores damnent aut suspendant. Verùm vsus omnia mollit & tempus mundiam domat. Itaque tuis auspiciis Francisce Alciate, decus singulare patriæ nostræ, & qui quouis loco sedeat ita illum illustrare possis ingenio, arte, diligentia, industria & eloquentia sapientiaque tua, vt quouis honore maior emineas, in publicum prodeant hi libri qualescunque sint, quos tu splendore atque heroica virtute gratos ac laudatos efficies.

Quare habe quicquid est libelli:

Plus vnó maneat perenne seclo.

ARS CVRANDI PARVA.

CORPVS nostrum, Hippocrate teste in sexto Epidemiorum (sect. 7. in tabella parua) ex tribus constat: Membris, Humoribus qui in membris continentur, atque Spiritibus, qui per vtraque permeant. Portò membra & spiritus sunt propiora animæ & facultatum subiecta, vt septimo de Decretis Hippocratis (cap. 3.) & Platonis legitur. Et similiter sanitatis ac morbi, vt docet Auicenna prima primi libri sui sectione (Doct. 1. ca. 1.) Humores autem sunt expertes Animæ facultatum, sanitatis atque morborum, licet enim dicamus febrem putridam ac biliosam, non tamen febris est in eis, cùm non sint animati. Tametsi ab anima trifariam agentur per spiritum, qui cum per se moueatur humores agitat & secum ducit, & à membrorum vi quæ trahit aut expellit: atque hi ambo motus à membris atque spiritibus facti à calore naturali in humores infuso ciuntur. Quoniam omnes motus à facultatibus ob consensum & participationem fiunt. Est enim tertium genus motus quod absque illa vi fit, quia ex compressione, aut impulsu gignit, vel vacui aut raritatis necessitate, qui motus quamuis etiam in aqua fieret, quia tamen membra ab anima mouentur, inter animales numeratur.

Sunt autem in corpore nostro tres facultates, seu vt Galenus Platonem secutus vult, tres animæ loco distinctæ & principales. Mens in cerebro & quæ cum mente iunguntur, Vitalis in corde, & Naturalis in iecore Atque earum singulis tria communia sunt. Venter superior capitis menti, naturalium inferior nutrici pectoris, medius vitali. Instrumenta quoque animalis nerui, naturalis venæ quietæ, vitalis pulsantes quas arterias vocant (hæ exterius quietis substernuntur, interius autem vbique fermè incumbunt illis, & oscula habent communia per quæ sanguis vicissim permeat atque transfunditur, hunc consensum Galenus (6. de vsu par cap 17.) vocat anastomosia) & vt omnes hæ facultates per totum corpus iisdem instrumentis diffundantur. Vitalis igitur facultas sensum omnem ac motum comprehendere videtur, indicio est quòd neque motus neque sensus sit nisi in habentibus cor, aut quod cordi proportione respondeat. Et rursus quæ cor habeant omnia motu ac sensu prædita sint. Sed quia in corde non poterant tot instrumenta collocari, præsertim ob pulsus motum, ideò cerebrum loco instrumenti habetur. Et in hoc Aristoteles melius Galeno sentit, sed quoniam laborantibus sensibus auxilia cerebro non cordi sunt applicanda, Galenus medicum agens reprehensione dignus non est. Iecur autem naturâ, origine & functione præcedit cor, quod enim illius vice fungitur etiam in plantis est, ob id Galenus in hoc Aristoteli præferendus est, quanquam nobis magis quam sibi ipsi concors, duo tantum affirmet esse principia quæ super vniuersum corpus influant, cor scilicet & iecur (lib. Artis Medicæ cap. 50.) etenim quid attinet vt cerebrum corpori dominetur si instrumentum est cordis, aut cur decuit constituere cor principium iecoris, quasi quis regem minus nobilem esse dicat quòd agros non colat? Sunt ergo functiones hæ maximè in principalibus membris conspicuæ, in aliis obscuriores, in instrumentis mediocres. Cor enim maximè mouetur & calidum est, inde arteriæ, post reliqua membra: at in cerebro non viget sensus neque motus quòd, vt dixi, sit quasi medium per quod hæ vires à corde transfunduntur, non origo. Sunt etiam quibusdam membris aliæ propriæ vires, vt ventriculo transmutandi cibos in chylum: neque enim ex abundantia caloris qua à iecore

re ſuperatur, nec ex temperatione cum diuerſa ſit in variis hominum ventriculis ſed ex propria ſubſtantia calore cordis ac iecoris temperata id ei contingit : Et præter has omnibus membris ſua ineſt innata facultas naturalis, cum hinc renes validi ſint ac ſenſu exquiſito præditi : ventriculus autem vel pedes iuſtò imbecilliores. Seu dicas has functiones cum ſubſtantia ipſa connatas eſſe, ſeu ſolam membri compagem ita præparatam, vt aliunde exceptas has facultates meliores aut deteriores reddat, medici haud intereſt ſcire : vt nec noſtra integras afferrè rationes dubiarum rerum, ſed quantum neceſſe eſt ſolum ac breuiſſimè, nec quæ extra artem ſunt attingere, velut, an ex dictis animum eſſe immortalem perfectè declarari poſſit ? nam cum corde affecto ſenſus maneant, non videtur mens illius eſſe vis.

Facultatem autem dicimus in temperamento & copia denſi, humidi, pinguis membrorum cum ſpirituum abundantia conſiſtere. Eorundem autem qualitatem tum etiam ſanguinis calorem naturalem appellamus, cuius potiſſima ſedes eſt in ſanguine ac ſpiritu, vt facultatis in ſolidis. Vnde optima conſtitutio validas habet vires, calorem temperatum : non vt in infantibus in quibus nimio plus eſt innati caloris, non tamen virium propter liquidius humidum membrorum. Horũ vnumquodque duplex eſt, vniuerſale quod vel toti ineſt, vel inſtrumento principalis membri, vt coctio venis quietis : & proprium quod vnicuique membro peculiare eſt. Cordis autẽ functiones ſunt, viuere, vim mouendi in ſe ipſo & arteriis conſeruare, & calorem influere : quæ cum pariter perpetuo vigeant, medicum decet exiſtimare illas ab vna facultate proficiſci, quare & inter illas ordinem conſtituere oportet. Vt à vita motus, à motu influxus, ab influxu conſeruatio procedat. Cerebri verò ſenſuum ſpecies cogere ac voluntarium motum adminiſtrare. Iecoris quatuor principales, Generare, Nutrire, Augere, Conſeruare : quæ ſeruiunt quinque, Trahere, Retinere, Concoquere, Separare, Expellere. Generatio tamen proprium in animalibus requirit inſtrumentum, velut vterum & teſtes ad perfectionem, in plantis à ſola naturali facultate abſoluitur. Quod ſi diuinior alicui vis hæc videatur, quod incremento diuinius ? & tamen medico ſuffiicit vt intelligat eatenus, quatenùs illi ad opus exercendum pertinet. Porrò eam quæ conſeruat & quæ ſeparat, Galenus Herophileos ſepuutus omiſit. cum tamen de iudiciis agit eam quæ ſeparat admiſit. (4. Aphor. 22.) neque enim ſolum quod conuenit attrahendo fit ſeparatio, nam & ſimul iunctum illi noxium traheretur, nec membrum donec quod vtile eſt trahatur, noxium ſuſtinere poſſet, plus verò differt quæ conſeruat, ab ea quæ nutrit, quam quæ retinet ab ea quæ concoquit. Siquidem vnum opus perficiunt & tamen, vt Raſis inquit (11. Contin. Tr. 1. cap. dum vtraque viget in ventriculo feces duræ ſunt, flatus nullus : ſin concoctrix valida, quæ retinet vis imbecillis, flatus etiam nullus, ſed feces molles Hoc rarò contingit : in reliquis coniugationibus ſæpe. Eadem in vrinis pro iecore, & ſudoribus pro tertia coctione. Concoctio enim tribus in locis celebratur, ſecundum Galenum, in ventriculo chyli, in iecore & mæſarei venis ſanguinis, in membris ſolidæ ſubſtantiæ : totidem igitur ſunt excrementa ſecundum naturam, feces, vrina, vapor, qui eſt ſudoris materia. Feces ergo ſuper ventriculum, inteſtina, mæſarei venas & iecoris cauam partem, ſignificant : Vrina ſuper iecoris gibba, cauam venam eiuſque ramos, renes, vreteras, veſicam : Sudor ſuper contenta in venis & membrorum diſpoſitionem. Verum cum in ſiniſtro cordis ſinu ſpiritus generetur tam inſignem coctionem prætermittere non oportet. Si ergo quis vim quæ conſeruat eandem eſſe ei quæ trahit, attracta enim dum trahuntur retinentur, at medicus ex hoc non diiudicat, ſed cum vnam lædi animaduertit aliis non vitiatis. Quidam ergo cum bene nutriantur augeanturque nihilominus à quibuſque cauſis in morbos incidunt : alij ſani cum ſint, perpetuò tamen macilenti ſunt & parui corpore : Et in quibuſdam concoctio valida eſt & attractio retentióque ac expulſio, ſanguis tamen impurus eſt & feculentus.

Calor igitur innatus cum videatur functionum eſſe origo, contingit tamen functiones ac facultates diuerſorum principiorum diuerſis modis affici, nam pulſus erit bonus & vrina mala, ac contrario modo id contingit, quoniam licet calor naturalis confletur ex calore cordis, iecoris, ac proprio vnius cuiuſque membri, in inſtrumentis tamen ſuis vnus eſt proprius & ex eſſentia alter aduentitius, vt pote in venis quietis proprius eſt calor iecoris, aduentitius cordis, vnuſquiſque etiam retinet ſuas facultates Velut calor iecoris quòd ſit humidus & temperatus ſolus in ſanis nutrit, agglutinat, & in ægris vt Galenus inquit (4. de Præſag. ex pulcap. 12.) concoquit, ſeparat & expellit. Cordis namque calor non coqueret ſed excoqueret, ipſe tamen vitam in membris conſeruat ac calorem iecoris in eis, cum ille nimium remiſſus non ſufficeret. Itaque in morbis quæ ex materia pendent ſeu naturalis ſeu vitalis ſeu ſenſus laborent ad naturalem facultatem curatio tota ſpectat: vnde illam illiusque ſigna, ſcilicet excrementa, inſpicere oportet. Quare in huiuſmodi ſæpe contingit cum bono pulſu, ob vrinæ prauitatem tandem ægrum neceſſario interire, quia in his vitalis facultas non aliud poteſt ſuo robore, quàm diutius reſiſtere morbo, & facultatem naturalem conſeruare, quæ duo ſi morbi cauſa magna ſit, aut vires naturales valde imbecilles, non poſſunt niſi paulo plus differre mortem Ideò in talibus (ſunt autem febres plerunque & magna pars morborum ſponte venientium) neque conſilium Archigenis, cuius meminit Auerrois, de corde confirmando, nec animi fortitudo proſunt, ſed potius quies & confirmatio iecoris & abſtinentia à cibo, ne naturalis facultas impediatur, ſi quid prodeſſe poteſt. At in reliquis morbis quales sũt,

vulnera,

vulnera, luxationes, fractura ossum, vbi medici opus potius quam naturæ auxilium iuuare solet, facultatis vitalis robur ferme solum consyderare oportet, ideò fortes animo & quibus cor robustum est euadunt. Quamobrem in his auxilia quæ cor confirmant vtilia sunt nam restauratio quæ necessaria est in huiusmodi morbis à quacunque facultate naturali fieri potest, quoniam est opus quotidianum concoquere cibum, atque nutrire corpus, at in concoquendo febrilem materiam aut in absceſu contentam opus est magnis viribus, vt in præparanda materia quæ corrupta non est, velut in distillatione, mediocribus. Si verò propria facultas superior sit causa morbi, tunc robur aliarum facultatum facit vt morbus sit breuior, facilius feratur, & cum conualuerit robustior ac melioris habitus euadat, nam vires minus subruuntur.

In morbis enim facultates licet omnes minuantur, vitalis tamen est illa quæ plerunque plus detrimenti recipit (nisi sit morbus membro proprius) quoniam illa, vt dixi, cæteras tuetur. ergo vix aliæ tolli possunt nisi hæc prius decidat Tres autem cum sint, Vitalis est penes quam solam mors & uita attenditur: nam illa dum manet homo viuit, illa sublata dicitur mortuus. Hæc autem solum resistit, nó curat. Naturalis curat, sed vt dixi, penes illam vita non attenditur. Animalis verò, nec curat, nec penes illã vita attenditur. Resistere certè omnibus commune est, quando non solum animata sed in animata aduersis quantum possunt resistunt. Functiones etiam à facultatibus sepe euariant: vt debiliores sint contingit, raro tamen: vt sint validiores ob compositionem, vt expulsio in venis ob cauitatem in ventriculo; ob villos etiam ex auxilio caloris à corde influxi. Functiones enim si non iuuantur, nec impediuntur, similes sunt magnitudine facultatibus. Sed vt in fecibus ac sputo etiam iuuantur ab animali virtute. Coctio igitur & separatio fiunt à sola facultate: attractio & expulsio iuuãtur fermè semper à villis membri saltem: retentio autem media est inter has, liquet etiam ex his quo modo febriente ad mortem tendente, absceſſus in crure potest bene suppurare, & contrario modo etiam contingere. nam vt dixi alia est facultas concoctrix totius & partis: potest etiam esse diuersa materia. Item cur retinere possit membrum bene & malè concoquere primum auxilio villorum aut musculorum: sed hoc rarius est, vt de villis non etiam frequens in retentione sed præter id & generaliter cum in bene constitutis, omnes facultates validæ sint, si parum recedat à temperamento necesse est aliquas vires manere quæ illis qualitatibus non debilitantur, alias minui, iuxta hoc igitur concoctio à calido & humido iuuatur, retentio à frigido & sicco, attractio & expulsio à calido & sicco: ideò non variantur hæ nisi ratione finis: vt cum membrum repletum est non trahit. Separatio fit à calore naturali vt purus est. Sed omnis immoderatus exceſſus qualitatũ, maximè frigiditatis, dum dissoluit calorem naturalẽ dissoluit & facultates.

Igitur cum mors proueniat extincta facultate quæ in corde est, sequitur vt hi sint viuacissimi qui humidum habent densum & purum: vt ex infantibus qui densius, ex iuuenibus & senibus qui purius. Mors verò naturalis continget consumpto humido in corde, & hæc est sine dolore: quoniam idem est quod afficitur & afficit: vel in pulmonibus si Aristoteles affirmat hãc asse sine dolore, ego cum exiguo esse puto: tertia cum consumptum est humidum ventriculi, & hæc est cum maiore sesu quàm præcedens, non tamen magno. Constat patrem meum cum octuagenarius esset ex inedia nona die extinctum esse. Cum ergo viginti trium annis fuisset sine dentibus, haud dubium esse debet, si vel hoc infortunio caruisset, vel cibis mollioribus vsus toto eo tempore fuisset, sicut ventriculi humidum non fuisset absumptum merito humidi cordis ac facultatis naturalis potuisse excedere centesimum annum. Nam cor ipsum cum quatuor instrumentis, duobus ob sanguinem iecore & ventriculo, duobus ob aërem pulmonibus & cerebro indigeat, iecur verò & cerebrum ob caloris moderationem & humidi abundantiam, ante cor siccari vix queant, tria tantum esse genera mortis naturalis: nam quæ siccitate renum aut vesicæ accidit, intercedente prius morbo fit. Ergo vita diuturna naturalis constat in conseruatione humidi horum trium membrorum.

Excrementa autem propria membrorum generationis sunt semen in vtroque sexu, & menses in mulieribus. Mucus cerebro, sputum pectori non exquisitè naturalia sunt, nam optime valentibus non adsunt. Minus etiam hæmorroides iecori. Vomitus autem ratione eius quod eum irritat, prorsus præter naturam est, sed actio ipsa naturalis, velut & sternutatio. Singultus autem vtroque modo præter naturã est. Cordi & pulmonib. ac cerebro aër est excrementum: nam & cerebrum respirat iuxta Galenum (lib. de vsu Respir. cap. 5.) inest & concauitatibus aër: quarum maximæ sunt ventriculus & vterus. Spiritus autem abundat in Corde, arteriis, cerebro & neruis. Sunt etiam excrementa quæ in corpore manent, vt bilis vtraque, alia similia excrementis, vt pituita & humor crudus. Quædam sunt omnino præter naturam, vt pus. Et hoc quandoque ob adiectam qualitatem naturale vocamus, vt pus album. Velut ratione diuersa non naturale quod naturale est ob alienam qualitatem, vt vrinã nigram. Humida ergo quæ in nostro corpore continentur maximè in venis & arteriis (omitto enim nunc quæ in membris dispersa sunt ac quasi iam animata) sex sunt, sanguis, pituita, bilis flaua & nigra, serum & aër. Atra autem bilis inter naturalem & præter naturam quasi media est. In venis quietis infra cor ex illis sex solus aër deest supra autem deest & aqua. In arteriis conspicua sunt sanguis clarior atque purior, aër ac spiritus. Spuma autem quæ conspicitur non est ex bile, vt in sanguine venarum quietarum. Quanto verò homo minus abundat humoribus & maximè à sanguine alienis, tanto minus obnoxius etiam est mor-

bis. Sed natura coacta est humores facere, quia erant excrementa sanguinis & sanguinem, quia ex eo conficiuntur spiritus. Ideo arteriarum sanguis principaliter fuit à natura intentus, reliqua propter illum nobilioris finis ratione.

Contra naturam pugnat anima Mundi, seu illius vis, quæ nos multis modis affligit, nam reluctantes ex altis locis præcipites agit: & dum languemus, noxiam materiam impellit contra membra regia ac spiritus, vrgetque illa. Sed dum valemus, coërcita nutricis animæ vi latet (nisi quantum ad descensum spectat) in ipso corpore, adiuuat & ad cohibendum calor generantis, vt ad accendendum, putrefaciendum ac conturbandum auxiliat aëris nos continentis vis. Ergo his causis humores corrumpuntur, halitus caput & cor petunt, & membrorum compago soluitur, homóque ad interitum propetat, nam proniores sunt ad corruptionem humores quia, vt dixi non viuunt. Et ex humoribus ergo quicunque à natura sanguinis magis absunt, nam in his minus est caloris innati. Deteriores etiam ex his sunt lenti & crassi etiam, quia frigidi, cum vtrique motum prohibendo refrigerent. His peiores qui corruptionis semina contraxerunt, inde iam corrupti: pessimi omnium putridi. Sanguis verò purus naturali animæ fouet cordis calore ac motu impellentibus cæteræ vires tametsi nobiliores ac numerosiores sint (vt ex operibus. æstimate licet) naturalibus, in ipsis tamen sustentant: Singularum etiam noxam diuersis modis percipimus: Cerebri per se & in ipsis: Cordis per se sed non in ipsis, naturalium membrorum neutro modo, sed tantum in excrementis. Porrò syderum constitutio metam omnibus certaminibus imponit.

Quæ igitur à medico consyderantur præter naturam quinque sunt: Morbus qui est iactura facultatis qua conuenientem operationem producere nequit: iacturæ nomine etiam impedimentum comprehenditur, & conuenientis defectum. Galenus autem in libro de Simptomatum differentiis (cap. 1.) vt sanitatem proximam causam appellauit integræ operationis iuxta ætatis rationem, ita morbum læsionis. Hunc igitur medicus amouere intendit contrarium naturali dispositioni & impedientem operationes, Quòd verò natura posterius est etiam si ab illo non pendeat, vt vitiligo, Symptoma vocat: Vnde omnes operationum læsiones symptomata sunt. Ea quæ amoueri debent indicant, Causa quæ morbum efficit, hanc amouere oportet. Siquidem medici intentio est causam amouere, quia ea sublata morbus auferetur, vt Galenos ait (li. de optima secta ad Thra. cap. 25.) Hæc tria se ad vires habent vt tonsor, nouacula, atque tonsura ad pilos. Quarta est signum quæ re à symptomate non differt, sed cum tribus prioribus semper conuenit: vt in ephemera exercitatio, calor, mador. Indicant hæc de morbo, symptomatibus causis ac successibus Quinta est operatio. Est autē id quo finem Medicus adipiscitur, hæc autem nisi generaliter, ita tamen vt ex his propria haberi possint. Verum in quibusdam præstantioribus auxiliis etiam ad singula deueniam. Ergo cum Medicus operando quatuor faciat, conseruare non mutando, curare multum mutando, custodire occultè mutando, quantum scilicet solum est quo labi corpus [illegible] tum est ætatis aut naturæ vitio, aut sensim mutando corpora conualescentia reducere, aut fixis diuturnisque morbis (quos Galenus quasi sub ægrorum nomine comprehendit) prouidere, fient iuxta hoc (quamuis veræ dnæ tantum sint corporum nostrorum affectus differentiæ sanitas, & morbus) tres dispositiones sanitas morbus ac media, sub qua etiam duo genera continentur, præceps & habitu confirmata: atque hæ vno nomine infidæ sanitatis significari possunt. Sed non qui morbis diuturnis conclamatis, vt carcinomate, detinentur, quibus custodia vt labentibus debetur. Sub his etiam diuersa genera continentur, quæ omnia prætereo: vt etiam tria prima ex illis, namq; cum custodire ac reducere curandi species leuiores sint aut ex conseruatione, curaque mistæ, ipsa verò conseruatio facilis quæ fit per similia, vt custodia partim similibus, partim contrariis, reducimus verò contrariis tantū sed lenibus, curamus æqualibus, sequitur vt curandi tradita ratione etiam reliquorum trium scientia habeatur. Cum igitur curatio ægros respiciat, de solis ægris, atque ideò de solis morbis dicere sufficiet.

Morborum igitur differentiæ (quoniam hi propriè corporei sunt affectus) tria prima genera sunt simplices, compositi ac coniuncti, qui ambo ex simplicibus constant. Simplicium tria genera: nam partes nostri corporis duplices sunt, similes vt caro, instrumenta. Homogeneis temperies, instrumentis conpositio, vtrisque communis continuitatis vnio. Compositionis igitur vitia magnitudo, numerus, situs, forma. Formæ species, figura, meatus concauitas, superficies. Compositorum morborum differentiæ quatuor, genere vt abscessus, specie vt febris, causa iuxta nomen vt tertiana notha, vel à nomine aliena vt tertiana extensa quæ à pituita maiore ex parte pendet. Coniunctorum sex differentiæ: Numero vt duplex tertiana: Materia vt fluxus cum febre: vt vnus alterius causa sit vt lateralis morbus febris: vel cum se fouent vt hectica cum putrida: vel cum contrarij sunt inter se vt febris & hydrops: vel cum iuncti sunt naturali dispositioni vt Enixarum morbi. Species igitur primæ ab essentia sumptæ viginti. A magnitudine duplex differentia, longi qui vltra quadragesimum diem extenduntur, breues qui intra quartum decimum finiuntur. Medij qui quartumdecimum, non autem quadragesimum superant. Vehementes, parui, medij. Decem septem modis morbi magni fiunt lib. 6. de const. Art. Med. cap. 16. Essentia, causa, Symptomatibus more, atque ex horum ipsorum magnitudine, Nobilitate membri, id est, quod supra iecur iacet: adeò vt abscessus talium morti feri sint & gibba iecoris præstantiora ob id cauis, sexto Epidemiorum vel canalibus, vt Tertio Aphorismorum (Par. 2.

Com

Com.19.) Defluxiones à cerebro per venas inferius breui perimunt. (Com. 12.) Constat enim quod quæ per alteram arteriam diuturnæ sunt, sensu quoque & occulta proprietate aut manifesta, vt influxu frequentia, repugnantia, successu, vt fluxui coli dolor. quia in eadem parte fiunt. Multitudo affectuum: Patientis natura, vt salsa destillatio in tabido: vel comparatione ad vires, constitutionéque. Mista breues vehementes aut quibus grauissimum aliquod symptoma succedit acuti dicuntur: Medij verò acuti decidentes. Vnde Galenus acutum morbum non bene exponit, solis grauibus symptomatibus ipsum definiens. Qui ergo nec vehementes sunt nec graui cum symptomate mites appellantur, seu breues sint seu longi. Mali moris id habent quod cum vehementes sint non tales videntur, ob id deteriores illis. Qui verò ad salutem tendunt nihilque prauitatis occultè admistum habent quamuis vehementes, boni moris appellantur. Ab vnitate continui intermittentes. A causa cum materia vel sine illa. A fine duplex differentia, sanabiles & lethales. Et qui cum iudicio aut sensim finiuntur. A casibus diurni, nocturni, sicci, cum sudore. A consensu contagiosi, qui circa pulmones, oculos, cutim pestiferique. A modo generationis Eudemij, Epidemij, Sporades, Eudemij duplices loco familiares vt Podagra. Materiales & Hæreditarij qui membris exanguibus aduenium, cerebro, neruis, artubus, & qui genituram vitiant, vt elephantiasis & tabes. Epidemij qui communiter vaguntur vitióque aëris aut aquarum accidunt. E quibus qui perimunt plerosque vocantur pestiferi.

Hi omne genus morbi amplectuntur non solas febres sed synanches, coli dolores, resolutiones & persæpe morbos ignoti nominis, quique cum similes iam antea notis videantur, non tamen omnia consueta habent signa, sed & eorum loco alia insueta. In his etiam admirabiles quædam transmutationes contingere solent, finésque ac iudicia non antea visa. Sporades morbi sunt qui vnicuique peculiariter accidunt, qui plerunque magis lethales Eudemiis, Epidemiisque qui tamen pestiferi non sunt. Ab origine principales cum causa est in membro. Et cum non est perpetuus erit per consensum. Velut cum in comitiali morbo cerebrum perfectè sanescit. Consensus autem non simplex fit ob membri recipientis imbecillitatem vel calorem, vel situm rectum & decliuem, adiuuante robore membri transmittentis. Qui verò ex his fiunt per consensū nobilioris membri deteriores sunt principalibus. Quidam etiam morbi iidem sunt causis suis, vt Hectica & Ephemera: quidam diuersi, atque horum alij cum materia, alij sine. Præter hos aliæ differentiæ sunt ab Hippocrate positæ in libro de morbis, tum alibi. Sed his atque illis omnibus communia sunt tempora.

Hæc igitur quatuor sunt in sanabilibus tum generalia tum exacerbationum. Initium, incrementum, vigor, & declinatio. In morbis autem tantum tria, quia in declinatione symptomatum nemo moritur: morbi verò & causæ cōparatione rarissimè. Trifariam enim accipiuntur tempora coctionis ratione in his qui ex materia pendent: cum enim sensilis coctio non apparet initium vocamus. Incrementum cum non absoluta: Vigor cum absoluitur: Declinatio cum est absoluta. Eius duo sunt genera, vnum in quo vel pars vel tota materia expellitur, quod securissimum est: aliud in quo nihil, quod quidam pro extrema vigoris portione accipiunt. Exacerbationum autem tempora tam vniuersalia quam propria, cum quatuor tantum sint, vniuersalibus continuarum assimilantur. Eisdem etiam continuis in hoc similia sunt quod crisi propria non finiuntur. In quibus autem exacerbationes finiuntur plerunque in inter mittentes degenerant, sublata continua ob id in exacerbationum proprio vigore vrina concocta non est. Et in quibus ab initio vrina non est concocta sub accessionis vigore febris est è continuarum genere. In continuis verò cum exacerbationibus materia tota ob id concoqui videtur, quoniam continua materia quæ succensa est in illam transmutata vt bilem flauam aut atram à natura superatur: quare plerunque exacerbationes tertianæ sunt aut quartanæ. Intermittentium partes duo temporum genera & vniuersalium numero totidem: in vnaquaque autem accessione sex: inter initium & incrementum inæqualitate & post declinationem interuallo additis, nā omnis intermittens etiam continuæ iuncta in suum desinit interuallum. Ratio tamen differentiæ temporum non eadem est: sed initium dum contrahitur, Inæqualitas dum pars expanditur, Incrementum cum nihil contrahitur, Vigor cum expansa est tota, Declinatio cum concocta dissoluitur, vt cum dissoluta est interuallum. Tempora tamen hæc vt in abscessibus vniuersalia miscentur. Cum enim in illis pars materiæ iam dissoluta sit, pars nondum concoqui cæperit, fit vt declinatio cum initio coniungatur. Sunt autem in abscessibus initij duæ partes omnino diuersæ, altera dum adhuc materia fluit, altera dum nondum incipit concoqui, atque ita euariant hæ vt altera alterum magno interuallo præcedat. Vt verè in illis sint quinque tempora. Si igitur febris continua quæ exacerbationes habeat abscessum comitetur, erunt materiæ comparatione quatuor genera temporum vniuersalia, febris continuæ abscessus, & exacerbationum tam vniuersalia quam propria. Vniuersalia autem fermè semper conueniunt, nam si febris cum abscessu non declinet, non ab illo pendet: si autem ante illum aut vitalis vis deficit, aut materia tenuis ac frigida est. Si exacerbationes ante febrem decli nent, pars tenuior materiæ quæ exacerbationes parit concoctas ab ipso exacerbationis fine vrinas facit. Essentiæ verò morbi totidem, quot materiæ comparatione: sed hæc etiam morbis conueniunt quæ materia carent, aut habent sed non succensā, velut in destillationibus & vbi succensa sit non solum ob concoctionem distinguuntur, sed lo-

cum, multitudinem, motum, qualitatem materiæ & incēdij variantur. In continentibus enim febribus declinatio penè in initio succedit, vt in Peragmastica, ob quantitatis materiæ diminutionem, nam cum pars materiæ tenuior ab initio accenditur, declinatio essentiæ morbi contingit ante coctionem. Iuxta symptomata. Initium dicitur cum minima sunt. Incrementum cum mediocria: Vigor cum ad summum peruenerint: Declinatio cum perpetuo minuuntur Si autem ab initio maxima sint, tunc prima tria tempora in idem conueniunt; statim succedente declinatione. Id fit vel quia materia à natura, vt in febre cum fluxu, vel à medico, vt per venæ sectionem minuitur, vel quia confertim mouetur & symptomata quæ sequuntur ob illius motum non multitudinem contingunt: motus autem cessat. Et vigor symptomatum non criticorum ante morbi vigorem semper finitur, quia tunc materia initior est.

His igitur modis dicuntur morbi augeri aut minui. Sed in declinatione essentiæ morbi sæpe moriuntur ægri, quia illa contingit ob defectum caloris naturalis, aut molestiæ ob sensus diminutionem: at in aliis declinationibus seu generalibus seu propriis non potest mori æger. Qui verò in declinatione accessionis mori existimantur, ob morbum ex materia præparata, de quo dicam, moriuntur. Et in non accensis præparatio coctionis loco tempora distinguit.

Causæ autem morborum quædam externæ, vt ira, cursus, sol: quædam internæ, quarum quædam manent, quædam non, vt vlcus ex lapidis mictu. Earum quæ manent aliæ sunt ex ipsis, aliæ in ipsis. Earum quæ in ipsis coniuncta, vt bilis ardens in tertiana, præparata quæ semina incendij iam concepit. Quæ etiam manent aliam subeunt diuisionem, aliæ enim sunt primæ quas amouere semper necesse est: atque hæ duplices, aliæ enim quasi ex ipsis, vt obstructio in tertiana, aliæ vt in ipsis vt humor paratus ad corruptionem. Plures ergo possunt esse causarum ordines. Et quandoque Causa Morbus & Symptomata sunt idem diuersorum comparatione. Vt dolor ex abscessu qui coctionem vitiat. Et obstructio licet sit morbus plerunque tamen inter morborum causas potius quàm morbos numeratur. Causæ autem morborum humores maxime existimantur, quia eis neque morbus nec symptomata inesse potest, quoniam corporis animati non sunt partes, sunt autem præter naturalis, bilis nigræ quæ assata est, duo genera: vnum ex flaua bile, aliud ex fece sanguinis, tum ipsa fex quæ naturalis est & nigra. Pituitæ autem substantiæ aquea, mucus vitrea, tamen naturalis: à saporè dulcis, acida, salsa, naturalis insipida & media substantia. Omnes autem albæ aut liuidæ perspicuæ, præter has etiam crudus humor & gipseus qui terreo admistus est, hæc duo genera opaca. Bilis autem non naturalis pallida, rubra, æruginosa, vitellina, cærulea & quæ in ventriculo generatur prasica, quamuis etiam nonnunquam & vitellina, tum naturalis flaua. Vt præter saporum differentiam simplices humores adnumerato sanguine sint decem & septem, ex quibus morbi generari solent. Compositorum autem innumeræ species, vt mirum non sit tot esse genera febrium, tóque modos. Cum tot sint causæ admodum inter se differentes. Sunt inter causas quæ ex his vermes & lapides, sterçus & vrina non morbi vt aliqui existimant, neque enim in subiecto animato sunt, neque partium animatarum affectus, sed causæ. Vnde etiam à suo Galeno discrepant. Spiritus autem & membra non possunt esse causæ morbi, nisi morbi in ipsis sint: quia cum sint animati statim ex offensa operationum paritur morbus: Causæ autem Epidemiorum morborum originem contrahunt ante sex menses, & in tribus proximis perficiuntur. Endemiorum verò in ætatum mutationibus. Sed Sporades ex cibis multo ante, ex lassitudinibus autem & frigore plerunque intra quartum diem initium duxerunt.

Causæ autem morborum sanabilium insanabiliúmque sic habentur. Si morbus ex sola intemperie quæ eadem sit ipsi morbo gignatur, vt hectica antequam vires collabantur vix contingere potest, vt lethalis esse possit: nam cum aliquot diebus superuicturus sit nutriri necesse est, quod si his nutriatur quæ morbum redundant, postridiæ quam antea, & perendie quam postridiæ melius se habebit, quare seruabitur, ob id Galeno (10. Artis Cur. cap. vlt.) quanquam forte solo ductus experimento, nullū genus hecticæ esse visum est quod sanari non posset. Sed extremum frigidæ balneo in senij habitū transite. Cur autē non sine balneo finiatur, causa est, quoniam cibi ac potus concoctio consumptione minor est, aut tam humidum contumacémque cibum offerre oportebit vt confici non possit: aut saltem labore febrem augeret. Itaque balneo ratio victus iuuanda est, etiam vt celeriùs cure: Intemperies autem calida periculosior est paulò quam frigida, & tanto etiam facilius sanatur. Sicca verò multo deterior humida & fermè insanabilis. Et sæpè contingit vt in eadem membri parte intemperies contrariæ vigeant, & nonnunquam duæ frigidæ cum calida. 3. De simplic. Med. c. 16.

Si vero intemperies ob materiam sit vel simplicem vel accensam vel putridam: veluti fimus quæ nec ardet nec putrescit molestus tamen est. Qui verò ardet vrit, sed nec fœtet nec vermes gignit: qui putrescit non vrit, fœtet tamen & vermes generat: primus est humor simpliciter noxius, secundus materia incensæ febris, tertius pestilentis: si igitur coctio aut præparatio anticipet, seruatur æger: quandoque etiam his non absolutis expellitur validis viribus, præsertim per abscessum, seruatúrque æger, aliter aucto morbo perit. Solus autem morbus est qui offendit, & perimit: quia solus operationes lædit: quoniam ipse aduersatur sanitati quæ est causa operationum. Causa ergo & symptoma nunquam lædunt ægrum multóque minus perimūt: verum causæ vt materia præparata & symptomata alios progignūt morbos à principali ex quibus moritur æger:

æger: hócque maximè accidit cum materia est contrariæ temperiei morbo velut in quotidiana, morbus est calidus & siccus patiens sitim & extenuans corpus, materia autem præparata imò etiam coniuncta generat *cirrum*, & hydropem, non tamen dicendum mortuum esse ægrum, vt dicere solent ex prauitate materiæ vel multitudine, sed ex alio morbo: tales igitur semper laborant duobus morbis, ideóque & multum affliguntur & difficulter curantur. Morbus autem interficit vel semetipsum augendo, vel deteriorem reddendo, vel corrumpendo membrum vitæ necessarium, vel extinguendo calorem, vel pabulum eius destruendo. In sanabilibus enim morbis si æger rectè regatur, tota materia morbi ab initio parata est: licèt Galenus videatur velle, quòd per circuitus generetur. Nam febres cum quauis inedia suum explent in intermittentibus circuitum: & in processu morbi coctionis signa non semper augeántur, sed vestigia crudi tatis humoris nouè geniti apparerent: nec in lethalibus ab initio oppressionis signa cõtingerent. Ex aliis verò seruata victus ratione nemo interiret. Cum ergo in sanguine febricitantium quatuor sint partes, materia coniuncta, & præparata tum obnoxia & syncera: coniuncta & præparata ad morbum generãdum reliquásque partes etiam eo medio corrumpendas faciunt: purus sanguis cum spiritu & vi membrorum motus auxilio resistunt, obnoxia moratur hanc actionem. Si igitur coctio vel expulsio incrementum vel corruptionem membri vel prauitatem præuenerint, cum omnibus auxiliis etiam medici æger seruatur, si præuenitur interit. Vitiatur autem obnoxia materia in ardentibus ob loci calorem quia est in venis magnis, vel prope cor aut iecur, in paruis verò seu sit continua, seu intermittens ob loci angustiam, qua partes incorruptæ à corruptis corrumpuntur ob propinquitatem, impeditúrque materiæ motus ac refrigeratio ab aëre ob frequentes obstructiones. Quod verò in toto contingit, aut in membro aliquo interno, idem exterius si accidat peruersa scilicet coctione vt membrum corrumpatur, vocatur sphacelos, nec sanatur, nisi corrupta abscisa parte, quod cum in interioribus facere non liceat necessario mortem affert. Vt ergo in his qui sanari possent coctio corruptionem præueniat calor naturalis, seu sponte seu medici cum auxilio etiam motu sanguinem refrigerat, & membra spiritus recreat, fumum & tenuem materiæ partem propellit extra: vnde tantus labor in pulsibus. Aliqui autem sunt morbi in quibus etiam medici auxilio id facere cum non possit, lethales sunt. Id autem sic demonstratur, nam si inedia id tentes, absumptis viribus tabescendo deficiet æger. Si cibis restaurare coneris, quia in his potior est intemperies nativo calore, plus quantitate & qualitate accessionis fiet corruptæ materiæ, quàm viribus. Quare excessus & proportio morbi causæ symptomatúmque ad vires augebuntur obitúmque maturabunt. Ex calido namque & sicco morbo cibus corrumpitur, ex frigido & humido crudus humor generatur. Cibi enim assumptio in morbis qui ex incendio generantur, vt febribus & abscessibus hoc vnum habet certum incommodum, impedimentum actionis caloris naturalis: ideóque coctionis, separationis atque iudicij. Solum igitur prodest cum morbus non ex materia pendet, aut secum ea est, eousque remittitur, atque tamdiu vt sublata intemperie mediocriter saltem concoquatur, cuius iudicium habetur ex coctione excrementorum, quiete & virium incremento. Aliter id æstimare præstantis est iudicij atque melius. Si verò venæ sectione cum ea nec præparatam nec minus multo coniunctam detrahat materiam, nisi quatenus vt in fistula aqua ràritatis metu ascendit, sed solum bonum sanguinem cum obnoxium, non solum ea causa prodesse non potent, sed potius nocebit, ob quod forsitan Erasistratus adeo venæ sectioni aduersabatur: sed & si liceret venæ sectione præparatam coniunctámque materiam detrahere siquidem iuxta proportionem aut æqualiter, nihilominus proportio eadem maneret aut etiam maior. Sint vires quatuor, morbus sex, detraxerisque ex vtroque dimidium, relinquentur tria & duo. Sicque proportio eadem manebit. Si autem duo ex vtrisque, remanebunt quatuor & duo, quæ proportionem inuicem duplam obtinent. Præterea ex hoc auxilio cogeris etiam magis ægrum nutrire: maioréque malo afficere. Quæ detrimenta in purgationibus maiora sunt: accedúntque alia de quibus dicebat Hippocrates (4. de victu in Acutis tex. 22.) quoniam partes membrorum sanæ colliquantur pariúntque tormina, & cibi fastidium succedit, præparatáque ac obnoxia materia subuertitur, vnde coctio impeditur, atque hæc omnia etiam quod medicamentum sit optimum ac temperatum, nam ab aliis multò maiora damna euenient. Constat igitur tales ægros nullis posse curari nec seruari præsidiis. In his tamen quæ seruari possent quandoque talia sunt necessaria, nam sectio venæ in febribus incensis & abscessibus subtrahit fomitem materiæ morbi augendæ paratum, obnoxiam detrahendo. Similiter de medicamentis, nam cum coniuncta materia nisi concocta sit expelli non queat, accensa resoluitur in cineres, quibus pars immiscetur, in quam naturalis calor egit: ergo resoluto externo calore quod sublato fomite fieri necesse est expellitur à natura, vel si torpeat, medicamenti auxilio. Hac ergo ratione liquet, cur nec præparata ante coctionem expelli queat, scilicet quoniam naturali animæ non paret. Nihilominus plerumque accidit vt antequam coniuncta expellatur, ipsa in coniunctam versa tota absumatur, cuius indicio est quod in continuis facta crisi esse desinit: & tamen in crisi non expellitur, quia nõdum à natura superata est.

In compositione quoque accidunt vitia insanabilia, quoniam dum curantur mortem afferunt. Velut lapis in vesica fecis, & in renibus durus & magnus: & carnea obstructio quæ potissimum ex vlcere in meatu vitæ necessario iam consolidato oritur, & contorsio

inteſtini feces duras continentis atque alia huiuſmodi : quæ ſi non cures mortem noxa ſua afferunt, & tamen curati nequeunt abſque tanta continuitatis ſeparatione, quin vnum ex prædictis periculis incurrat æger. Memini me vidiſſe tres quibus cor ſolum in dextro latere pulſabat, quorum vnus eadem die quod vehementius pulſaret, alius poſt aliquot dies mortui ſunt : tertius erat inſans & ceciderat, ſuperuixit tamen. Cor ſtat ſanè priores affectu peſſimo in ſiniſtra parte orto hoc ſymptoma contraxiſſe, dum cor naturali vi atque inſtinctu quod noxium erat refugere nitebatur. Vnde tam graui malo prope cor contracto neceſſe fuit mortem breui ſubſequi. De infantulo, exiſtimarim vinculum peruerſum, à caſu enim ſtatim grauiſſimè ægrotauit. Difficulter igitur expelluntur quæ magna ſunt per anguſta foramina, vel quia retinentur vel ob virium imbecillitatem, velut in deſtillationib. inſanabilibus ob exilitatem initij naſi. Quædam etiam tranſlatione ſanãtur, vt lachryma perforato oſſe naſi. Generaliter autem aſtricta laxitate periculoſiora ſed magis ſolutilia.

Morbi autem qui ſoluta continuitate proueniunt obſunt, vel ſanguinis profluuio magno inciſo vaſe, vel conuulſione neruo punctim læſo, vel offenſione principalioris operationis & vitæ neceſſariæ, vt in vulneribus pectoris atque pulmonis, vel phlegmone ob dolorem, vt in oſſium fracturis : aut demum interna quadam corruptione ex cuſſione oborta, vt in capitis vulneribus : ex quibus mors neceſſariò ſequitur, dum vel morbus curam non admittit, vel ſerius quàm oportuit aduocamur.

Symptomatum autem tria genera ſunt : (lib. de conſtit. Artis Med. cap. 15.) læſio operationis quæ propriè ſymptoma eſt, exiens & qualitas mutata. Quædam rurſus materiam, quædam motum materiæ, quædam motum naturæ, quæ critica vocantur, alia morbum conſequuntur. Vt ſitis ex febre. Quædam fuere antiquis ignota vt pulſus præcordiorum vltra febrem, qui nunc eſt familiaris : ſitque ob mæſarei extenſionem quæ ex denſa repletione contingit, & maximè cum arteriæ eius loci magnæ fuerint & cordis motus vehemens. Exemplo eſt quod cum carpum hominis boni habitus tota manu apprehendimus videtur totus pulſare. Pulſus verò è regione vmbilici, extenuationem intermediorum corporum ſignificat. Etenim vt Galenus ait ſexto de Locis. (cap. 4. in fine) Raras corporum conſtitutiones veriſimile eſt rara ſequi accidentia. Quandoque verò euenit vt quod ſymptoma eſt auctum muretur in morbum, vel morbi cauſam vt dolor ingens qui ſomnum vel coctionem prohibet. (3. de victu in Acut. Com. vlt.) Sæpius autem mutuis exultanti incrementis decrementique ſymptomatum magnitudines, & ea quæ affectionis eſt : ſitque id, in his phlegmonibus & vulneribus in quibus pus effluit quod iam confectũ eſt.

Signa autem ſex generibus continentur. Parognomica morbi eſſentiam declarantia. Aſſidentia quæ cauſam vel locum docent. Moris ſcilicet mitis aut ſæui morbi : & quæ ſymptomata differant atque hæc præſentis. Quintum genus eſt prætentorum, quæ vel naturæ opus oſtendunt & vocantur coctionis : vel materiæ morbi & vocantur corruptionis vel neutrius, & appellantur cruditatis. Hæc etiam ad futuram traduci poſſent. Vt rurſus pathognomica & aſſidentia, cæteraque tum præſentis temporis tum futuri ſigna gloriæ ſtudio ad præterita. Vltimum ſignorum genus eſt prognoſticorum, quod in critica & ſucceſſus diuiditur. Succeſſus longitudinis aut breuitatis, ſalutis aut mortis ; lethalium autem alia mortem, alia genus etiam mortis docent. Critica autem quatuor generum alia oſtendunt an futura ſit criſis : alia an bona vel mala : alia quando : alia quomodo. Vniuerſale verò ſignorum ratio, vt in libro artis medicæ colligitur (cap 8.) ex quatuor ſumitur : Eſſentia ipſa affectus, vel ab operationibus quæ ſunt propriæ illis, vel ab accidentibus quibuſdam nigredo coruo, vel à caſibus ſeu iuuantibus & nocentibus. Quærimus autem tria, locum, affectum, cauſam, locus ex læſa operatione, parte quæ excidit, tumore, ac dolore (6. Epi. Par. 2. tex. 27.) affectus ex iiſdem quatuor cum qualia fuerint intellexerimus. Præterea ex quinque aliis calore, colore, duritie, cauſa, ſi prius ea nota fuerit, tum coniecturis ex aliorum euentibus ſumptis. Cauſa verò adhærens cum plerunque materia ſit ex quatuor. Morbi & excrementorum qualitate ac natura, quandoque etiam ex dolorum ſi adſint differentiis. Qui enim grauat à materia frigida fit, qui tendit à flatu, qui mordet à craſſa bile vel vermibus, quæ pungit à tenui bile vel lapide : ſi nil præter ipſum dolorem percipit, intemperies eſt. Cumque dolores intra inanitatem diu perſeuerant, nec vllo auxilio ſoluuntur, in abceſſum aut abceſſui ſimile terminantur, qui in præcordiis ob calorem & mollitiem celerius ſuppurare ſolent. Horum autem ſignorum quædam ſolum affectum ſignificant, vt dolor & ſitis : quædam vires tantum vt ſomnus & fames generaliter, propriè autem motus : quædam vtrunque vt pulſus & vrina. De tribus his quatuor ſcire oportet differentias, illáſque ſenſu percipere, tum cauſas atque prædictionem.

Pulſus igitur vi fit arteriarum à corde in ſuſa, adiuuat etiam qui intus continetur humor, ac ſpiritus hæcque eſt facultas, eſt & inſtrumentum & vſus. Quatuor igitur ſunt principia motus. Motus autem duplex, extenſio, atque contractio : totidémque quietes inter ipſos mediæ. Differentiæ verò generales ſeptem : ab inſtrumento vnà mollis ac durus : à contentis vnà plenus & vacuus, & vtroque vnà calidus ac frigidus : à viribus vnà robuſtus ac languidus : ab vſu tres magnus & paruus, celer & tardus in motibus, creber & rarus in quietibus. Dupliciter autem vnumquodque dicitur in ſignis, ſimpliciter quod naturalem habitum aut acquiſitum ſignificat, & ab ipſis ſit, & com-

paratione

paratione naturalis habitus aut acquisiti, quod præsentem statum nuntiat. Magnitudinis ergo partes sunt longus & breuis, latus & exilis, altus & humilis, profundus & ἐπιπολαῖος hic vt trium partium magnitudinis, quæ ad profonditatem attinet duas habeant differentias. Celeritas quoque ac crebritas bifariam dicuntur: celeritas quidem in extensione atque contractione. Crebritas autē insuperiore quiete, ac inferiore, vt in vniuersum sint duodecim omnes differentiæ. Igitur vt hæc perpendere possis ab arteriæ magnitudine initium duces. Porrò profunditas vt obscurior est & multiplicior, ita etiam ad plures vsus accommodata, nam ex illius scientia distentionis primum inde etiam contractionis cognitio habetur, longitudo sanè omnium magis perspicua, vt media inter has laxitudo. Verum plerúmque æqualis est profunditati quod arteriæ corpus sit rotundu. Profunditate igitur cognita extensioni motum digiti pedis coæquabis. Tunc verò quoties hic motus sub vno pulsus circuitu contineatur mediteris. Difficile sanè hoc sed non dissimile his qui horam pulsando barbiton dum trahunt premunt pedem. His igitur duobus tanquam principijs dignoscendi pulsuum differentias ex sensu perceptis duo alia ratione cognita adiicere oportet. Vnum scilicet quod contractiones mensura extensionibus sunt semper æquales: aut necesse est pulsus inordinatos euadere, atque tandem deficere: quod cum rarissimè cõtingat vt hi motus æquales magnitudine sint, fateri oportet alterum quod arteriarum pulsus vndique sunt æquales non magnitudine sed celeritate, & frequentia axiomate illo Geometrico, quod quæcunque æqualia sunt, inter se etiam sunt æqualia, at constat omnes pulsus cordis pulsui æquales esse, cum eodem momento cum illo attollantur & residere incipiant, ipsa enim sola vi cordis si quis rectè secum reputet tam insignis recipocratio fieri potest. Verum cum sæpe videatur altera ex parte (cum homo phlegmonem in illa patitur aut dolet, aut super eam decubuerit) crebrior aut velocior, causa est, quoniam distensa arteria maior fit, vnde in æquali tempore velocior in æquali motu esse videtur, quod si distendi nequeat crebrior, quoniam tardius attollitur, atque remittitur, ideóque breuiores reduntur mediæ quietes. Adde quod tensa velocius moueri videtur animi iudicio sensum mouente, quoniam in arcuum chordis hoc experimur dum redeunt. Inuenies ergo dextros circuitus sinistris velocitate ac crebritate semper ob id pares, non tamen magnitudine aut æqualitate, quoniam arteriæ diuersis affectibus subiici possent. Præceptum his omnibus addere oportet, vt quinque auxiliis ad pulsus dignoscendos instructus demum accedas. Id est, vt manum primo molliter carpo adhibeas, eamque suspensam teneas: sicut mediocritatē vndequaq; serues. Mihi verò videtur vt digitum ipsum qui propior est manui ægri magis premas. Primum autem leniter, medios mediocriter, atque hanc inæqualitatem etiam in eisdem digitis modò eleuando modò comprimendo experiri oportet, vt sic & quantitatem & morum arteriæ dignoscas. Galeno autem sufficere visum est ad extensionis velocitatem dignoscendam, ipsum simplicem tactum: quasi eum ictum ex imo præsenserit, quoniam digitis illam quasi à latere amplectitur: nam si summa tantum attigeris velocitatem à vehementia distinguere nequeas. Et mihi sanè ita visum est. Sed tutius ac facilius si sensus acumen ratione quadam adiueueris. Tertius modus est ex ictus diuersitate sub digitis iuxta situum illum varietatem. Quartus vt assuescas distentionem in respiratione deprehendere, atque cum ea etiam contractionem quæ expirando fit. Distentio enim velox cum tarda contractione malleorum ictui ob pondus similis est, vt contra flentium morem non interruptum imitatur. Ex idea igitur horum animo concepta vtramque motuum differentiam discernes, attamen contractionis cognitio, non hoc tantum modo consilio absolui potest: sed vesicas aëre vel humorem plenas, ac primum tensas digito premens senties discessum inde discessisse, in mollibus autem neutrum sensu, sed vsu quodam ac ratione. Deinde ad pulsus magnos, validos tardosque transibis, demum ad paruos aut languidos celeres, quorum contractio difficillimè percipitur. Tertio ex digitorum vt in distentione alterno motu. His cognitis quietem supernam, id est, quæ extensioni succedit statim deprehendes, intima verò quoniam cum vltima parte contractionis & distentionis initio iuncta est, quæ percipi non possent quanta sit sciri nequit, quandoque cum adeò magna est vt pulsus latere videatur, rarum pulsum prænuntiare licebit; hæc tamen etiam per se sola plerunque superna longiorem, maxime in debilibus ac frigidis. Cumque pulsus circuitus breuis est his qui contractionem non percipiunt, crebet, velox esse videtur, tum magis quod plerunque crebritas cum velocitate sociari soleat, & ab eisdem fermè causis irritantur vtræque. Altitudinem autem pulsus vt dignoscas quandoque conuersione Brachij ne à rugosa cute arteria prematur opus habes Plenum pulsum Galenus qualis sit dignosci non posse putat, ille tamen est qui rotundam arteriam demonstrat, depressusque aliunde attollitur, digitosque implet. Pressus si spiritu refertus sit plus tensionis ostendit quàm duritiei, vt inflatus vter ligno comparatus. Si humore ne tensionem quidem magnam. Vehemens cum magnam digiti partem & cum impetu feriat valido similis videtur. Durus etiam cum prementi resistat ei assimilatur. Sed validus compressus sentitur & imprimit, illi horum altero carent, adeò vt si profundè premas conquiescant. Compressis etiam prioribus digitis sub his qui manui sunt proximiores hand pressis, validus vehementius pulsat, durus non. Sed præter id tenditur ac colliditur, quorum neutrum facit validus, imò vehemens esse solet: durus autem nunquam.

Tria præterea pulsibus accidunt: rythmus, ordo,

ordo, æqualitas: æqualitas & ordo ad facultatem & vsum maximè pertinent, sed æqualitas cum hęc in vno pulsu manent, ordo cum in pluribus, vndę æquales inordinati, & ordinati inæquales, quanquam rarò tamen esse possent. Inordinati autem qui alternis vicibus redeunt seu certo numero tantum euariant, seu aliquot ictibus inter se inæquales, pòst ad idem redeunt per circuitum: ordinati dicuntur. Quod si solum quidam ictus & certo numero redeunt ex parte per circuitum ordinatus dicetur. Si verò nullo modo redeant, aut etiam aliquot redeant, sed non certo numero, inordinatus nihil adiiciendo appellabitur. Intercurrens autem ictum habet perfectum inter ordinatos interpositum, vnde à dicrotis ac vibratis quorum ictus imperfecti sunt distinguetur. Inæqualium autem qui ex minore ictu maiorem excipit, absque duritie dicrotus, qui cum duritie caprizans, qui ex maiore minorem vibratus, vt in arcuum funibus cum redierint. Tremulus huic proximus, sed contentione caret totumque motum seruat. Cõuulsiuus & ipse motum totum seruat sed contentionem habet, qua à tremulo differt. Cum verò arteriarum partes non simul moueri videntur, sed altera alteri succedere, vt vndæ in flumine solẽt constante ictu vndosi, languescente vermiculares, ambo rati natura, & tardi, aliter enim diuersitas hæc plurium partium percipi non posset. Quod si dura sit arteria, serrati; sed si admodum parui ac languidi crebrique sint, formicantes dicuntur, seu duri sint seu molles. Innuentes in quibus pars remotior a corde debiliores aut minores habet ictus. (In Introduc. 1. ad Tyrones) circumnuentes cum vtrinque quasi in arcus formam idem contingit, nam in medio meliores sunt. Vnus est inæquali & inordinato communis, myurus scilicet, cùm vel pulsus ab initio validus paulatim vsque ad digiti contactum languescit, vel cum ordine continuo plures paulatim velut muris cauda in angustum & languorem desinunt, etiam omnino deficiunt: indeque ad pristinum ordinem reuertuntur. Duo etiam compositi pulsus vehemens ex celeri & magno: frequens exceleri & crebro. Circa autem omnes communes primas differentias versatur rythmus vt etiam Herophilus existimauit. Galenus (per de Diff. pul. cap. 9.) verò circa solam proportionem extensionis atque contractionis. Est autem rythmus comparatio ad ætatem, temperaturam, regionem, anni tempus ac reliqua communium differentiarum, tum etiam inter se. Velut cùm dicimus ex Galeno, tertio de causis pulsuum (cap. 5.) senum contractionem distentione esse tardiorem: quinimo minor etiam pulsus est tum rarior ac tardior, & ea quiete quæ distentioni succedit quàm quæ contractioni. Qui ergo pulsus hæc retinent Eurythmi vocantur, qui parum degenerant ac quasi proximè ætatis aut temperantiæ modum retinent Pararythmi. Qui magis aberrant Hererythmi, qui omnio dissimiles nullam retinent rationem Erethrythmi dicuntur. Duodecim igitur generales sunt pulsuum differentiæ: totidem ad æqualitatem pertinentium, quinque ad ordinem, communis vnus, compositi duo, à rythmo sumptæ quatuor, omnes igitur triginta sex.

Causæ horum sunt quæ quærentur: ipsæ enim vel quæ ex illis sequuntur sunt præscitæ. Optimum ergo pulsum cuique proprium scire oportet. Simpliciter verò ad dignoscendum, vt dixi, naturalem & acquisitum habitum. Is ergo est qui hæc quinque habet, vt sit validus, in cæteris omnibus mediocris, æqualis, ordinatus & eurythmus hominis comparatione. Dicebat Galenus secundo de præsagio ex pulsibus (cap. 11.) Nil perinde facit ad præsagiendũ recte de pulsibus ac naturalis pulsus notitia. Ego enim quantum ex diligentia assequi de me ipso potui cùm nunc quinquagesimum octauum annum agam, temperamento sanguineo, nonnihil etiam pituita dominante, non mediocriter frigido corde, circuitum distentioni habeo duplum sexquialterum, triplo certe minorem, vt contractio parum à distentione differat, magnum & latiorem quàm in prima iuuenta, vt pararythmus consistentiæ quàm senio propior. Videbatur autem & in patre decrepito adeò magnus, vt in iuuenta minorem fuisse verisimile sit. Hoc contingit absumptis senio, vt reor, partibus quæ arteriam circumstabant, tum cùm in iuuenta immodicè humida est arteria. Parui igitur fiunt primo pulsus octo modis, ex vsũ calore deficiente, ex facultate cum deficit, vt in profluuiis, cum opprimitur, vt in attonito morbo, & ciborum multitudine, cum impeditur in his in quibus extrema liuescunt quamuis constantibus viribus; ab instrumento, cum durior est arteria vt in hecticis cum humida est est adeò vt non possit attolli, vt in infantibus & ascite, quamuis humidior arteria si prematur, eò faciat latiores pulsus quò humiores: Cùm comprimitur vt in carnosis pueris & anasarca, tum à flatu: Demum cum in longitudine distenditur, eò enim fit exilior. Ex magnitudinis differentiis hæc prima scilicet profunditas deficere solet, inde latitudo, demum longitudo, ideóq; valde exitiale est. Si verò facultas restituatur cõuerso ordine redeunt. Et quamuis parvus pulsus possit esse cum robore virium, magnus tamen sine illo esse non potest, Eadem ratione prima omnium omnium in vsu magnitudo in quid obest acquiritur, inde celeritas, pòst crebritas, cumque redeunt contrarium ordinem seruant. Crebritas autem vt tertio de causis pulsuum (cap. 16.) peculiaris est imbecillitati, vt velocitas robori: Quæ igitur in distentione fit, plurimum distento pulmone contingit. Vt plerunque non ab ipso solum, sed etiam ab arteriarum osculis in ambitu copia aëris attrahatur. Vt secundo de causis pulsuum (cap. vlt.) Fit nanque distentio velox, vt celeriter naturalis calor restauretur: Contractio autem vt arteriis compressis halitus ille quem oculis nonnunquam in hyeme in boni habitus gerulis exercitatis deprehendimus, toto corpore ante sudorem

aut

aut ſimul effluere extrudatur. Igitur vnaquæque harum cum adfuerit cauſam docet, altera ſi quidem naturalem calorem extingui, ni aër affatim ſubminiſtretur, altera præter naturalem abundare. Magnitudo autem vtriſque vtilis eſt: ſed ſi non ſatisfaciat, celeritate indigemus. Verum cum illa (quod naturalis calor ob motum fumi copiam reflet, multóque magis præternaturalis, qui vt eiiciatur poſtulet, neutráque celetas huic neceſſitati ſatisfaciat, vt nec geſtori curſus ac recurſus ſed ne vllibi quieſcat cogitur) crebritate id verò maximè vires atterit: & imbecillitatis ſignum eſt cùm facultas non tantum nec tam celeriter mouere poteſt vt ſatisfaciat, & cauſa cum nulla interpoſita quiete vires conſumuntur. Frequés igitur febribus proprius eſt, non tamen ſolis, nam & qui curſu nuper fatigati ſunt talem habent: ſed ſi contractionis celeritas diſtentionis celeritate plus aucta ſit, hic proprius ſanè eſt putrido febrium generi, tertio de præſagio ex pulſibus (c. 7.) adeò vt etiam in acceſſionũ initiis hoc diſcrimen & breuitas externæ quietis ſemper appareat. In reliqua parte motus & quietis aliquando rarior & tardior. Sũt etiam manifeſtè parui, quibus ſi remiſſio ſuccedat vt Galenus ait, in ipſa acceſſione moriuntur. Raritas verò magna ſignificat cordis refrigerationem aut contentorum, ideò mortis magnum periculum etiã in ſanis præſertim ſi ex corde & in febribus: calor enim arteriæ hecticarum proprius eſt: contentorum autem ſolum omnium febrium præſertim putridarum, at quæ in ſolidis qualitas eſt diuturnitate contactus neceſſario augetur, alia non. In ephemeris verò quaſi alternans eſt. Generaliter autem defectus exceſſibus ſunt periculoſiores. Intemperies autem in corde facultates vitiant, ſed euidentius tamen calida ac frigida in cordi vicinis locis: calida & frigida functiones ſolum, humida & ſicca ne illas quidem. Vehemens neceſſitatis indicium eſt languidus pulſus qui vel non in ambobus lateribus idem eſt vel non perſeuerat ex oppreſſione fit abſceſſus aut humoris in parte eadem vel luctatio naturæ cum morbo. Et eius cauſa eo tempore functione non facultate læſa. Plenus ſuffocationis periculum oſtendit: Vacuus imbecillitatem, durus arteriæ ſiccitatem aut contentionem. Solent enim hæc per ſe quandoque, quandoque per conſenſum contingere, velut in membranarum abſceſſibus. Sic & mollis infuſo humore, nonnunquam ob affectus naturam, vt in œdemate, aut membri, vt in abſceſſu pulmonum.

Ordinatus per circuitum in magnis defectibus, vt in intentione, deterior eſt inordinato, adeò vt qui certo numero integrum ictum intermittit lethalis ſit, qualitercunque autem ſpatia duorum intermiſerit, in ſanis repentinam mortem nuntiat. Et omnis inæqualitas pari in re malo ordine deterior eſt. Omnis etiam pulſus modis aut magis neceſſariis vel maiore lapſu, vel perſeuerans deterior eſt contrariis. In leuibus lapſibus ordinatus in circuitu inordinato, & in toto quàm in parte melior eſt. In ſenibus præterea & cacochymis & animo multa verſantibus, iratis, timentibus, pulſus inordinati & inæquales citra periculum perſæpe ſunt. Inæqualis autem origo, vt ſecundo de cauſis pulſuum habetur. (cap. 1.) inæqualis cordis intemperies, motus contrarij, vt ira cum timore, & obſtructio vel compreſſio, hæc à tumoribus, illa à multitudine humorum aut ſanguinis præſertim lentorum atque craſſorum. Intercurrens cum functione neceſſitati non ſatisfaciente ictus alios natura interponere cogitur. Dicrotus quoniam incipiente motum natura in ſuperiore parte latera arteriæ duriora ob ſiccitatem vel tenſionem vel humores craſſos aut carnem, vel frigidiora ob cordis intemperiem vel humomores tardiora retrahunt ictum ſuperioris, vt exiguus videatur. Inde reparatis viribus & ipſa ſe ſimul extendunt & cum ſuperiore perfectum ictum complent, vt ſecundo de pulſuum cauſis habetur (cap. 6. & 7.) Caprizans arteriam præter id duram ac tenſam habet.

Vibratus verò cum arteria ſimiliter dura vrgentem habet neceſſitatem, cui facultas ob imbecillitatem nixu quodam ſatisfacere conatur. Tremulus debilem facultatem arteriam mollem gracillem còrporis habitum, raróque inuenitur. Conuulſiuus conuulſionem indicat (2. de præſag. ex pulſ. cap. 12.) Vndoſus contingit cum remorari motu videtur in arteria, atque ideò ſenſim procedere quaſi facultas non tota è regione digitorum, ſed aliunde veniens permeet, palam eſt autem ſi hoc contingat vt pars poſt partem attollatur, mollem opportere eſſe admodum arteriæ tunicam. Si ergo præter id vehemens ſit, ſudores promittit, vt ſecundo de præſagio (cap. 9) ex pulſibus habetur: ſecus autem imbecilles vires oſtendit: ſæpéque aſcitem & leucophlegmatiam aut comitatur aut prædicit. Vermicularis autẽ per ſe planè imbecillium virium ſignum eſt, præteritique nuntius, immoderatis omnibus purgationibus ſuccedere ſolet, & pulmonis corruptioni quæ ex immodica defluxione orta eſt. Serrati inflammationes oſtendunt in morbo laterali parum inæquales, multum in peripneumonia, ſed minus duri, vt Galenus. Quarto de præſagio ex pulſibus docet (c. 3.) Innuentes ſi eleuatis digitis verſus cubitum reſiſtunt, imbecillitatem in arteriis ſolum eſſe declarant, ideóque minus periculi, ſi non mutentur afflictam cordis facultatem. Itáque & minus comprimendo, & denuo poſtquam manum amoueris tentando, diſces an hæc varietas etiam in multis ictibus perſeueret, vt defectu ex hoc magnitudinem percipias, quòd ſi à ſuperiore parte ſolum decurtatus ſit vitio formationis arteriæ quæ ibi ſe immergit, atque ideò rarò id contingit, accidere ſolet. Sicut longior ob gracilitatem: mediocris enim pulſus quatuor digitis ſubiicitur. Circumuentium autem eadem fermè ratio videtur. Myuri imbecillitatem ſignificat, atque maiorem cùm in vno ictu tales fuerint. Pararythmi, ſi ad meliorem ſtatum ſimpliciter inclinent, boni ſunt: inter ſe verò ſi ſolum ſi pararythmi, velut ſi ſenex æqualem habeat extenſioni contractionem, non autem magnitudinem, malum,

Hecrythmi,

Hecrythmi deteriores, cũ pro miraculo habendum sit, si etiam simpliciter melioribus similes boni sint. Ecrythmi pessimi, hæc tamen mala minora sunt si naturales sint pulsus. Et in longis morbis difficiles sanationes: in acutis ingẽtia pericula minantur. Et contingunt quandoque similia monstris in pulsibus, sicut in phisicis, vt in Daniele Bonziza Venetorum legato, qui ex habitu acquisito quòd ei vlcus vetustum in tibia olim esset consolidatum, pulsum contraxit magnum & velocẽ, adeò vt diceres hora esse vehementi febre, erátque arteria tenta, & tamen validus: significauit ergo magnitudinem distẽtionis pulmonis paucum aëris trahentis ob duritiem, sicut accidit in humoribus melancholicis, & œdemate. Ex his autem ob laboriosam pulmonum extẽsionem, & non absolutam cordis satisfactionem tandem pereunt. Post annos igitur circiter tres pulsus inordinatus & inæqualis factus est, & tunc intra menses quatuor obiit, erat autem annorũ quadraginta sex: Et licet gracilis habitus esset naturaliter toto tamen triennio gracilior nulla ex parte, sed potius pinguior factus est. Maximè igitur inæqualitates ac lapsus pulsuum procedunt à cordis affectibus principaliter aut per consensum, aut pulmonis præcipuè Dicrori inter currentes, & generaliter inordinati. Cum verò adeò subtilibus rationibus hæc consyderatio constet, sensuumque præcipuo acumine indigeat, aut euidens signum aut diuturnum, aut multiplex, aut aliorum generum signis sociatum esse oportet, antequam de futuris statuas, multò verò magis antequam pronuncies. In vniuersum paruitas, crebritas & à natura morbi aliena qualitas, quæ in omnibus signis accipi conuenit, suspecta esse debent Quoniam verò medici sæpe dubitant, an æger febriat, quòd ventriculi affectus earum maximè inuasionibus adeò similes sint, vt Galenus in libro de prædictione ad Posthumũ (cap. 2.) diu coactus sit pulsum Antonini Imperatoris examinare antequam pronuntiaret ipsum febre non laborare. Ventriculi enim attritio si ex cruditatibus fiat, languidos paruos & tardos efficit Si verò facultas etiam imbecillis sit, crebri etiam fiunt & nonnunquam inæquales. Sed si à mordentibus humoribus infestetur, semper sunt inæquales, celeres & crebri. Vnde si perseuerauerint speciem petusæ arteriæ, & subtritæ arenulæ præbent, vt quarto de causis pulsuum ac de præsagio habetur cap. 23 & 6.) Sed in concoctione ciborum magni, celeres crebrique fiunt. Manifestum est igitur quod multis modis & initiis & incrementis febrilium accessionum ex vẽtriculi affectibus similes fiunt. Verum distinguit proprium illud putridarum febrium signum iam dictum, quoniam contractionis celeritas magis aucta est quam extensionis, et quæ circa ventriculum percipiuntur. In doloribus etiã pulsus quoddam habent peculiare discrimen ab anhelitu, si dolor in partibus sit respirationi pertinentibus, nam cum pulsus quia fit à vitali facultate (modo non exsoluatur) velox, creber ac magnus etiam sit, respiratio autem quia pectus doloris noxam sentit, tametsi celer & crebra sit, parua tamen redditur.

Respiratio enim non sõlum signum est affectuum cordis & cerebri sed & roboris facultatum eorundẽ, nec non causa potens, ac etiã salutis & mortis. Vnde efficacius denuntiat: sed non tam exactè differentiæ illius percipi possunt. Breuis & frequens si vel paululum perseueret, mortem instare nuntiat Frequens ostendit loca respirationis obsideri. Parua & crebra dolorem in partibus respirationi pertinentibus, paruitati enim crebritas satisfacit. Magna & rara in acutis ex delirio solum fieri potest: sed non ex omni raritate magnitudine compensata. Magna non dicitur, quod multum pectus attollat (hoc enim pulsui conuenit, in quo quantum attrahatur percipi non potest,) nam id necessitatis est & liberorum instrumentorum indicium, sed cum aër copiosus inspiratur, aut exsufflatur Quandoque enim inter has partes, vt etiam in pulsu diximus, multum interest. Comparatio verò inter illas etiam rythmus dicitur. Multum etiam facit ad respirationem intentio animi, plusquam in pulsu. Omnis autem læsio etiã minima respirationis morbi non materiæ impedientis vitio non sine magno periculo est. Est etiam illud consideratione dignum, quod Galenus longam magnam esse putat, cum vtriusque meminerit Hippocrates, sed quæ tarda est & magna, longa dicitur. Magna enim celer esse potest & tarda, breuis, vt in morientibus. Breuis ergo celer & parua. Septi transuersi hecticæ inæqualis varia, & vt flentis, cuius causa est motus impotentia, vt sexto Aphorismorum (Com. 54.) Et si in febribus hoc accidat, aut pinnæ narium moueantur lethiferum est, inquit Galenus (4. De locis. ca. 7.) Sic etsi cum sono glutiat: Paucis enim tales operationes indigent, vt contra vox naturalis, quia multis valde bonum signum est. Obmutescere verò circa morbi finem lethalissimum est.

Excrementorum verò ratio vna est, scilicet vt dixi, quod secundum naturam sint in colore, substantia, odore & figura. Figura, vt quæ consistere nata sunt, sint leuia: odore vt proprium solum retineant: nam sputi nullus est: substantia vt sit mediocris, æqualis, coniuncta. Purus color albus est, subfuscus. Sanguis hæmorrhoidum subniger: vteri clarus & albidus: seminis, vt puris nitens & grandinosum: stercoris, obscurior aliquanto cortice mali punicæ: vrinæ, vt stercoris, sed ob substantiam splendidior, similisque, triticeæ paleæ. Hypostasis, vt auri scobis, Muci plumbeus perspicuus. In omnibus deterrimi colores, niger, viridis, & præter naturam liuidus, at sine splendore præter naturam semper est. Niger autem color adeò malus est, vt non solum in excrementis, sed partibus & vestigiis abominandus sit. Semper autem extinctum calorem significat, persæpe etiam incendium: liuidus extinctioni, fuscus incendio propior est, viridis & ipse ab vtraque causa sit. Pus à sanie distinguitur, quod concretum sit æquale, & minus fœtens, fœdique coloris: nam sanies valde fœtet. Pus etiam quod ex sanguine

ne concreto fit, vt in magnis abſceſſibus non adeò candidum eſt, vt quod fit in vlceribus, ex humido tam à membro mutato, hæcque differentia vbique conuenit. In ſputis quoque & vrinis multum intereſt dignoſcere, an quod miſcetur ſit ſanies, vel pus, aut corrupta pituita: quippe pituita lenta magis & concreta in aqua agitata non ſoluitur, crudus humor vix: cumque abundauerit in vrinis, diu perſeuerans pituita eſt, quæ etſi ſignum corrupti membri non ſit, cauſa tamen ſit in mollioribus corporibus, vel ſi viriginem pariat. Sudor autem cum ſit naturæ vrinæ ſimilis odore, non fœdus ſed callidus totique corpori communis, ſi fœteat malus: ſi in ſuperiore tantum corporis parte, deterior: ſi frigidus, peſſimus. Si in facie tantum, reſolutionis virium ſignum eſt. Colligitur paruis vaſis ſtrigilis forma. Si pondus ſcire ſolum cupis, lineis interulis ſtatim exemptis explorabis, excipere ſolent ad libram vſque. Æquales ſemper ſpecie alui ſeceſſus, malum. Fineſque in meraciora deſinentes corruptionem ſignificant. (2. Epidem. ſec. 2. & 3.

Vrinarum differentiæ, vt his pro exemplo vtar, principaliter ſunt quindecim. Subſtantia tenuis tenuis & craſſa. Craſſam veteres eam quæ concreſcit appellant: ſed nos eam in qua digiti ex aduerſo, licèt clara ſit, non videntur. Color aqueus, albus, pallidus hi citra naturalem, vltra ruber, croceus, viridis, fuſcus, niger, liuidus dilutior naturali ſed fuſci particeps, naturalis & quæ ab Hippoc. bene colorata dicitur, pallida, palearis flaua, fulua. Contenta naturalia & præter naturã: naturalia, perſpicua, nitida, leuia, comi forma, æqualia, aureique coloris in imo cum perſeuerant, præſentem aut proximè futuram & ſtabilem ſanitatem nuntiant: in alba hypoſtaſi contingit cum ſub morbi fine mutatur, repentè ægrum mori, vel quia aliis partibus abſoluta non eſt, vel quia non indicat, vel quoniam morbus mutationem poſtulat iuxta tempora. Semper autem contenta quò abimo ſunt remotiora, eò finem morbi magis diſtare oſtendunt. Quæ verò præter naturam ſunt, ad fundum deſcendunt, vt furfures, ſquamæ omnibus fermè deteriores, maximè ſi carneis fruſtis aſſimilentur, farina pituitæ, quàm multi ſi tenuis ſit pro hypoſtaſi habent, arenulæ ac huiuſmodi. Quoniam verò omnia hæc quæ ad vaſis fundum tandem deſcendunt dupliciter proueniunt, aut propter vim morbi, aut ſunt ſe exonerantis naturæ ſigna, diſtinguere oportet diligenter, quomodo proueniant, cum in vno ſalus, in alio ingens periculum, aut mors ſint conſtituta. Certum igitur ex morbi alleniatione ſignum habetur, tum ſi poſt coctionem id accidat, & ſi quæ exeunt cruda ſolum non praua ſunt etſi alba ſecuriora, & ſi vrina multa, etſi cito ſeparantur. Et, ſi aſſuetus ſit talia mingere tutiſſimum eſt. Arenulæ verò, niſi in affectibus renum aut veſicæ nihil demonſtrant timendum, ex his autem tribus conditionibus fiunt vrinæ, quæ crudæ aut coctæ vocantur. Nam cum cocto vrina ſit, quæ ſubſtantia eſt medio-

cri colore bono, hypoſtaſi qualis dicta eſt, ſequitur vt vel vna harum conditionum deficiente ſit vrina cruda. At ſeptem modis palam eſt poſſe deficere, ſcilicet trifariam, vna totidem duobus & omnibus ſimul. Verum in biliоſis corporibus, ac morbis ſi ſola deſit hypoſtaſis, nec ſit mala, experimentum oſtendit, maximè ingracilibus, non eſſe crudam ſemper. Fit autem extrema cruditas tribus deficientibus ex toto conditionibus, vt ſi tenuiſſima ſit abſque contentis omnino, aut quaſi atomis vagantibus, quæ etiam peſſima eſt, colore autem aquæ. Tot verò gradibus contingit à ſumma cruditate, vel numero conditionum, vel earum magnitudine recedere. Porrò cum & à mediocritate ſubſtantiæ, & coloris, vt dictum eſt, bifariam liceat abeſſe & citra, & vltra manifeſtum quatuor fieri prima genera cruditatis, nõ magnitudine, vt ſeptem modi, ſed naturã diſtincta. Craſſa rubra quæ in febribus ſanguineis & melancholicis apparere ſolet. Craſſa alba quæ minus mala: Tenuis rubra quæ periculoſa eſt. Tenuis alba quę longum morbum nuntiat, aut ipſius primum initium. Et nihil eſt quod adeò illas mutet vt cœnæ abſtinentia, quæ ergo ob id coctionem non aſſequuntur, morbos decernunt inſanabiles. Multa vrina generaliter ſecurior, pauca etiã præter ſuppreſſionis periculum, ſecurior in humidis morbis atque corporibus, pauca in ſiccis. Turbida quæ clareſcit, finem morbi ſignificat, nám aut corpus purgatur aut colliquatur. Quæ verò turbida manet, magnitudinem incendij oſtendit, perſępe etiam lethalis eſt ac imminentis mortis inditium. Et morbis peſtilentibus familiaris. Et deterior eſt poſt initium morbi quàm ſi citò apparẽat. Deterior verò quæ dum inchoat, maximum enim incendium & præcipitem morbum ſignificat. Clara quæ concreſcit, initium coctionis oſtendit multa enim pinguedo etiam ſine frigore concreſcit. Quæ verò concreſcit turbida cum eſſet, morté futuram breui nuntiat, naturalem enim caloré ob ignei vehementiam euanuiſſe declarat.

Circulus eſt ſumma pars vrinæ quæ in continuis febribus ſaltem obducto brachio liuidus aut fuſcus aut viridis vel (Nicolus Berardi autoritate) turbidus apparet. Et quò profundior eſt periculoſior eſt: nam caloris innati extinctionem ſignat. Fœtor præſertim magnus aut peſtilentem morbum aut vlcera in meatibus declarat. Spuma in ambitu pituitam in cerebro, in medio pectore, quæ diu manet lentam & craſſam, crocea autem morbum regium, idem declarat lineũ linteum ſi in ea intingatur aut literæ ex ea chartę inſcribi poſſint, iuxta coloris naturam, vt nigra in lienis morbis, quibus in caſibus turbidæ vrinæ & confuſæ non ſunt adeò periculoſæ. Confuſam voco quæ non clarat̃r. Comparatio ad naturam, morbum, cauſam, ſymptomata, tempora morbi. Veleut illud: vrinam tenuem crudámque qui diutius mingunt ſi cætera vt in conualituris incidia fuerint in his abſceſſum ad ſedes infra præcordia expectare oportet: vt inquit Hippocrates (2. Prognoſ. tex.

34.) Vbi Galenus exponens ait: Frigida & crassa & in vniuersum contumacia absessibus iudicantur infra septum transuersum ob virium imbecillitatem: ad carnes glandosas viribus constantibus. Sed si tenuior fuerit & articuli imbecilles ad illos, huiusmodi vrinam ego in sanis iecoris vitium insanabile portendere animaduerti. Vltimum est secessus: & plerunque mutatio, nisi ad malum fiat, non solùm in his, sed in aliis excrementis bona, vnde illud Hippocratis secundo Epidemiorum (sec. 3.) semper æquales specie alui secessus malum. In vrinis tamen colorem & subsidentiam manere oportet, si non decernant. Sunt & qui concretas vrinas inspiciunt, quoniam longâ consuetudine edocti sunt. Sed neque de his neque per ignem reductis, neque ante primam horam, neque post sextam, exactum iudicium ferre possumus. Parum etiam admodum indicat duodecim in casibus, si non ex materia pendeat morbus aut materia pestilens sit, vel si in absessu contineatur, vel in concauitate, aut loco exangui, vel in mesaræo, vel loco aliquo nobiliore, vel in venarum siccitate, vel in accessionum initiis, vel in febre ex vlcere, vel si renes aut vesica vitio laborarent, vel si aliquid sumpserit quod impediat. Fermè semper enim in his vrinæ sanis similes aut crudæ quarti generis apparent, ex harum etiam genere sunt quæ materiæ morborum non concordant: vt concocta vrina paucis post diebus à quotidianæ initio. Constat autem hæc doctrina, non secus ac gemmarum cognitio, arte quadam mirabili, quæ scriptis tradi nequit: nam videbit vrinas perquam similes similibus in morbis atque corporibus atque ætatibus, quarum altera certum exitium, altera salutem breui decernet. Scripta tum ad exercitationem hanc, tum pulsuum, excitant medicum ac dirigunt, præsertim si absoluta fuerint, qualia quæ nos de vrinis edidimus. Inter vrinæ autem & pulsus præsagia hoc interest, quòd vrina magis de exitu ac materia morbis indicat, pulsus de morbo ipso atque ægrotantis vitali facultate: Pulsus etiam si vno ex latere bonus est, aut quandoque bonus salutem sperare decet: si autem vna vrina mala sit inter multas, interitum expectabis.

Partium verò quæ educuntur notissima est sanguis: per venæ sectionem ex pedibus cum aqua, ex brachiis etiam sine illa effluere solet. In ægris corporibus non perfectè rubet & rarò sine aqua apparet; plurima aqua, vt in ascite, ad febres etiam ac quascunque fluxiones paratos ostendit. Inspicere autem oportet colores si praui sint: optimæ enim vrinæ similis est, sed obiectu sanguinis viridior apparet. Sanguis verò superius rubet, ac ad candorem accedit, sed vbique cum splendore, prauus est albus vel citrei coloris, deterior aureus, hoc peior viridis & masculosus; deterrimus niger: corruptionis namque hæc omnia signa sunt. Procedente enim febre cum candidus euadat, indicium est non esse talem ob pituitam: cum tamen in sanis etiam inueniatur, transmutationem ad proprium genus per separationem declarat. Hæc autem corruptionem præcedit. Deterior autem minus splendens, pessimus qui non concrescit. Vidi vt lac & vt bætæ succum, hæc statim motua, reliqui diu conflictati, huiusmodi colores in sanguine concreto non nisi in summa superficie inuenire licet. Qui flauus fermè est ac multum splendet ex arteria cum impetu magno eductus est, quare cum tussi reiiciatur spumosusque sit ex venali arteria prodit, sed si vomitu nisi exuberet non magno periculo, qui sine impetu ónino exit aut paruo è brachio vincto aut parum aquæ continet, quoniam è vena non effluxit: aut in inuenibus defectum spiritus declarat. Qui verò è naribus sponte fluit, è regione partis affectæ fluere debet. Rubri autem stilla sanguinis haud vnquam effluere visa est in morbo exitiali inquit Galenus (1. Epidem. par. 3. Com. 18.) solus etiam sanguis exitus copiosus ac perseuerans certissimum salutis signum est, quoniam & omne genus humoris educit tenuem crassumque, & cuicumque multitudini satisfacit & citra omnem noxam, commune verò habet cum transmutatione, quod etiam sine coctionis signis, imò & cum valde malis, vt primo Epidemiorum testatur Hippocrates (par. 3. tex. 24.) ægrum seruare persæpe potest, hoc verò contingit in assuetis, & cum materia à natura vincitur quoniam fluit. Vnde cum status initium fuerit etiam ipsum mittere conuenit, & ad viscera ignobiliora reuellere ac deriuare vt in mala crisi. Terminus autem educendi sanguinem est mutatio in colore, vel impetu, vel pulsu. Hæmorrhoides autem sectione venæ si prouocentur sunt inferiores, si effluant præseruant à pessimis quibuscunque malis, si erumpant etiam liberant quemadmodum & in virginibus cum primum menses apparent.

Signorum autem minus genei alium, & quæ etiam propria sunt vni morbo, exempla sint hæc. Ventrem exploramus non solùm ob tumores & dolores sed etiam tensionem, palpitationem, extenuationem atque duritiem. (1. Epid. par. 3. com. 19. Quod si hypocondria sursum trahuntur inæqualiter cum tumore in acutis absessum significant: si vacua inflammationem septi transuersi quam de lirium subsequi solet. Si palpitant turbationem vel delirium. Consensum quoque obseruare oportet, velut pectoris cum genitalibus membris genisque: ventriculi cum cerebro, corde, colo, iecore, plantis pedum. Vteri cum cerebro, corde, pulmonibus ventriculo, collo, coxendicibus, renibus, mammis: cerebri cum ventriculo, sensibusque præsertim, oculis auribusque ac viciſſim: horum omnium cum cerebro, & ventriculo, & oculorum inter se similiter aurium: Iecoris cum liene & ventriculo: vesica & neruosa omnia cum cerebro: Renum cum totius corporis: Et exuperantiæ, vt natium extenuatio pro toto corpore, vt inquit Auicenna: Cum verò apparuerit vrina

signi

significans, febrem continuam & pulsus videtur quietus, febris est pestilens, aut ex valde crasso humore: contraria ratione ephemera. Assiua etiam excrementorum deprauatorum effusio significat corruptionem iecoris aut pulmonis. Et si solum plura sint periculosa tamen. Quæ verò cruda effluunt sine vtilitate vires debilitant & malum signum sunt. Vermes etiam nudi, magni, pauci, coloratiores, viui per initia ex ore prodeuntes, vel in fine cum debilibus viribus pessimi: si verò constantibus per inferiora cum excrementis & præcipuè ex medicamento, bonum, naturalis enim facultatis robur indicat, & materiam esse benignam: Inquies maior quam pro morbi ratione fit ob acres in corde habilitus. Considerare etiam oportet morbos admirabiles, & differentiam etiam similium: velut hystericus & cum comitiali & cum syncope conuenit: duplex enim est, vt Galenus ait (De locis cap. 5.) vnus in quo sensus & motus, spiratio ac pulsus intereidunt, extremaque frigent: Alius in quo sensus manet, sed contrahuntur brachia & crura cum difficili spiratione, & animi defectu. Generale igitur signum est, menses aut semen, vt in viduis, retineri, aut quod rarius contingit humidam materiam eò defluxisse: sicut & respirationem lædi, linqui animo, nullumque vestigium affectus relinqui: certa tamen non sunt. Certa autem non generalia sunt, si vterus ad latus, vel supra contractus sit, & figula inflatur: & si materia per vuluam effluente soluitur affectio. Ergo certa esse declarant affectiones, sed non omnibus conueniunt, generalia quia omnibus conueniunt si desint non esse affectiones declarant. Propria securissima sunt quæ adesse in affectionibus necessarium est, & cum agunt ipsas esse declarant, cuiusmodi est in secundo hoc genere: si sensus maneat & ab affectu liberata meminit præteritorum cum id comitiali morbo, cui maximè similis est, minimè conueniat, constat hystericam esse affectionem, liquet autem quod ex certo atque generali signo proprium conflatur. Sunt & morbi admirabiles non genere, cuiusmodi fuit is qui Danieli Bonricio contigit, qui cum duorum morborum effigiem præberet, neutrius signa ac vices implebat, fuit autem huiusmodi: Die octaua Ianuarij anni M. D. LIX. sputi sanguinis vestigium pituitæ admistum, sequenti die sanguinem misimus, perseuerauit tamen sputum cruentum, indiesque augebatur: Difficultas que spirandi intendebatur, adeò aliquas noctes peruigil duceret, nonnunquam dormiebat, vt eâ quæ decimæ diei successit. Interim verò cum hæc essent signa affecti pulmonis, sanguis & metus & copiosus è naribus perpetuò fluxit, nec tussis vlla infestabat, sed excitata solum cum excratione emittebatur: adeò vt defluxionem à capite esse existimaremus. Duodecimâ mensis præter sputum cruentum, pituitam etiam multam seorsum expuit nigram non profundè & sine sanguinis vestigio. Dubitabamus an è capite & illa descendisset, lucernæque fumo tincta esset. Eâ die tussis leuis inuasit, spirandi difficultas maior, auctumque est sputum, & magis cruentum euasit. Recordabamur Pythionis qui sputa varia & subrubra expuit ex defluxione coacernata, vt Galenus existimat: sed res aliter cessit, nocte enim quæ decimæ septimæ diei successit totus refrigeratus est, sudauit, anhelitus & vox intercepta. Assumpto antidoto diamoscho, incaluit, dormiuit, spirandi difficultas imminuta, atque ita per totam decimam nonam diem melius se habere visus est, adeò vt benè sperare cœperit, cùm ab initio morbi animum desponderit semper: sequenti nocte vigiliæ, spirandi difficultas & præter copiosum cruentum sputum, nigram rursus pituitam emisit. Duobus frequentibus diebus omnia grauiora facta, non tamen ita vt desperata salus videretur: die vigesima secunda quæ fuit finis quartædecimæ morbi, circa meridiem defunctus est, nec antea refrigeratus est. Pulsus, vt ante morbum, secundæ pulsationis tempus ad dimidium contrahebat, ita tamen vt duarum pulsationum circuitu naturalem quantitatem retineret. Verùm post decimam septimam diem hoc magis frequentauit: nonnunquam etiam prope mortem, sed paruo tempore perseuerans ad naturalem statum redibat. Vrinæ semper vsque ad vndecimam morbi benè coloratæ, & cum contentis mediocribus. An febriret difficile fuit perpendere, nisi post eam diem, ob acquisitum pulsus, vt aliàs dixi, habitum. In sputis nullum pus aut sanies, sed sola pituita pura, aut nigra, aut cruenta apparuit. Mirabile igitur fuit si à capite cruor emanabat, cur perierit: si à pulmone, cur sine tussi: cur nulla sanies? cur nigra pituita absque cruore? si ab vtrisque quænam causa tam potens in duobus locis adeò distantibus venas simul aperire potuerit? cur etiam nec pus nec sanies apparuerit? cur cum iacuisset decimaseptimâ die vt mortuus, mortem ad vigesimam secundam distulerit? volui dissecare corpus, memineram enim duos alios simili morbo interiisse, sed consanguinei noluerunt. Puella nuper annum ingressa decimum, cœpit laborare cruris dolore, quæ videbatur ex inferiore parte ad superiorem ascendere, post venter durauit, atque intumuit, vt in hydrope sub tertij mensis initio sublatâ duritie, ac magnitudine, cum bene appareret ac dormiret, starétque ratio, nec pulsus multum à naturali statu variaret, cœpit assiduè dum vigilaret attollere ventrem fermè palmi maioris magnitudine, cum strepitu quasi singultientis in fletu: audiebatur autem in ventriculi regione sonitus quasi vtris aqua pleni agitati, memoriamque amisit, vt nec matrem agnosceret. Dicebat tamen se sentire rem pugni magnitudine quæ ex ventre ascendebat: & cum famesceret, ad gulam fermè videbatur peruenire, & ita eam vexare, vt nisi protinus cibum dedissent, eam esset strangulatura: Mirabamur autem quomodo tanti motus assiduitatem tamdiu perferre posset. Quidam ad palpitationem sub peritoneo, quæ si perseueret, dicebat Auicenna (2. 3. cap. 18.) quod comitialem aut melancholiam nuntiat, referebant. Nos existimamus esse fletum siccum;

ſiccum; quia cum difficultate ſpirandi non laborer, eundem patitur affectum quem qui flent vehementius pueri verberati. Indicio eſt quod ipſa interim dolere ſemper ſe teſtatur, quamuis interdum dum laborat, rideat. Sunt & tranſmutationes etiam mutabiles, vt cum colica in arthritim & reſolutionem, quod ſæpe fit, tranſmutatur. Cuius rei cauſam dum de reſolutione loquitur, multis verbis aſſignare conatur. Veriſimile autem eſt, ob dolorem debilitatis membris exanguibus, iccoréque concalefacto, cuius inditium eſt ſitis, trahi materiam per venas, atque inde propelli ad loca infirmiora, humorique familiaria.

Prognoſtica igitur ſigna ſanitatis aut mortis, tum vigoris morbi, quem prænouiſſe non ſolum ad medici gloriam multum pertinet, ſed etiam ad ægri ſalutem, eſt neceſſarium in morbis qui ex materia pendent (1. De criſi cap. 16.) qui plurimi ſunt, ac maxime celebres, ex naturalis facultatis opere ſumenda ſunt. Nam ſi fruſtratur peruertitúrue ab alieno calore, lethalis eſt: ſin autem impeditur aut abrumpitur, diuturnus ſemper, nonnunquam etiam difficilis eſt morbus. Vt verò hæc dignoſcas, tria animaduertenda proponit Galenus primo, Epidemiorum, vires, morbum, ſucceſſum, hæc autem ex octo generibus quibus ſexdecim ſubiiciuntur ſpecies, Hippocrates cognoſcere docuit (par. 3. com. 1.) Febre acuta, cerebri ſymptomatibus, mala ſpiratione, vigiliis, delirio, conuulſione ventriculi, ſitim, *δριμύτητα*, linguam. Quæ excernuntur vrinam principaliter, ſanguinem, ſudorem, deiectiones, vomitum, nonnunquam ſputa, hypocondria, extremitates, & dolores. In horum ſingulis tria conſiderat, ſucceſſum, comparationem, dies: Archigenes pulſum illis octo generibus addidit. Vires ex præteritis ſi puerpera ſit, ſi membrum nobile, præcipuè cerebrum natura aut caſu læſum ſit: ob id magni viri non facilè pereunt. Et quibus oſſa circa cor deficiunt, plerunque quaſi repente moriuntur & morbis quibuſdam familiaribus per interualla laborantes: deterius ſi perpetuo, vt veſicæ lapide. Si ex eorum proſapia ſit qui parum viuant. Si multa venere vſus ſit. Vt contrà paucis vti cibis, & impigrum eſſe ad labores, vt ſexto Epidemiorum habetur (par. 4. tex. 22.) Vti etiam pauco potu & plurimo ſomno, ſignum eſt & cauſa roboris virium. Mandere etiam diligenter, cibiſque craſſioribus veſci, inter cauſas roboris virium recenſeri debent. Præſentibus ſenes, infantes, debili hi cerebro, vtero gerentes, tabidi, mala temperies, cacochymia, corporis grauitas, ſanguinis paucitas imbecillitatis. Ex ſequentibus quod inediam commodè ferat, & ex ea benè dormiat, ex cibis enim vires manere incertum ſignum perſæpè etiam damnoſum. Quantum verò vires poſſint exemplo Herotypi tertio Epidemiorum intelliges, is enim cum crudis vrinis ac multis peſſimis ſignis, non tamen lethalibus, euaſit hoc autem & ſerò, & ſeruata victus ratione, & facta tranſmutatione, aut copioſo ſanguinis effluxu. Ex morbis, inter febres acutam delegit memor ſui (4. Aphorum. 43.) Febres quæcunque non intermittentes, tertia die maiores fiunt, magis periculoſæ: quocunque autem modo intermiſerint periculum abeſſe ſignificatur: excluſis ergo intermittentes & lentas. Harum autem peſtiferæ toto genere lethales ſunt, quæ cum abſceſſu plerunque, niſi abſceſſus ſit in locis vbi venæ ſectione ſolui poſſit. Tertium genus, ſi non ex cruditatibus & bile, vna materia conflata efficiat, tametſi à bile vehemens, à cruditatibus diuturnum, rarò mortiferum eſt. At ſi ex bile ſimul, ac crudis humoribus conſtet; ſic vt vna materia ſit, peſſimum genus erit: vt Galenus teſtatur (1. Epidem. par. 3. Com. 19. & 23.) Tria enim mala bilis facit, ſitim, *δριμύτητα*, & vigilias. Crudus autem humor impedit coctionem, vt neceſſe ſit iudicium fieri ob vehementiam ſymptomatum bilis & ante coctionem ob crudum humorem, taléque lethiferum eſt, aut ſi paululum materiæ diſiunctæ ſint, aut vires validæ cum recidiua. Ex ſucceſſibus ſi vincentis naturæ ſigna appareant, ſalutare eſt, hæc autem quatuor, concoctio, ordo facilitas, & remiſſio. Concoctio in vrina etſi tenuis ſit ſubſtantia, atque ſine contentis, ſaltem ſit boni coloris pauci enim vbi talis perſeuerauerit pereunt, vt primo Epidemiorum habetur (par. 3. com. 27.) nam & bilem excerni, & quod maius eſt aqueæ ſubſtantiæ commiſceri, efficaci coctione declarat. Ordo, vt diebus decretoriis inſignes fiant mutationes, & aliquibus præcedentibus inditiis, nam quandoque praua, & multipliciter excreta, alioqui ſic tamen bonum ſunt ſignum. Si enim ſequatur alleuiatio aut concoctio, magni roboris eſt argumentum, vt ibidem colligitur (tex. 22.) Tum ſi ſenſim deriuet velut ad lienem, & ex liene ad ſiniſtrum inguem, inde ad ſiniſtram tibiam, vt de Herophonte narrat Hippocrates (par. 4. tex 41. Sic ſexto Epidemiorum (tex. 70.) loci alterius, loci excipientes, aut dolore, aut grauitate, aut alio quopiam liberant, aut aliis communicationes etſi intus ferantur, aut non pro morbi ratione, velut ſi in digitum quemadmodum Temeni Nepti ſecundo Epidemiorum, malum. Sicut & ſi ex inferioribus ad ſuperiora (minus tamen ſi oriantur) peſſimum. Vnde ſecundo prognoſticorum. Dolores qui cum febre affligunt circa lumbos & infernas ſedes, ſi præcordia attigerint infra relinquentes loca, admodum exitiales ſunt. Exemplum habes in Laritiæ caluo, qui, in quarta die obiit. Facilitas vt quamuis ſæua ſint ſymptomata, ipſe bene perferat, & parum à conſueto ſtatu dimoueatur. Remiſſio verò ad morbum ipſum pertinet; contrà ſi aſſiduè vrgeat, lethaliáque ſigna adſint, breui periturum decernit: vt primo Epidemiorum habetur (par. 3. com. 18.) Signa ergo lethalia ſunt, Delirium furibundum, vel ſi feſtucas velat, obmuteſcere, vel conuelli in fine morbi: nam in initio ex materia vel morſu accidere poteſt. Differt autem conuulſio à tremore, quoniam quieſcente membro, ceſſat tremor: Hæc familiaris eſt infantibus, & ob id minus pe-

ricu

ticulosa. Duplex eius genus quod absque motu sic, quale cum hypocondria tenduntur, & intro contrahuntur, ob septi transuersi conuulsionem, vt Galenus docet tertio Epidemiorum (par. 2. com. 1.) Generaliter quæ cum motu est lethalior esse solet, morientibus & infantibus familiaris. Sic & non videre, aut lucem non perferre, quod accidit vel læsa oculi substantia, vel spiritibus destituta. Et quæcunque primo prognosticorum habentur. (Texto 10.) Decretoria etiam signa, quæ non decernũt cum signis lethalibus etiam lenibus, atque eò magis si materia adhuc cruda est, & quando maiore nixu fiunt, vt morbus regius quocunque tempore ante coctionem accidat, quanquam in acutis plerunque ante septimum diem, aut cum excretiones, exacerbatio grauior excipit, velut de ea quæ in mendacium foro decumbebat Hippocrates narrat, mortem nuntiant: Per se verò semper longitudinem morbi significant. Deteriora autem signa sunt, cum à somno accidunt, leuiora, cum surgentibus & excernentibus, prana cum cibum assumentibus, nisi in ventriculo affectis. Quintum ex contrariis constat omnium præstantissimum: Eius octo exempla ponam primum si in acuta febre extrema frigent, præsertim si cum sudore etiam liueant: nam, vt ait Galenus tertio Epidemiorum, (par 2. com. 5.) innati caloris extinctionem aut in visceribus inflammationem declarat. Quod si non ardens sit febris, concretum in visceribus sanguinem in doloribus tamen mediæ partis vehementibus refrigerantur extrema & pulsis fiunt parui, & frequentes, & in pectoris externis respiratio etiam frequens, & parua. & tamen æger persæpe facile liberatur. Hic illud sexti Epidemiorum. (par. 1. tex. 30.) contentionis corporis, & artuum duritiæ ac confractiones, & ipse dissolutus, malum. Id est cum rigidi ac supini contractis cruribus, atque diuulsis iacent. Si vrina absque iudicio quæ continenter effluere solet supprimatur. Vt secundo in tertium Epidemiorum de Anginosa quæ apud Bitonem decumbebat. Eiusmodi est sopor cum biliosis symptomatibus, aut enim cerebri refrigerationem, aut extinctam facultatem indicat. Quod etiam in ventriculo ostendit arida lingua, vel delirium absque situ, vt tertio Epidemiorum habetur (par. 1. tex. & com. 7. et. 11.) contraria ratione in miti febre, sitis assidua vehemens, cum non ex dolore magno, nec superflua euacuatione, nec falsa pituita circa os ventriculi facta fuerit, humorem vehementer corruptum aut siccum, vt venenum nuntiat, & obid intentum. Sed & non appetere cibum procedente morbo, atque eò deuenire vt mori malit æger quàm quicquam sumere, quod faciunt hi quorum iecoris facultas periit, vt Galenus ait, (Ibidem Com. 13.) lethale est. Sunt autem huius symptomatis tres species, vt ibidem docet (p. 2. com. 3.) cum solum consuetos cibos degustant, quod minus malum est, aut prauos, fitque ob humorum corruptionem in partibus ventriculi abundantium: vel ἀποστασία cum appetunt quidem cibos, sed appositos auersantur. quod ingens malum est: vel ἀποστασία cum prorsus non appetunt. Porrò hæc omnia deteriora sunt quò magis naturæ aduersantur, vt in pueris in quibus facultas hæc robustior esse solet & vsus magis necessarius. Et si in febrium, aut fluxuum declinatione magis etiam, vt inquit Hippocrates sic & hydrops ex febre. Sunt & Signa instantis mortis, vt si citra anginam non potest deuorare, si spirat frigidum naribus & ore. Facies quoque in acutis, in qua color viridis, aut niger, frons arida, tensa & dura, tempora distincta aures frigidæ, & contractæ, & pulpæ earum inuersæ, oculi concaui, nares acutæ. Repentinæ enim vultus mutationes fiunt ex corde, vel cerebro vehementer affecto, vt in timoribus & lipothymiis: lentæ ex iecoris aut ventriculi vitio. Bona ergo non nisi in fine morbi bonum signum. Rechmon etiam, & sudor cum quod vires collabuntur, intra paucas horas occidunt. Accidit laxam habentibus cutem sudor, & conuulsio siccam & tensam. Sunt etiam signa dubia vt syncopæ & externi abscessus: vnde Hippocrates sexto Epidemiorum: (par. 2. tex. 10.) Abscessus veluti bubones signum quidem sunt germina habentium tum aliorum tum præcipuè viscerum, maligni autem sunt hi. Palam est enim persæpe talia etiam sine periculo accidere, nonnunquam statim perimunt, præcipuè syncope, lassitudo quoque perseuerans post sectam venam valde malum signum est. Et si grauiter mouetur lethale: oportet autem specialiter caput obseruare si collabitur. In morbis etiam vagantibus signa lethalia sunt fallacia vt etiam dixit Galenus (l. 6. de cibis boni & mali succi c. 1.) & ego obseruaui anno MDLVIII. ideò talium cura est vna. Pestilentes autem contrario modo persæpe cum salutis signis perimunt. Longorum quoque morborum signa eadem ferme his, sed quædam magis propria eis, vt in tumidis cruribus nigredo, pondus, durities, hæc enim insanabiles morbos declarant. In longis præterea morbis horrenda maceis medicum à curatione absterrere debet. longos autem morbos deprehendimus ex tarditate signorum quæ superueniunt, cruditate, causis tum his quæ illæ associantur (2. Epi. sec. 1.) calida ex his tabe, frigidi hydrope occidant. Quidam etiam morbi solo temporis decursu lethales euadunt: vt vrinæ suppressio post nonum diem corde refrigerato. Fecum retentio ex hernia post quintum cum resolutis viribus id fiat. Alij circuitum præstituunt vt phrenitis, quæ neque ante quintum diem interficit, neque vigesimum excedit, ob id febres cum duob. circuitibus terminentur, altero quẽ si incoctæ excesserint occidunt, altero quem modo excesserint acutæ esse desinũt. Acutas producere primo exacto termino, longas aut productas breuiare præstat, nam vt inquit Galenus diutius si perseuerent scirrhum in liene primum inde in iecore gignunt. Generaliter autem in acutis certiora sunt signa à cerebri facultate ad mortem, in diuturnis à natali ad salutem, vitalis in vtrisque medium locum possidet. Et cum hæc omnia noueris scias, si aliquod reluctetur indicium in acutis ægros quandoq. præter spem seruari: vt Pythionem, & quid in

Dealcis horto decumbebat aut interire: vnde dixit Hippocr. Acutorum morborum non omnino sunt certę pronũtiationes salutis aut mortis, sæpe enim ex syderum mutationibus aut continentis aëris, aut sub iudicio morbi, vel ob repentinam vaporum effusionem, mobiles reddi videntur, atque in diuersa inclinare. Galenus tamen de acutis inquit sexto Epidemiorum: vrinæ soli credendum est, cui si accesserint reliqua signa diuinatio firmissima erit, perpetuóque veridica. Hippocrates ergo de his loquitur morbis in quibus vrinæ sunt inconstantes, aut alia signa illis non cõcordant. Ab initio verò si signa lethalia vel quandocunque apparuerint, & sine magna excretione conquiescant, etiam validis cum viribus, mortem tamen aliquando expectare oportet. Præter hæc scire necessarium est, magnos morbos dupliciter dici vel ob ingens periculum atque hi calidi plerunque, vel ob curationis difficultatem, atque hi frigidi, & ob id qui vtranque habent conditionem merito maximi ab Hippocrate appellantur vt Attonitus. Incidunt autem in morbos quidam ex causa præcedente, alij ex dolore aliquo diutorno, atque in isdem membris solet morbus firmari, vt inquit Hippocr. (4. Aphorismorum 32 & 33.) sicut & superueniente desinere: alij ex vtroque vt Philista ex capitis dolore cum veterno & liberali potu in lethal. 3. Quibusdam per se inchoat quorum deterior est conditio: pessima eorum quibus ex dolore atque sine externa causa vt leuissimi qui nullo præcedente affectu ex externa causa excitantur. Despondere etiam animum in quocunque morbi genere lethale valde est. Verum perseuerare hæc signa admodum horrenda sint est necessarium. Vnum quoque signum potens dicit Galenus (primo De crisi cap 13.) pluribus debilibus est præponendum. Quæcunque repentè accidunt, aut à causis fiunt quæ repentè agunt, vt in pestilentibus vel repentè genitis, vt quæ ab obstructione aut longo tempore affectu citra sensum adaucto, vt corruptione iecoris aut pulmonis: aut congesta materia paulatim, vt in febribus magnis & absessibus, qui deteriores sunt febre.

Cum autem generalis prohibet futura, præsentia remouet, amissa restaurat. Communis indicatio est, vt à contrario quod æquater à mediocritate recedat, quantum causa vel affectus id fiat. Sed in morbo per se velut in febre refrigerando & humectando, in causa plerunque quasi ex obliquo. Neque enim bilem refrigerare & humectare solemus, sed præparare, concoquere atque purgare. Nonnunquam tamen e directo oppugnamus causam, vt in ardente cum frigida aqua curamus, sicut & morbũ ex obliquo, cum defluxus vapores. At symptoma semper contrario per se pellitur. Dolor acopis, Vigilia, somno. Hæc autem victus ratio quæ & si præstantissimorũ medicorum munus sit, quia tamen id agendo nihil agere videmur, minima hæc medicinæ pars à vulgo existimatur. Alia verò quæ quod nocet aufert clysteribus, medicamentis, venæ sectione, medicinę pars videtur magis quàm prior, sed nulla adeò quàm quæ secat, vrit, reponit, nebulas oculorum deprimit, lapides è vesica extrahit, ranices tollit, estque id opus chirurgorũ, qui maximè viuendi normam seruant, ob quæ pars hæc medicinæ chirurgique ipsi antiquissimi sunt. Quod videtur quæ hominum opera fiunt illorum est opera posse tolli, exemplo eorum qui captiuos vinciunt, nam & soluere possunt. Hacque sola in parte plus medici, quam naturæ auxilium prodesse videmus. Victus ratio aër, animi cogitationes, somnus, exercitatio, excrementorum eductio, res sunt non naturales. Temperatura, humores, membra, spiritus, facultates, functiones naturales sunt. Sectio venæ, cucurbitulæ, hirudines, secare, vrere, balnea, emplastra, fotus, escharotica, balani, clysteria, medicamenta propter naturam. Cibus hora quietis vel si breuior sit ea quæ à morbi vigore maximè distat, exhiberi debet, tunc enim minus natura distrahitur, & cibus quasi per otium concoquitur. Sin minus, abstinere, si ferunt vires. Anima enim nutrix, vt Auerroes inquit (2. de Anima Com. 5.) semper operatur. In cura etiam vniuscuiusque membri totum corpus vacuum habere oportet. Vnde Hippocr. (1. de vlceribus) Purgatio vulneribus capitis, articulorum, & ventris tamen consutis, & in quibus corruptionis periculum imminet, vtilis est (13. Artis cur. c. 22.) Vlceribus quoque exedentibus serpentibus & mucerati. Ita post corpus, caput propter oculos. Sectio etiam venæ fluxiones cohibet, & vulnera ob id siccat: Vlcerum autem cura est exsicatio. Cauẽdum est etiam ne res ipsæ viribus aduersentur, velut qui hydropem aut ventriculi pituitam decoctis curant, sed puluercs exhibere oportet aut offas. Quæcunque autem sunt propter naturam ea statim educere oportet, vt lapides, aquam, vermes. Excrementa propterea non ad contrarium diuertenda, vt si feces retineantur, vrinam ducere non conuenit. Feces tamen retenta vrina statim semel aut bis valido medicamento debemus, interim desiccantium & attenuantium non obliti. Et quæ maioribus morbis prosunt, minores morbos curant, vt surditatis auxilia, tinnitum: Attoniti resolutionem, earum comitialem, comitialis in cubum & vertiginem: In morbis qui ex materia pendent, non minuere oportet: & ne materiæ præparandæ impedimentum eueniat prouidere. Cumque duo auxilia vires per ferre nequeunt, vt inediam & venæ sectionem, hanc omittemus ob alterius necessitatem, vt in capitis vulnere, strangulatione, cibiq; fastidio. Si verò habitus non fert inediam, vel morbus vrget, aut adest copia calidioris sanguinis, prisanam dabimus. Quod si ætas animusne sectioni venæ repugnant, cucurbitulis, si sanguis sit tenuis aut cutis laxa, vtemur, vel hirudinibus aut assidua frictione, quę vicem sectionis venæ supplet, libro de venæ sectione contra Erasistratum (cap. 9.) Est autem diutuina frictio, vt Celsus docet (lib. 3. cap. 23.) cum non minus quàm ducenties fricatur homo. Vel si febris nõ adsit, vt Quarto de sanitate tuenda, purgante medicamento. Propria autem capiti quæ in ore continentur,

tinentur, aut auribus infundũtur, aut per nares trahuntur. Quæ verò in ventriculo educuntur per ἐμετικὰ si cruda sit, aut leuia, aut fluctuantia, aut pylorus impeditus. Crassa autem & in intestinis contenta, mesaræos iecoris cauis, vel etiamsi multa in gibbis κατοδικοῖς. Sin autem pauca in gibbis contineantur veniſve magnis, tum asciticis κλυσμοῖς, nam vnico motu indigent, & proprio & ob sicum. Ea quæ in crassis sunt intestinis, per ὑγκλυσμοῦς. Consensum quoque animaduertere oportet, vt cum pedum plantas inungimus pro frigida ventriculi intemperie. Securius tamen intemperiem medicamentis mutamus, quia facilius, vnguentis autem exquisitius purgamus, quia tutius. In vniuersum occasionis meminisse conuenit.

Sunt & magis propria præcepta vt incisionis venæ, quam Auicenna appellat in lepore nasi, in morbis capitis (4. p. cap. 20. & 1. 4. trac. cap. 10.) Scire enim quædam præcipua in talibus vtile, vt in causis pulchrum. Velut quomodo ventriculi cerebri tantam admittant cauitatem, præsertim nulla succincti membrana cum tam molli corpore; eurque in nuper occisis aquea substantia subflaua maiore ex parte oppleti sint? & natura torcular supra cerebrum in duriore membrana finxerit, imò quatuor sed in vno perspicuè quasi in lacum flumina arteriã ac venæ sanguinem effundere perspiciuntur; vtile autem cut pulmo venæ sectione non iuuetur. Sed & illa scire, vt si contingat percussum esse hominem aut decidisse intelligamus quot modis sine vulnere etiam ac contusione possit mori: & quam diligenter cauendum ne caput concutiatur. Ventriculi igitur ex Galeni sententia (1. ad Glauc. cap. 14. in initio.) præter cætera diligens cura habenda est in omnibus morbis, primum qui cordi per arteriæ ramos qui ipsum ingrediuntur truncúmque & ramos alios quibus super insistit copulatur: cerebro etiam per neruos sexti paris qui omnium maximi sunt: Secundum qui omnibus occurrit medicamentis solus, nec illa quicquam perficiunt nisi ab ipso conficiantur. Vnde accidit quibusdam iam prostratis viribus medicamenta nihil mouere. Tertium quod soli ipsi octo sunt facultates etiam ex Galeni sententia, quatuor illæ toti corpori communes, è quibus etiam concoctrix velut & ipse ventriculus toti corpori famulatur, nam & ventriculus eidem subministrat alimentum: tres aliæ eiusdem generis sunt cum communibus sed non eisdem perficiuntur instrumentis. Contractis enim villis longitudinis attrahit, obliquis retinet, latitudinis expellit. Octaua est ei soli omnino peculiaris vis appetendi. Quartum qui solus ipse interiore tunica ex cibo in dies assumpto nutritur, vt Galenus ait (3. de Naturalib. fac. cap. 18.) His igitur octo rationibus ventriculus ab aliis membris differt: Exercitio ergo aut frictione matutina confirmandus erit, tum meridiana quiete, somnóque nocturno. Cibus solidior post famem, parcúsque potus exhibendus. Pinguior habitus, aut mollis pluma fouent coctionem; adeò verò fouere præcordia vtile est, vt multi hoc solo præsidio ac quiete post cibum freti, quamuis mali victus ratione vterentur, non ægrotarint. Nec fieri potest vt crsi humores corruptos in partibus illis congesserint, tales in febres incidant, inquit Galenus primo de Febrium differentiis (cap. 3. & 8. Artis cur. cap. 5.) Quæcunque etiam externus malagmatis loco apponuntur, odorata & feruentissima esse debent, si quidem à tepidis, vt idem ait, exoluitur, palam etiam quod & astringentia & intemperiei contraria. Cibi verò, caro suilla, ventriculi & iecora gallorum iuuenum, petrosi pisces, ouillus caseus. Detergunt illum iuniperinæ vuæ passæ, atillis carentes, in melle conditæ: corroborat diacitonitem cum pipere. Inest autem ventriculo & vtero quippiam vt animalia quædam seorsum videantur, adeò grata prosequuntur, aduersa refugiunt, ob quæ gratior cibus licet deterior facilius ac melius concoquitur parum meliore, nam hunc exagitat, illum amplectendo constringit. Cæterorum quoque membrorum ratio habenda est, velut in vulneribus capitis non solum siccantibus vt in reliquis, sed peculiari causa calefacientibus etiam opus est, quod sit membrum rarum, exangue, principale, spiritu plenum, quod omnibus sensibus suffragatur. Vnde qui oui albumen, acetum oleúmque rosac um imponunt, vehementer ægros lædunt, multo magis qui os ferro terebrant, tactu enim os refrigeratur, ignescit attritu, cerebrum conculsum offenditur, membranam quoque detegunt, vincula vellicant & fraugunt, nonnunquam iam futuras lacerant. Præstat igitur gummi Elemi eos curare. Est enim calidum, siccum, odoratum, saniemque è profundo trahit. Calido etiam loco ægrum seruare, nec granibus molibus integere (siquidem omnium morborum cura præcipuè quos violentia peperit) per ea fit quæ sanis consueta, similia ac naturæ congruentia, conuenit. Commune etiam tum his, tum aliis omnibus quorum constitutio id admittit, præparatâ materiâ, validissimis statim medicamentis corpus purgare; nam ventriculus præterquam quod prauitate alium offenditur repleri malis humoribus velut etiam ex molestia inedia solet. Purdi pridie ieiunent, humectent verò corpus, eadem die potu mulsæ, vt Celsus docet. (Paulus lib. 7. cap. 4. & Celsus lib. 2 cap 11.) Curare autem non licet rectè morbum vt inquit Auicenna, nisi cognoueris eum: cum verò non cognoscis, à vino & multum nutrientibus, crudis, siccis, difficilis coctionis, laboréque abstine. alium mollem habeto, somnóque indulgeat. Sed in accessione nequaquam, nec cibum sumat, sed prorsus quietus sit. Scire autem conuenit de morbo an sit simplex, compositus, coniunctus? De causa an alia ab eo sit? Et si alia, an similis an contraria? an eodem loco genita an aliunde transmissa? nam simplex simplici curatione indiget, compositus compositâ, coniunctus multiplici. Si sine causa alia est, soli morbo adhibenda sunt remedia. Vbi pluta sint? & primum & maximè his in quibus de vita

periclitamur est insistendum. In reliquis à causa quæ curationem impedit est inchoandum. Morbi autem causæ principaliter occurrendum, pòst morbo sæuiori & symptomatibus quæ morbum excitare possent. Mébra etiam quibus modis euacuari possint, & quibus non, & vnde illis prodesse, scire oportet, nam caput κατωτερικοῖς non purgatur sed quæ ad illud feruntur, auertuntur, ipsum verò ἀποπληκτικοῖς & ἰφίτοις purgatur tum fotibus: at verò suffita & in aures indita, & emplastra magis vtilia sunt. Sed neque κατωτερικοῖς pulmones, verum his quæ menses & semen ducunt, nec vesica expurgantur. Quæ etiam influunt deriuare ex primo vt per vrinam quæ ad aluum, aut si cedat retrahere, aliter sinere, ne frustra conuellamus partem. Si verò exeat quæ noxius est commodè sed non quantũ oportet adiuuare, si incommodè, auertere, si alius, pe cantem educere. Si autem decubuerit, declinare, velut quæ in iecur per vrinas. Intro vt ex cerebro in lienem, ex eo in coxendicem eiusdem lateris Simili affectu simile curare: vt dolore podagræ excitato renum dolorem soluere, inquit Hippocrates. (6. Epide. par. 2. Tex. 7. 8. 9. Et 2. Epidem. sec. 3.) Porrò curatio perfecta, tuta, celer & sine dolore esse debet. Vt tuta sit necesse est quod ægrum, sanes nec facile morbus reuertatur, aut saltem ægrum non lædas, inquit Galenus (14. Artis cur. cap. 13.) nam quæ cum diuturno magno dolore est, si non omninò necessaria sit, infamis est & odiosa; necessaria autem etiam si sit ad paucos spectat tum verò omnia extenuanda. Modi autem maximos curandi morbos generáque præstantissimorum auxiliorum sunt decem & nouem. Primus est per cibos potúsve medicatos: cuiusmodi in Indicalve lignum sanctum, vuæ passæ, testudinum Africanorum caro, quæ etiam omnino cacochymiæ auxiliatur. Sed recentibus & externis & infra caput scobs ligni ex aqua ad dimidium: victus tenuis & siccans, inueteratis intimis & in capite, puluis corticis ex vino flauo & aromatibus, thure præsertim, reliqua vt opus natura vitiant ita vini saporem corrumpunt. Amara enim acribus & salsis miscent, aqua ad semissem, vinum ad bessem excoquitur. Vino pro serapio adduntur agaricus, colutea, cyclamen, elleborus niger, colocynthis, vel serapia ex polypodio vel fumaria, vel succi recentes. Omnium enim magnorum morborum cura per medicatos cibos fieri debet, nam natura necessitate coacta assumit medicamenti vim, vt equi fame domiti sulphur hordeo mistum, ita medicatorum tædium fugientes commodum sentiunt. Secundum est assidua euacuatio quacunque via fiat, ea enim morbi vehementes & circulares, vt ascites, solum curantur, cúmque rarius quam pro morbi magnitudine euacuare cogimur, morbus est insanabilis. Est huius genus etiam euacuatio familiaris licèt lenis per sudorem, vrinam, vomitum, hæmorroidas: nam hæ ex caua iecoris vena crassiore in quibusdam propagantur, exercitatione, balneis, medicamentis. Tertium alexipharmaca, vt theriaca seu mithridatum, Lennia terra, Armenum Lutum, Pazar, Smaragdus, oricis cornu, margaritæ, atque hæc duo innocentissima, velut quod constat ficu, nuce, ruta, sale, reliqua frequenti vsu vitam breuiant. Theriaca dignoscitur quod medicamenti purgantis opus sistit. Gallo etiam qui opium biberit, aut à vipera demorsus sit auxiliatur. Porrò in omnibus haustis venenis iuuat statim lixiuium, lacoleúmve copiosum haurire sæpius ac euomere. Rabidis autem peculiariter Alyssum, cynorhodi radix, ignis, cancri, qui etiam tabidis & carcinomatibus prosunt. Quartum Antidota magna ex venenis. Quintum destillatæ aquæ & olea quæ etiam metalla dissoluunt. Sextum thermarum potus. Septimum balnea humida, sicca, fotus, arena, insolatio. Octauum arteriis illita seu aduersus venena, vt oleum nostrum è venenis & alexipharmacis: vel quæ purgant scabiem, lepram, luem Indicam ex hydrargyrio vel stibio, aut sulphure, Ad os enim materiam retrudunt: quanquam & per aluum & vrinas & sudores insensilémque respirationem etiam euacuatio fiat. Eadem quoque in iisdem suffita maiore periculo efficacius prodesse solent, & expertus sum etiam castoreum cum melanthio, thure & aceto idem posse. Suffita etiam aromata vel male olentia multum possunt præsertim in affectibus vteri. Decimum, emplastra ad mutandam intemperiem ex anacardis, stercore columbino, solano, plantagine, aizoo, aut euellendum infixa, aut concoquendum vel sedandum dolores. Vidi sedatum contumacem capitis dolorem ex cerato ventriculo imposito. Escharotica, vt ranunculi maioris rotunda radix inisciæ dolore, eiusdem folia supra carpos; in diuturnis febribus cantharides. Eius fermè generis sunt fontes in cruribus iuxta humeros in occipite Decimumtertium, ferrum. Inde ignis (nam ignis omnem etiam calidam & siccam finit intemperiem seruatque naturalem calorem modò membri substantiam non corrumpas) præcisis aut corruptis iam partibus. Et si in vlcere os putrescat, igne potius quam scalpro tollatur; quod facilius & sine labore excidat, licet serius: nec quicquam ex incorrupto. Tangere autem quod corrumptum est vbi sanæ parti committitur oportet. Et si sponte aduenerit morbus è regione etiam iecoris inurere concessum est. Ita comitiales alioqui deploratos præcisis & exustis quæ sunt post aures arteriis curabimus, vt Auicenna docet (1. Trac. 5. cap. 11.) secare autem magna membra periculosum, & medicamenta quæ exurunt in materia cruda applicare. Mutatio quoque regionum, cum quod victus etiam ratio variari solet: Et in huiusmodi genere est Maris nauigatio non solum ob mutationem, sed turbationem, nec solum aër qualitate contrarius sed substantia est eligendus. Tenuis enim ab ortu & occasu solis cito mutatur; & hic plerunque sublimis siccus & perflatus corpora bene colorata reddit & mobilia velut & ingenia, idem de æquis. Venereorum quóque & maximè

ximè circa pubertatem, tum aliarum fluxionum. Et similiter qualitatum animæ lætitia multos mœrore oppressos, sanauit, vt Demetrij regis filium amore nouercæ Stratonices laborantem, Erasistrati consilio. Ira quoque, vt ait Hippocrates, calorem naturalem excitat. In hoc genere sunt præcantationes. Sed quæ miracula videntur supra artem sunt. Puella illa quæ adeò grauiter ægrotabat epota smaragdo & oricis cornu scobe, dum post quasdam preces exuruntur plumei globi ac nodi in grabatulo inuenti repente à tot malis plenè liberata est, non sine omnium qui viderunt admiratione. Decimo octauo loco Amuleta qualia sunt quæ suspenduntur in quibusdam causis maxima cum vtilitate. Vltimum ex astris petitur, velut in quartana sanguinem ex vena sinistræ manus hora coitus lunæ mittimus, sinimúsque fluere, donec sponte desinat (hoc enim generale præceptum est in omnibus angustis venis profuitque id multis ad sanitatem, tertio,) Anatomicarum aggressionum inquit Galenus (cap. 5.) vt liberentur, idque vidimus. Vnde & aliis in morbis astrorum obseruatione curare licebit, vt per similia ac dissimilia in his quæ proprietate agunt seu suspendantur, seu per os exhibeantur.

Horum pauca quædam exempla subiiciam. Quidam podagram sic curabat: leuiter cibatos ne deficerent, in balneum ducebat exerto capite. Fotus erat serum exactissimè expurgatum in quo abrotanum, absinthium, diamemælon, pulegium, rosæ, rosmarinus, fœni semen, ruta, sampsuscus, fenugrecum, incocta erant: Sudabant ad lipothomiam vsque. Cucurbitulas in cubitis iuxta carpos & talis propè locum affectum affigebat, sanguinémque quoadusque poterat educens, inde Diachilen cum resinæ modico superponebat, articulos autem affectos oleo cum sale perunxit. Alleo decocto perpetuò ante cibum vtuntur Galenus tutius censet vitandam cruditatem, ebrietatem & otium. (6. Aphorum com. 28.) In membris corruptis abscin limusquod corruptum est, etiam si ossa sint. Vlcera sinuosa quæ non expurgantur scindimus. tum suppurationes, vel si pus in pectore contineatur, quod si album effluat cum spe salutis. Ascitcos per initia cum medicamenta non prosunt. Et coli dolore aut renum lapide deploratos, modica cum spe. Semper enim internæ sectiones validas vires etiam si habeant magno cum periculo fiunt. Ex mirabilibus curationibus est, cum splendurus non diuisa cute diuidieur, securi è regione eius super lineum posita: inde claua ferrea securis sex aut septem ictibus percutitur, sanantur autem ex hoc aliqui. Antipathia vermes vermium aut viperarum cineribus educuntur. Ad inquietem pulvis facilis & expertus: Smaragdus, hyacinthus, margaritæ, coralius, lutum rubrum orientale, in pollinem redacta, additur scobs eboris derasa. Cum verò in huiusmodi morbis præstet plus medicus quàm natura, in quibusdam totum vt in luxatione opus medici cum natura satisfacere non post, initium sumere debet. Curatio quoque longorum morborum annua esse debet aut saltem semestris & ab initio, vt Alexander docet (l. 11. in Antidoto Coralij & Heraclidis.) Quomodocunque autem persanati tales in annua custodia victus esse debent.

Si verò morbi non curantur, alij in deteriores transeunt vt tipnitus in surditatem causæ & morbi ratione, horum enim altero vel vtroque inuicem morbi commutantur, vel confirmantur, vt clandicatio: vel interimunt, vt febres, aliique morbi violenti: vel quorum natura certum sibicir cuitum definit. Violenti autem morbi vel in quibus particula aliqua vitæ necessaria vel necessariæ coniuncta non vulgari laborat affectu (quanquam mitioribus rariores sint atque in his spectata sit egregij medici virtus) vt ait Hippocrates) lib. de vet Med.) tametsi sanabiles sint, male curati interficiunt. Et quicunque fermè pestiferi grauioresque Epidemij aut Endemij, vbi quis vt dictum est proprium ignorauerit auxilium. Quod si ex his absque ea virium auxilio euaserit, aut ex leuioribus quibuscurque prius ob malam curam ad extremum deductus discrimen parum superuinet si ad consueta munia redeat; aut miserè si omnimodis cum rationibus Ergo vt medico rectè prædicere inter reliqua glorioſum existit, ita ægro vtilissimum scirè curari contrà infœlicis est medici, egro verò periculosum, vt parui morbi causa magna fit.

Propriorum autem auxiliorum exempla sint hæc. Capiti ambra, pæonia, vèrbena: exterius serpillum, spondylium ex Galeni sententia (11. Artis cur. cap. 18.) Quæ verò prosunt capiti, etiam oculis, auribus, odoratui, dentibus, linguæ ac neruis prosunt. Ex suffimentis succinum quod rosmarinum, redolet comitialem morbum infantium soluit, & aërem pestiferum emendat. Oculis limaces cum testis fronti admotæ emplastri loco: cohibent enim fluxiones. Vt etiam album oui, acetum, sanguis draconis, fœnugræcumque propriè. Intus auium fella & piscium rapacium, tartarum, ossis spinæ medulla, squamma æris in pollinem redacta, rosa fœniculus, eufragia, chelidonia, ruta. Auribus, oleum amygdalinum amarum, quæ humectant æque incidunt, adeps tenuali anguillæ, succus cepæ rubeæ, clarerium, quod etiam est. Dentibus tithymali radicis decoctum ex aceto, cerui cornu nondum pelle exutum siccatum, sanguis draconis. Neruis hypericon fœnique dum siccatur fotus. Linguæ lactucæ succus. Aphtis cinis radicum bugloſi, mellis melque ipsum, alumen, rota. Asperæ arteriæ glicitizæ succus, carpesium, id est nostrum cubebe. Pulmonibus vulpis pulmo. Cordi crocus & moschus. Iecori apium, eupatorium, prassium, cichorea, lupi iecur. Cochleæ pistacia, vuæ passæ, Ventriculo absinthium, omnia præterea odorata quæ astringunt, cuiusmodi xyloaloes, nux myristica cortexque eius, sanrhalinosæ garyophyli, mirtus tum ipsi, tum cæteris principalioribus membris conferunt, ideo & macedonicum absinthium eligere oportet, idque etiam iecori confer-

Spleni

Spleni cappares & illius flatibus viticis semen. Renibus lac ouillum. Vtero galanga, omniaque illius genera, lauri baccæ & indita daneda, parthenium quoque & arthemisia ac origanum, ex compositis autem trifera magna. Visceribus omnibus tum febribus chamæmelom, exteriùs præcipuè: concoquit enim, resoluit, nec attrahit, sed moderatè astringit, concoquit egregiè oleum anethinum, ut Galenus testatur. (6. de simpl. med. cap. proprio) Articulis balsaminæ semen.

Seu quæ morbis peculiariter conueniunt: cerebri affectibus non prorsus calidis inula sub cineribus cocta: eodemque modo tussis etiam inueteratæ remedium est. Anginæ hirundinis nidus & stercus canis offibus nutriti. Hæmoptoi & orthopnœæ hippuris succus. Philoe aristolochia longa. Vteri strangulationi castoreum. Vulneribus internis ac ramicibus pillosella maior. Ruptis gentiana, symphitum, erithrodanum, garyophylatæ radix, eupatorium, caules rubri, spica inda, mumia velut & ea ex quibus constat, nam ex optimo sanguine humano recenti & sanguine draconis fit ceratum illud quo ramices curantur. Vesicæ lapidi Iudaicus lapis fœminis (lib. de Renum Affec. ca. 8) Vmbilicus veneris qui in maceriis nascitur radice oliuæ fructui simili, folio rotundo exili, ex acetario comestus, quæ etiam vrinam cit admodum, ideò ascitieis vtilis. Vrinæ vrigini halicacabum, papauer aut lapathi foliorum limuniorumque ac resinæ aqua destillata. Articulorum phlegmoni exterius radicum arundinis succus. Auicenna confirmat, sedat erysipelata trahit ex profundo, dolores lenit. Coxendicum diuturno dolori lepidium seu piperitis, & assa cum odoratis. Seminis ac mensium perfluuio succus aizoirenibus. appositus trahit menses, elleborus inditus & castoreum. Filicis autem radix & thlaspi semen in potu. Menses dum educis caue ne deficiente sanguine cieas, ob id phasellorum rubrorum ius & quæcunque lac generant irritantibus iuncta. Zibethum inditum semen & auget voluptatem in coitu. Hæmorroidibus & fluxibus verbasci flores, his intus, illis extra. Radicis eiusdem succus Quartanæ ac pesti. Eidem chelidoniæ decoctum ex aceto: Venenis centaurium minus & alexipharmaca. Quæ omnia fermè concoquunt & digerunt & sunt magni vsus ad membra principaliora. Velut ignobilioribus galiopsis radix vt vlceribus prauis & pulmonis neruorumque affectibus ac strumis, quibus & aizoum acris saporis & aristolochia longa non solum exterius sed ex vino etiam sumpta. Sic althea omnibus auxiliatur, limaces quoque multiplicis sunt vsus: menses enim ciunt, ventriculi dolores sedant. Quæ incidunt acria vt radicula, cæpæ, gingiber, piper. Attenuant nec irritant. Vinum flauum, austerum, acetum, piper, mel, nitrum, crocus, thus. Si quis obiiciat, quæ adeò valida sunt minùs tuta esse? meminerit vt Galenus ait (11. Artis Cur. ca. 11) Adeò difficile esse aliquod inuenire auxilium, quod citra vllam noxam magnificè prosit. Amuleta verò, vt in comitialibus per consensum, corrigia ex corio frontis asini, frontipatientis circundata, vel pæoniæ radix, quæ etiam inpodagra vale: à plenilunio, & plantaginis radix senescente Luna in capitis doloribus, & hæmorrhagiæ iaspis, ac ventriculo. Cui tum cordi coralius flammeus confert & coli doloribus lupi intestinũ ventri circundatum. Surditati vrina felis iniecta calida.

Si verò primis, secundi aut tertiis vitibus aut propriis morbum sine noxa sanare velis, simplicium compositione indiges: similium in conuenientibus: contrariarum & æqualiter à temperato recedentium in aliis, ponderis habita ratione: Veluti si siccare opus est in tertio ordine nec calefacere, cum pipere ac pyretro iungam sanguinem draconis, santalos, tamarindos: si in eius medio berberos, plantaginem, rhaphanum, ribem: nam hæc in secundo ordine frigida & sicca sunt. Mensura autem compositionis quatuor regulis constat. Prima, Duc numerum ordinis singulorum medicamentorum in numerum quantitatis, similia iunge, dissimilia detrahe, quod fit diuide per aggregatum quantitatum, exibit numerus ordinis compositi. Sic miscendo calidũ in secundo ordine cum duplo pondere temperati conflabit calidum in besse. Secunda, si ex pluribus diuersarum qualitatum & ordinum temperatum efficere velis, duc quæ sunt eiusdẽ qualitatis in suas quantitates & iunge, quod fit diuide per numerum ordinis medicamenti contrariis, exibit quantitas illius sub qua si iungatur, fiet medicamentum temperatum. Tertia, cum volueris ex temperato & alio cuiuscunque ordinis medicamen conficere ordinis remissioris, detrahe numerum ordinis eius quod conficere vis ex numero ordinis eius quod habes, & cum residuo diuide numerum medicaminis quod conficere vis, quod exit est numerus quantitatis medicamenti non temperati in comparatione ad temperatum. Ex his potes propositis quibuscunque medicamentis conficere antidotum sub quocunq; ordine remissiore potentissimo ex illis. Quarta, in compositione quæ non fermẽtescit calida calidis iuncta semper opus augent, vt mel cum pipere. Quæ autem sub minore quantitate exhibentur non sub remissiore ordine agunt, sed vel facilius impediuntur, vel minorem corporis partem vel leuius immutant.

Quod si velis materias morborum subducere, si procul sint aut multæ aut repente subducendæ, validissimis medicamentis vtendum est: mitissimis si materia sit obsequens, aut vires imbecilles, cum verò procul materia est & vires languidæ parum ex medicamento validissimo exhibere oportet, quæ cum ventriculo & principalibus membris sint inimica supradictis odoratis iungenda sunt, opus enim eorum augent, & vim longius deducunt, velut ad articulos & neruos. Aromata dicuntur Garyophylum, Cassia, nux myristica & eius cortex, crocus, Cardamomum, amomum, gingiber & piper. Sunt enim plantarum partes gustu suaui, odore non ingrato, vt cibis maxime conueniant, vehementer calida &

quæ

quæ diu seruantur. His proxima sed in aliquo deficiunt, Agallochum, ambra, moschus, zibetum, galanga, santalum pallidum, assa dulcis seu belzoi, thus, styrax, elemi gummi, pyrethrum, rosmarinus, rosa, Balsamum cuius loco sampsuco vel violæ albæ radice vtimur. Vel si succedanea generali ratione scire velis, proximum ex Dioscoride medicamentum sumito, eo enim ordine ea ille digessit, vt quæ facultatibus idem pollerent, sibi etiam inuicem cohærerent. Inter hæc quædam tenuissima, quæ tamen antecellit aqua ardens, ea enim in ore contenta multum detrahit pituitam. Succus etiam quem cortex arantij leniter compressus eiaculatur. Ex temperatis, acetum, quod ossa penetrat. Astringentium quę tertium locum obtinẽt nobilissima margarita: Vltimum quę humectant, vt nymphæ candidus flos, & purpureæ violæ, iulebum. Medicamenta etiam tragacantho aquâ diluto in pastillos absque igne coguntur: Ignis enim aromata exurit. In bile ergo scamonium, rhabarbarum, absinthium, mirabolani citrei, omnia hæc præter scammonium ventriculo robur addunt, quibus si addatur aloë & fumaria, erunt medicamenta ventriculo amica quinque. Sed ex his amiciores herbæ. Pituitam colocynthis, pityusa, cuicum, pulegium, cum aceto & sale. Siccant eam mel, oleum, menta, pineæ, vinum flauum, thus etiam suffitum Bilem nigram elleborus, Epithymus fumaria. Deprehensos, castoreum cum scammonio: Feces in humidis corporibus verbena, aloës, terebynthi lacryma: in siccis oleum, ficus, vuæ passæ ventriculo vtiles, cassia nigra orientalis, ea est rubro & tenui cortice succulenta ac dulcis admodum, Manna viresçens splendens mollis, nam pura è fronde ac recens est. Aqua lactis, ius galli, caulium, betæ, ostreorum & mala codermorum. Communia hæc quinque. Præcipuè clysteria, balani ex saccharo cãdido, alij sale media forma fungosæ medullæ sambuci ex butiro & sale. Aquam ducunt electerium, tithymalus, brassica marina, chamedrys, teste Galeno: (1. de Naturalibus facult. cap. 13.) Lactucæ aggrestis lac drachmæ pondere. Humores crassos & procul catapotia fœtida vocata Pituitam & nigram bilem stœchas infusa, quamuis à Græcis non prodatur, confirmat viscera omnia capitique & neruis prodest. Nigram & flauam bilem humores crudos & crassos colurea, si ea est sena, & polypodium. Pus educunt quæcunque purgant & abscessus frangunt & quæ materia putrida constant. Agaricus ergo, & stercus columbinum, sulphuris oleum, bitumen, seseli, tussilago, Dictamus Cretensis, galbanum, salnia, thlaspi. Sed agarici drachmæ duæ mulsa macerata cum vncijs quatuor mulsædantur. Sit album recens, leue, friabile, dulcéque. Sanguinem purgant mercurialis, quæ & iecur sine noxa, lupulus, malua, buglossũ, bibinella, salnia: albæ violæ folia, porri capitati succus. Hæc omnia ciunt sanguinem vndequaque Generale domesticum, Mercurialis, pulegium, origanum, hypericum, fumaria, borago, vuæ passæ in gallo, senæ cum aromatibus, ius, cum saccharo rubro sumitur. Et ex compositis vncia vna philonij perfici ad prauas febres. Petroselinum autem vicem refert aromatis. In leuibus autem & innoxiis medicamentis præstat decoctum cum substantia cruda eorundem exhibere, omnium præstantissima metallica, imbecillissima, flores, folia, animalium partes molles, quanquam sanguis hyrci herbis muralibus & stercore columbino vinaciolâque per æstatem nutriti, lapidem renum potenter frangat & oleum è floribus sambuci, duriores tamen partes validiores sunt & semina, succi, radices. Eligere autem oportet ea in quibus præstantissimè notæ sui generis maximè sapor & odor. Vt partes particulæque earum & locus proprius & regio tum colligendi modum atque vsum considerari oportet.

Morborum igitur dignotio & cura tot exemplis constat quot sunt prima genera compositorum & coniunctorum, nam simplices morbi ratò inueniuntur. Hæctica igitur pro intemperie ignea simpliciore, quoniam causa eadem est cum morbo. Vulnus in pulmone (nam difficillima proponam) diuisionem vnitatis cum intemperie continet. Luxatio recens, malam compositionem cum vnitatis diuisione: obstructio ex mala materia prauam compositionem cum intemperie: ossium verò fractura omnia simul malorum genera amplectitur. Causæ autem quæ à suo morbo differunt tres febris incensæ, continuæ, intermittentis & putridæ, id est, pestilentis. Nonum exemplum est hæmitritæi. Decimum cum duobus sequentibus est coniunctorum, absessuum viscerum, fluxus cum febre, morbique prægnantium atque infantium. Vltimum symptomatum quorum principale est dolor, inde vigilia, abominatio cibi. Omnium horum necessaria est cognitio tum cura: sed morbi populares quandoque euariant à definitâ signorum propriorum ratione ob vrgentem constitutionis vim, vt in angina illa in qua vertebræ colli intro luxabantur, & ob id manus resolnebantur (2. Epidem. 2.) Collumela quoque liquescebat durabatque hoc malum sine febre ad quadraginta dies & sanabãtur. Hoc anno inummeræ quartanæ quæ ex more inuadebãt duobus diebus solum mane intermittere videbantur, cætera continuis similes. Nonnunquam etiam noui morbi vt mentagra olim (4. Art cur. ca. 3.) indicatio autem curationis à præsentibus non à præteritis, nisi forsan vt per ea in præsentium morborum & causarum cognitionem deueniamus. Infantium quoque nec certa prædictio nec cura: & ab eorum exemplis abstinuit Hippocrates.

Hecticæ igitur sanatio fieri debet per frigida & humida, & quoniam morbus hic præcipuè fundatur in aëre, corque ipsum ventiliatione aëris refrigescit, procurandum est vt aër talis sit, inde cibus atque potus, demum etiam externa, vt balnea & vbi venæ pulsantes maximè deteguntur, vt iuxta carpos & malleolos soporatiasque venas Expedit & vbi sunt cartilagines & circa iuncturas. Maxima quoque cura habenda est cibi ac potus balnearumque, vt plus

humectent

humectent quam refrigerent. Calor enim hecticæ ſiccitate plus longe à naturali habitu recedit, quam ipſa caliditate. Ob id igitur humidioribus indiget non adeò frigidis. Frigida etiam natiuum calorem extinguunt: ideóque nec periculo nec noxa vacant. Optimum ergo lac aſininum, quod caſei expers eſt & facile concoquitur: frigidum moderatè & humidiſſimum, quia tamen facile corrumpitur ſtatim ab vbere aſſumi debet. Humanum etiam aliquanto præſtantius eſt. Sanaretur facilius à quantitate multa ſed concoqui non poſſet. Exterius eodem modo ſuccus pampinum & capreolorum vitis & oleum violaceum, & ſi illi admiſceatur ſuccus plantaginis & lactucæ, balneóque frigidæ breui poſt prolixiorem in tepida moram vt in libro de aqua diximus, ſic vt poteſtate frigidiora quàm ſenſu ſint optimum erit. Ita multis auxiliis melius non tantum in hoc morbo ſed in omnibus aliis perficitur, quam vnico duntaxat, non ſolum quod plus poſſint, verum quod liceat, vnum quodque moderatius adhibendo e iam tutius admouere. Porrò cum hic nulla ſit cauſa à morbo ſeiuncta vt dixi, neceſſe tamen eſt adeſſe conſeruantem: ea eſt motus vt in phiſicis edocuimus, nam motus calorem accendit, præcipuè igneum qualis eſt hecticæ, & calor motum cit, ita mutuo ſe fouent. Ergo & hunc motum velut in flamma humidis ſopiemus, vt vtriuſque cura vna ſit. Quod ſi hecticæ iuncta ſit putrida, modo putridam per breue tempus interquieſcere facias eo interuallo frigidæ balneo curabis hecticam, tamen cibis ad eam delectis, quales ſunt qui facile concoquuntur. Ob affinitatem & difficulter corrumpuntur, vt teſtudines. Vt verò putridam arceas & inedia exacta & purgatione etiam valida vteris, nil veritus hecticæ incrementum: quandoquidem illam breui ſis iam ſanaturus; tam paucorum autem dierum detrimentum quod ex illius ſiccitate prouenit timere non oportet. Et cum putrida non curatur, hectica curari debet, quia naturalis calor putridas ſanat, & auxilia ferme communia ſunt. Et quamuis hi morbi periculoſiſſimi ſint Galeni tamen ſententiam de his tum ſimilibus ſequemur (10. Artis cur. ca. 10. & 11.) Quibus (inquit) nulla alia ſalutis ſpes eſt, & quæ eſt ea dubia eſt, neceſſe eſt illos aduerſum pericula ire. Ideóque melius eſt aliquid agentem periclitari, quam omnino moribundum ægrum deſerere. Itaque in huiuſmodi caſibus quantumuis leuis error cum ſit exitialis cauere oportet, ne vel minimum delinquamus. Solent autem omnes tum hi præſertim morbi languentes autumno opprimere eadémque ratione & veſpertina hora. Diei enim partes anni partibus reſpondent, vt inquit Hippocrates (2. Epidem: ſec. 1.) Porrò veſpertina hora ægri generaliter quatuor cauſis magis vexantur. imbecillitate ob ſenſuum laborem ac vigilias, febris incremento ob contractum calorem atque vapores, ad intima ex frigore ac tenebris aëris vitio dum vapores à ſole eleuati decidunt: & naturæ defectu, quod Sol tunc maximè ab ortu motúque ad nos ſit alienus. Hæc verò in pituitoſis deteriora ac melancholicis affectibus ob id etiam plerumque tunc exacerbantur, vt contraria matutinis.

Secundum exemplum ſit vulneris admodum recentis in pulmonis vaſe aliquo quo ſanguis per os prodeat: in quo ſtatim ne phlegmon excitetur occurrendum. Si autem externa ſit, vt aliam non habeat cauſam coniunctam Galenus affirmat omnes, qui ſic laborarunt ad eum primâ die venientes ſanatos quinto Artis cur. cap. 13.) aliorum etiam plurimos qui tertia vel quarta die ſed ante phlegmonem. Videamus igitur quæ obſtent huic curationi: motus ſanè perpetuus & maximè, tuſſis ſi accedat, nam ea vulnus dilatat. Si igitur ſtatim aut palo pòſt antequam vlcus nimis tuſſi dilatetur, aut phlegmone viſcus occupetur, acceſſerimus, venæ ſectione, vinculis, cucurbitulis in extremitatibus, ſanguiné tum auertemus tum minuemus. Siquidem ex iecoraria ſubducere expedit nec ſemel ſed quoties oportet, paucarum horarum interuallo. Aſtringemus autem atque ſedabimus motum ſimul, ſomnum prouocando diaſpermatum compoſitione, quam quia ſingularis eſt ad hoc malum ſubſcribimus. Ameos, aniſi, feniculi, ſingulorum drachmas quatuor: apij, alterci, opij, ſingulorum drachmas duas, leuigentur & cum aqua fiant paſtilli. Liquet autem quod omnium præterquam opij (quia ſuccus ſemina accipere oportet. Sedat hoc etiam dolorem. Idverò mirum quomodo in pulmonibus accidat, cum membrum ipſum & maximè vaſa ſenſu omnino careant. Manifeſtum autem quod & à cibo prorſus abſtinendum eſt, aut ſi longius ſit ſpatium priſanam hordaceam ſolam hauriret: aliquóque aſtringente fructu vti, qualis eſt cotoneum, pyrum ſilueſtre, ſed hi cocti, aut meſpilum, ſorbumve aut corna. Quod ſi diaſpermaton Galenus Theriaca, ego etiam philonio Perſico vſus ſum. Ita diei vnius ſpatio ſanantur omnes ni quid obſtiterit. Vulnera enim intra diem eſcharam contrahunt, cui cato ſucureſcit ſi vitio carent. At ſi ex diſtillatione orta fuerit ruptura (quamuis non hic locus ſit huic curæ,) ultra ea quæ dumus extrema etiam fricanda ſunt, & cum pyretro vel pipere: & capiti ſiccans medicamentum applicandum, quale quod ex ſinapi vel thapſia conſtat. Catapocia quoque ſtatim exhibenda, ex colocynthida, aloë, agarico, bdellio, gummi Arabico, ſcammonióque. Reliquæ etiam materiæ in pulmonibus contentæ cocto melle poſt venam conſolidatam expurgandæ ſunt. Inde æger aſinino lacte vacuandus ac reſtaurãdus eſt. Memẽto autem fractam arteriam & difficilius conſolidari, quod in pulmonibus ſolum contra morem præternuis ſit, nec ex pulmone licebit ſanguinem educere per venæ ſectionem non aliunde quàm ex corde illum excipit. Quod ſi diſtuleris & dolor nullus adſit ex irritatione tuſſis, &, vt ſuperius diximus, natura ſuppetias ferre conante, phlegmon excitatur, vnde mors ſubſequitur. Idem contingit ſi ex eroſione ſit vlcus, aut ſi ſanguis corruptus obducendæ cicatrici

idoneus

idoneus non fuerit: aut vlcus diductis labiis nimis amplum, his quatuor casibus insanabilis morbus efficiunt, cùm tamen prorsus insanabilis non est, sed defluxio sæpius redit, sanguinem mittes: adeò vt Lucas Cruceius Ioannem Petrum Mutiensem tricies quater secta vena sanauerit. Tabidos autem factos Hippocrates curabat lenticulæ decoctæ & veratri potu: alias verò sectione & vstione vt apud illum pro deplorato ni sanies praua sit non habeatur.

Tertium exemplum luxationis est in qua restauratio situ, vt in tortis apparet, omnia statim conquiescunt adeò vt simplici morbo non absimilis videatur. (Vessal. lib. 1. cap. 21.) Ex hoc genere prima constituatur luxatio summi humeri qui est cartilaginea scapulæ appendix qua iugulo iungitur: De qua Hippocrates libro de Articulis inquit (par. 1. tex. 26.) Necesse est vt locus in superiore parte turgidior fiat atque ideò deformis, nullam tamé noxam omnino contrahat. Quæcunque enim (ait) ossa aliis coniuncta luxantur nunquam eodem loco reponi possunt, quia denuo iungi nequeunt, liquet igitur hunc morbum in compositione insanabilem esse, & tamen tã leuem esse noxam, vt operatio non lædatur, læditur tamen proculdubio quia ad graues actiones infirmior redditur. Subiicit & eodem libro aliud exemplum his verbis (par. 4. tex. 16.) Quibuscunque ossa tibiæ laxata sunt, vulnere facto, penitus è pedis articulis eminent, siue intro siue extra reponenda non sunt, nam si reponsita manserint, ex conuulsione breui, & plerunque ante septimam diem moriuntur: & si neque facta neque tentata repositio fuerit, plerique ex his euadunt, quanquam turpiter claudi. Galenus autem causam ibi impedimenti sanationis docet, dicens: Necesse est in huiuscemodi luxatione musculũ magnum decurtari ob alterius contractionem quæ ex vulnere necessario accidit, quoniam dum intumescit breuior fit, trahit ergo alium musculum non reluctantem, quia osse non distenditur. Vbi igitur os reposueris, qui non distendebatur ab osse tenditur, vnde dolores intolerabiles, conuulsioque exoritur. In hoc igitur morbi genere curatio mortem affert, si non curetur, operatio quidem læditur sed quæ ad vitam producendam impedimentum non affert. Verũ solam de formitatem & incommodum actioni, luxatio verò spinæ, vt ibidem rursus testatur Hippocrates (par. 3. tex. 19.) non solùm insanabilis est & impedimentum in operatione efficit, sed etiam vitæ nocet, non tamen adeò vt confestim occidat, inquit enim. Quibus ex casu spina inflectitur pauci sanantur ita vt dirigatur. Paulò pòst causam subiicit dicens: (tex. 45. 46. 47.) Si uertebra luxata fuerit seu intus, seu extra, seu ad latera paruo longitudinis spatio, cum in ea dorsi medulla contineatur, necesse est hominem vehementer lædi, & vt stupor partium ãnferiorum sequatur, si autem longo spatio paululum à situ declinauerit, læditur quidem homo, nihilominus non moritur, sed vix curari poterit. Sed caue ne spinarum quæ ex processibus oriuntur collisionem, pro vertebrarum luxatione accipias. Nam vertebræ articulis inuicem iunguntur, ipsis autem vertebris processus laterales iuncti sunt supra & infra tendentes, in quorum apice quædam sunt appendices spinarum similitudine quæ confractæ cum ipsis etiam processibus imaginem luxationis vertebrarum præbent. Post hæc declarat (tex. 51.) quod si gibbus fiat vertebris intus luxaris hoc etiam deterius est: Et si luxatio magna sit omnino insanabilis, & breui perimit, causam docens quod vrina & aluus his supprimatur, nullaque industria vertebræ suo loco restitui queant: nam cucurbitulæ non sufficiunt ad trahendum, machina adhiberi potest pectore obstante. Tria igitur in hoc exemplo obseruare debes: primum quod spinæ luxationes longæ plerunque minus malæ sunt breuibus: Secundum quod morbi huius generis non imbecillitate virium sed naturæ repugnantia sunt insanabiles. Vnde constat insanabilium morborum triplex genus esse, vel ob virium imbecillitatem, vel ob naturæ repugnantiam, vel vtrumque: Tertium quod insanabilium morborum quadruplex est ordo: quidam enim sunt in quibus sola deformitas nobis grauis est, quidam in quibus lædetur operatio, sed vitæ non nocent, quidam in quibus operatio vitæ necessaria læditur, diu tãmen cum hoc superesse possunt ægri. Vltimum genus quod pessimum est, breui necessario perimit, hæcque omnia in eodem morbi genere perspicua exempla ex Hippocrate tradidimus (59. 56.) In quo etiam illud continetur ex sexta Aphorismo. Quibuscunque à coxendicum dolore molestatis excidit coxa & rursus incidit, his mucores superueniunt: vnde crus tabescit & claudicant si non vrantur. Eiuscemodi igitur luxationes diuturnas igne curari consulit Hippocrates, vt inquit Galenus. Ex hoc genere etiam insanabilium morborum est lapis in vesica fellis & carnea abstructio ibi vel alio nobiliore loco. Sed sanabilium si sit in vesicæ collo, nam linteis imbutis erodente medicamento tenuissimo curatur. Lapis autem vesicæ si durus, vel magnus, vel annexus, vel homo admodum imbecillis aut corpus cacochymum, non sanatur, neque enim cachochymiam propter dolores & vigilias antea tollere licebit, sed plerunque magno artifice indigemus. Si verò obtortum fuerit intestinum, starim maximam olei quantitatem immittere vel ebibere oportet. Vt vel pondere ipso & maximè si post inambulet erumpat. Vermes etiam amaris fugantur aut occiduntur Coralina etiam præparata ex lacte optima. Ramex autem fit fracto aut laxato omẽto in scrotum: & supra ad vmbilicum & inguen: Residet cubando: & rupta magis dolent. Et cura ab initio est ignis vel causticum medicamentum.

Quartum exemplum in fracturis ex Hippocrate assumatur (par. 3. à tex. 28. ad 42.) inquit enim in libro de fracturis. Iã verò quibus ossa fracta & extra imminentia in suã sedem restitui nequeunt, instrumentis è chalybe reponere oportet. qualia sunt vectes atque id prima die vel secunda, post autem nó nisi post septimam, si neque febris neque

inflammatio acceſſerit : mediis enim diebus ſi reponere tentes conuulſionem excitabis, magiſque facta repoſitione quam ſi reponi non potuerit. Quamobrem ſi reponenti conuulſio aduenias, os denuò extra ſedem, ſi id comodè fieri queat, educere conueniet. Quibuſdam verò oſſa ex vulneribus antiquis deciderunt, quibuſdam autem non, ſed ſolum deſquammata ſunt. Et quibus receſſerunt, quibuſdam breui, quibuſdam ſerò, aliis enim in quadraginta aliis multò etiam ante, aliis autem in ſexaginta diebus. Generaliter etiam oſſa parua & rara celeriter decidunt. Et quib. ſuppurationes bene fiunt ac inde celeres carnium reparationes: nã carnis incrementum non leuiter ad hoc auxiliatur. Contrariis autẽ cauſis tardè quædam etiam retidere conuenit, aut quia aliter reponi non poſſunt, vel quia carnẽ pungendo lædunt, vel quia iã nudata ſunt carne. quæ enim ſic ſe habent neceſſario excidunt. Sed vbi toto oſſis circulus abſceſſerit, membrum ipſum proculdubiò breuius euadet. Inde poſt pauca ſubiicit (tex. 50.) Oſſium verò receſſus ſi honeſtè id facere liceat fugere oportet : cum ſi reponas pericula multa immineant, hominemque, propius deducas ad mortem quàm ad ſalutem, ſi non reponas, artis imperitus exiſtimaris. Ex his patet qnænam ſit cauſa mortis in curatione ſcilicet quod ipſa actio grauis ſit : & aliquos eſſe morbos adeò acerbos vt per quancunque exquiſitiſſimam curam lædantur ægri, ac etiam pereant. Atque in his duo hæc ſunt maxima mala, ſcilicet vt per dolorem abſceſſus aut conuulſio irritetur. Illud etiam memoriæ commendandum quod dixit: (6. Aphoriſ. 45.) Vlcera quæcunque annua ſunt aut etiam diuturniora os abſcedere eſt neceſſarium & cicatrices cauas fieri. In vulneribus verò recentibus vehementibus ſi tumor magnus non appareat) inquit malum (2. Epidem ſec. 3. (Si verò appareat non valde conuelluntur nec inſaniunt laxi autem boni, acuti non ita. Si repente abſcedant ad poſteriora ſcilicet delata materia) conuulſiones cum doloribus, ad anteriores inſania, lateris dolores, dyſenteriæ rubræ.

Quintum exemplum etit in mala intemperie quæ ex obſtructione oriatur, atq; hæc vt ſupra dixi in iecore puta calido & ſicco & conſimilis: aut pituita lenta & craſſa contrariaque. In prima igitur conſtitutione his quæ incidunt ea quæ refrigerant & humectãt admiſcebimus: in ſecunda his quæ exſiccãt & calefaciunt, nec quæ attenuant omittemus: inde quæ aperiũt & educũt iungemus Metiri autẽ oportet noxã quã irritamentorum mora infert, & vtilitatem quæ ſequitur. atq; id etiã viciſſim conſiderare debemus. In cibis quãto minus dabis, modo vires ferant, tanto melius erit. Sed etſi materia calida fuerit, ſectio venæ multum prodeſt. Si autem frigida tum etiam intemperies magno cum periculo & ſemper cum iactura fier. Sed ſi calida intemperies materia verò lenta, pugnantibus indicationibus ſanguinis copiam in ægrotante conſidera. Frigidam verò intemperiem ex calida materia ortam verè inuenire non licet, cum illa tamen ſæpe, ſed tunc duo morbi coniuncti ſunt. In vniuerſum autem tales fermè omnes ſanantur, niſi antequam obſtructio ſoluatur materia accedatur. Ob id inedia optima eſt, rectéque facere videntur qui vt ſtatim noxam ſenſerint ſolo pane cocto contenti ſunt, nec mirum ſi tales vel minima medicorum opera ad vltimam ſenectutem perueniunt, hæc enim eſt cau a. Ordo autem intentionum curandi eſt : aluum mouere, venam ſecare, materiam præparare, membrum confirmare quodcunq; oporret.

Pro quatuor autem exẽplis proximè ſequẽtib. ſciendum eſt, quod febris eſt calor ſiccus ex corde lędens coctionem, & plerunque alia opera naturæ. Tres ſunt eius primæ diuiſiones penes eſſentiam, ordinem & ſubiectum. Subiecti ratione triplex, in ſpiritibus ephemera, in humoribus, & in membris hæctica. Ordine triplex prima, media & coniuncta vt hæmitriteus. Eſſentia triplex, feruens, incenſa & putrida. Feruens alia in ſpiritibus alia in membris, conſtituitque primam hecticæ ſpeciem: ex humoribus autem in ſolo fit ſanguine, quoniam in reliquis non eſt tantus calor vt feruere poſſint niſi accendantur. Manifeſtum eſt igitur hoc totum genũs eſſe admodum facilis curationis. Eſt enim vt puer ad virum comparatus. Incenſa fit in humoribus vel membris: tunc que ardet humidum oleo ſimile fitque hæctica ſecunda, nam tertia fit iam ardentibus ſolidis. Putrida verò ſimiliter fit in ſpiritibus, humoribus, membris. Ita cenſet Galenus (3. de præſagio ex pulſibus c. 4.) Sed ego de membris dubito. Velut enim in phlegmone antequam cor eo poſſit affici h. mo moritur : ita de peſtilenti hæctica. Sed non eſt contradicendum magno viro niſi cum error iacturam ſcientiæ aut operationi affert, hic autem non. Hæc eadem Galenus docuit ſed obſcurè : vt cauſam & diſtinctionem inuenire non adeò facilè eſſet. Vt verò genera dignoſcantur & ſpecierum ſigna auxilio ſunt. Signa autem alia per ſe certiora, alia nobis. Febres præterea quæ in humoribus accenduntur quandoque compoſitæ ſunt. velut duplex tertiana, plerunque ſimplices. Simplicium tot genera quot humores. Exhis ſunt continentes, quod perpetuò eandem ſeruent rationem æqualitatis aut incrementi vel diminutionis vel ſimpliciter continuæ, quarum quædam exacerbantur ſingulis diebus quædam alternis, quædam τεταρταῖαι. Aliæ lentæ: cæteræ omnes continuæ, acutæ nominantur. Nam intermittentium nulla acuta aut lethalis eſſe poteſt. Si autem contingat aliquem ſic mori vel alius ei affectus iunctus eſt, vel tu deciperis, cum continuam pro intermittente tractas, vel æger errorem admiſit : vel conſtitutio eſt peſtilens, vt vni acceſſioni putredo ſuperuenerit. Galenus autem continuarum genus præterquam continentium & hemitriteorum adeo leuiter attigit vt vix agnouiſſe viſus ſit : nam libros de differentiis febrium & de pulſibus ac vtramq; methodum ſi quis euoluat, pauca de cæteris febribus inueniet. Vberior enim tractatio eſt dũ in Epidemiis Hippoc. exponere cogitur. Et ſcias quod omnes febres durã faciunt aluũ per ſe, & multò magis ſi materia

calida

calida & sicca sit, quoniã exuruntur feces: & si frigida, functio à materia & qualitate simul impeditur ac læditur. Ergo si mollis sit, malũ.

Quæ feruore constant quod febres sint hoc solo signo deprehendi possunt, quod causa careant quæ modo tantum calorem excitare potuerit, ac pulsum magnum, velocem & frequentem efficere, quales sunt cibus, vinum, balneum, exercitium, venus, ira. Hæc enim non solùm febri simile quippiam facere potest, sed vigilias & febrem ipsam, tum absessus in corpore prauis succis abundante. In bene etiam temperato bilem flauam vt tristitia, atram, timor, melancholiam. Timor quoque & subito & multo post longè plures maxime si diuturnus sit occidere solet. In infantibus autem statim comitialem morbum excitat atque admodum pernitiosum. Tristitia tabefaciendo sæpe interficit, generat & flauam bilem ac febres. Febrium ergo feruentium genus à calore aliunde excitato differt, quod causam habet longius distantem, & manet pulsus vehementia: cùm in aliis, vbi causa cessauerit, vel momento pòst incipiat remitti: ab aliis autem febrium generibus suauitate caloris, celeritatis, distentionis maiore quàm contractionis incremento, & vrinis quæ sanis similes prorsus videntur, aut paulo plus coloratæ. Verùm ephemera iisdem signis ab incensis distinguitur, peculiariter autem quòd causam præcedentem habent, licèt non annexam. Coniunctum quoque in corpore sæpius dolorem, bubonem, cruditatem, obstructionem, vigilias, ex externis iram, tristitiam, timorem & gaudium ingens, verecundiam, purgationem. Caret siti, amaritate oris, dolore capitis (si non ex insolatione sit) & lassitudine, quæ sunt incensis ac putridis signa peculiaria. Positus etiam æger in balneo non horret. Septimum signum est quod soluitur cum modico madore. Cum ergo, vt Galenus ait (1. ad Glauc. cap. 2.) hæc signa tanquam chorum concinnum (quod in omnibus morbis est obseruandum) effecerint apertè pronuntiare potes esse ephemeram & exquisitam. Ideo ne vestigium vllum sorditiei relinquit. Contingit etiam nonnunquam in ea modicus horror aut frigus cum ex cruditate fuerit: quemadmodum & ante sanguineam simplicem, nam cruditas & horroris & febris causa est. Sanguinea verò ad tertiam diem plerunque durat (cum ephemera die vna ob substantiæ spirituũ tenuitatem soluatur) finiturque sudore copioso aut fluxu sanguinis narium. Sed antea ab ephemera differt caloris & mutationis pulsus maiore à naturali recessu, & inquies & capitis grauitas. Sed si non soluantur intra constitutum terminum, in incensum transeunt aut hecticam. Hecticarum proprium est vt calor ab initio suauis, processu autem tangendi mordax efficiatur, contrario more feruentium, at in incensis æqualis modus manet & mordax semper. Verum & hæctica prima manet, ephemera, vt dixi, vnica die finitur & ad summum cum ex obstructione fuerit intra tertium diem. Et si in bubonibus speciem continuè effecerit, intermittit tamen aliquando, aut saltem non irritatur à cibo, vt hectica. Et causam quoque habet conspicuam. Hectica vero cum confirmatur facit pulsum durum. Et omnis pulsus durus necessario est parus & debilis, & in febre etiam creber iustò plus.

Incendentes cùm cœperint, vrinas efficiunt crudas, & celeritatem contradictionis, vt dixi, distentionis celeritate maiorem, & quietem quæ distentionem sequitur, quam superiorem vocamus breuiorem, ideò ea ex parte semper celebriorem, & in ciborum coctione manifestum vitium. Et quandoque apparent, inquit Rasis (30 com. trac. 3 c. 1.) Vrinæ crassæ & rubræ etiam cum dolore capitis, & non adest, febris, sed significant abundantiam humorum corruptorum circa iecur & obstructiones multas, cum periculo successuræ febris. Continuæ autem distinguuntur ab intermittentibus septem præcipuè signis, quorum quatuor à Galeno, primo ad Glauconem ponuntur. (cap. 8.) Quod nec cum rigore aut horrore aut frigore inuadunt: quoniam tamen antea dixerat (c. 5.) etiam continuas cum rigore leui incipere, scire oportet continuas admittere frigus ac rigorem aut horrorem quatuor in casibus: primo cum soluuntur iuxta illud: febre ardente habito rigore superueniente fit solutio, & hoc est bonum. Nonnunquam in initio mortiferarum febrium contingit magnus rigor, vt primo Epidemiorum (par. 2. com. 75.) quoniam iecur concutitur & conatur expellere magno nixu, & tamen non potest, igitur superatur illius expultrix à morbo & eius causa. Atque hæc de initiis. In quibus verò horror sæpius repetit, materiæ pars expellitur, pars in venis remanet, aliter continua non esset; quoniam ob id continua est febris, quia in venis materia seruatur, ideóque perpetuò accenditur, talésque febres ex genere coniunctarum sunt: vt hemitretæi veri & spurij. In quibus semel horror singulo die, aut alterius diebus horror & rigor reliquis horror tantum. Nam cum continua rigor solus alternis diebus vix contingit: singulis autem diebus si adueniat, duplicem: tertianam extensam efficit. At si horror ille sit, hemitritæus Agathini est à duplici tertiana multum differens, quamuis Galenus aliter sentiat (2. de Differentiis Feb. cap. 8.) Differt enim à continua simplici ob accessionem, à duplici tertiana extensa, quod rigore careat & verè continua sit, neque enim vnquam soluitur sudore nec remittitur quartum quæ desinunt: & modo citius aut tardius, quod duplicibus tertianis extensis contingit, à quotidiana verò intermittente, quoniam cum horrore inuadit non frigore tantum nec intermittit: nec tantum in ea ventriculus afficitur. Quarto rigor inuadit mortem prædicens iuxtà illud Hippocratis: (6. Aphoris. 46.) Si rigor incidat febre non deficiente, ægro iam debili, lethale est, nam si sequatur euacuatio, ab vtroque motu vires prosternuntur: si non cum materia & calor igneus ad cor contrahantur, vitalis extinguitur. Est etiam signum non bonũ cum ob defectum caloris naturalis hoc solum contingere possit. Videmus enim graciles ex quacunque causa horrere. Secundum signum est cum ac-

ceſſio ſuperat viginti quatuor horas. Sed hoc communiter eſt: neceſſario tamen vt decernat quadraginta octo requiruntur, aut ſaltem triginta ſex, dicebat Galenus ſexto Epidemiorum (par. 2.com. 24.) cum acceſſio tertianæ ſuperauerit viginti quatuor horas extenſa dicitur, cum autem triginta ſex in numero continuarum habenda eſt, hæ enim ex permiſtione multæ pituitæ accidunt, at quartana niſi quadraginta octo horas excellerit non poteſt pro continua haberi. Tertium ſignum eſt, cum quæ ad incenſas febres pertinent in pulſibus dicta maiora fuerint. Quartum cum inæquale fuerit incrementum ac quaſi reſiliens, nam intermittentes ad ſtatum properant. Quintum quod ſitim, amaritatem oris, capitis dolorem & laſſitudinem maximè in cruribus ac ſub renibus patiuntur, & continua hæc: tumet enim in his vena magna ſub ſpina ob feruorem ſanguinis & comprimit. Eſt etiam genus laſſitudinis ob pituitam à cerebro deſcendentem, quod ab ephemera ſoluitur: de quo hic non eſt ſermo cum ſit innoxium: ſed de tendente vlceroſa & vt vocant apoſtemoſa, hæc præcipuè continuas comitatur: & acerſit. Quod diximus etiam de vrina adeſt. Sextum ſignũ eſt exacerbatio quæ omnibus cõtinuis non continentibus neceſſario aduenit, vt Galenus docet (2. de differentiis feb. cap. 2. Vltimum locum arteria calidior, quanquam in hecticis manifeſtius.

Acutarum genera quinque: ſimplex quando intra quatuordecim dies terminantur, quæ autem intra ſeptem acutæ valde, quæ verò intra quatuor accutiſſimæ: ſpuriæ quæ intra viginti & acutæ conuerſæ quæ intra quadraginta. Communia omnibus ſymptomata grauia & morbi grauitas. Et quamuis acuta ad quadrageſimum diem extendatur non tamen vltra quatuordecim dies perpetuum aſcenſum effatu dignum natura humana fert. Sic vt ſemper ad validiorem acceſſionem comparatio fiat. Quæ verò ita augentur eamque magno interuallo vt quartum diem excedere non poſſint acutiſſimæ dicuntur. Fiunt omnes acutæ febres ex materia calida aut vehementer ſicca in venis, ob id nulla intermittens. Et ſi in magnis ardens dicitur, quanquam & quæ prope ventriculum & cor materiam habent acrem & feruidam aut ſalſam, ardentes etiam nominantur licet non propriè, maximè quæ à ſalſa pituita. Commune ſignum lingua nigra, primo de locis affectis (cap. 5.) & arida, ſexto Epidemiorum particula quinta (com. 14. & 16.) ſed adiicit poſſe mutari linguæ colores vel ex humore per venas, aut ex ventriculo aſcendente, aut propter vapores præſertim ex pulmonibus. Fiunt & nigræ in quartanis & ex vteri affectibus citra magnam etiam noxiam, ſed aridæ non ſunt. Arida lingua vehementer ſicca dicitur. Qua deterior quæ etiam ſciſſa fuerit, lentæ autem febres ex materia frigida fiunt etſi in venis ſit paruis, occultæ ſunt præcipuè in ſenibus, quibus ſunt familiares. Mites autem cum vires morbum longo interuallo ſuperauerint: ſæuæ exiguo, lethales & longæ ob virium robur, vel intermiſſiones. Tertianam continuam Hippocrates primo Epidemiorum. (par. 2. tex. 25.) appellat violentiſſimam, laborioſſimam, longiſſimam, ſcilicet in robuſtis viribus ob remiſſionem aliquam. Cum verò continentes ſeuæ ſint & quæ in ſingulos dies exacerbantur magis quàm quæ alternis (quippe remiſſio dierum eſt & horarum) mitiſſima erit quæ alternis diebus remittitur, & alterius diei exacerbationem breuiorem duodecim horis habent, nam quæ quarta die ſolum exacerbatur & plus habeat interuelli, periculoſior tamen eſt, ob humoris naturam. Et quæ in diebus paribus exacerbãtur magis lethales, quoniam motus is non eſt à facultate, & iudicium differtur, ideò quanto breuiores tanto perniciоſiores. Febres quoque nocturnæ ſi ſæuæ ſint, diurnis ſunt periculoſiores. Et cùm ſomnum noctæ impediant, vel vigiliis hominem conficiunt atque inediâ, vel vitam veſpertilionis agere cogunt. Mites autem diurnis ſunt breuiores,

Longitudo autem febris ob craſſam lentamve materiam, aut affectum membri difficilem aut victus errorem ſub quo medici peccata & anni conſtitutio & regio & curæ continentur (3. prognoſ. com. 23.) Et materiam omnium febrium declarant morbi, circuitus acceſſionum aut exacerbationum & ſymptomata. Cum verò ſanguis corrompitur tenuior pars tranſit in bilem flauam, craſſior in atram, dicebat Galenus ſecundo de differentiis febrium (cap. 10.) Amphimerina continua fit ob pituitã contentã in venis paruis, vt quartana continua ex melancholia. Quamuis hæc, vt inquit Auicenna, rarò accidat, quoniam quo plus intermittere incendium apti ſunt humores, eo minus continuam febrem efficere, propterea quotidiana fermè ſemper continua eſt. Vbi ergo febris diuturna laborioſa & violenta ſit, neceſſe eſt bilem craſſam accendit, non pituitam. Fit autem bilis craſſa ex ſanguine crudo aut melancholiæ aut craſſæ immiſto. Cum verò tantum affuerit materiæ coniunctæ ac præparatæ tum obnoxiæ vt morbus ſuperari nequeat exuſtis humoribus fit atra bilis exuſta terribilis ille humor atque exitialis. Vnde ſpiritus extinguuntur. Ob idque iuxta mortem mærores inde terrores, non poteſt autem materia præparata neque in continuis, nec aliis perdurare plus centum diebus & ob id omnis febris quæ ex humoribus pendet ſi lethalis ſit intra centum & viginti dies finitur, quantumuis lenta. Idem ſi ſanabilis ſit & rectè regatur. Nam ſicut terminus acutarum, quæ continuè augentur eſt quartus decimus dies, & quomodocunq; augeantur vehementer: & ſi non continuè quadrageſimus, ita ſimpliciter vnius materiæ quæ accenditur aut ſuppurat centeſimus vigeſimus. Cum verò ſemper vbi tota perfectè accenſa fuerit, quod contingit in die iudicij frequenti decretoria ſit criſis. Si centeſima accendatur, cẽteſima vigeſima iudicatur. Ideò vt hunc terminum definiret duo exempla tertio Epidemiorum poſuit Hippocrates (par. 3. tex. 27. & 80.) tanquam extremę prolixitatis. Cum autẽ materia accendatur ex calore febris & ſemine corruptionis, vt vidimus cum

incenſa

incensa ex ephemera oritur, sequitur vt semper minus spatium sit inter diem iudicij & iudicium, quam inter initium morbi & inditium, ergo quanto prolixior est morbus, tanto maior proportio temporis ab initio morbi ad inditium ad tempus ab initio ad iudicium, vt in peracutis sit æqualitatis, vt à quarta ad septimam. In longissimis autem quintupla vt à centesima ad centesimam vigesimam. Hoc autem contingit quoniam quanto magis differtur iudicium eo melius materia præparatur, ideóque facilius absoluitur coctio. Inde separatur & expellitur. Sunt enim præparationis materiæ quæ communis est etiam non febricitãtibus quatuor partes, attenuare crassa, lenta diuidere, obstructiones aperire, aluum mouere. Quod optimè fit clysterib. pinguibus, conueniunt hæc in febribus ante coctionem ac in aliis morbis, reliqua tria pulchrè præstat serapiũ ex aceto & radicibus petrosilij & fœniculi. Concoctio autem fit somno, quiete, vino, balneo, strato molli, tenebris, vnctione, frictione propriè pedum, integumentis, inedia. Hæc enim licet non per se vehementer, tamen coctionem iuuat. Dies ergo decretorij sunt septimus, & ante illum impares omnes, inde quartus: decimus inde nonus atque vndecimus post vigesimus & decimus septimus, post vigesimum vsque ad quadragesimum eodem ordine prorsus, nisi quod imparibus ante principales, nulla est vis: principales voco qui septenario distant à quadragesimo ad centesimum vigesimum per viginti procedatur. Indices, semper aut decretorij proximè præcedentes aut medij inter decretorium proximè præcedentem, vt vndecimus quartidecimi. Decretorij igitur præcipui sunt decem.

Interualla verò ex quibus recidiui morbi cum ipsis vnum constituunt morbum nisi reuersiones ex errore sint, vndè nec cum interuallis licet centesimam vigesimam diem excederent cum recidiui fiant ex interuallo, necesse est interuallorum causam assignare: in sanabilibus autem facilius est, cum enim materia præparata à coniuncta & à corde longius distiterit, & præcipuè si frigida fuerit coniuncta calida, desinet ardere coniuncta antequam præparata accendatur. In lethalibus maior est difficultas, quo modo possit vinci materia, & tamen in Pario illo qui centesima vigesima die obiit sæpius febris reliquit eum, sæpius rediit, dicit Galenus quod hoc contingit vt in abscessibus, qui cum ad corruptionem tendunt, pereunte vi membri cessat dolor & febris. Sed in his non redit post modum nec dolor nec febris, in interuallis redit, nec in interuallis extinguitur vis membrorum: nec est par ratio materiæ quæ continetur in venis, quæ semper est aliena à membris, & abscessus in quo etiam partes membri corrumpantur: abscessuum. & ratio est generalis frequentérque accidit, interuallorum exemplum in lethalibus admodum rarum. Dico ergo quod fit ad vnguem, vt in interuallis sanabilium morborum cum materia præparata est crassior ac multa & praua coniuncta pauca, coniuncta resoluitur antequam illa accendatur. Et sicut sanus paulo antequam incidat in lethalem morbum, bene valet, ita & æger interualli tempore: vterque tamen est adductus necessitati mortis, sed in sano non est necesse vt appareant aliqua signa mala, quia forsan materia illa nondum est præparata, nec concepit semina corruptionis: in eo autem qui est in interuallo iam concepit, aliter vt dixi superius non esset tota vna materia, nec possent apparere signa totius materiæ & lethalia ab initio morbi, licet autem interualla hęc & recidiui morbi casu fieri videantur, & ab anima mundi contingant, si tamen nihil sit quod impediat vtrumque solet fieri in diebus decretoriis, sicut obseruauit Hippocrates. (li. 1. par. 2. tex 83. & 85.) in Epidemiis. Et rarò recidiui morbi differunt vltra primam diem decretoriam sequentem. Velut si interuallum incipiat in quartadecima, redibit febris in decimaseptima, ad summum in vigesima. Et si in vndecima febris cessat, decima quarta reddit, quibusdam tamen quinta die iudicatis rediit morbus nonotaliis & vndecimo vel duodecimo, at post quadragesimam raro interuallum ad secundam diem decretoriam extenditur. Sunt etiam interuallorum duo genera, vnum quod, vt dixi, post iudicium imperfectum accidit, quod securius est: aliud quod sine illo. Vnde de primo genere inquit Hippocrates (2. Epidem. sect. 3) Quæ relinquuntur post iudicationem reuersiones facere consueuerunt lienis tumores si non in articulos finiunt, sanguinis è naribus eruptio fit, aut præcordij dextri distentio, si non penetrauerint vrinæ, vnde in febribus recidiuæ. His enim manentibus necesse est eas sequi. Erunt ergo causæ reditus morbi quinque, Pars materiæ præparatæ, materia coniuncta decumbens in membro, materia coniuncta iam euicta, intemperies vel imbecillitas membrorum, vel obstructio & mala victus ratio. Sola prima facit reditum necessario, duæ vltimæ nisi cum errore: sed posterior omnino fortuita causa est. Secunda & tertia reditum faciunt nisi prohibeantur purgando medicamento, & locum vbi materia decubuerit fouendo. Cæterum omnis reuersio paribus reliquis, deterior est anteriore morbo: & quæ iam debilitatis statim superuenit pessima est, inquit Auicenna (2. 4. trac. 1. c. 95.) Et in morbo laterali plane soluto lethalis est. Ex signis autem principalibus instantis reuersionis est quod vinum non sapiat, quod si etiam amarum videatur, certius est. Nam hoc modo etiam amaritatem oris de qua supra diximus intelligi volumus (10. 3. trac. 1. c. 2.) imò hęc deterior est quam si quis per se amarorem sentiat, vinum tamen & cibi sapiant. Est & vigilia & sitis & lassitudo.

Febres autem trifariam soluuntur sponte & repente, vocatúrque crisis: sensim & medicamento. Exigit crisis stimulum materiæ locum, ideò in omnibus continuis si non impediantur natura vel materia, sectione venę, vel purgatione aut mala victus ratione fit crisis, & in die decretoria, nisi materia admodum praua sit. Et quandoque fiunt plures crises in eodem morbo, vt in Cherione tertio Epidemiorũ in septima, decimaseptima,

ma, & vigesima (par. 2. tex. 79. & par. 3. tex. 30.) Et nonnunquam contingit vt fiant simul velut vomitu & sudore, primo Epidemiorum. (sect. 7.) Et crises quandoque sunt perfectæ cum tota materia educitur: quandoque imperfectæ vel quia solum pars materiæ educitur, vel cum materia, solum transmutatur: & quandoq; transmutatio fit sensim, velut cùm in sexto Epidemiorum in febribus quæ lassitudinem pariunt tusses ficcæ decumbunt in articulos. Acutæ autem & in calidis regionibus continuæ febres, omnes ferme crisi terminantur si non opera medici impediantur. Vnum enim proprium omnibus febribus quæ in humoribus fiunt crisis: alterum incensarum coctio. Indicio est quod Hippocrates crisis nunquam meminit nisi in febricitantibus. Signa verò crisis sunt, materiæ natura, locus, & quòd medicus nihil egerit circa ipsum: & indicia tum ex motu materiæ, tum vexatione, tum initio transmutationis seu præsenti, vt in delirio, seu præterito vt sanguis è naribus in quarta, crisim similem ostendit futuram in septima. Inditia autem exacerbationum superuenientium parua contractio in pulsu, incrementum paulo pòst & ratio circuitus. Quæ autem continuæ ante trigesimum annum crisi non finiuntur, abscessu terminantur: intermittentium autem & post quadragesimum annum præcipuè autumno quartana: coctio autem quæ in excretionem terminatur vrinarum frequenter, alui ratò, communis est vtrique generi, tertio prognosticorum. (text. & com. 23. 27. & 28.

Ex his magnæ quæstionis ac admir adæ solutio apparet: scilicet cur Hippocrates in primo & tertio Epidemiorum, qui soli & maximè legitimi eius habentur, nunquam in quadraginta duobus, quos connumerat ægris sectionis venæ nisi in Anaxione, nullius verò de purgatione meminit. Nam intentum illius fuit in illis duobus libris ostendere quod dixerat in tertio prognosticorum. (tex. 1.) scilicet quod febres lethales iisdem circuitibus terminantur quibus sanabiles. Palàm est ergo ex nuper dictis quod in his nihil oportebat operari. Accepit ergo ægros alienos in quibus præter rationẽ victus nihil adhibeatur quæ cum prætermissa essent statim admonebat: vt de his quæ in assumptione ciborum deliquerunt. Omisit & frictiones tanquam quæ possent ordinem dierum criticorum interuertere. Solum meminit balani, non vt auxilij, sed vt intelligeremus an sponte aluus demitteret an esset astricta? Sic ergo hi duo libri primi censeri debent, & ad solam contemplationem conscripti. Nam quod de Anaxione meminit sectionis venæ, fecit vt doceret quod perperam medici sui temporis existimabant, nihil prodesse venæ sectionem in morbis: vel, vt Galenus ait tertio Epidemiorum. (par. 3. tex. 79) vt eos coargueret quæ non vltra quartum diem sanguinem mittebant. Cùm ergo in dies dolor augeretur, constat illum, si sanguis non fuisset missus, moriturum, & multo ante trigesimum quartum diem, in quo sanatus est, fuisse. Voluit ergo nos docere quod in febribus manet idem terminus sanabilium & lethalium. In abscessibus non solum terminus sed exitus qualitas auxiliis cedit, manente tamen ratione dierum iudicatoriorum. Velut in quartodecimo sine sectione venæ periturus in trigesimum quartum translatus per ordinem tali iudicio correspondentium seruatus est. Nam quæ Galenus dicit de vsu præsidiorum ab Hippocrate, sed omissam eam narrationem ab illo ceu notam: falsum est omnino: Siquidem adiicere illum decuisset quod ex vno quoque boni vel mali fuisset subsecutum, aliter alleuiationes illæ & rursus incrementa, quæ ipse in dierum vim & præcedentia signa refert, ad auxilia rectè aut perperã adhibita reduci poterãt. Hi ergo libri planè ad διαγνωστικὸν pertinent, cum in aliis horum auxiliorum haud obliuiscatur. Ait in sexto (par. 7.) Anginosi quibus rigor febrilis superuenit celerrimè moriebantur, nec quicquam memorabile his proderat: non ventris turbatio, non venæ sectio: quibusdam etiam sub lingua venas secui, & sursum purgaui. Simile est illud, quomodo potuerit pulsum ignorare, cum in collo per se pateat? & si non ignorauit, quomodo potuit illum prætermittere? nam agnouisse pulsum patet, cùm mentionem faciat venarum quæ in temporibus pulsant, in initio libri de locis in homine. (sect. 3.) & in fine libri de alimento, & in secundo Epidemiorum, & vbi agit de furore? omisit tamen illius tractationem, tanquam non exactè cognitam, cùm aliam haberet exquisitè cognitam, cui etiam cæteris paribus magis fidebat. At dices quomodo sine pulsu potuit pronuntiare de febricitantibus? maximè quòd à febre essent liberi? Vt de Hermocrate tertio Epidemiorum (par. 1. tex. 8.) cognouit igitur febrem Hippocrates ex caloris qualitate, respirationisque exactissima notitia atque longè maiore quàm ea quam Galenus tradidit, qui illustrandæ pulsuum scientiæ intus, maximam partem alterius nobilioris cognitionis prætermisit.

Intermittentes verò ex eisdem omnibus fiunt humoribus præterquam sanguine, ad genera tamen tria reducuntur iuxta circuituum numerum: oportet autem causam omnium esse similem & pro natura humoris diuersam. Fiunt enim in accessionibus, Rigor, horror & frigus. Rigor differt à tremore quod quiescentibus etiam rigor aduenial totúmque concutiat corpus: tremor autem est vnius membri vt habetur in libro de tremore & palpitatione (cap. 6) Fit autem rigor in febribus, vt ibi docet (cap. 5.) tum secundo de symptomatum causis, dum calor truditur versus cor inde confertim exit, ac denuo retropellitur, atque sic concutit corpus, huiusmodi autem nihil habet commune cũ horrore alio modo cum materia acuta super musculos ex venis spargitur: vnde punctis illis concutiuntur, & simul artus, ex eóque oritur tremor. tum frigus ob dolorem. Rigor enim ex vtrisque constat Ex bile igitur cum sit acutissima, fit rigor, ex pituita, quoniam adeo acuta & tenuis non est, horror. Frigus autem in quartana, quod naturalis calor eum humorem magis reformidet.

Sed

Sed si ex venis in accessionibus materia eiicitur ac super musculos spargatur, cur magis fellis vesica afficitur in tertiana, & in vomitibus nihil sanguineum apparet? sed vomitus aquæ pallidæ aut viridi similis. Sin autem ex propriis vasis defertur humor quomodo in tertiana tantum bilis euomi potest, vt capacitatem vesicæ fellis quadruplo superet? Et quonam pacto ex vesica super musculos omnes bilis deferri potest? nec videtur vomitus ei similis quod in illa continetur. Ergo vt omnibus satisfaciamus, cùm tertiana, exempli causa, inchoat, fellis vesica plenior iusto est, & acriore humore quàm esse debet, venæ quoque tum eo humore, tum maximè seroso redundant. Vbi verò in fellis vesica corrumpi cæperit, iecoris vis protrudit quicquid in illo est, atque simul omne venosum genus: nam vbi omnia mouentur quæ sunt vnius generis ab vno principio illa moueri necesse est: vis autem expultrix in iecore admodum valida, extruditur ergo ex venis mordax humor cũ aquea parte vndique & maximè in ventriculum & reliquas cauitates, vt non sit sanguinis vllum vestigium. Sed ex fellis vesica in illius imum non in cauitatem, quia meatus ille non penetrat interiorem tunicam: ideo excitatur vomitus, seroſáque excernuntur bili mista. Quocirca humor ille in propriis vasis certo circuitu coacernatur & redundat in venis, túncque rigorem generat. Quod verò non ex frigore sed mordacibus vaporibus rigor contingat experimento colligitur. quoniam & à frigidæ balneo quidam horrent aut rigent, quidam non. Inditio etiam est ex venis solum humorem extrudi in accessionibus quod in ardentibus febribus soluatur rigore febris, ex venis protruso extra humore, sed non id protruditur quod febrem facit: neque enim concalefacto corpore sudor tantus proueniret: sed ex paruis venis is contingit: nec febris ex materia extra venas contenta, vt nec in ventriculi cauitate: quare & quibusdam intermittens in continuam transit. Interim calor naturalis ad cor contrahitur. Vnde in initio accessionum sitiunt, & eo magis cum vapor etiam biliosus simul cum naturali calore ad cor defertur. Fit ergo tum æstus magnus atque reciprocatio, eóque etiam calor magis augetur. Porrò calor naturalis ad principium suum fertur, ob id quod cor cum primum per arterias fœdum vaporem traxerit, ea enim via minus impedita & attractio vehementior illico sinistra parte qua arteria magna oritur constringit se: vnde contractio celerior & pulsus humilior sentitur altera parte scilicet dextra. Dilatat se & sanguinem affatim ad se trahit quod etiam in aliis membris videmus cum ex dolore intumescunt. Adeóque ea pars distenditur altera præmitur vt quasi abscessum, si diutius protrahatur accessio, contrahat, atque ita interit. Iecur verò sensum qualem plantæ habet, sed exquisitum, quòd sit principium.

Cur verò singulæ febres suas habeant periodos, causa est, quod cũ sanguis calidus sit & humidus promptam habeat vtranque qualitatem ad corruptionem: ideo statim vbi semina corruptionis contraxerit sanguis ex febre quæ iam accensa est accenditur, & ergo febris continua: at pituita, quoniam frigida est, diem vnam expoſcit antequam accendatur: ideò illius accessio quotidie fit. Quoniam verò materia crassa est, durat illa decem octo horis, reliquis sex, vt Galenus inquit, magna vestigia adhuc febris retinet. Horrorem parit quoniam mediocriter attenuatur. Sedem habet in venis quæ sunt inter iecur & ventriculum, ideò nauseam & fastidium cibi parit, & si malè cedat, terminatur in cachexiam. Mihi verò anno M. D. L V. dum eâ laborarem, ideò stomachus affligebatur, vt existimarem me venenum assumpsisse. Et si per integrum diem perseueraſſet, id symptoma non videbar posse sustinere. Contingit ergo id ex obstructione circa illud: nam materia non continebatur in concauo cum nausea non adesset, nec febrem feciſſet, apperebam etiam cibum, quia nerui sexti paris non erant læsi, quod materia esset in imo magis & intima, & vis cerebri à quo illi oriuntur valida. Initium vniuersale est decemocto dierum, terminus à quadrageſima ad sexageſimam diem (1. 4. tract. 2. cap. 46. & 48.) maior illius portio est incrementum. Proprium eius est inæqualitas, nã sæpe augetur ac minuitur (atque ado vt medici in ea non satis experti mundum hominem esse existiment) antequam ad vigorem perueniat. Diu frigent pedes, & hora inuadit communiter vespertina. Ob has causas, licet rarissimè ex humore vitreo vel valde crudo fiunt quintanæ, has enim solum Galenus (1. Epidem. par. 3. Com. 2.) se vidisse testatur: quanquam Hippocrates ponat septimanas & nonanas. Tertiana quia fit ex bile quæ est calida & sicca expoſcit duos dies vt corrumpatur, ideo accessio in tertium diem differtur. Et ob tenuitatem durat duodecim tantum horis, secundo de crisi. (cap. 3.) septémque diebus id est, periodis terminatur, rigorem parit ob tenuitatem & acredinem. Proprium eius est æstus & sitis ingens & amaror propter naturam humoris & propinquitatem iecoris ad fel & magnam concussionem. Salsum enim & amaror, vt quarto de simplicibus medicamentis (cap. 21. habetur, in terrea substantia ambo consistunt: sed salsum in tenuiore calidiore ac siccioreque magisque elaborata. Ob id sitis hæc non ex salsilagine sed resolutione fit, quæ deterior est, quamois facilius extinguatur. Sedem habet in fellis vesica. Quæ autem spuria est, vt sæpe dixi, longiores habet accessiones, & quandoque visa est, vt Galenus ait de adolescente, primo ad Glauconem, (cap. 8.) durasse ab autumno vsque ad ver. Quartana cùm ex melancholia frigida & sicca fiat, tres dies vt ardeat poscit, quod difficillimè succendatur (1. 4. tract. 2. cap. 61. & 62.) & accessio eius est horarum viginti quatuor, ob crassitiem. Et durat per annum, id est, centum viginti accessionibus, qui vt dixi, maximus est febrium quæ in humoribus accenduntur terminus. Dies enim intermittentium accessionibus numerari, præter Galeni authoritatẽ, docet id, quòd secus agẽti tertiana tredecim

diebus finietur. Frigus in accessione illi proprium est, quoniam ob crassitiem humor non mordet: immittentur tamen, quanquam quidam rigores breues ob bilem flauam quæ nondum exquisitè ex vita est. Fit frigus contracto calore ad cor vapores noxios. Simili causa qui conualescunt, à cibo refrigerantur, contracto enim calore ad ventriculum destituuntur extrema, cùmque id fiat in quartana absque impetu, ideo tale frigus diuturnũ est Sunt autem frigoris tum in his tum etiam aliis morbis differentiæ tres. Est enim quod ab ægro solum non à tangentibus percipitur, minus malum, pessimum quod in solis tangentibus medium quod & ab ipsis & ab ægro sentitur. Sedem habet quartana in liene, mitissimúsque est morborum qui ab huiusce modi humore fieri soleant. Ideò à magnis morbis etiam iam factis superuenientes libera, teste Hippocrate. (Sexto Epidem. par.6.tex.7.) Dicebátque quod si sanguine narium non soluatur, aut vrinis crassis in periculum absceſſus ægrum deducit. Si vnum eorum contigerit securos à periculo reddit. Et quartana quæ fit successione febrium ex humore illarum exusto fit: quæ autem inchoat ex naturali melancholia.

In vniuersum cum intermittentibus quinque sint communia, membrum mittens, & etiam iecur, recipiens ventriculo membrum patiens & agens & est cor, instrumentum emittendi venosum genus & sedes seu principium, vt in tertiana fellis vesica, in quartana lien, in quotidiana ventriculi venæ non fit febris intermittens nisi propria affecta sede, ob nimiam imbecillitatem, vt non trahat humorem, seu repletionem, vt trahere non possit, seu ob obstructionem vt trahere vel remittere non possit. Ob id ergo quartana secura est, nisi adsit tumor splenis. Nam tunc manere necesse est imbecillitatem in liene, ideò & febrem, ideò tandem oboriri hydropem, quæ est finis febrium longarum malè terminatarum. Commune etiam est intermittentibus maximè quartanæ ob internalli magnitudinem cum præparata materia à præcædente accessione semina incendij concipiat, vt aliqua arte interrupta vna accessione desinant, quia deest fomes. Omnibus etiam commune est vt ventriculus malis humoribus repleatur, in quartana crudis, in quotidiana humidis, in tertiana torridis, quibus cura impeditur. Ex his etiam patet omnia consequentia sibi inuicem respondere in intermittentibus: horas accessionis duodecim, decem octo viginti quatuor: tempora vniuersalia septem quadraginta centum viginti: circuitus vnum diem duos tres, symptomata rigorem, horrorem, frigus: nam horror medius est, vt Galenus vult, inter frigus & rigorem. Membra, vesica fellis lien, venæ inter ventriculum & iecur. Sudor verò qui subsequitur intermittentes, fit ob vehementem caloris agitationem, dum it recipitque ad cor (manet enim multo post) & ob tenuitatem materiæ quæ maiore ex parte serosa est, & quoniam per venulas ad cutim protrusa est. Propter primas duas causas maximè fit in biliosis, propter tertiam in æstate. Cum verò in febribus horror non adest nisi cum culcitra eleuatur, ostendit vapores acres, & ideò etiam materiam, scil. vel tenuem, vel cutim tetram. Intermittentes ergo febres tot causis magis terribiles sunt continuis, cum tamen nulla continua periculo vitę cat[illegible] sensit Hippocrates. (1.Epidem. par.3.tex & com.3.) nam perfectæ alimenti coctioni nullum tempus relinquit: vt contrà, nulla intermittens ex calida materia lethalis esse, quoniam ab absceſſu non pendet. Cur verò intermittentes cum crudis vrinis securæ sint, continuæ cũ his quæ concoctis similes sunt periculosæ, causa est: quod in intermittentibus sunt omnia tempora in vna accessione, ideò initium vrinas crudas tenues semper ostendit, incrementum & vigor (separata à sanguine materia & vrinæ mista) crudas crassas. Quo in casu cum non ex assatione proueniunt, nihil supra morbum regium demonstant. Indicium vt supra dixi earum est linteum.

Cum verò quotidiana & duæ tertianæ, tréſque quartanæ eodem modo singulis diebus inuadant, distinguas eas à propriis signis: Et si singillatim præsertim quartanæ inuaserint. Et hæc similitudine periodorum tertianorum aut quartanorum tam in magnitudine & symptomatibus quàm in horis & præuentu. Fieri enim potest vt quotidiana duarum tertianarum symptomata præferat ob bilis vim quæ sensum magis mouet & circuitum efficit, & tamen erunt sicut tria grana piperis in hemina aquæ. Cúmque intermittentis accessio breuis est & declinatio longa, cutis densa est vel materia crassa, pauca tenui iungitur vel tenuis profunda est. Sed si initium longum est, reliquum accessionis breue & mite, declinatio longa est, quoniam paulatim materia crassa pauca spargitur: néque etiam generalia tempora sibi in longitudine respondent, nam sanguinea febris ferme tota status est. (3.de crisi ca.4.) cum longiorum morborum status vna vel duabus accessionibus terminetur, vt ante dixerat. Nihilominus vbi vigor morbi non faciat longiorem accessionem aut exacerbationem, totius morbi longitudo ex illarum quantitate decernitur. Tempora autem intermittentium non sic ex coctione materiæ metiri oportet, quoniam, vt dixi, quælibet accessio integrum morbum & maximè si excretione finiatur refert: nisi enim materia concocta esset vel prope nec excerni vtiliter, nec febris cessare posset. Erunt ergo tot crises quot accessiones: & vrinæ coctæ etiam in ipso initio aut fermè erunt. Si tamen non finiantur excretione, minus coctæ videbuntur. Contingit ergo illud quoniam materia quæ accenditur expellitur: ideóque nec præparatæ iuncta eam statim accendit, nec ab obnoxia cuius maxima pars in magnis venis est impeditur, & intermittentes in quibus magna fit excretio necessario breues sunt, & plerunque internallũ habent: continuæ verò copiam humoris declarant. Distinguuntur igitur intermittentium tempora iuxta materiæ quæ succenditur multitudinem & coctionis perfectionem. Ideò declinatio à principio coctione dignoscitur,

cieut, quoniam paucitate materiæ similis illi esse potest. Tempora vero generalia cognoscuntur vt Hippocrates docuit (2. Epidem. sect. 1.) quoniam symptomatum & morbi incrementum declarant morbum augeri, vt etiam accessionum longitudo, vel materiæ crassitiem: sic & si anticipet, vel tenuitatem. Hæc tria igitur si conueniant incrementum morbi declarant. Si verò anticipet & longior sit, minus tamen sæuiat, tunc materia diminuta est. Declinationem autem accessionum Hippocrates cognoscere docuit primo de victus ratione in acutis (text. 46.) cum pedes thorace calidiores fuerint: quod etiam in exacerbationibus est obseruandum. Cum enim sanis iuuenibus proprium sit æqualiter toto corpore calere, in inclinatione febris extrema magis incalescunt, quia exterius calor propellitur. Quod si perfectè pectus ad temperamentum redit & febris ad interuallum.

Quoniam etiam sæpe dubitatur an febris ad integram remissionem redeat? seu in continuis cum materia per crisim expellitur, seu non, seu in intermittentibus in quibus vestigia sordiciei relinqui solent primo ad Glauconem (cap. 2.) atque ob id in primo casu etiam peritum medicum febris fallat, in secundo autem non adeò latere potest, in intermittentibus verò etiam difficilius deprehendatur ob sordiciem: & quoniam, vt Auicenna inquit (l. 4. tract. 2. cap. 2.) putridas febres solet antecedere molestia, quam ipse almeliletu vocat: Quæ est lassitudo cum dolore capitis & pulsatione somnisque perturbatis, pandiculationibus, oscitationibus, venarum & hypochôdriorũ tensione ac totius corporis grauitate tum præcipuè capitis, nausea quoque & mulei vrinæque abundantia, deiectionibúsque fœtidis, tum impedita spiratione pulsúque frequenti ac calore, licet non tanto vt febris dici possit, tantum verò interest hoc cognoscere ab ea quæ dicta sunt de ægri securitate diligenter animaduertere oportet, quod simplices omnes febres licet extensæ quæ cum rigore aduenium intermittunt, dicente Hippocr. (4. Aphor. 63.) Quibus in febribus quotidie rigores fiunt, his quotidie febres soluuntur. In cæteris considera si omnino remittuntur symptomata illa continuis propria: tum si contractio distentione velocior non sit: tamen illud haud fallax signum quod etiam imperitis in ore est, si vires restaurantur, ipséque æger lætus est ac ad operationes prompeus: hoc enim ostendit febrem intermittere, etiam si multa obstare videantur. Nam hæc duo sequi non possent, nisi æger alimento restauretur. At nunquam nisi in pueris aut superflua inedia extenuatis: si non cesset causa aliqua robur minuens vt fluxus aut dolor: febre manente plus cibo restaurari quam absumantur, quoniam concoqui is perfectè nequit, vires poterunt. Itaque signum hoc proprium est exquisitè, quia calor naturalis immutatur. Nam etsi in ventriculo id accidat, in iecore emendari aut in mẽbris poterit. Quod si iecur imbecille parum alimenti bene tamen concoqui poterit. Ergo nõ restaurari febrium omnium etiam hecticarum si non sanantur proprium signum est.

Pestilentes autem febres aut spiritus putrefacinnt, vt in Anglico sudore, qui intra diem perimit: aut humores, quod sæpius euenit: aut membra quod pernitiosissimum est, atque ideò breuissimum. Exemplum aut ab intrita in oleo carne quæ in clibanum defertur cape: si enim ibi quiescat, clibanus autem concludatur, breui oleum accendetur, ardebitque primo ipsum tum postea caro: apparebit autem fuligo multa non vermes, non teter odor vllus imò si iam semi computruisset odor ille extingueretur. Ita factâ ex incendio febre, neque fœtor in excrementis, neque vermes gignuntur, nisi ex excrementis ipsis: præsertim cùm æger pinguibus in victu vtitur; quòd si secus talia appareant, pestilentem morbum nuntiant: vel si non iudicent, vt Galenus vult tertio Epidemiorum (par. 2. com. 4. & 3. com. 71.) qui etiam breui mortem superuenturam eius docet. Si igitur carnem illam cum oleo in sole vel alibi collocaueris vbi neque à vento perfletur, neque feruear, primum caro putrescet, fœtebit, vermésque generabit. Inde etiam oleum ipsum corrumpetur. Propter hæc igitur neque bilioſos neque iam febre correptos facile pestis inuadit. Sed neque in vehementibus caloribus aut frigoribus, præsertim siccitati iunctis, hic morbus sæuit, & si sæuienti talis constitutio superueniat eam extinguit. Sed si cum iam putruerit, in clibanum enim deferantur omnia credibile est, quam celeriter absumentur caro atque oleum: quandoque immensum & tetrum fumum sparget. At verò citra id iam parato ad incendium oleo in fimo omnia sepeliantur, pariter putrescent atque ardebũt. Quatuor igitur iuxta hunc modum differentiæ erunt prima incensarum febrium, secunda eorum quorum humores putrescunt, non tamen accenduntur, horum conditio leuior prima sed periculosior: tertia est cum in his febris accenditur quorum nemo fermè euadit, cum putredo iam corporis habitum vitiauerit, ægérque duplici graui affectu laboret: & putredo tam grauis sit vt semetipsam quasi genuerit certe accenderit. Quarta cum putredo & febris simul inuadunt vt in pestilentibus constitutionibus & contagio: quæ mitior est tertia, aliis duabus longè deterior, patet ergo ratio cur omnis pestilens febris contagiosa sit, quoniam ex putredine ortum habet, quicquid autem à putrido tangitur putrescit, aliarum autem febrium nulla. Quoniam verò quod afficitur quantitate vel qualitate totum aut pars, aut vtroque afficitur, in incensis, neutro modo totum afficitur: spiritus autem & membra quãtitate non qualitate vniuersim afficiuntur, qualitate autem non, statim enim interirent: in pestilenti qualitate non solum spiritus & membra, sed etiam humores afficiuntur, non tamen qualitate. Sunt enim putredinis varij ordines: quod si vniuersim putredo inuadat humeros, necesse est omnes qui vexati fuerint statim interire. Signa verò harum febrium 3. de præsag. ex pul. cap. 4. & ex obseruationib. sunt color faciei rubens, nigricans

inæqualis

inæqualis & splendens qualis in herpete & erysipelate, oculi à balneo flammei aspectu tactúque calidi euadunt, excrementorum & vrinæ fœtor, sed anhelitus certius signficat. Vnde si incensæ febres è putrido fierent humore, saltem hoc commune signum esse deberet: vrinæ aliis crudæ aliis tanis similes, aliis turbidæ, nonnu lis quippiam telæ araneæ simile ineſt, aut globus lineus, fastidium cibi & vomitus, nausea enim si ex consensu principalium membrorum fiat: vt plerunque in his: lethalis omnino est, si crudis ab humoribus nisi euacuentur & nutritioni & venæ sectioni aduersatur. Nec euacuationi locus est, calor corporis mitis, nam incendium non adest, sed putredo. Cæterum inquies magna, & vigiliæ assiduæ, bubones iuxta aures vel sub alis aut inguinibus aliisve locis anadegmata, quoque fit præcox expultio, aut ob magnam proportionem virium ad morbi causam, aut ob nimium naturæ sensum, aut grauem materiæ noxam, quod pessimum est: vt primum breuis solutionis signum. Dijudicat autem status, dolor quoque capitis assiduus & cordis palpitatio, excrementa nigra huidaue aut æruginí similia quoniam compendiosiora quàm in aliis febribus ad humores hos via: vnde etiam in quibuscunque morbis hi colores non tolluntur, nisi sublata à partícula (1. 4. trac. 4. cap. 2.) Sitis vehemens, pulsus languidi, cætera sanis similes, lingua arida, hypochondria tensa & dura: his decem septem signis præponderat fermè, si constitutio talis sit vt nemo eo tempore mortuus sit ex consimili morbo. Vnde vel omnino proprius erit & incensa febris aut illis pestis, vt dixi, aut Epidemius. Horum signorum quæ à facie, oculis, nausea, capitis dolore, cordis palpitatione ac bubonibus sumuntur tum vrinarum fœtore, propriè magis pestis quæ ex contagio solum prouenit, Galeno vt reor & antiquis ignotæ: anadegmata ei quæ aëris vel aquæ vitio contrahitur, cætera communia maximè turbidæ vrinæ. Videtur autem de simplici pestilenti optimè illud dictum ab Auicenna: Hæc febris tepida est exterius, interius vrit & plerunque permitiosa. Rasis verò duobus signis illam docuit agnoscere, cum in continua febre æger sæpius vomit, & præsertim si pestilens morbus vageturr, pestiferam febrem esse scito. Proximum signum est fœtor omnium exeuntium. Et quamuis in peste omnia principalia membra afficiantur, non tamen æqualiter, sed alia magis caput tentat, alia cor, alia iecur: Vnde etiam curandi ratio initium sumere debet iuxta pestis naturam. Vniuersum tamen eius genus tanto deterius est incensa febre, quanto hæc feruida ex qua nemo perit.

Causæ autem omnium febrium generaliter sunt sanguinis feruor, occlusis cutis foraminibus per quæ respirare solent, id contingit cum calefacto corpore homo se vento aut frigori exponit, vt docet Galenus (3. de tuen. san. cap. 10. & Auic. De Remed. Nocu. Trac. 2. cap. 2.) nam halitu corporis ne exeat vndecunque prohibito ephemera accendi tur, atque ex ea si humores in corpore praui sint, febris incendens, aut absessus, aut putrida. Et scias quòd putrida febris, quoniam materia eius mobilis est & à natura inuicta, plerunque parit absessus internos, & cum materia abundauerit, nec defuerit robur virium, internos & externos simul, quæ verò externos solum generat perseuerátque augendo ea sola est qua multi, si diligens cura adhibeatur, seruantur. Materia autem hæc non solum praua dicitur, sed etiam, vt Galenus ait, si corrupta aut plurima, vel minùs calida aut frigida, aut acris vel crassa, serosa aut lenta. Numerauit generales conditiones materiæ creandis morbis obnoxiæ Sed quædam ex his si ad calorem comparentur, non procreant morbos, vt crassities & lentor, frigiditas verò etiam prohibet: & multitudo ferendi labores potiùs causa est, vt in Athletis olim perspicuum fuit. Igitur causæ magis obnoxiæ sunt humores putridi, corrupti, serosi, acres, calidi: sunt aliæ quinq; causæ his non minores morborum creandorum, imbecillitas, aut senum & venere exhaustorũ, si insueti sint si particulam aliquam laxam habeant vt pectus, nam statim in eum locũ confluunt humores: si iam coacti sint aliquo in loco, si cibus sit in ventriculo, maximè cum frigus calori qui exercitatione contractus est successerit. Adeo enim potens causa est exercitium à cibo generandos morbos, vt Galenus in libro de cibis boni & mali succi dicat (cap. 3.) Adeò à cibis motus vnusquisque vel imprimis damnatur, vt ex eo omne morborum genus progigni soleat: nisi prius aut laboribus pluribus eruditates dissipentur aut concoquantur. Exercitio vero calor comparatus vti salubertimus est si moderatus sit, nec frigori homo potest se exponat, ita vbi frigus succedat deterior est omni alio calore, quoniam vires debilitat, & humores intimos dissoluit. Vnde ob id periculum Apotherapiam Galenus imperauit (3. de tuen san. cap. 2.) sunt & aliæ causæ creandorum morborum communes, vt mala victus ratio, sed hæc intermittentium magis propria: vt corruptio aëris & aquæ, Epidemiorum & pestiferorum spontaneorum & contagium cæterorum.

Mediæ autem febres inter incensas & ephemeras, quæ ex absessibus oriuntur, nam in exteriorum ac interiorum non propinquorum membrorum cordi absessibus: cerebro tamen excepto: mediæ fiunt ephemerarum & intermittentium: cerebri & pulmonis continuarum & ephemerarum. Neque enim vrinæ vt in incensis mutantur, & quæ cõtinuæ non sunt accessionem habent, & tamen nullam peculiarem materiam obtinent, sed iuxta absessuum mutationes variantur, & symptomata incensarum cum habeant, ephemeris non sunt molestiores. Quæ verò in empyemate fiunt mediæ sunt incensarum & hecticarum, & sub nocte exacerbantur, nec humectantibus ac refrigerantibus curantur. Cæterum cum nullo in humore sint, ex incensarum genere esse non possint, neque symptomatibus quotidianæ cui similiores sunt tamen assimiliantur. Quę autem in cerebro materia febrem accendit, vt Pythioni tertio Epidemiorum. (par. 1. tex. & com. 1. ad 4.) ex huiusmodi genere sunt,

ideò

ideò citra vrinæ coctionem seruatus est, tantam tamen noxam in principali membro, & quoniam plerunque in venis humor est qui exprimi solet, alia comitatur febris quæ coctione indiget, atque in aliis membris, sed longè rarius. Incensarum autem & putridarum quæ non secundum naturam malignæ appellantur, neque emim eo seuitiæ quò pestiferæ peruenerunt, pranitatem tamen incensarum superant, aliæ multitudine laborantium, vt Epidemiæ dicuntur, haud tamen lethales: aliæ secundum naturam quoniam omnibus hominibus ex generationis ratione eueniant, vt inquit Auerroes. (3. collec. cap.8) Variolæ, morbilliquè. Commune est autem omnibus mediis generibus vt in deterius extremum non in eodem ægro sed per constitutiones delabantur. Velut abscessuum in putridas, emipyematum in hecticas, variolarum in anadegmata. Vnde imperiti medici illa cum morbillis confundunt, sæpe etiam in carbunculos, hæc autem pestifera.

Quoniam vero cura victu, medicamentis, & manuum opere, constat: Victus autem ratio duplex, vna cum morbus acutus est, alia cum diuturnus. Qui acutus est dum sæuiunt symptomata (modo syncopis periculum absit) nunquam cibum aut somnum nisi in dolore admittit. At si periculum immineat, hirpe est, inquit Galenus: (12. Artis cur. cap.3.) nisi antea occurrat medicus offam panis vino diluto intinctam dando. At si morbus est vehementissimus nec tamen breui solui potest, vna spes, inquit ille (10. Artis cur. cap.5.) in robore virium supereſt, nam aliter nutriendo morbus ægrum perimet, aut non nutriendo inedia. Tales autem sunt abscessus cordi proximi vel cerebro iuncti vel iecoris: aut febres quæ syncopam inducere solent, vel ardentes quæ non remittunt. At si morbus aliquanto mitior est, nutriendus est leuiter horis quibus remittitur. At si longior est nec vrget epicrasi vtendum est. Meminit huiusmodi Galenus duodecimo artis curandi illis verbis (cap 8.) Vt ea quæ contristant vacuentur, si modò id fieri nequeat, de doloris autem cura agit (per Epicrasim sanetur, quod si nec id fieri possit vt medicamenta quæ stuporem inducant exhibeantur. Quid autem sit docuerat iam in nono dicens: Ergo quod corruptum est id alienum à natura est (ca. 10.) quod tale est id se auferendum dictat: Si ergo cum viribus imbecillibus corruptela incidit, vtique quod affectus remedium est, id cum vitium custodia pugnat. Si quidem affectus vacuandum esse præcipit, idque vel vena incisa vel purgatione: horum autem neutrum ferent imbecillæ vires. Quoniam igitur in omnibus eiuscemodi repugnantiis incerta succurrendi ratio est aliàs omnino insanabilis affectus relinquetur, aliàs spatio & ægre, idque si nactus fuerit magnum medicum, sanari poterit. Oportet enim vbi indicationes ita sibi aduersantur, & paulatim quod vitiosum est vacuare, & paulatim in uicem quod salubre est pro eo reponere, vocant huiusmodi vitiosi succi curationem Græcè Epicrasim. Hoc autē ferme est quod Auicenna dixit tertia primi (Doc.2. cap.7.) cúmque corpus repletum fuerit malis humoribus atque tenuibus ipsum bene nutriētibus copiosè reficies. Et sæpè conceditur illi qui prauis abundat succis vt rem bonam largiter comedat. Constat ergo, vt ad Galenum redeam, tres illum in dolore ex mordentibus humoribus) si modo curari debeant, nam acriores aliquando curati irritantur) constituisse ordines: verum generaliter nutrimus ab euacuationibus vt vires reficiamus, & vt malo humori bonus misceatur. Sæpius ergo purgando, sæpius etiam nutriemus. At sæpius purgare conuenit quia vires totius humoris purgationem non ferunt, vel quia non æqualiter præparatus est, vel quoniam totum educendo, periculum est ne viæ lædantur, aut quoniam vt temperetur humor ob acredinem necesse est, & donec totus temperetur eandem ob causam moram non admittit. Inediam etiam ægri non ferunt ob hecticæ periculum vel paucitatem alimenti in venis, aut ventriculi imbecillitatem. Ergo vbi morbus fert inducias, nec materia admodum contumax est, nec æger medicamenta horret, recte administrata epicrasi difficillimi affectus sanantur. Restat autem ab initio vt validissimis medicamentis dum robur virium adest, vtamur, nutrite autem non solum boni alimenti cibis, sed etiam causæ & affectui contrariis, eóque ordine vt quemadmodum in febribus ab initio melius, versus vigorem minus: ita à purgatione statim copiosius, attenuando versus sub sequentis purgationis tempus. Conuenit autem maximè hæc curandi ratio, his qui ob tenuissimos humores exhalantes in syncopis periculum incidunt, ideo Galenus. (12. Methodi cap.6.) eam diligenter prosecutus est.

Vt igitur de ciborum natura dicamus, octo in illis considerare decet: Quantitatem, Naturam, Synceritatem, Mutationem, Qualitatem, Pinguedinem Ordinem & præparationem. In quatuor primis non est varietas opinionum, nec pro ratione temporum aut morborum, debent enim esse moderatæ quantitatis, corruptioni non obnoxij, absque excrementis & facilis coctionis. Verum qualitate non simpliciter temperati optimi sunt omnibus aut qui boni sunt alimenti, sed his, vt Galenus dicebat libro de cibis boni & mali succi (cap.10.) præstant: Contrarij, vt dixi, morbo causisque eius. De pinguedine non leuis est disputatio maximè in lentis febribus, cupiunt, enim quidam alere multum nutrientibus. In vniuersum tamen si coctio differatur plus alimenti quantitate aut qualitate assumit æger: verum si viribus constantibus paulo plus, si debilitantur vires necesse est multò plus cibi illum assumere. Fieri enim non potest in morbo sanabili vt vires aliter minuantur crescente morbo, nam tunc facultas opprimitur. Quod si coctio procedit, sed vires minuuntur, minus das quam oportet. Sin autem vires constant cum coctionis incremento in ea ratione victus perseuerare debes, tunc verò morbus quandoque augeri videtur, quandoque minui. Prima indi-

catio est à morbo, secunda à viribus, tertia à causa, quarta à consuetudine, inde natura, ætate ac consimilibus Quantum verò consuetudo possit indicant horæ edendi, egerédi meiendique Occasionis autē, tempora morbi & accessionum. Deterius etiam est in qualitate peccare quam in quantitate. Nam Hippocr. illud (2. Aphor. 10.) Non pura corpora quanto magis nutries tanto magis lædes quantitati & qualitati licet communia sint, qualitas tamen id habet præter quantitatem, vt etiam accendatur, vel alio modo noceat, cum in qualitate multum nutrientis etiam quantitatis incommodum includatur. Vnde Galenus octauo Artis curatiuæ hæc habet (cap. 2.) Expedit igitur tales homines illi nutrire cibis qui neque medicamentosam vllam sensu perceptibilem uim habeant, sed nec ipsam quod nutrit plurimum, quando hoc quoque si exuperat vitio non caret: principio namque nec quod in eorum ag tur ventriculo coctio exacta est, nec si ventriculus ea superet, quod in venis obiter absoluta est. Quod si hic quoque haud magnus sit error, saltem tertiam (quæ singulis partium propria est) difficile fuerit in omnibus illis ritè perfici, Conueniet profecto huic, & vt frigidum humidum quodammodo nutrimentum exhibeas, vbi corpus tum calidius tum siccius olito redditū est, quare commodissimus est huic ptisanæ cremor ad vnguem coctus, in quo nullum sit superfluum condimentum, vtpote qui & refrigerare & humectare & sine siti seruare hominem possit, cum eo quod nec halituosum nec siccum nec humidum detinet excrementum. Cum igitur hæc in ephemeris quæ omnium mitissimæ sunt febriū dixerit, quid de incensis senserit nemini dubiū esse debet, in quibus materia corrupta ne augeatur periculū vrget. Nihilominus in cura quartanæ cōtinuæ Auicēna inquit (1.4. trac. 2. c. 66.) Et licentia in carnibus in hac minor est quā in intermittente, ideo caue hoc. Ob id videtur carnes concedere in ea nā de intermittentib. haud dubium est vt videbitur (12. Artis cur. cap. 6.) Et in curatione febris cum syncopi minuta: Si autem vires exigant, pullos exhibebis cum aceto & omphacio conditos. Quæ sententia sumpta est à Galeno (lib. 12. ca. 3.) & fuit etiam Rasis & Alexandri, qui etiam præter cæteros visa concoctione in ea quæ ex humoribus fit crudis, exhibet alas gallinarum & ante coctionē in febre ex sanguine, oua inter ea quæ refrigerant numerans. Videtur & Auicenna (1.4. trac. 2. ca. 55. & 56) in cura quotidianæ continuæ sentire si quis ea verba: Et præparentur cibi eorum iuxta tempora & vires variando, vt his quæ diximus intelligitur in capite præcedenti, vbi de intermittente loquens ait: nec properes exhibere pullos & quæ eis sunt similia, nisi cùm vires sunt imbecilles, aut morbus iam est in declinatione. Brudi autem rationes quibus carnes & oua in acutis tum aliis continuis concedere nititur (lib. 1. c. 1. & lib. 2. cap. 16. & 17. & lib. 3. cap. 7. & 9.) omnes in hoc vno peccant, quòd id non differant meliorem fieri conditionem ægri proportionémque vitium ac morbi causam augeri, quod necessarium est vt vtiliter exhibeantur: cùm nos sequentes Hippocratem & Galenum deteriorem semper fieri minuique illam proportionem ostendamus ratione efficaci, quæ etiam vbi non probat, relinquit libertatem in his casibus iure talia, tū vinum exhibendi. Duas tamen præcipuas affert alteram pro vino, ex Hipp. dum inquit (3. de victu in acutis tex. 41.) Cum verò in huiusmodi morbis vehementem capitis grauitatem vel mentis læsionem suspicatus fuerit à vino penitus est abstinendum aquámque tunc dare oportet vel vinum aquosum flauúmque & prorsus odore carens, atque ab ipsius potione aquæ exiguum superbibendum, nam hoc modo vini potentia caput mentémque minus tentabit. Altera ratio ad cibos pertinet abundè nutrientes quos afficere ob concoctionis contumaciam affirmat vel qualitatem vel quantitatem. De quantitate satis constat, quod eam adeò minuere licebit vt nocere nequeat. De concoctionis difficultate sunt oua ex confesso quæ multum nutriunt faciléque concoquuntur. Quin etiam alicam concedit Galenus & eam in ventriculo diu manere affirmat antequam concoquatur. De qualitate potest multis modis præparari vt alimentum quod ex eo cibo exhibetur frigidum sit, & minimè corruptioni obnoxium. Quinimo, inquit, videtur Galenus ob concoctionis difficultatem magis reformidare Petrionæ victum, quam ob qualitatem: siquidem illum reprehendit quod assas carnes exhiberet. Inde probat victum Anglorum ex natura, regione & consuetudine, quódque errori minimè obnoxius sit, nam idem à principio ad finem morbi seruari sine noxa potest. Hunc exponit, ius gallinæ cum endiuia, bugloſſo, violis, hordeo, prunis, vuisque passis coctæ (12. Artis cur cap. 5.) Id probo, nam cum in febribus non membra sed spiritus absumantur, nisi sint liquefacientes, non melius quam pulliiure spiritus reparari possunt membra, ptisana incocta illi nutriuntur: nam vino non rectè Quod enim ad Hippocratem attinet, non de capitis dolore sed sola suspitione loquitur. Vinum enim non quia calidum aut humidum aut quia repleat caput, vt Galenus existimat. [1. de tuen. san. ca. 11.] noxium est aut pueris aut febricitantibus. Sunt vina non calida, & piper longè calidius in Amphimerina ab ipso exhibetur: est etiam siccum non humidum, & si humidum esset & pueris & febricitantibus ea ratione maximè conueniret, dicente Hippocrate: victus humidus febricitantibus omnibus confert, maximè verò pueris. Sed nec quia caput repleat [quanquam id non absre sit] quia oligophora non id agunt, maximè si quis aquam misceat ac etiam superbibat, vt docet Hippocrates: ipse etiam porrum cum ptisana exhibet, porrum autem magis quàm vrinam cum sit acre valde petit caput. Multi etiam sunt febricitantes in quibus nec caput afficitur, nec vt afficiatur periculum est, vt præsertim morbo laterali laborantes quibus vinum minus quam aliis competit Ergo ob id vinum prohibetur pueris & febricitantibus quod aquam omne

vinum

vinum (quantumuis album, lene & aquæ illi permiscens) ardentem contineat qua cruda omnia impelluntur, atque ideo in vitæ discrimen vocat. Indicio certo est quòd acetum quibuscunque febrientibus non solùm innoxium est sed etiã valde vtile, administratúrque omnino sine periculo, quoniam longè secius licet sit omni vino, & multis etiam calidius, quod nihil penitus quantumcunque acre ardentis illius aquæ contineat. De carnibus autem quas in continua biliosa & pituitosa exhibet febre, cum non necesse sit in eis solida adeò restaurari & ad spiritus reficiendos: ius illud sufficiat, non rectè sensit. Quæ etiam ab Auicenna produntur omnia ambigua sunt. Nec debemus vbi euidentibus rationibus & Hipp. ac Gal. autoritate generaliter aliquid sancitum est, dubiis quibusdam illius verbis moueri, aut in dubium reuocare sententiam. Solunt obseruare decet, cum ob succos tenuissimos qui facillimè exhalant, syncopem timemus: tunc enim dabimus alicam, panem, ouorum vitella, testiculos gallorum, suillum cerebrum assum, austerosque fructus ac vinum. Alexander autem vbi methodo agendum est, non tanti apud nos esse debet vt sine vlla ratione ob illius autoritatem de hominum vita periculum facere velimus: fuit enim empiricus medicus, non Hippocraticus. Suspicor & irrepsisse mendum, quòd oua inter vehementer refrigerantia connumeret. Ad Brudi argumentum respondeo, quod oua & carnes obsunt quia difficulter commutatur ob pingue humidum, tametsi parua quantitas eorum exhibeat. Sic & modicum ferri difficillius in puluerem redigitur magno lapide, facile etiam ardent hæc, & licet præparentur, natura non mutatur, sed noxa minuitur. Ergo in continuis febribus, duobus dictis casibus exceptis, vinum non conuenit nisi concocta materia: caro & oua cum declinant, maioreque pars materiæ educta fuerit. Ptisana autem hordeacea mediocriter alit, teste Galeno (1. Aph. com. 4.) Panis autem coctus in iure pulli ventriculo grauissimus est, plurimúmque nutrit (1. de Alimen. c. 5.) Qui vero locus dicitur (lauatur autem superfusa sæpius calida donec super natet) minus nutrit minuíque obstruit. Plus tamen nutrit tota ptisana: & ptisana tota ptisana colata & lacte peponum, quod refrigerat, citque vrinas. Angli ergo his iuribus sed adeò coctis vt carnis cremorem referant absque pane dum febricitant nutriuntur, prodest autem debili ventriculo, exilique habitui. (10. Arcur. cap. 3. Alica autem ex Zea (nos speltam vocamus) admixtis mali punici granis, diu manet in ventriculo, sed non corrumpitur & biliosi fernorem maximè reprimit, ideóque biliosiori vétriculo vtilis. Sed videtur. Galenus primo de victu in Acutis his verbis (com. 27.) Quod neque alteri cuipiam inest eorum quæ medici languentibus dare consueuerũt, verbi gratia, ouis, gallorum testiculis, alis, columbis inuentibus, piscibus & quæcunque id genus sunt, nam & panem & chondrum commemorauerat. Verum abunde falluntur qui sic interpretantur, cum oppositum velit. Conformiter enim loquitur his quæ paulo antè dixerat, scilicet Hippocratem è numero potius eorum esse qui tenuius nutriunt, quam qui replent: eosque qui ægros repleãt dignos magis esse Thessalo quã Hippocrate. Cuius rei manifestum est iudicium, quodq; ad prauos medicos hoc, cum subiiciat: Nullum autem horum alimentorum dissecat, nec humectat, atque id maximè mirum. Itaque ex hac autoritate reprehendi deprehendimus eos qui sua ætate talia exhiberent febricitantib. non commemorari quæ ipse exhiberet. Hipp. autem potus vinũ, oxymel, mulsa quæ ex mellis parte vna, aquæ verò trib. aut quatuor constabat. Cõducit & febrib. ex pituita & melancholia oxymel cũ pipere gustu iucundũ. Erat autem mulsa cocta & cruda in vsu. Et nonnunquã aquam coctam exhibuit ex aliis autẽ largiter, non vt nostro tempore, vt Galenus testatur (3. de victu in acut. c. 42.) Alios potus sua ætate consuetos enumerat Hippoc. in eodem libro, his verbis (tex 43.) De reliquis potibus cuiusmodi est hordeaceus & qui ex herbis viridibus, vua passa, vinaceis, pyris, cuico, myrtis, punicis & aliis parantur, in morbo ipso scribetur. Nos extincto in ea auro vel incoctis coraliis vtimur, iucunda è tamarindis vel prunnis. Odorata è cassia, nuce myristicia, florib. rorismarini, coriandro. (Vide 3. De morbis in fine.) Ad cordis affectus è semine citrij vel boraginis aut melissa. Ad vermes & intestinorum ac ventriculi dolores è ceruina scobe. Ex saccharo & garyophylis ad multos vsus. Ad ciendam vrinam è glycyrhiza, & adianto commoda podagricis. Aqua optima corrugat palatum, effusa multum strepit, munda, perspicua, qualitatis omnis expers, & splendidæ telæ in superficie, quæ nullũ animal procreat, citoque calescit ac refrigerat, quæque cito legumina coquit. Quod si sæpius ac diutius in vasis moretur etiam excocta sordítiẽ nullã relinquit.

Ordo verò generaliter talis est, si humorũ bonorum quantitas conueniens adsit, pauca & ratò exhibimus. (1. Aph. com. 17.) Si defecerint aut corrupti sint sæpe, sed multa viribus validis, pauca imbecillibus, morbi tamen ratione tanto minus, quanto facultas vitalis validior fuerit. Inquit enim (De victu in Acut. com. 44.) Ob vitalem facultatem sani edimus & bibimus, aliaq; vitæ munia exequimur. Propter hanc eandem ad ægri ad cibos potusque procedimus. Cum igitur vitalis facultas valida fuerit naturalis imbecillis, nec ægros nutrire expedit nec ferunt: Si vtraq; valida, non expedit. ferunt tamen: Si vtraq; imbecillis, expedit, sed non ferunt. Si vitalis imbecillis, naturalis valida, nec expedit, nec ferunt. Porrò facultatem, naturalem esse imbecillem & morbum magnum seu causam esse, idem fermè est cũ eius robur in cõparatione intelligatur. Quæ ergo vitalẽ facultatẽ exhauriunt, sunt impedimẽtũ in respiratione, animi affectus, sed omniũ minùs ira, exercitiũ, vigiliæ. (113. trac. 1. c. 5.) Quæcunq; autẽ syncopim curant facultatem eorum restaurant, vt aër frigidus, purus. aqua frigida, odores boni, vinum cum offa panis, vitelli ouorum, succus carnis ex duplici vase vel ex tosta cum semicocta incidítur, inde fermè cocta exprimitur: somnusq; & lætitia.

inter medicamenta. Gemmæ sericum, garyophyli, been album, enulla & margaritæ, sampsuchus, Bugloſam verò [inquit] [trac. 2. cap. 4.] ſecure exhibeat & non verearis ex ea noxam, vteréque cum omni quod in potu tribuis & in cibo das. Etiam conſueuit dari in potu, & aqua eius deſtillata. Naturalem autem facultatem exonerando leuamus, & cum his quæ iecur confirmant. Pro temporum autem morbi varietate in generalibus [modo materia illius tota maneat] copioſius ab initio [ſi eruditas non adſit] ad vigorem vſque perpetuò ſubtrahendo, vt primo Aphoriſmorum docet Hippocrates. (à 6. ad 10. Aphor.) nec ipſe in abſceſſibus niſi poſt duos dies à iudicio, nec Auenzoar in febribus niſi poſt quinque cibum adaugent. (1. de victu in Acut. tex. 25. tertio Theiſir trac. 1. cap. 13.) In acceſſionibus autem & exacerbationibus tempora, moré, & cauſas obſeruare oportet. A ſummo enim vigore initiũ ſuccedentis acceſſionis medio interualli, ſi id tempus ſufficiat, iuxta eius breuitatem & morbi magnitudinem, cibus parum nutriens paucuſque ac tanto dilutior dandus eſt, nam ſani conſuetum cibum in nouem horis, quarum mediis vehementiſſima fit actio, conficere ſolent. Si non ſufficit & vires ferant, à cibo prorſus eſt abſtinendum donec morbus miteſcat. Si non ferant, adſit autem phelgmon in iecore aut ventriculo aut febris ex obſtructione, vel plenitudine, nec in initio nec ante dare oportet. In aliis conſiderandum ſi non extrema vehementer perfrigerentur, ante acceſſionem dare licet. Si perfrigerentur etiam expedit. Et ſi morbus iam proceſſerit & febris ex calore ac ſiccitate ortum habeat, corpus quoque ſqualidum, imbecille, ſenſibile acrique humore refertum fuerit, aut ventriculus, etiam neceſſarium, vt decimo Attis Curatiuæ habetur (cap. 3 & 4.) Sed ſi non ipſo vigore citra caloris magnitudinem ſqualens ſit, in ipſo ſummo vigore & ante humectante alimento madefacere oportet. At ſi cum caloris magnitudine ſqualeat, tantiſper differendum donec illius magna pars euanuerit, ita docet ibi, tum in vndecimo (cap. 6. cap. vlt.) De ſomno autem longè aliter ſe habet, in initio enim nunquam, in vigore perſæpe conuenit. Ciborum verò ordo eſt, vt quæ optimè nutriunt, velut pullorum alæ præponantur. Et ſi ventriculus ſit imbecillior liquefactæ. Si corruptio timetur, abſtinendum. Galenus autem quæ aluum ſubducebant, vt olera, præponebat, exiſtimans pyiorum fore in imo ventriculi, cum à dextra parte ſit & minore palmo fundo elatior quare cum talia parum nutriant, ventriculum eneruant. Itaque cum nec ante bonos cibos nec poſt quæ aluum mouent conueniant, relinquetur vt talium nullus ſit vſus, niſi cùm ſola exhibentur.

Præparationis autem generalis quinque ſunt ſpecies, Aſſa, Tolta, Elixa, Frixa, Iurulenta. Aſſa & toſta adipe irrigari debent, plurimum nutriunt quoniam plus habent pinguis humidi, & ob id etiam difficilius manduntur, & ob vtranque cauſam difficilius reliquis concoquuntur, & ex his magis aſſata in veru, ſicciora enim ſunt, vnde toſta ſuper prunas plus eis etiam nutriunt. Vtraq; tamen horum minime putredini obnoxia, & paucorum ſunt excrementorum. Quinque igitur ex conditionibus quæ febrientibus debentur, tribus atque præcipius toſta & aſſata elixis ſunt deteriora. Cum etiam præter id calidiora ſint ac ſicciora. Sanis ergo, vt dicebat Eraſiſtratus validæ tum ciborum tum potuum facultates tempeſtiuè quidem aſſũptæ maximum inuamentum afferunt. Vtilia erunt ergo aſſa & toſta elixiſque longè præſtantiora, tum quod ex eis minor quantitas ſufficit ad vires reparandas. Comminui autem gladiis in tenuiſſimas partes, & diligenter mandi debent. Vtrum verò colliquatæ carnes elixæ febrientibus magis conueniant? vehementer febrientibus & robuſtis minus nocent, toſtæ conualeſcentibus ſunt vtiliores, Iurulenta quæ in lebete pluri aqua quàm iure coquuntur, plus & melius elixis nutriunt. Nec in ore aut ventriculo difficulter ſubiguntur. Subiguntur è carnibus facilimè omnium pullorum & perdicum alæ eædemque optimæ ſunt. Cæterum ſpeciatim ſi quis præparationum modos expendat, pauci admodum febrientibus conuenient. Vulualæ ergo botelli farcimináque omnia, nos buſeccham plenam vocamus, ouis etiam condimentis inteſtinis inditis conſtant & coquuntur, ſubuertunt ventriculum & vt quęcunq; alia miſta generali ratione difficulter conficiuntur. Lucanicæ verò cum carnes contineant etiam difficilius, Iſicia meliora ſunt quæ tamen omentata appellantur, nos temacla dicimus non bene concoquuntur in ſartagine, ob id nec in ventriculo, pectoriquè vt reliqua frixa nocent. Minutum, quòd in tenuiores partes caro vel piſces diuidantur melius concoquitur. Puls & pulticula, ptiſana deteriora ſunt, quia ex farina fiunt. Succus autem & cremor quò facilius ſubiguntur eo minus illa alunt. Patinæ à veſe dictæ, quæ caſeo conſtant (tyrotaricha vocantur) omnino incommoda Cruſtatæ quas nos paſtellos appellamus duriores ſunt, ſed melius nutriunt & ſuauiores ſunt. Quæ patina non cruſtata condiuntur mulsis odoratis, guſtum quod ægris minimè conducit, minus etiam emphractum quod guſtodenſius eſt, parumque à farciminibus diſtinguũtur, niſi quod carnes recipiunt nec inteſtinis includuntur, ſed in patina coquuntur. Patinæ fructuum & olerum tortæ quaſi noſtræ ſunt. Differunt etiam ex modo. Nam quæ ſuper prunas aſſantur inferiora ſunt his quæ in clibano. Aſſauras vocant cum carnium patinæ in eo coquantur condimentis admiſtis. Differunt & partibus ipſis, vuluæ, ſamenficatum, pernę, offellæ quæ ſunt carnium pulpæ. Sunt etiam iura diuerſa, album, diabotanon, viride, nam herbis conſtat & celebre, vt etiam nigrum laconicum conſtabat ſanguine præcipuè hędino. Veriſimile eſt odoratas & acres herbas illi fuiſſe admiſtas. Velut & hypocrima quod ex ſilphio, ſapa aut melle, aceto lacte, caſeóq; fiebat, aliter ligusticum cũmenta adduntur. Quod verò acre eſt nec coquitur, copadiũ dicitur. Introitus generasũt hęc ſeu

embammata

embammata vel moretum quale apud nos alleata. Opyporum verò è genere materiæ salsæ. Salacacabia autem dentiora. Melizomum odoratis constabat: commodum iter facientibus liquamen pingue est, alitque, nos è suibus & anseribus seruare solemus. Antiquis mos fuit omnia odoratis condire, vt sal, oleum hiburnicum, liquidiora autem hydrogarum, œnogarum, oxygarum, iungebantur aliis hæc potius vt defrutum. Erant & in embammatum genere quæ ex oleribus fiebant, vt nostrâ etiam ætate, vocabantúrque pulmentaria, & vt nos sinapium, ita olim laseratum, absinthiatum ab herbarum nomine. Admitti possunt ex huiusmodi quæ appetentiam excitant & morbi materiam præparant. Hæcque ex Apitio.

Si quis ergo in huiusmodi excessu aliquo qualitercunque aberrauerit materiam præparatam & coniunctam magisque etiam obnoxiam augebit. Cum tamen morborum tria sint genera: unum quod perpetuo superat vires, idque mortem breui affert, & ab omni cibo etiam irritatur. Secundum quod perpetuò & planè superatur à viribus, & mite quod cibum admittit celeritérque finitur. Tertium quod nec perpetuo superatur, nec perpetuo planè à viribus superatur: tres habet, species primam in qua morbus magis aut diutius vires vincit quam vincatur, qui mortem multo post affert, cibúmque in remissione admittit: Secundam in qua vires perpetuò morbum superant, sed exiguo excessu: ideò in ea aberrare in nulla ex octo ciborum conditionibus licet, & tenuissimo vti victu necesse est, nam periculosissimus & breui ad salutem terminatur. Tertiam in qua non perpetuo sed vicissim vires vincunt & vincũtur à morbo, sed tamẽ exiguo interuallo in hac cibare in remissionibus oportet, & quod cóctũ sępius purgare. Hęc non habet certã temporis metam, sed vel ob magnũ virtũ & morbi discrimẽ, vel ob longius intermissionis tẽpus quandoq; tuta & breuis est.

Ergo initium curæ in febribus à causæ curatione sumitur. Siquidem morborum qui à materia originem ducunt, alij iam subsistunt quoniam causa manet nec vrget, vt collecto crudo humore in ventriculo, hinc que causæ & morbo cura debetur. Aliqui qui non subsistunt quia causa vrget & non manet: si semper fiunt, vnde sublata causa nil est reliqui, vt febres ardentes. Quidam non iam subsistunt, sed aliud genus quod subsistit procreant, cum causa manet & vrget, atque hi periculosissimi sunt. Et vtrisque curatio debetur, vt cum ex tritæophies hectica fit. Causam cum volueris auferre, vacuum ventriculum, & aluum fluidam habere oportet. Si igitur ventriculus cibum contineat, nil melius vomitu ex aqua tepida: si non licet in feruente crapula, somno discutiatur. In abscessibus pectoris aluum subluere docet. (1. de victu in Acutis, tex. 45.) Hippocrates, id est, κλύσαι, vt malit cibum incoctum descendere, ne tempus venæ secandæ prorogetur. Quæ verò cruda iacent citra iecur, melius est vt quiescant ibi, nam & melius concoquuntur ac nutriunt, & nouas obstructiones non progignent. Sunt autem crudi humores tam calidi quàm frigidi, vt habetur libro de cibis boni & mali succi. (cap. vlt.) Hi si in ventriculo sint nec alia prosint præparati præsertim si grauent, medicamento non longius trahente purgandi sunt. Sed nec vbi præcordia tument venam secare tutum fuerit. Quarto de tuenda sanitate (cap. quintõ.) licet alioquì venæ sectio materiam minuere soleat, corpus verò semper per se refrigerat, plerunque etiam motum in sanguine cit. Adeo vt inseruida ex sanguine si vsque ad syncopin detrahatur sanguis & præsentissimum & vnicum sit auxilium. Quoniam enim in febribus sanabilibus materia obnoxia causa est omnium malorum, toties sanguinem mittere expedit quoties in periculo versamur. Galenus tamen dicit si expedit, totus ab initio detrahatur. Sed vbi ob timorẽ non detraxeris quãtum oportuit, aut omissa fuerit sectio venæ aliquo casu, melius est etiã sæpius repetere quàm ægrum morti obiicere. Vrina rubra plerunque venæ sectionem exposcere videtur, quoniam pingue humidum ardere significat. Cum verò tum illa tum flammea vel ex admistione bilis vt in morbo regio vel ex iecoris incendio procedat, vtrique causæ venæ sectio vtilis est. Obstructiones inde aperire, aluum, vrinas, sudores per initia cire, Paulus iubet. (lib. 2. cap. 18.) Quod tamen quando fieri, & quomodo non debeat docebimus. Incendium quoque & corruptionem cohibere, quibus omnibus acetum satisfacit. Dissecat, attenuat, corruptionem prohibet, flauam bilem extinguit nigram educit, atque ob hæc tandem etiam refrigerat & humectat. Oxymel verò præstantissimum, siquidem mel etiam attenuat estque suauissimum. (3. De victu in Acut. tex. 38.) Quamobrẽ Auerroes Serapium acetosum de duabus radicibus mirum in modum commendat, aperit enim obstructiones, dissecat & attenuat, uixque irritat quod summum est malum ab initio, sed temperatum tanto magis est quãto melle saccharum Sed & petrosilium cordi ac iecori confert. Frictio quoque materiæ vtilis est & vaporem educit, ideò cruribus, inde brachiis, post secundum spinam, administrari debet, vt docet Galen. 11. (ar. cur. ca. 3.) qui cum eodem loco iubeat crudos humores non mouendos, palam est frictione humores non moueri. Quæ autem valida est sic vt corpus excalefaciat, periculosa est, ne colliquatis humoribus illos in loca respirationis impellat & interimat. Semper autem aduersa febri Hippocrate & Galeno testibus Sexto Epidemiorum (Sect. 3. tex & com. 31.) Porrò materiam & febrem nonnunquam curat emplastrum ex malua & violæ purpureæ herba cum oleo floris eiusdem tepidum spinæ dorsi carpisque ac malleolis applicatum. Sanguinem enim & spiritũ temperat, quod sub spina vena & arteria maxima iaceant.

Sextum igitur exemplum incensarum continuarum febrium, cum id medicus præcipuè intendat vt materia obnoxia non augeatur, sed si fieri potest antequam coniunctæ iungatur, concoquatur. Ideò verò ne natura impediatur obnoxiam minuendo vtrique occurrimus. Ipsam verò incensam febrem

quinque auxiliis maximè extinguimus: Aëre, Balneo, Auertentibus ad extrema Epithematibus, sed præsertim cibo medicato, ob id ptisanam hordeaceam adeo laudauit Hippocrates. (1. de victu in Acut. tex. 18.) cum enim facile concoquatur & putredini non sit obnoxia, dum à febrili leui calore mutatur noxam noxa compensat. Peculiarem autem in abscessibus pectoris vtilitatem habet. Motus autem incendium prohibet. Motum iuuat apertio obstructionum, & si minuere liceat, multitudinem attenuare, dissecare, concoquere, quàm celerrimè fumum tenuioremque partem educere, atque parum imprimat in spiritus ac membra refrigerantibus ac confirmantibus, tum excrementorum irritamentis atque aliis auxiliis efficere. Aërem ergo in ardentibus iuxta Galeni consilium. Artis cur. cap. 14.) præcipuè mutabimus subterraneis cubiculis & ad septentrionem versis, ab euripo etiam aliquo auram excipientibus. Pauimentum quoque assidue aqua irrorandum: spargendumque floribus & germinibus frigidis humidisque, cuiusmodi, inquit conciliator, sunt vitis, salicis, myrti, rosarum, violarum, & nymphææ. Sic & vbi frigidior materia febris autem tepida fuerit moderatè calidis. De balneis verò peculiariter à nobis alibi actum est Victus autem ratio morbo magis aduersari debet: medicamenta causam morbi respicere. Ab initio igitur vino abstinendum diutiusque in lentis febribus, quia incrementum longius protenditur, securissimum est hoc auxilium sed lentum, quare vt sufficere queat, oportet materiam peccantem non esse mobilem aut valde prauam aut obnoxiam plurimum abundare. Si ergo sanguis abundet aut morbus vehementer vrgeat, venam statim, vt dixi. (9. Artis cur. cap. 4.) secabis, sanguinemque mittes donec vires ferunt. Nam si ex ea sectione in ardentissima febre syncopis eum corripiat, bilioſorum humorum excretio vtilissima subsequitur. Corpus enim bifariam & expurgatur & refrigeratur. Itaque corruptio non obstat quin vsque ad animi deliquium sanguinem detrahamus. Sed si corruptio processerit eousque detrahere haud licet, vt Galenus paulo post docet. Vires enim tunc integræ non erunt. Si verò materia morbilis sit, statim vel mittere sanguinem vel purgare conueniet, vt quarto Aphorismorum habet (tex. 10.) Nam tunc anima Mundi consentit & motui materiæ & naturæ irritationi. Materia etiam ipsa tenuis est, vnde periculum ne in aliquod membrum principale decumbat, turgentem eam veteres appellarunt quæ abscessum inchoat, cuius indicium est dolor: hoc enim docuit Hippocrates Secundo de victu Acut. Secundo etiam & Sexto Epidemiorum. (tex. 11. sec. 3. in Scopo ergo sec. 1. tex. 5. & 2.) Galenus autem in libello de purgationibus, hoc modo definit iuxta finem: turgere humores dicuntur cum motu vehementi agitantur, ac ab vno loco ad alium confluentes inter principia morbi hominem vexant, doloresque ac titillationes afferendo ægrum quiescere non permittunt. Parum hoc differt à præcedentibus, & si causam cur hæc fiant considerasset, scilicet quod in generatione phlegmonum talia contingunt, nihil dubij in interpretatione verborum Hippocratis relictū esset. Ergo si sanguinea materia cum turgente abundauerit, purgatione facta statim sanguinem mittemus. At si solus sanguinis influat, etiam solam venæ sectionem adhibebimus, Quod etiam in cæteris nisi clysterem præmittere opus fuerit obseruare oportet. Sectio tamen venæ qualisçunque cum naturalem calorem minuat, coctioni per se obest. Purgationes autem hæ fiebant ab Hippo. cum Peplio aut Eleboro. Nam cum certus humor educatur & à loco in quem influit auertatur, minusque vires debilitentur validis medicamentis fieri debent. Qui autem non mouentur humores non nisi præparati atque concocti purgari debent, primo Aphorismorum. Nonnunquam verò etiam Hippoc. vomitum ciere vocat medicari, quo etiam nomine autor Quinti Epidemiorum (tex. 22. in exacerbationibus vsus est. Hoc autem est, quod Hippoc. etiam vocat ex proximo ventre educere conducitque maximè cum sponte ad hoc irritantur capite grauati & anxij, vt Sexto Epidemiorum habetur. Quod si lenta materia successerit & cōcoquatur antequam reliqua pars accendatur quod concoctum est educi debet, vnde Auicenna Quarta primi. (cap. 3. iuxta finem.) Et cum materia mala multa fuerit ipsam paulatim euacua. Et prima Quarti vbi de Febrib. agit, (trac. 23. c. 7.) quę ex materia crassa pendent: Et non euacuetur multa materia simul, ne vires deficiant. Id verò diligenter cauendum ne crassam materiam citra gibbā iecoris vrinam mouentibus aut quæ vltra cauum est per aluum educere, coneris, nam vtroque modo cum necesse sit venas eas transire, quæ admodum tenues sunt inter cauam & gibbam: vt Galenus dubitet an inuicem committantur: prætet id quod frustra vexabis ægrum, obstructionem in loco maximè vitæ necessario parando maxima damna inferes. Quantitas autem cibi in morbis quorum materia tota manet quàm maxima, non augendo morbo idonea sit. Sed si parum vires imminuantur, ne morbum augeas, præstat auferre. Si plurimum auferre necesse est, in his qui perpetuò affliguntur, æger seruari non potest. Sed si iam antea imbecilles vires redditæ sint, victus is instituendus, qui medius sit inter vires non labefactatas & morbum. Hunc constat oportere esse pleniorem, scilicet vt vires ad pristinum robur restituantur. Si verò morbus diuturnus sit & inæqualis epicrasi vtemur. Generaliter versur totius morbi vigorem attenuando nisi morbus minuatur. Quod si æger copiosius nutriatur nec tamen coctio peruertatur, nec medicamento obnoxia materia purgetur, difficiles fiunt crises. Si verò coctio paululum peruertatur, morbus producetur. Condonandum est autem aliquid consuetudini, ætati ac cæteris. Quæ verò citra magnā noxiā in febrib. exhibētur sunt pisces petrosi, cū his quæ citra calorē dissecāt. Et scias quod vt ptisana in acutis ita mulsa in diuturnis. Fit autē ex vna mellis, aquę autem à duabus ad octo partes, vt Dioscorides

scorides & Paulus scribunt, (lib. 5. cap. 10. lib 1. ca 96.) Sciendum quod in febricitantibus trifariam vires dicuntur imbecilles, cum succumbere materiæ videntur, tuncque læsa est functio ob morbum qui fit ex materia præparata, cum calor naturalis accenditur. Nam quantum ex eo ardet tantum ex naturali deceditvt fit quãtitas in quali. Velut cum vinum peruertitur nec minuitur, nec vlla pars quantitatis syncera est nec tamen totum peruersum est: sic enim deterius fieri non posset, quam fuerit ab initio. Non ergo indigemus additione vini, imò vas disrumperetur aut effluereet. sed restitutione. Ideo tales vt nec primi indigent cibo, nec est imbecillitas. Verùm cum febris valida est necesse est adhuc tantundem substantiæ virium adesse, vt in latere ignito non est lapis imminutus, sed substantiæ pars mutata. Cum ergo vulgares interrogãt, an vires sint imbecillæ? respondeo, quòd morbus est magnus, & quod non opus est maioribus viribus, sed minore morbo: & quod vires nunc non sunt aliud à morbo. Sed cum ex effluuio materiæ vires deficiunt, potest tamen morbus magnus adhuc persistere: quia imbecillitas virium neque effluxum neque putredinem prohibet. Et hæc est vera imbecillitas. Hem contingit in suffocatione & in corruptione membri. Sed nunquid cum viribus imbecillibus potest esse febris incensa valida? respondeo, quod sic, sed tunc est species hecticæ: cum iam eo incendio cordis humidum ardeat: & ideò tales paulo ante mortem videntur alleuiati & mente præstant, aliter difficile est esse validam febrem incensam cum viribus imbecillibus. Forsan tamen contingere potest, vbi sanguis ipse feruear & vitales spiritus extincti sint: In omnibus autem imbecillitatis generibus tum etiam febri medicamentũ ex succis Ambrosiæ. Athanasiæ, Boraginis, Chelidoniæ, Draconis, Inulæ, Ozimi, Oxalidis, Petrosilij, Pimpinellæ seu, Bibinellæ, Saluiæ cũ croco melle timo ac mombastio: Citrij autem succo quantũ ad refrigerandum vtile existimes.

Septimum exemplum est intermittẽtium, quarum cura consistit in aperiendo obstructiones, & confirmando iecur & ventriculum, & educendo materiam in singulis accessionibus tertianæ per sudorem, decocto hordei nothæ & Quartanæ, floris fæniculi & eorum quæ plurimum possunt ἰδέλμους vocant Græci, lignum sanctum, calidum Cyna temperat Sarza, Parilia media, omnium potentissimus succus Cyclaminis cum oxymelite vel œnomelite. Bibat calidum, os sub culcitra teneat, corpúsque tegatur. Facile in huiusmodi sudor fluit, quia materia ad venas paruas detrusa est, & ob vehementem agitationem. Si verò sudor vires labefactat, cibis & somno recreandus est æger. Si sudor non profluit, leni medicamento naturam feliciter operantem (quod in omnibus semper pro norma habendum est) imitatus purgabis. Ipsa verò medicamenta calida quantum æger ferrè potest sunt propinanda. Ante accessionem etiam per quinque horas primo sumpto cibo materiæ morbi contrario cum incidentibus cuomere conuenit, saluberrimum enim est. Vomitus autem fit cum ptisana, oxymelie, radicula, vel eius semine, tum anethi. Sed anethum præter id quod vomitum cit, si retineatur, ad coctionem iuuat. Quæ autem antè comeduntur sunt bera, muria, sinapis, allium mel in frigida materia, tum verò sufficit aquæ tepidæ potus. Quod si vires ferant vt per totam diem accessionis æger à cibo abstineat, optimum erit. Horum enim alterutro ab absessibus iecoris & lienis tutus erit. Accessionis autem horam coniectari facilius licet in frigida materia, quoniam parum præuenire solet: in eadẽ etiam ventriculus magis auxilio indiget. Confirmãt membra cibi odorata, quæ astringunt aut intemperiẽ tollunt.

Quintum propriè functionis vsus Materia frigida catapotiis in quibus parum validioris medicamenti sit, purgari debet assiduè: calida ratò decoctis in quibus multum sit medicamenti debilis. Generantur in quartana multa excrementa cruda in ventriculo, quæ proprij humoris præparationem & coctionem impediunt. Ob id Galenus Diatrion pipereon exhibet, attenuat, dissecat, concoquit, nec digerit præpropere. Auicenna quoque sinapim concedit. Conueniunt & salsa & cepæ cum aromatibus. si natura secernat. Concocta verò materia, assa & theriaca, Et ex his quæ proprietate iuuant sunt, succus plantaginis ante accessionem per duas horas, & parietaria in vino cocta, epota & comesta. In exquisita verò tertiana ob longum interuallum, conceduntur ova, carnes colliquatæ, suillum cerebrum, panis etiam oleo & aceto cum sale (sal enim ventriculum roborat) intinctus, multa affert commoda in febribus, in quibus solidi alimenti aliquid concedi potest. Vinum etiam album dilutum in interuallis conuenit, & in inclinationibus accessionum declinationis generalis. In quibus autem humor arte educitur, febris non adeò exactè nec tam celeriter soluitur, quare interuallum breuius & impurius est. Nothæ autem tertianæ ptisana cum pipere, potus oximel, vel mulsa cum hysopo, nardo, origano: & post coctionem iugiter ex absinthij coma. Catapotia, mastix, agaricus, aloës, rhabarbarum, stœchas, chamedrys, absinthium, ruta, sal ammoniacum, cinamomum, nux myristica, gingiber, calamintha, crocus. Epialæ autem & lipyriæ quæ incidunt excrementa mouent, cum gallo sene coquere oportet. A purgatione si febres non recedant vnguenta applicanda dorsi spinæ, carpis, talis, pedum plantis: ex his quæ vehementer discutiunt, gentiana, centaurium minus, pentaphilon: aut purgant vt cucumer anguinus, colocynthis: aut naturæ contrarietate pugnant, tela araneæ, oleum scorpionum: aut proprietate arcent febres, vt vermes ceruini capitis qui dum viuit inueniri solent: aut concoquunt. vt anseris pinguedo, vel quæ pluribus modis conferunt vt cerui adeps: aut quæ putredini resistunt, vt sal & plantago, vel quæ vim causæ sopiunt somnúmque conciliant, vt vnguentum populeon: vel frigus tollunt, vt aqua ardens, vrtica, petroleum, oleũ ex floribus sambuci. Ad quartanã oleum laurinum

laurinũ & balſaminæ. Sunt qui adipem anſeris & equi addant. Febrium autem lentarum cura media eſt inter intermittentium & acutarum. Nam & natura & ſigna media ſunt. Sed tamen cura acutarum curæ ſimilior eſt. Diuturnis autem febribus ieiunium adhibere conuenit. Curant ſena, lupulus, aſarum, ſtœchas, abſinthium, eupatorium, myrabolani, cepulæ, Agaricum, rhabarbarum, elleborus præcipuè, vltimo, Theriaca.

Octauum exemplum non admittit purgationem, nec venæ ſectionem nec inediam. Nam cum tota materia putreat, quantumuis ſuſtuleris ſemper tota infecta relinquetur, ægri autem vires debilitabis, corpus inflammabis, deteriorem quoque partem materiæ ad cor deduces. Si tamen materia turgeat: ſolet autem ſæpe in peſte turgere: ne in membrum principale decumbat, vehementi medicamento: ne potius irritetur quàm educatur, purgari debet: aut ſi ſanguis redundet, vena ſecanda eſt, ne feruens humor in partem aliquam decumbat, atque ita malum malo addatur: hæc verò in ipſo initio morbi. Ante autem & ſectio venæ & purgatio conueniunt: venæ ſectio vt ſanguis liberiùs moueatur, quæ enim mouentur, alienam impreſſionem non adeò ſentiunt, vt in rapidiſſimis fluuiis quorum aqua frigiditatem ſuam retinet. Purgatio verò vt quod iam corrumpitur educatur. Cibare autem oportet vberius quàm in aliis febribus, & ſi cibos reſpuant, cogendi ſunt. Sunt autem vt Raſis (ca. 158.) in libro diuiſionum ait, pulli, oua, lentes, vinum quoque aquâ dilutum. Condire cibos expedit maximè oxygaro, tum aliis acidis ſiccitantibus (lib. 3. cap. 7.) Celſus quoque vinum calidum & meracius exhibet, tum glutinoſos cibos carnémque. Brudus verò ſiccum carnium piſcéſque ſalitos, at id iure: nam in quibus morbis coctio non expectanda eſt, vt in peſtilenti, in calculo renum, & in quibus adiectio materiæ non ſperatur, vt in abſceſſibus cùm augeri deſinunt, tum in omnibus quæ præter naturam omnino ſunt, vires confirmatæ etiam per incongruentia, inquit Galenus (lib. de Renum affect. cap. 8. & 10. Artis cur. cap. 9. & 10.) cauſas morborum tollere ſolent. Aeris quoque qualitas in hoc plus poteſt, nam capiti & pulmonibus & cordi corruptus maximè obeſt, frigidus autem pulmoni & capiti tantum, vt ſiccus prodeſt. Mutat & iecur aër nocétque ſed plus longè illi aqua, vt cæteris naturalibus membris omnibus. Ergo aërem ſuffitibus ex ſuccino, ligno aloës, & hyrcorum vrina odorare oportet. Cumque in omnibus febribus vtile ſit quieſcere, bene pannis intectum, tum maximè in hac eſt. Medicamenta autem præcipua ſunt quę vrinam mouent, nam ea adeò vtilia ſunt vt Hippocrates referat in leui illa peſtilentia de qua agit in primo Epidemiorum (par. 2. tex. 41. & 43.) neminem eorum periiſſe in quibus dyſuria acciderit. Et canis rabidi morſu cantharides vtiliter exhibentur, neque enim minus craſſa per vrinam quàm per aluum euacuari ſolent, tertio Prognoſticorum (com. 21.) Ideò & ſerapium è ſucco limonum, & ceteſus ex duplicato aceto conueniunt. Per aluum autem vt purgetur peſtifer humor, Auenzoar, ſtercus columbinum exhibet. Quidam auri pigmento deſtillato cum alexipharmacis aliquos ſanauere. Galenus (lib. de theriaca ad Piſonem cap. 16. & 9. De ſimp. Med. cap. de terra ſamia. (vero theriacæ & luto Armeno confidit, adeò vt prodiderit neminem qui luto Armeno ſanari non potuerit, alio præſidio ſanari potuiſſe. Quidam hauſtu multæ aquæ, alij olei, dum per impudentiam in ipſum incidiſſent. Præſentiſſimum autem auxilium ſunt cucurbitulæ glandulis adhibitæ, multóque igne repetitæ, inde emplaſtris locus curetur, quæ & caliditate & ſimilitudine materiam morbi ad ſe trahant, vt ex euphorbio, tum ranis viuis. Eſt & noſtrum antidotum ad hunc morbum peculiare. Quæ verò præſeruãt ſunt catapotia ex Aloë, Myrrha, & Croco, dupla proportione. Sed Græci habent Ammoniacum pro croco & Myrrham parũ pondere cum aloë quadraginta diebus cum vino diluto ſumuntur. Vehemens exercitiũ etiam adeò ſalutare eſſe dicunt vt grauiſſima in peſte ſoli ſuperfuerint venatores. Ignis quoque magnus à contagio nos tuetur. Allij etiam vſus ſalutaris eſt. Cætera vt in his qui iam morbo correpti ſunt.

Eſt aliud peſtiferi morbi genus, ſed lentè ex India occidentali originem ducens tumores apparent in capite, mollities, cruſtæ, dolores qui nocte ſæuiunt, vt in podagricis & tranſlationibus, quæ per circuitus exacerbãtur, & à meridie ad mediam noctem dolores augent, nodi etiam præcipuè in tibiis & iuxta cubitos, tum vlcera praua. Hoc peculiare illi ineſt, vt quemadmodum ex hoc morbo plures alij pene inſanabiles oriantur, præſertim circa pulmones, iecur, ventriculum & cerebrum, ita quicunque ex eo originem duxerint ipſo curato ſanantur. Quæ verò præter cætera quaſi ſuffitus hydrargyrij vim habent, ſunt, bitumen, caphura, ſuccinum, agallochum & gummi elemi. Videtur autem hic affectus congener eſſe elephantiaſi. Eſt enim proprium illius ſignum anhelitus fœtidus & nodi ſupra cubitos, color faciei varius, maculoſus, fuſcus: vlcera inguinum & bubones & ozenæ atque omnia contumacia. Vrinæ crudæ cum atomis: venenum etiam illi altera parte affine. Epoti enim ſigna ſunt perturbatio vehemens abſque cauſa intemperato homine, liuor extremorum abſque febre, affectus cordis & oris ventriculi, nauſea, ſenſus quidam tetri odoris vel ſaporis dum deuoratur. Vnde Carolus Quintus Cæſar dicere ſolebat, ſolum voraces venenum deuorare. Vtigo in faucibus vt quandoque ſtrangulari ſe exiſtiment. Cúmque poſt hoc homo ſenſerit cruciatum in viſceribus aut contabuerit abſque alia cauſa, venenum eſt temporaneum. Et mortuis liuent vngues & decidunt leuiter attracti, tum capilli & barba, tumet venter. Vibices autem dorſi veneno, peſti & abſceſſibus magnis communes ſunt. Et quandoque odor & ſapor detegunt in ægrotantibus venenum quodnam ſit. Et non eſt febris magna, nec ſui generis. Mortuo autem exciſo venenum in imo ventriculi quandoque videtur,

detur, aut ventriculus est exoriatus, aut iecur nigrum absque absceſſu. Ex peste autem bubones in laxioribus partibus, nigricantque naſus & aurium lobi, Aëris pestiferi panis ſub diuo mucet, oua olent luminaria oriuntur & occidunt caligine ob ducta. Auiculæ paucæ, mœſtæ, fœda animalia abundant.

Mediæ autem febres extremarum habita ratione curantur. Variolæ ergo morbilli & & anadegmata his quæ ad peſtem connumerauimus & ad cutim impellentibus, ſed magis in variolis minimè in anadegmatibus, quia non prominent. Decoctum Auicennæ ad hæc Dragacanthi, ficuum, fœniculi ſemen, laccam & lentes excoriatas: Sed Raſis fœniculum & lentes omittit, addit verò crocum & vuas paſſas. Ego autem adiicio lupuli ſemina radicéſque boraginis & verbaci coluteæque vaginulas.

Nonum exemplum eſt coniunctarum febrium: inter quas famoſiſſima eſt hemitritæus, quam conſtat ex vi nominis tertianam complecti: verum cum ardentibus febribus ob magnitudinem intermittentes adiunctæ quaſi negligi ſoleant, lentæ verò omnes ab humore quocunque præter ſanguinem fiunt, erunt hac ratione primarum febrium quæ ex intermittentibus & continuis conſtant genera nouem. Aliæ ex continuis inter ſe, cum intermittentibus. At duas ſimul continuas febres eſſe penè inauditum, quod omnium materia in venis contineatur. Validæ quoque continuæ febres vix intermittentibus iungi poſſunt, quoniam natura imbecillis non poteſt materiam ex venis expellere: quod in cauſa eſt vt multis poſt ſecundam aut tertiam acceſſionem, acceſſio non ſuperueniat, ægro deterius ſe habente quaſi duas patiatur continuas febres. Relinquuntur igitur compoſitarum duo genera intermittentium inter ſe de quibus multa diximus, & continuarum lentarum cum intermittentibus. Vt verò ſæpè duæ intermittentes vnius generis inueniuntur, diuerſorum rarò, ita contrària ratione diuerſorum generum continuæ cum intermittentibus miſtio frequés, eiuſdem generis rara. Cauſa eſt quod difficile ſit materiæ eiuſdem generis in venis contentæ partem exterius propelli, & ad extrema partem manere immotam. Quamobrem harum loco continuæ fiunt cum exacerbationibus. Sic enim eiuſdem materiæ pars prorſus quieſcit, pars accenditur & mouetur. Eiuſmodi ergo continuæ tertianæ & duplices tertianæ cum ſingulis diebus exacerbãtur: continuæ tamen tertianæ cum intermittente Raſis meminit (30. continen. trac. 15. cap. 11.) Ex nouem igitur coniunctarum febrium generibus tria excidunt vt rariſſima, ſed & rarò quartana continua cum accidat rarius ex ea fiet febris coniuncta. Sed & tertiana continua non miſcetur facilè cum quotidiana intermittẽte, quoniam corpus ex calefactum ſoluit pituitam. Alteráque breuiſſima duplici cauſa, altera longiſſima erit. Ergo vel ab initio perimit, vel ſolam interentem relinquit. Tria igitur tantum coniunctarum febrium genera ſuperſunt: hemitritæus ex tertiana intermittente & continua quotidiana: & hæmitritæus ex quotidiana continua & quartana intermittente quartana præcedente adhuc deterius. Verum vt peiora ita etiam rariora. Primum verò, vt dixi in duas diuiditur ſpecies. In vniuerſum autem hoc febri compoſitæ ex duabus intermittentibus tertiana & quotidiana aſſimilatur. Verum Galenus quotidianam continuam facit potius vt antiquis contradiceret quàm quod verè continua ſit. Habet enim acceſſionem & in horrore & in pulſu adunguem intermittentis acceſſioni ſimilem, vocátque Galenus incompreſſam hanc annotationem, credo quod horrorem loco frigoris, quod quotidianæ conuenit, habeat, & propter febris continuitatem pulſus non adeò contrahatur, nam eo teſte (1. de Differentiis Feb. cap. 7.) in die tertianæ initium quotidianæ ſit cum horrore & paruitate pulſus & inæqualitate ob motum bilis proximum, alia die cum ſolo frigore & pulſus paruitate abſque horrore & inæqualitate, hánceque etiam incompreſſam annotationem appellat. Sed quid rogo hæc acceſſio à veræ quotidianæ intermittentis acceſſione differt? Ergo in hæmetriteo bilis & pituita ſimul in vnum coëunt & confuſæ ſunt, vt ibi Galenus docuit, ſicut vna materia eſt in tertiana notha, in ea enim non eſt bilis cum pituita, ſed bilis craſſa. Et vicinæ, vt in duplici tertiana. Ergo in hemitritæo manet ſubſtantia, ſed confunduntur: in duplici tertiana ſunt eiuſdem generis materiæ, ſed non confunduntur. In tertiana notha eſt vna tantum ſubſtantia. In hæmitritæo igitur poſtmodum, vt Raſis docet, materiæ illæ confuſæ in initio acceſſionis tertianæ & quotidianæ, non in illa in qua horror apparet ſeparantur. Ideo in ſeparatione bilioſæ fit rigor, pituitæ autem frigus, quoniam materia bilioſa nondum corrupta eſt. Hemitritæi verò ſpurij ſeu Agathini plura exempla vidimus anno M. D. LVI. quæ facile ſanabantur. Si enim quis rectè conſyderet, naturam duplicis tertianæ nothæ atque extenſæ retinent. Galenus tamen vt Archigeni contradicat ait, quæ huic febri contingunt ob id euenire quod bilis prævaleat. Terminus hemitritæi primi, vt Raſis teſtatur, eſt dierum quadraginta. Et horum coniunctorum morborum notitia longe difficilior eſt tum etiam cura quàm ſimplicium. Nam qui ſcit dignoſcere febres & curare eas is maximam medicinæ partem conſecutus eſt. Poſt dolorum longe minor fluxuum quod reliquum eſt pharmaceutricæ quoniã talia raro contingunt, & ſponte ſanantur aut breui occidunt. Et ſcias quod febres coniunctæ ſæpe comitantur abſceſſus & ſuppurationes. Et hoc eſt quod dixit Raſis trigeſimo continentium (tract. 14. cap. 1.) Tertianam ſubſequi pectoris abſceſſus, quartanam lienis, & quotidianam ſuppurationes. Nam intellexit de miſtis febribus, non ſimplicibus. Cura verò hemitritæi eſt vt duplicis tertianæ nothæ, ſed exquiſitiore victu indiget. Exhibebis piſanam cum pipere: his quæ aluum leuiter mouent vti licet, non decoctis his quæ irritant vrinas, nam, vt

inquit Auicenna, periculum phrenitidis inducunt. Iuuandæ tamen sunt excretiones, non mouenda materia. Quidam piper exhibent cum succo violarum. Brudus cortices radicum raphani coquit cum hordeo. Vbi concoqui cœperit materia, Auicenna catapotia exhibet ex aloës, absinthij & enpatorij succo, mastice, mirabolanis citrinis, rosis, rhabarbaro, ac dimidiq ponderis croci. Sæpius autem vel quotidie exhibere oportet.

Decimum exemplum est interiorum abscessuum qui febres sibi acutas copulant si calidi sint, ædemata lentas, scirrhi tabe vel ascite occidunt. Cum concoquuntur qui mitiores sunt intermittentes cum ephemeris. Coi soror. [2. Epidem. Sec. 2. cum iecur in formam lienis eleuatum haberet secunda die obiit. [3. Artis cur. cap. 11. κατ' ἐξ & 2. ad Glauc. cap. 2. κατ' ἰξιν Com. 29.] In omnibus per initia auertere influxum oportet inedia, purgatione, cucurbitulis, vinculis, frictione extremitatum. Sed in calidis venam secare oportet, secundum rectum & iuxta venarum deriuationem. Suppuratio verò prope canales securior est, quoniam ad expulsionem sola naturali facultate indiget: ea si potest concoquere, etiam expellere potest. In pectoris autem partibus difficiliores, quoniam superius expurgantur, ideo cerebri facultate cum indigeant, ea verò prima sit quæ in morbis sanabilibus minuitur, secunda Aphorismorum. Quæ à canali ab est, lethal s est. Quod etiam sensit Auicenna, vt in iecoris alis & renum partibus externis. Cum enim materia non p ssit expelli, vt vera credit Lethales etiam sunt vt de magnæ. Optimum velut in omnibus facile ferre facilem noxiorum mutationem. Nam trium facultatum robur ostendit: Quæ suppurant pus mittunt: quod si non expellatur inquit Hippocrates. [6. Epidem. sect. 7.] Ascitos citius secare, tabescentes autem vtere expedit. Cauendum tamen ne totam aquam aut sanguinem educas, omnes enim moriuntur. In venæ sectione per initia mutationem sanguinis ex rubro in fuscũ, aut contrà, tum doloris alleuiationem, expectare oportet. Cum verò in abscessu humoris alieni à sanguine qualitas deprehenditur, aut locus eius non communicat venis quæ secantur, purgatione validissima opus est, materia enim, vt dixi, turget. Cum verò hæc postponuntur non solum augetur abscessus, sed etiam peruertitur. Sunt enim corruptionis quatuor genera, incẽdium, quod pathognomicum est febrium non pestiferarum, sicut putredo pestiferarum. Suppuratio sanabilium assidens vt peruersio mortiferarum in febribus totius, in abscessibus particulæ ipsius. Qualecunque enim impedimentum actioni caloris naturalis nunquam cessante actione corruptionis facit vt materia tanto deterior euadat. Fines autem abscessuum quatuor sunt, resolutio, suppuratio, scirrhus, & transmutatio. In suppurationibus primum resudat materia, post plerunque aperitur, nisi calidior sit locus. In mollibus autem locis suppurationes inundationem præferunt: quocunque autem loco sint calidiorem illum efficiunt. Sed abscessuum dolor aliis doloribus tactu vehementius irritatur: quod abscessus omnia malorum genera complectatur. Phrenitis tamen quandoque sine dolore est, nunquam sine delyrio, vt tertio Epidemiorum habetur. [par. 3. tex. 75. & 86.] Angina verò omnibus periculosior abscessibus, quòd præsepè intra dien interimat. Euenit id ob loci angustiam tum nobilitatem, cum eum spiritus permeet. Suppuratio verò in pectore ob loci caliditatem: nisi prius expuatur: adeò exacuitur & membranam corrumpit vt in quatuordecim diebus erumpat sanies in cauitatem parátque empyema. Quod si in quadraginta diebus ea sanies sputo non repurgetur, in phthoen transit. Vt igitur quam celerrimè suppurent concoquentibus vtendum, & emplastro ex altheæ radice, scabiosa, butyro & croco. Tritici etiam farina multum concoquit, sicut ficus molliunt & mel suauissimè, & tartarum vehementer detergit. Propriè autem in morbo laterali conuenit potus ex ficubus siccis, lini semine confracto & tussilagine & ex medicamentis candida pars stercoris gallinæ vel accipitris cum in potu data. Dum verò suppurant fiunt rigores ob vapores acres ex inflammatione sparsos. Conuenit autem maximè eis victus per epicrasim similis primo de victu in acutis. tex. 23. Vt enim exquisita ratio epicrasis constet, necesse est vt morbus sanabilis, eiúsque generis quod non totam materiam ad iudicium vnum reseruat. Medicus quoque norit quando & quomodo quibúsque & quàm validis medicamẽtis purganda sit, qualitatem etiam & quantitatem & ordinem ciborum morbo conuenientem. Nam morbi qui sine febre sunt omnes per epicrasim & pinguiorem curari debent: quia cibi multum nutrientes vbi corruptio causa non sit morbi, & libera sit concoquẽdi facultas, non id periculi afferunt. Et scias quod copiosa sanguinis detractio facit, vt etiam patientes abscessus in pectore diuius ferant carnes colliquatas periculoso cum experimento, tutius verò in defluxionibus, & purgatio loco sectionis venæ in quarta die.

Scirrhi autem & carcinomata ab initio curantur, scirrhi mollientibus vt diachilon, tum digerentibus, epithymóque cretensi cum scillitico oxymelle. Carcinomata aqua lactis epithymóque, vt Galenus faciebat [14. Art. cur. cap. 9.] Carcinomata occulta melius est non curare: curati enim citius pereunt, inquit Hippocrates. Scirrhi etiam confirmati superueniente materia calida suppurare solent. Quamobrem vt superueniat quauis ratione procurandum. In abscessuum initiis quæ repellunt præcipuè ex principali membro applicare oportet, dum augentur eadem, tum quæ concoquunt: cum fluxerit materia vtraque, post etiam digerentia: nullum enim tempus est in quo à fluxione tuti simus. Verùm in vigore his longè minus quàm aliis vt antea indigemus. Repellunt frigida præsertim sicca, concoquunt calida & humida, densáque: Digerunt calida & sicca.

Abscessus

Abſceſſus autem acuti caliditatem & tenuitatem materiæ oſtendunt, vt inquit Auicenna, ob id quæ ſuppurant acuuntur. Exteriores autem abſceſſus qui interioribus communicant antequam ſuppurent ſunt ſecandi, minus enim periculum eſt in difficultate ſanationis exterioris vlceris, quam corruptionem viſcerum à ſanie. Scirrhos qui exterius prominent, vt lienis & muſculorum ventris, tollit vnguentum è tota cicuta & ammoniaco. Nodos in iunctutis plumbi lamina operculi inſtar ſuperalligata. Si verò pernitioſi ſint & inſanabiles abſceſſus, ſeu vlcera, aut alij quiuis diuturniores morbi, non opottet vexare ægros: ſed à laboribus & ſollicitudinibus illos auertere, ſymptomata ſedare vt dolorem ac eroſionem & calorem, plumbeis, opio, ſolano, plantagine, lacte, cinere canorum, nec irritare. Somnum procurare. Vere & Autumno peccantem humorem vacuare, & ſi ſanguini miſtus ſit, venam ſecare. Cibis optimi alimenti, paucorum excrementorum, & morbo ac cauſæ contrariis ipſum reficere, cruditatemque vitare: Ita in omnibus aliqua eſt optima ratio quantumuis praua ſint: ſicut inter omnes homines vnum maximum eſſe neceſſe eſt. Conſpicuam autem habet vtilitatem hæc inuentio in diu ſuper victuris ægris. Internos abſceſſus curat ſolanum tuſſilago, ſuccus raphani, caro hirundinum.

Vndecimum exemplũ eſt in febre cum fluxu, contingit autem ob phlegmonem vel colliquationem, quarto de victu in acutis (com. 40.) vel cùm tenuior pars ſecernitur, craſſior ex obſtructione rerentа accenditur. Si ex colloquatione ſit, febris præcedit, vires reſoluuntur, & quæ excernuntur pinguia ſunt, ſplendent enim, & aquæ infuſa ſupernatat ſimile quippiam ei quod vrinis cõcretis, & ſi adeps adſit cogitur. In abſceſſu cruda atque dilata, male etiam olent ſed minus, quoniam colliquata ob putredinem ſecernuntur. In tertio genere minimè: parſque parti ſuccedit, velut & in febre atque igne qui modo continuus eſt, modo ex cineribus excitatur. Ob id ergo cum omni generi inutilis ſit purgatio, etiam ſectio venæ ei ſoli qui ex abſceſſu oritur conueniet. In tertio verò genere miſſio ſanguinis peccantem materiam ad venas retrahit, purgatio nimis irritat: propterea Galenus iubet (1. ad Glauc. c. 14.) vt aqua lactis chalybeata contenti ſimus. Modò etiam non ex abſceſſu fiat lac, ex quo butyrum detractum ſit cum dimidio pondere aquæ, tamdiu coquatur donec ad ad qũadrantem redeat, inde chalybe in eo extincto bis propinetur & cibi & medicamenti loco. Mora quoque rubi acerba ſiccata, ſic vt iucundum retineant ſaporem, in pollinem redacta vtilia ſunt. Antea verò quàm cibum exhibeas pedes linteis calefacias. Brudus recitat curaſſe Anglicam mulierem fluxu & febre laborantem iure pulli in quo quæ refrigerant & aſtringunt incocerat, cuiuſmodi ſunt Intubus, oxalis, Plantago, lichen, rubi germina vel roſæ, borago, berberis, rhu, coriandi ſemen præparatum, coralius rubet, menta. Caſu etiam adiutus, nam fluxus ex colliquatione erat. In eo enim temperare, confirmare atque reficere corpus oportet. Si ex abſceſſu ſit, concoctio illius vnica ſpes eſt, vnde validas vires adeſſe neceſſe eſt. Et piſana hordeacea & alica præſtantiora ſunt. Nil mirum autem eſt difficilem eſſe curam fluxus cum febre iuncti, quandoquidem & ſolius fluxus difficilis ſit, quoniã cauſa morbo contraria eſt. Eſt enim fluxus morbus manitatis, cuius cauſa eſt repletio. Dolor verò renum in diarrhæis, ſignificat in meſaræo humores multos aut prauos eſſe. Si verò cum difficultate ſpirandi aqua intercus aut alba pituita ſit, ſuccus radicis colocynthidæ epotus: modo ſanabilis ſit, curat. Si etiam ex peſtilenti febre abſceſſus in viſceribus genitus ſit, ſtatim mittendus eſt ſanguis, nam abſceſſus & febris hoc poſtulant, ſola peſtifera qualitas inhibet, cuius impetum iam eſſe remiſſum ipſa abſceſſus generatio ſuadet.

Duodecimum exemplum eſt vtero gerentium, quas prius præſtat agnouiſſe. Si igitur os vteri quod ab ore ceruicis palmo maiore diſtare ſolet: hoc autem ſemper patet cum in vuluæ ingreſſu poſitum ſit: adeò concluſum eſt vt argenteum ſpecillum linteo ſubtili inuolutum penetrare nequeat, molliſque vndique tota ceruix eſt, ſeu ſi digito medio prælongo obſtetrix id percipere potuerit grauida eſt mulier, nam alioqui & ſi concluſum maneat: niſi cum in ſpurcitia ſemen recipit, tunc enim aperitur ac deſcendit: non tamen adeò, vt non aliqualiter hiet. Concluditur & in affectibus quibuſdam, ſed non citra ceruicis duritiem. Et ſi poſt ſpurcitiam ceruix ſicca eſt, menſeſque repente deſinant, nam ſenſim deſinere morbi argumentum eſt. Sique cum bono habitu vini ac cibi faſtidium adſit: vel ſi inſuetas & prauas res appetat Picam vocant Græci hoc. Sextum eſt oris ventriculi morſus abundante ſaliua. Et macula ſolaris in facie, oculi cani albumque eorum liuidum. Mammillæ quoque tument & lac mittunt, Vrina etiam clara nebulam ſphæricam præcipuè in ſole poſita oſtendit. A cœna multa epota cum anſo tormina ſentiunt. Et ſi fœtus trimeſtri non minor ſit. Duodecimum hoc ſignum eſt: linteo vbi durus, eſt venter, vino frigido imbuto ſuperpoſito fœtũ moueri neceſſe eſt, huneq; motũ mulier ſẽtit. De his igitur inquit Hipp. (5. Aph. 31.) Mulier vtero gerẽs ſanguine ex vena miſſo abortit, & magis ſi fœtus ſit maior. Auertit enim & ſubtrahit alimentum fœtui, naturamq; terret. Et ſi in pueris non liceat ob reſolutionem, vt Galenus docet (11. Artis. cur. c. 14.) quantò minus in prægnantibus in quibus reſolutio eſt maior? cum duplex ſit & maior in generatione quam in incremento. Et ſi nonnunquam ex venæ ſectione fœtus in his ſeruati ſint quæ abortire ſolebant antea ob ſanguinis abundantiam, vt teſtatur Accorrombonus, non tamen ex monſtrificis euentibus regulas fabricare debemus. Sed ſi fœtus ſit exiguus minus erit periculi in abortu, & quod abortiat: ob hæc ſanguinem mittemus in internis abſceſſibus aut continentibus febribus. In reliquis morbis prægnantium & generaliter omnibus puerorum, id eſt, ad annum vſque quartum

tumdecimum ſola victus ratione contenti erimus atque purgatione. Tales etiam nec longam nec exquiſitam inediam ferunt: ſed cibis modicè nutrientibus ſufficienter ales. Cum verò in prægnantibus morbi ſæuitia venæ ſectionem exigit, fœtus magnitudo non admittit, præfatus illud Hippocratis: Mulierem vtero gerentem capi aliquo morbo acuto lethale eſt: reliquas conditiones obſeruans curabis. Quod ſi materia turgeat à quarto menſe vſque ad ſextum purgabimus, non magno abortus metu, ſeptimo ſi robuſta ſit mulier & fœtus validus poſt non, primo & ſecundo manifeſto cum abortus periculo, vitæ non adeò, tertio mediocri vtriuſque. Quibus verò nihil intra conſtitutum tempus accidit, vitales partus fiunt, inquit Hippocrates 2. *Epid. ſect.* 3. Conſtitutum autem tempus declarat dicens. A conceptione aut menſium curſu nouem menſes numerare oportet. Accidere intelligit ægrotare aut ſi menſes fluant, aut caſu aliquo corporis vel animi affectu concuſſa fuerit. Ad conceptum multum valere polypos paruos bene aſſatos, refert Hippocr. Puerperarum cum naturalis fuerit partus exquiſita ſit victus ratio ad ſeptimum diem vſque, ſi laborioſus exquiſitiſſima. Vtriſque potus ius, nam frigida nec intus nec extra conueniunt, nec vinum, nec ad quartum diem motus, etiam in lecto. Nec à maſculi partu ante trigeſimum diem, nec fœminæ ante quadrageſimum (tot enim ſunt puerperij dies) purgare licet. Sed in morbis qui à partu fiunt vt dolores, febres, menſium ſuppreſſio vel profluuium dies à partu. Retentio autem menſium quandoque admirabiles effectus producit, adeò vt Hippocr. referat 3. *Prognoſ. text. & com.* 7. duas ex his factas eſſe hirſutas cum barba & voce aſpera, breuique periiſſe. 6. *Epiaem. in fine.* Infantibus quoque morbus quem vocant matrem puerorum contingere ſolet, conuulſioni propior. Qui ſine ne motu ſit præſertim in facie plane lethalis eſt, fit enim ex craſſo humore. Si ergo euadant ſubſequaturque atrophia, inſanabilis ea eſt quoniam è cerebro ad pulmones vel membra naturalia materia tranſlata eſt. Nam cum illa deſinit, hæc incipit. Curantur lictu mellis antequam lac ſugant, & inunctione oris ventriculi ac plantæ pedum ex aqua ardente. Obnoxij ſunt maximè vſque ad quintum annum. Accidit ex tumoribus ortu dentium, febribus ac vermibus. Contingit & ex fletu hernia vmbilici grauis, tum etiam ſeroti. Curatur inungendo cum oleo nucum, & cerato vinculi loco. Senes magnam ferunt inediam non tamen longam, etiam ſi ſucata ſit purgatio quoque & venæ ſectio moderatè & pro neceſſitate. Nihil enim magni citra grauem læſionem, tametſi quandoque occultam tutiment. Conualeſcentibus reſtituere vires temperiem ac membrorum ſubſtantiam decet iure pulli cum teſtudine vel cochlæis, cichorea, plantagine, vuis paſſis, petroſilio, boragine, nuce myriſtica & Indica. Nonnunquam abſinthiato vino.

Vt in vniuerſũ ad hæc inediæ metas conſtituamus, ſcopi illius tres ſunt: Tolerantia, Facilitas, Neceſſitas. Tolerantiæ quatuor ſunt partes, caloris naturalis paucitas, virium robur, conſuetudo & ſolidorum exigua reſolutio. Neceſſitatis tres, morbus potens magnus aut periculum imminens, & coctio. Facilitas eſt vt famem non ſentiat, nam ex eo ſenſu ventriculus prauis replerur humoribus, multis defectus animi, quibuſdam etiã ſyncopis, aliquibus conuulſio, vt Grammatico illi accidit. Ergo abſceſſibus maior ex neceſſitate, indicatione inedia quàm febribus debetur, non tamen adeò cum ſuppurant ferunt, tum quia excreando vires minuuntur, tum quia ad excreandum opus eſt viribus muſculorum. In peſtilentibus febribus facilitas ſæpe magna cum non appetunt, neceſſitas etiam non parua, morbus enim vehemens & natura expulſioni intenta, ſed tolerantia nulla, tum quia robur non adeſt virium, & tum earum vſu multum indigemus ad propulſandam materiam, & membra liqueſcunt. Ergo in humeri fractura vel coxendicis Hippocrates in libro de fracturis, ſi non adſit febris, vt ſine cibo ſola contenti aqua maneant ter ſeptem dies, ſi febris adſit per quatuordecim, iubet nam ibi duplex morbus magnus dolor & febris, metúque maiorum malorum imminentium, abſceſſus ſcilicet & conuulſionis, materia quoque concoquenda ob febrem facilitas maxima, nulla enim fames ob doloris magnitudinem. Cum enim fames ſit doloris ſpecies & duorum dolorũ qui non ſecundum eandem partem fiunt, maior minorẽ obſcuret, nunquam in magnis doloribus homo appetit cibũ. Tolerantia etiam cum calor naturalis febre & dolore minuatur, manentibus tamen viribus, quamuis eis nec opus ſit, & non reſoluatur corpus, manifeſtum eſt omnes concurrere cauſas exquiſitiſſimæ longiſſimæque inediæ. Non ergo demirentur idiotæ, nec contradicant improbi medici longis ac exquiſitis inediis in febricitantibus, cum has Hippocratis multo graviores videant. Sed illud conſideratione dignum, cur febrientes non ſolum facilius ſed melius ſanis inediam ferant? Quod enim facilius non obſcurum, cum non eſuriant, tum ob calidam & ſiccam intemperiem, cum appetitus fiat magis à frigido, tum quia ſitiunt plerunque, raro autem homo ſimul eſurit ac ſitit: pluribus etiã ventriculus humoribus prauis in febribus abundat. Saltem vapores corrupti ad os ventriculi deferuntur, qui famen tollunt. Sed de tolerantia mirum videtur cum maior fiat reſolutio à duplici calore quàm ab vno. Cauſa ergo eſt quia calor naturalis primum minor eſt cum in igneum ſit tranſmutatus. Igneus autem humidum aqueum potius depaſcitur quam innatum, cuius inditio eſt ſitis in febrientibus loco famis in ſanis. Calor igitur naturalis minor minus abſumit, ideò vires minus reſoluuntur. Alia cauſa eſt quod naturalis calor depaſcitur partem vtilem materiæ peccantis: ob id enim concoquit, quia ſib. concoquit, eſt enim agens naturale, non voluntate agit. Ideò in febribus ex crudis humoribus tum ob copiam vtilis par-

tis,

tis, tum caloris paucitatem quæ à frigore materiæ contingit, homo quatuordecim diebus exiguo cum vitium detrimento sine cibo manebit, qui alioqui nec tribus manere posset, quin magis læderetur. Qui verò dicunt ob id non debilitari ægros, quia natura alteri negotio intenta sit, pulchra quidem verba proferunt, sed quibus nullus subsit sensus, vel puero dignus,

Tertium decimum exemplum est vlcerum chironicorum cancrosorum & oltracosorum in quibus sunt scirrhi. Emollire oportet emplastro, inde aperire vnguento Alexandrino vel Ægyptiaco Mesue, aut quod est validus Ioannis de vigo, post spongia, Inde labia aperite ferro, Inde melle rosaceo & vino & decocto hordei, clysterizate vt vocant. Deinde funiculo transmisso cum eisdem vnguentis attenuare cutem, demum scindere, Post putrefacere carnem & callosa præscindere semper attenuatâ cute. Demum recreatâ carne consolidare, & cutim super inducere. Decem sunt operationes, septem priores duobus diebus perfici solent singulæ: quedam quatuor aut quinque, vltimæ tres pro magnitudine morbi, plerumque longiores. Caro ipsa callosa præscinditur chalcanthi oleo & oliuæ ligno parte interiore, nam vix dolet. Iuuat autem plurimùm sanguinem, tum maximè nigrum prolicere, & ad totum & ad partem leuandam.

Vltimum exemplum est symptomatum quorum præcipuum est dolor, qui quamuis ex continui solutione fieri potius à Galeno credatur, constat tamen ex intemperie, etenim in vlcere repurgato nullus penitus dolor sentitur, vt ego in me ipso (tametsi magnum esset) expertus sum. Vt mirum sit hoc Galenum non uidisse Si dicas, quod exigit nouam mutationem: ergo in ipsa statim mutatione aut saltem maximè dolerer. Quorum vtrunque falsum Nam homine non aduertente vulneris accepti etiam in membro vehementis sensus, nec statim dolor sentitur, & postquam sentitur augetur etiam ad multas horas. Cura igitur eorum qui ex flatu oriuntur laxantibus & sensum auferentibus (si omnino ferendo maiorem noxam sit pariturus) constat. Verum si nec phlegmones nec vigillarum nec casus virium nutus sit, flatum discutere atque illius causam tollere oportet. Ea autem plerunque non naturalis calor, & materia lenta pinguisue. Sed & ab aquea oriri potest. Naturalis calor validus ex lenta materia flatum generare potest & discutere, imbecillis non discutit, sed neque generat. Debilior moderato genitum non potest discutere, sed generare solum. Ob id quæ discutiunt pleraque in tertio ordine sunt excalefacientium atque ex siccantium, vt ruta, cumini, petrosilij semina, tum viticis, stœchas etiam auxilio incisionis, tametsi non adeò sicca tollit flatum. Nam & oxymel quamuis temperatum discutit flatum. Sunt qui coriandrum id posse credant citra calefactionem. Quæ ergo incidunt & quæ discutiunt tollere flatum possunt. Quædam causam flatus dum mutant, flatum sustuliſſe videntur, vt anethum & chamemælon. Fiunt autem plerunque bile cum pituita mista, altero materiam, altero præbente principium generationis Vt ergo causam auferas, exercitatione, victu tenui, somno, vnguentis, odoratis, frictione, ac demum frigidi ac lenti humoris euacuatione, indigemus. Aperienda tertio loco via est ipsi fletui, velut educendo feces atque pituitam in coli dolore, clysteribus primum mollibus, inde acribus, vrina infantis, lixiuium, sapo gallicus seu niger, assa fœtida, sapa oleúmque, & nonnunquam mel, Ius quoque galli decrepiti cum lenientibus & discutientibus flatum, acopis, velut solanum, & purgantibus vt ex compositis benedicta vtraque. Exterius in ventriculi & intestinorum doloribus emplastrum ex sertula campana, & si diuturni sunt, ruta, cuminum. Generaliter autē rosaceum oleum omnibus confert doloribus, & si vehementissimi sint cicuta lumbricique adhibeantur. Medium oleum ex vitellis ouorum & compositionis ratione, vt in podagra & capitis dolore vitta. Et dolores omnes ex flatu aut vapore factos vt in febrium exacerbationibus, ventriculi, capitis, dorsi, soluunt cucurbiculæ ficcæ. Et cui dolor ex apice iecoris complicato aderat, concusso homine statim cessauit, inquit Hippocrates. (6. Epidemiorum: sec. 7.) Quod si dolor non sedetur antequam lethalium malorum aliquid progignatur, Philonio Romano (quod à morte liberans ob id appellatur) aut si calidior sit materia, theriaca vtemur: somnifera enim sunt. Aliter quidam mortem afferunt, vt ventriculi dolor per abscessum aut atrophiam. Alij comitantur ad mortem. Vnde Hippocrates: Renum affectiones post quinquagesimum annum sanatas non vidi. His tamen quibus ex febre renes dolent, oleum mentæ auxiliatur, vt crurium oleum camemælinum cum dimidio olei hypericonis. Dolor quoque capitis vehemens ac diuturnus, quique non soluitur auxiliis, interficit nisi deriuatione aut igne antequam neruos lædat aut vires prosternat, curetur. Vnde infantibus exitialis est. Vigilia proximo loco est quæ languentes & sanos ex æquo affligit (2. de victu in acut. Com. 44.) in febribus cruditatem significat, nam & ex cruditatibus fit, tunc enim acres sunt humores. Concoquentibus ergo eam curabimus tum balneo, lactucis quoque & lactis spuma in fine cœnæ. Præcipuè verò illitis arteriis, non temporum, ne æger ad attonitum morbum præparetur, vnguento populeo vel oleo expresso exhyoscyami semine, vel si cum frigidis humoribus sit (quod genus pessimum est) hoc medicamento: Styracis, radicum iridis, myrrhæ, croci, castorei, singulorum drachmas tres, aloës, seminis hyoscyami, succi mandragoræ, singulorum drachmas duas, opij drachmas quinque cum succo solani somniferi (cuius flos, fructus, radixque ad rubrum tendunt aut parthemij igne densati fiant catapotia, vnguentúmque liquidius. Quod si æger noctu non dormiat

quoniam

quoniam tum maxime febre vrgeatur die dormiet: Sin casu alternis solum diebus, modo ferant vires, nec multum dormiat, vt sic & viribus conseruandis & recuperandæ consuetudini satisfaciat, Semper tamen in remissionibus febrium somno indulgendum. Ἀ*στία* succedit absinthio in vino infuso oxygatóque nonnunquam vomitu & dejectione valida soluitur. Lac verò aut sitim sedat, quoniam potus formam habet nutrit vt cibus, ideò his qui vehementer sitiunt & cibos abominantur vtilissimum. Sitim validam sedant Intubus plurima satiua iuri incocta: agrestis etiam muccosus seminum humor aut cotoneorum aceto vel omphacio exceptus, vel tamarindi arantij succo purgati in ore detenti. Et scias quod plerique morbi ventriculi ad appetentiam pertinentes à iecore originem ducunt. Quæ autem in cute fiunt, quæ detergunt, quale hoc, in aquam extincti æris incoquantur mororum cinis, chelidoniæ, verbasci, oxyla pathi, boraginis radices, scabiosæ & fumariæ folia Vnguentum ad eadem ex eorundem fermè succis cum oleo antiquo atque aceto coctis, indè additis axungia porci salitæ, piceliquida, ærugine, hydrargirio, sulphure viuo, chalcantho, alumine, auripigmento, calce viua, elleboro vtroque, gallafuligine, thure melléque in ærea sartagine vsto. Ita repurgato corpore lepræ, impetigines, scabies, tubercula, vlcera sinuosa, callosáque, tinea, alopecia, sanantur. Cera autem corpulentiam addit & accedinem minuit. Sed si quæ tubercula profundiora sunt manuum auxilio facilius euelluntur. Cum verò repentinis fluxibus aut alui purgationibus aliquis infestatur, si materia corrupta non est plerunque salutare est. Si autem non, cibum minue. Si nec sic iuuatur, membrum confirmantibus vtere. Si nec sic sedatur symptoma lethale est: nam vel ex abscessu duro vel ex sinu vel ex inuicta obstructione vel ex immodica materiæ copia pendet, Syncopis autem iuxta caularem rationem curari debet auertentibus, bonis odoribus, aëris refrigeratione, cor confirmantibus. Quintum est cibus qui statim nutrit, vt panis vino infusus. Porro palpitationis cordis auxilia quæ iã supra diximus cor confirmant: si tamen ea nauseæ aut bilis vomitui iungatur à quo non sedetur malum portendit, nam ventriculi conuulsionem significat vt inquit Auicenna. Diximus autem pestilentiæ hoc esse familiare.

Tussim papauer album, semen hyoscyami, terebentina, styrax odorata, crocus, opium cum cynoglossæ succo, fiant catapotia ὑ*πνωτικά*.

Hæc igitur de ægris dicta sufficiant. Porrò sanos morbis grauibus obnoxios vere & autumno purgabis educto humore qui morbum facit. Secabis autem venam si plures in venis humores fuerint, aut morbus è sanguine, vel si corpus cum hac morbi suspitione sanguine refertum fuerit. Oportet autem ab euacuatione optima victus ratione vti, nam qui postmodum intemperanter viuunt eis ne manum admoueas, parum enim aut nihil iuuantur, vt Galenus ait. (libro de venæ sectione capite 7.)

Satis iam de exemplis actum est generalis curationis omnium malarum affectionum. Ad quam intelligendam deductionémque in omnes faciendam prælegisse quædam partim, post etiam ad exactam notitiam singulorum oportet. Quæ cum paucula sint ad perfectionem dicere non grauabor Septem igitur, primum Vesalij libros de corporis humani fabrica, inde Galeni præstantiores, De vsu partium decem & septem, De causis Symptomatum tres, sex de locis affectis, priores quinque de simplicibus medicamentis, septem de medicamentis secundum genera, decem secundum locos, & quatuordecim Artis curandi, omnes sexaginta duo. Octo etiam ex Hippocrate, iuramentum, lex, ars, vetus medicina, de Medico, de decenti ornatu præcepta (apparet enim hos ex ordine quo medicus ad scientiam et opus instrui debet vnius esse atque eiusdem cuius est iuramentum (libri de Aëre & Aquis prælegendi sunt, vt sint omnes introductorij libri septuaginta septem. Qui verò post hunc legendi sunt, quoniam summam in illis exigimus grauitatem, & vt breuitate pares sint atque absoluti, Hippocratem eiusque æquales solum eligemus. Nam & hi etiam Galeni iudicio Hippocrati conferri possunt. Sunt autem (vt primo de victu (com. 18. cap. 1.) in acutis & tertio de spirandi difficultate habetur) hi, Ariston Euriphon, Philistion, Hippocrates minor Thessali filius, Thessalúsque pater Hippocratis filius, Polybius discipulus Hippocratis & Phaon. Dioscorides quoque in re herbaria, sed multo illis iunior. Fuere & Diocles & Pherecides, sed autoritate non adeò in medicina clari. Quoniam verò omnium priorum libri in vnum volumen sub Hippocratis nomine congesti sunt, ideò eos inter se distinguere, id opere precium fuerit: initium facientes ab ea ratione, qua libri an alicuius noti autoris germani sint, dignosci consueuere. Ea autem est, vt primum illius purissimos ac germanissimos libros adeo familiares sæpius atque attente legendo reddas, vt stylum, dictionem, sententiásque promptè cognoscas. Dictiones ex dialecto tum magis vsitatas aut quas refugit aut eo tempore consuetas, vt Plautum à Terentio: Stylus breuis, longus, reflexus, ornatus, incomptus, obscurus, clarus, durus, lenis, rectus, continuus, abruptus, floridus, aridus, asper, mollis, secundus, sterilis. Sententiæ graues, leues, pressæ, laxæ, certæ, dubiæ, veræ, falsæ, ad rem, præter rem, ordinatæ, inordinatæ, simpliciter prolatæ aut demonstratæ, atque hæ perfectè aut enthimemate vel probabilibus rationibus atque exemplis ex contrariis extremisúe deducendo ad ea quæ esse non possunt. Connexis, disiunctis, incompositis cum testimoniis. Inde animaduertere necessarium est quot illius autoris

tis fuerint ſcribendi genera, velut apud Hippocratem quinque, hiſtoricum in Epidemis, Demonſtratiuum in libro De Aere & Aquis: Sententiæ vt Aphoriſmi, Præcepta vt de medici vulneratij munere, Miſtum, vt in primo de morbis. Veriſimile eſt etiam iuueni ac ſeni & in media ætate diuerſa fuiſſe ſcribendi genera. Et vt de Plotino dicebat Porphyrius, in iuuenta leue, in ſenio temiſſum, ætate floridum fuiſſe. Tribus ergo modis dignoſcere licet an libri eius ſint autoris cui inſcribuntur: ſi ſententiæ ſententiis conueniunt, ſtylus ac dictio: Et ſi de ſeipſo teſtetur eos conſcripſiſſe libros: Demum ſi quis alius eius ætatis aut multum in illius libris verſatus ac grauis iudicij vir id affirmet. Velut in Hippocratis libris Galenus, quem etiam veriſimile eſt multa de huiuſmodi ab antiquioribus & qui Hippocratis ætate vixerunt accepiſſe.

Iuxta hoc igitur compendij cauſa omnes libros qui ſub Hippocratis nomine in vnum collecti ſunt, in duodecim claſſes diuidemus: in quarum prima eos octo collocabimus quos progymnaſmatum loco prælegendos nuper docuimus. Nam librum de Aëre & Aquis Hippocratis germaniſſimum eſſe, conſtat ex Galeni ſententia, vbi de his agit.

Secunda claſſis eſt reliquorum germaniſſimorum Hippocratis qui tertio de Difficultate ſpirandi numerantur. (cap. 1.) Primus & tertius Epidemiorum de victus ratione in acutis vſque ad balneorum tractationem, vt in ſecunda ſectione apud Galenum. (com. 38.) Aphoriſmi & prædictiones, vt omnes germaniſſimi ſint ſex. Maior tamen pars quinque poſteriorum traducta eſt in hunc librum, vt ſint minus neceſſarij lectu.

Tertia eſt lectu neceſſariorum & germanorum. Primus de morbis & de internis affectionibus, Galenus tertio de Articulis. (com. 18) probat & libro. De morbis in primo de Natura humana in initio, ſed in ſecundo de victu in acutis quaſi negat.

Quarta eſt neceſſariorum pro occaſione, de vulneribus capitis & de vlceribus, vt Galenus in libro de libris propriis. (cap. 6.) Chirurgiæ quoque officina & de fracturis & articulis, quos omnes Galenus expoſuit vt ſint quinque.

Quinta quatuor Hippocratis libros continet ſed impuros: de natura humana vſque ibi, venæ craſſiſſimæ, vt Galenus in initio docet (cap. 7.) De humoribus primo de Criſi. Secundus & ſextus Epidemiorum vt ſecundo in ſextum docet Galen. (com. 14.) vbi etiam ſecundum ſexto præponere videtur. Omnes igitur Germani Hippocratis vigintiquatuor.

Sexta claſſis neceſſariorum eſt, huic operi, ſed dubium eſt an Hippocratis ſint, contineat autem ſeptem libros: Secundum de Diæta, vt Galenus teſtatur. [1. De Alimento,) nam de eo variè idem locutus eſt: De affectionibus, nam hunc grauis omnino auctoris eſſe vult, ſed adeò vt ſexto Aphoriſmorum enm ad Hippocratem vel Polybium referat (com. 1.) libri duo de Mulierum morbis, & liber de ſterilibus, nam quinta Aphoriſmorum primum de mulierum morbis Hippocratis eſſe affirmat in libro, cui titulus eſt linguæ Hippocratis ſecundum. Quia tamen in libris de genitura & ſterilibus meminit librorum de morbis mulierum, in his rurſus libri de natura pueri (cap. 1.) quem Galenus in libro de fœtuum formatione non videtur probare tanquam legitimum. Ideo cum conſtet hos quinque quos nuper recitauimus eiuſdem eſſe autoris ideò inter dubios numerantur. (cap. 3.) Septimus eſt de Prædictione ſecundus vt in libro de Comate.

Septima claſſis dubiorum etiam, ſed non niſi pro occaſione neceſſariorum: De Genitura: De Natura pueri, De Flatibus. Nam vndecimo Artis curatiuæ diffinitionem medicinæ ex eo libro ſumptam. (cap. 12.) Galenus vt Hippocratis probat. Dubij ergo omnes decem, vt ſi quis etiam eos ad Hippocratem referre velit etiam omnes ſic Hippocratis libri erunt triginta quatuor.

Octaua continet alienos libros tres. Primum de ſalubri diæta Polybij, & Secundum de morbis Hippocratis minoris ex Theſſalo nepotis Hippocratis, vt teſtatur Galenus primo in ſextum Epidemiorum (com. 29.) Eiuſdem erit ergo tertius quia continuatur illi.

Nona continet nouem libros grauiorum authorum, & ſi quis meo iudicio acquieſcat, magna ex parte etiam ab Hippocrate non alienos, ſanè vtiles, De Superfœtatione, Dentitione, Corde, Humidorum vſu, ſacro morbo, Natura muliebri, De Decretorio. De Fiſtulis & Hæmorrhoidibus.

Decima continet ſolum Quartum Epidemiorum tanquam miſtum. Quidam tamen ad Theſſalum referebant, vt ait Galenus.

Vndecima eſt incertorum & parui momenti libros habens quatuor. De Septimeſtri partu & Octimeſtri, Exlectione fœtus & virginum morbis.

Duodecima eſt eorum qui quanquam ſint inutiles, ſunt tamen lectu iucundi, continens quinque libros, De Glandulis. Inſomniis, Coacæ prædictiones, De viſu, & Epiſtolas. (com. 29.) Nam Coacas prædictiones reprobat primo in tertium de morbis vulgaribus. Epiſtolas ſi quis non recipiat parum refert cum ad artem non pertineant, parumque forſan aberrabit. Nam quæ de Democrito grauitatem Hippocratis non ſapiunt, Attaxerſis commenta Græce leuitatis argumentum potius quam laudis Hippocratis. Ergo libri eius voluminis quouis modo vtiles Quinquaginta ſex. Sed nos librum de humidorum vſu in librum de Aqua & Æthere tranſtulimus. Si quis autem ob contextum & voluptatis cauſa quintum & ſeptimum Epidemiorum vel etiam ob ſolam Hippocratis memoriam adiicere his velit, non vituperamus. Cæteri & ſunt decem de carnibus, corporum reſectione, oſſium natura, locis in homine, medicamentis purgantibus,

gantibus. Primus & tertius de diæta, de morbis quartus, de iudicationibus, Prorrhitici Primus, quem Galenus exponendo non solum Hippocratis esse negat sed etiam illius authorem sæpius accusat (1. Prorrhitici com. 4. & 15. Et quamuis in secundo eiusdem commentaria videantur ad Draconem filium Hippocratis vel Thessalum alterum, aut vnum ex neporibus referre, ab Hippocratis mente tamen alienus est. Cæterum omnes hi decem adeò leues, mutili, obscurique sunt, vt pro tam laboriosis interpretationibus solam periculosam doctrinam adipisci possis. Si tamen & hos legere libeat, methodo illâ quam Galenus exactissimam tradidit, quaque libros Hippocratis interpretari docuit, & in ordinem illius dicta redigere, & ad opus traducere, vtaris. Hoc etiam illi debemus, quòd absurdas sectas, & falsas opiniones multorum scriptorum, præcipuè Erasistrati, Archigenis, Asclepiadis, Themisonis, Thessalique alterius imperitissimi hominis sustulit, ac ex omnium mentibus deleuit. Cæterum quod ad Hippocratis comparationem attinet, nec inuentione nec peritiâ, nec subtilitate, multo minus grauitate cum illo conferendus est.

Vt verò omnia breui colligam, medicum decet quinque in rebus se ἄριστον ex hibere: In munere suo, & quò ad ægrum & quò ad se, & ad astantes alios medicos. In munere quidem vt cum totam artem, vt dixi, in duobus capitibus consistere docuerimus, recte prædicendi, rectéque curandi, eam etiam ad duas contrariorum coniugationes deducere noueris, commodéque in illis exercere. Prædicendi morte ad contrarij signi aut symptomatis cum morbo vel causa, de quo dictum est, vt si non doleat cum doloris vehemētis causa adest. Hoc enim medium non extremum, extremum enim voluptas est. Vel à minoris inuentione, veluti si cogitantes negotiorum obliuiscimur, intenta cogitantes etiam respirationis obliuisci contingat. Et si captiuo humidum solum cachæsiam inferre solet, quanto facilius crurum ædema: In opere verò à maiori vt quæ attonito morbo prosunt, magis etiam, vt antea dictum est, resolutioni. Tum à simili quæ peripneumoniæ etiam laterali morbo. Particulatim autem morbi quorum causa prorsùs præter naturam est vt lapis in renibus & vermes, si causa expellitur sanantur, si non lethales sunt. Ergo cum vtriusque extremi participes sint, anceps erit iudicium de exitu, donec procedente tempore alterius, eorum eudens excessus dignoscatur. Scire quoq; decet eorum quæ ad artem pertinent propria nomina, vt & facilius mente possis expiscare, & quæ ab aliis dicuntur intelligere. Vt Ischuriam vrinæ suppressionem, stranguriâ cum guttatim meit, dysuriam cum difficulter vel cum doloore. Vt verò dissimilia præsentibus aut præteritis cum magis à naturali statu recedunt in forma vel operatione morbum declarant, & si maximè interitum, ita similitudo propriæ sanitatis signum est: quamobrem illam, & in ipso & compari obseruare decet, vt ea scopus sit assequendæ sanitatis, non solùm finis scientia sed auxiliorum moderatione. Cum verò vires absque materia minuere vel ob suspitionem vel morbi magnitudinem cogeris, vt cum in peripneumonia sanguinem educis, cum ambo vasa quæ sanguinem in pulmonibus continent ex corde veniant & in pulmoninibus finiantur, periculum est ne velut pluribus hominibus ingentem lapidem alacriter ferentibus vno vel duobus ex eis detracto lapis corruit, gestoresque opprimit, atque adeò vires eorum omnium tollit, vt velut mortui iaceant, ita æger qui alioqui validus videbatur, & bene ferre morbum, repente collapsus concidat & moriatur, hoc autem sæpe contingit secta vena in vigore febrium continentium, aut iam suppuratione interius maturata. Vt autem modum deducendi ex fine curam edoceam: proponatur luxatum os aliquod, iam scimus illud reponendum ea generali regula quæ nos docet contraria contrariis curanda: & quanto citius, quoniam & morbus simplicior est & minus contumax: quodque ad naturalem statum eum reducere oportet, qui ex sui aut comparis similitudine dignoscitur, tū etiam quod dupliciter reduci potest impellendo quod minus est efficax & trahendo, seu vtroque modo simul. Vis etiam ea compat membri lapsui esse debet. Quamobrem manus seu trahendo seu impellendo digitorum luxationi & reliquorum paruorum membrorum satisfaciet, maiorum verò duriorumque membrorum repositio machinis indiget, glossocomio, trispasto, scannóque Hippocr. tum aliis innumeris. Rursus sit ventriculus pituita & bile in ipsis tunicis immersa refertus: præparabimus, humorem inde educemus cum his quæ ad ventriculum non trahunt, cuiusmodi est hiera Galeni, ea enim neque longius trahit, & tamen profundius trahit & ventriculum confirmat. Quæ enim longius trahunt, materias alienas ad ventriculum deducunt. Inde incertus es, an plus adduxeris an eduxeris. Siquidem medicamenta quæ vehementer purgant ventriculum prius sua qualitate inficiunt: inde ventriculus receptam expellit per pyloron, nonnunquam superius per vomitum, ita vt à validis medicamentis bifariam ventriculus malè afficiatur. A medicamento autem exhibito caue ne cibum concoctu difficilem aut plurimum aut vehementer frigidum des, neque etiam vinum. Vinum enim potens corpori excalefacto ex vi medicamenti aliquando febrem excitat, vt inquit Auicenna. (4.1.c.5.) Ex cibis autē prædictis cruditas, anxietas, vomitusque fiunt, abhorrentque cibū. Vbi ergo febris succedat diligenter considera an sit ephemera, & tunc vt ibi Auicen. docet, sufficiet potusa quæ hordei. Sin autē ex feruore sanguinis sit, statim mitte sanguinē. Sin intermittēs facta est obstructio in venis à cauua ad gibbā iecoris, eam igitur cū aperiētibus frigidis ac incidētib. cura, fouēdo locū pului. nari & medicamēti opus iuua cum clysteri, & humecta corpus. In singulis ergo morbis methodo à fine deducta varios nō solum curandi modos sed argumēta deprehendendi symptomata,

mata, causas exitusque morborum habebis. Semper etiam illud ante oculos statuas vt omnium quæ eueniunt aut euenerunt tum agendorum per ea quæ his scripta sunt & ab Hippocrate causas atque principia inuenias, ac per ea quæ prosunt nocentque, consentiunt aut repugnant eò vsque deducas, donec nihil quod non conueniat opinioni tuæ relinquatur. In vtroque etiam munere memineris ingressus solis in æquinoctia atque solstitia: tum lunæ cum sole ac erronibus fixisque stellis solisque ad hęc congressuum, magnum enim momentum habet. Sic & status aëris, venti enim sistunt medicamentorum vim, pluuiæ iuuant. Vt & congressus Lunæ cum leuibus syderibus solisque in æquinoctia ingressus. Cæterum periculosas faciunt euacuationes, vt maleficæ damnosas.

Quòd verò ad ægrum attinet, illum in magno morbo spe implere non debet, ne ex confidentia, inquit Galenus (6. Epid. par. 2. Com. 44.) delinquat, & sæuiente morbo in maiorem tristitiam decidat. Inde etiam fiet vt in posterum medico minus confidat. Ergo illum potiùs dicit, deterreat, nisi admodum timidus naturâ sit. Nam cùm non aberrauerint medici nec ægri, nec astantes, cùm valde pauci naturâ lethales sint morbi, valde etiam pauci ægri peribunt. Si dubites an ægri morbum simulent, aspera propone auxilia, nam ea respuent. Qui verò quæ imperas facere simulant, nec faciunt, eos sic deteges. Queraris feciſſe, quæ feciſſe nolebas, & non feciſſe quę feciſſe volebas, nã fatendo vel contradicendo deprehendes quid egerint. Infantes contumaces à noxiis arcebis clam immissa epatica aloë his qui illis aduersantur, inde vltrò offeres. Seruos & negotiis addictos medicamentis cura, cum exquisitam seruare victus rationem illis non liceat. Pauperibus vilia & ex horto cõquires auxilia. Viginti quatuor cognoscere oportet à prima visitatione: vrinas, fœces, & si quæ sunt peculiaria excrementa, Motum totius corporis, sed capitis præcipuè, somnum, sitim, amaritatem oris, linguam, appetentiam, vocem, pulsum, respirationem, inquietem, modum & horam accessionis vel exacerbationis febris ac declinationis, & si cum iudicij imagine fuerit. Ventrem, dolores: Quamdiu ægrotat, quamdiu non ægrotauit, quo morbo, quomodo euaserit, an excretionem aliquam pati assuetus sit, tum acta. Præter hæc habitum, temperaturam, ætatem consuetudinem, artem, regionem, anni tempus, morbos vagantes, moresque animaduertere decet. Cum reuiseris omittes interrogare quinque illa quæ ante acta descripsi. Nihil temere agas, medicorum nostræ ætatis more, qui, vt dicit Galenus primo Epi. quasi aleam iaciendo præsidia adhibent. Sæpe etiam leues curæ si fideliter fiant possunt dare perpetuam sanitatem. Plus enim proficit medicamentum vnum familiare, licet vulgare ob diutinum vsum, quam pretiosissimum quod iæpius assumere prohibemus. Dicebat Plinius medicus (lib. 5. cap. 56.) Sic ruta vidimus plurimas difficillimas affectiones sanatas vẽtriculi, intestinorumque tum atræ bilis ac flatuum. Incidit enim ac attenuat mirum in modum, & propter familiaritatem haud irritat, præcipuè cum sale & aceto sumpta: Cibos, potus tu ipse exhibe, tum medicamenta, vel assiste. Sæpius eos inuise. Sanos purgaturus valido medicamento turbationem & molestiam, periculum etiam febris ob multitudinem materiæ quam mouere cogeris subindica. Ceratum loco non omnino glabro impositurus, interpone sericeum lintеum, sic vt margine tantum ad hæreat cuti. Quæcumque molitis magna, die antecedente exquire & para, vt chirurgum qui venam aptè secet: Elleborum, lintrem ad balneum. Succis plantarum conuenientibus medicamenta, tam externa quam interna infunde, vtile enim est ægris hoc & artificiosum videtur. (Auenzoar. 1. Theisir. 7. 10. cap. 8.) Nec tamen in medicamentis dandis (nec in aliis actionibus intelligo ego) summam subtilitatem sequi oportet: sophistæ enim est atque medici φράτορ.

Quod ad semetipsum attinet duodecim rebus præstare debet medicus: tactu visu, odoratu, memoriâ, ingenio, eruditione, experientiâ, prudentiâ, iudicio, contemptu reliquarum rerum, veritatis amore singulari, ac diligentiâ. Alia verò quæ faciunt ad gloriam comparandam. Decens ornatus, grauitas in gestibus, sermonis pauci comis, modesti, ornati. Oportet autem totum se arti non solùm studio sed opere dedere, idque præseferre, non solùm generaliter, sed cum quenquam inuisis, ille intelligat te totum in sui sanationem intentum, nec aliud prorsus meditantem. Non aliena loquaris, nec de tuis rebus quicquam commemores. Si sic egeris, ægri salus tibi vni, siniſtra aliis, aut casui ascribetur. Prauorum etiam morborum lucri spe curam noli suscipere, ne imperitus aut improbus iudiceris. Debres scire præcipuè anatomiam, & cognoscere simplicia optimè & composita, & componendi rationem callere. Item locorum & aquarum naturam, & generalia præcepta internoscere si sint talia simpliciter: vt victus humidus febricitantibus omnibus confert, an verti possint in contrarium: vt in magnis morbis, & à plenitudine euacuatio conuenit, nam non in peripneumonia.

Cum astantibus longè maior est difficultas ob prædictiones. Si ergo alienum ægrum curandum suscipis aut cum aliis medicis, ab interrogantibus iudicium aliorum vt referant exige, inde obiicias non posse te respondere aliud quod iam acta interturbent iudicium tuum, vel aliorum sententiam suspende nutu, si non admodum de euentu certus sis. In morbis etiam qui à solo ægro percipiuntur vt vertigo & imagines ante oculos obuersantes, nihil pollicearis de salute, vt cõtra de his quæ à solo medico, vt obstructione, quidam ex æquo vtrisque noti, vt regius. Febris autem medico, dolor ægro notior est. Vt ergo tibi magis & minus

ægro nota fuerint clarius pollicearis. Generaliter nihil affirmabis ante perfectam mutationem, id est plerunque post tertiam visitationem: ne vel responsum turpiter mutare cogaris, aut in eo persistendo ægrum lædere. Nihil etiam negligas, nam minima persæpe magnorum malorum sunt causæ. Nam lex magis probat eum qui in duobus non errat, quam qui semel in decem. Quòd si præter spem tuam moriatur æger, neminem (quod odiosum est & parum decorum) accusabis: Et si reuiuiscat quem moriturum prædixeras (quod improbissimi viri est vt conciliator ait) reuiuiscentis mortem non optabis. Si quis tamen hæc tibi obiiciat idiota, respondebis, te prædixisse quæ medicinæ ratio decernit, non tamen legem his qui supra nos sunt imponere decreuisse: sin eruditus, illud etiam adiicies, testari Auerroëm in medicina velut & in naturalibus rebus quandoque monstra contingere, nec multis agendum ad excusationem: plus enim damni & dedecoris parit cum quis talia refricat quam si silentio obuoluta per se sinat obliterari. Intempestiua enim atque odiosa est horum defensio, errorisque memoriam in longius producit. Vbi verò tuus æger ad alium se transtulerit, noli illius desiderare mortem, est enim officium scelestissimi viri. Sed si pereat nihil de tua laude decedit: si sanetur, animaduerte qua in parte te superauit: vbi verò alienum ægrum moriturum tibi offerunt, temporis inopiam excusans subducito te. Prædictio etiam absoluta paucorum est artificium, nam sæpe, & maximè in vulneribus apparent signa lethalia, & tamen æger seruatur, vt inquit Auicenna. (4. 4. tract. 2. cap. 10. in fine.) Et ibi narrat de iecoris vulnere & vtero qui totus putrefactus excidit. Galenus quoque affirmat adolescentem in cerebri ventriculo vulneratum (8. de vsu par. cap. 10.) ope Dei sanatum esse. Brasauolus etiam de quodam narrat, cui pars cerebri ad quantitatem oui exciderat, eúmque triennio superuixisse. Et vt dixi nec in vagantibus morbis nec acutis semper est certum iudicium. In longis etiam sanabilibus multa, inquit Galenus secundo prognosticorum (Com. 50.) accideere possunt ægri vel medici vel astantium culpâ, vel etiam casu, ob quæ æger peribit. Si enim id in sanis ait efficere errores valent, quanto magis in ægris. (1. de crisi cap. 11.) Securissima igitur prædictio in longis morbis atque lethalibus est. Vbi vel internus scirrhus confirmatus, vel cum signis velocis motus materiæ prauæ vel multæ vrina sit valde cruda & aquea viréque imbecilles. In senibus etiam non succalentis absessus circa pectus praui, aut morbi quasi repentini vehementésque omnino lethales sunt. Accidunt autem maximè his qui intemperatè viuunt, potentisque vini ac nigri potui assueti sunt. Nisi enim huiusmodi homines succulentum ex eo vsu habitum contraxerint, aut validas admodum vires, morbis grauibus in senectute oppressi omnes quasi repentè moriuntur: humoribus enim hi multis crudis atque exustis languinis corruptoribus referti sunt. Modestè verò, quantumvis certus, nihilominus de morte pronunciabis, ne de illius obitu lætari, aut postquam obierit tuam prædictionem memorando gloriari videatis. Vbi ergo moriturum aliquem pronunciaueris, nec illum deserere licet, multa quæ prodesse solent coram astantibus commemorando ab omnibus abstinebis, ne, vt Galenus inquit, (11. Artis cur. cap. 9.) auxilia infamentur, quæ multis possent esse præsidio. Imo vt ego dicere soleo ipsi medici potius, adde quod si sponte adhibueris de impensa teneris. At vbi hæc quæ hic scribuntur perfectè assecutus & in omnibus Hippocratis libris diligenter exercitatus fueris, eóque deueneris vt quotquot ægrorum qui in Epidemiis scripti sunt exitum lecto historiæ initio absque errore diiudicare scias, tecum quoque experiendo prædictiones ad amussim cedere animaduerteris, tunc etiam securè de exitu pronunciare licebit. Et nos nunc tam fidenter exercemus prædictionem vt multi eam à nobis efflagitent, non tanquam à medico sed potius ab oraculo. Et nuper cum in tertia die primum comitem Aloisium Gonzagam inuisissem, statim dixi astantibus vt suprema illi pararent, alios aduocarent medicos ante septimum diem obiturum à morbi initio, laborare specie quadam absessus in pulmone. Tum mulier rectè inquam in hoc vt reor nam sanguinem tussiendo expuit: compererat enim me solum pulsum exploraſſe. Dicam autem qua via id cognouerim. Erat ei pulsus omni inæqualitatis genere perturbatus, plurimúmque in singulis differentiis variabat, ordo omnino nullus, nullus dolor in pectore præcesserat, nulla difficultas spirandi aderat, vnde etiam si deliraſſet non potuit absessus esse in pectore ob doloris defectum, nec in pulmone quod spirandi difficultate careret. At in pulmone tamen morbus erat magnus, non enim sine illius affectu & in compositione tanta pulsus diuersitas conflari potuisset: aduocantur medici, statuunt vt sanguis mittatur, quod vt è re erat, ita ad accelerandam aliquanto plus mortem (quod & prædixi) faciebat. Periit igitur in medio quintæ diei alioqui ad finem sextæ suffecturis viribus. Hæc fuit prædictio ex prima visitatione, & solius pulsus ratione tutò cuulgata: de qua omnes qui interfuerant admirati sunt. Dissecuimus etiam corpus, vt an rectè de absessu sensissem viderent. Inuentus est nouus morbus, pulmones sanguine nigerrimo liquido tum exquisita sanie ac multa toti redundabant, citra tamen propriam aliquam suppuratio. Quod si in tertiana (id verò frequenter accidit) misso sanguine requirat quispiam, an accessio amplius rediturа sit? considera vrinas à venæ sectione factas, an his quæ ante eam tenuiores sint ac meliores? si pulsus pulsibus? si dolor capitis & renum mitescit, si ante octo horas Almeliletu non superuenerit, sperare bene

potes

potes vt vel omnino non redeat aut valde exigua, aliter non. Semper autem ad huiusmodi prædictiones præter reliqua etiam natura comparatum esse oportet. In summa tamen cum motus animæ mundi velox etiam & velocior motu facultatis naturalis breui mortem expectare oportet. Et tanto celerius quanto velocitas & velocitatis proportio maior fuerit. Si verò motus animæ mundi velox est, sed tardior motu facultatis breui sanabitur. Si tardus & velocior tardè peribit. Si tardus & tardior tandem seruabitur Si varius anceps erit iudicium.

Quod verò ad medicos attinet etiam difficilius est cum illis negotium, quàm cum astãtibus, præsertim cum in multis satius æstimãt mori, quàm vel vngue lato ex opinione sua decedere: nihilominus superuocati à te nisi omnino mali sint: faciles erunt. Petere namque socios quatuordecim in casibus docet, cum morbus lethalis est: vel si magnus circuitu non solet finiri, sed natura in dies deterior fit, velut vrinæ retentio. Nam supra vesicam si fiat, vesica siccatur minusque vrinam excipit: si in ea distenditur: vel cum magnam causam paruus morbus habet: vel si insuetum aliquid apareat, vt in Quæstoris filio adolescentulo, in initio acutæ febris crura subinflata ritentia erant. Vel si potior curandi via periculosa sit: vel inusitata, vel difficilis, vel longior, vel si desunt necessaria vel æger princeps est, vel si vnicus sit filius patri aut matri: vel si consanguinei illius viri violenti sint: aut ipse æger iracundus, aut non satis tibi fidit, aut non obtemperans, vel cum æger aut illius proximi socios requirunt aut mussant, vel si tu plenè ob negotia satisfacere non potes. Vbi ergo vocare necesse sit, quanto citius tanto melius. Si amicum adiunxerint morituri, prædicito exitium vt socium ab infamia liberes, & vnde tibi ignominiæ periculum imminet gloriam consequaris, si inimici imperiti aut improbi aduocantur: multo minus autem in morituris hoc refert: veritatem sic tuere, vt illi obtineant, tu verò quasi inuitus cedas: nam sic videbuntur miseri illi hominem iugulasse. Itaque de exitu eos nunquam admonueris vtcunq; cessura sit res, sed si requirant amici, clam eos certiores facito. De sociis: multo minus de ipso: ne verbum feceris. Verùm illis absentibus singula illorũ facta nutibus & mussando improba: tu autem solum aliena mandata diligenter exequere. In sanandis, socios respues in dies ptoducendo rem, donec omnibus perspicuum sit ægram tua opera euasisse periculum. In pauperibus & valde auaris etiã si morituri sint, sufficiat admonuisse periculi. Sed & vbi alios admonueris, neminem coge vt socium tibi assiscat. Cum verò te inuito (hi enim maximè inimici sunt, & cum tu illis inuitis accesseris) socij in morbo sanabili aduocantur, tu sæpius ægrum inuise, præcipe moderate, reprehende leniter perperam acta, aliàque quasi ad iacturam sarciendam iniunge, vbique quippiam vtile adiice, multis auxiliis abunda: hoc enim Hippocratis præceptum est: sed ita age ne alterum alteri impedimento sit. Indignum enim est cum talis ac tantus euaseris, vt quæ meliora sint ratione licet non omnino firma coniectari noueris, per ignauiam ei qui ex imperitia solum audacior est, locum operandi concedere. Fac igitur vt astantes intelligant, te obseruate occasiones, accessionum horas, & exacerbationum tum declinationem ac symptomata superuentura prænoscere. Seorsum cum medicis de morbo, causis, symptomatibus auxiliisq; adeò acriter contende vt victor euadas. Coram autem astantibus ne contendas, multo minus coram ægro pro stulto enim si non pro insano te habebunt. Quinimo vtcunque rem cessuram arbitreris, & qualibuscunque illi sint præditi moribus eos amplectaris, locos modestos cum grauitate miscens, omne amici officium referes. In summaque hoc age, vt domus in posterum tua sit, quod si cum hoc ne socij excludantur fieri possit, id age. Tunc verò moribus iltis profecisse intelliges, cum ægro pereunte, aliis medicis relictis, opera tua illi in posterum vtentur: pessimè autem te gessisse: etiam si tua industria præcipuè sanatus sit æger: si ille vel eius propinqui te deseruerint, quod si mortuo ægro ad alios transeunt, minus deliquisse te existimes. At non deliquisse vnquam tibi persuadere potes, cum ægro sanato tua vtuntur opera. In alienis verò languentibus nunquam breuem sanationem spondè, nam si perperam ab imperitis medicis curatus sit, verisimile est deteriorem morbum euasisse, quamuis maior sanationis sit spes: Sin autem à claris argumentum est morbum esse cacæthon, vt inquit Galenus (1. Epidem. par. 3. com. 1.) Si quis protenus medicus experimenta adducunt, quærens te à recta medendi ratione seducere, illud dicas quod Princeps contra Rasim (1. 4. tract. 2 cap. 7.) Et experimentis quæ non sunt secundum rationem, accidit eis vt nec vnum valeat.

In principum autem cura, quoniam tempori inseruire cogimur, vt in tertio de vtilitate capienda ex aduersis, & periculum opinioni iunctum est quinque sunt obseruanda: Primum vt familiarem medicum tibi reddas amicum, hoc autem facies si omnia illi communices, nihil tu seorsum agas, nec quicquam tractes quod ad assistentem pertineat, nec in corona cum illo disputes. Seu enim succubueris, seu superaueris, par manet periculum. Et infirmi causæ prorsus est inutile. Nihil etiam tu exhibebis superuocatus cum morituru existimaueris, vel si non plenàm in te omnes fidem habere cognoueris. Medicamenta etiam tutissima his adhibere consueuimus, et Galeni consilio, libro de Prædictione ad Posthumum: Ab initio etiam morbi dies singulos & horas (cap. 11.) annotabis, in quibus vel melius vel deterius habuit, aut alnus deiecit aut cibum sumpsit aut huiusmodi aliquid, vt tempestiuè ea enarrare possis. Demum studebis vt omnes intelligant te in illius cura esse diligentissimum, & oculissimum: id assequeris si perpetuò ferme illi astiteris, si de singulis astantes quæ ad illorum

rum pertinent officium percunctatus fueris, si prompte tanquam semper in illum intentus omnibus responderis, si nullum auxilium quod excogitari possit prætermiseris, si oricis cornu scobem, terrámque lemniam eiusmodíque quæ cor confirmant quotidie exihueris, sunt enim suauia & omni noxa carent: Si de nulla alia re quam de principis salute loquaris: si existimationem in sermone, gestu ac vestitu retinueris. Sunt tamen familiares medici quidam principum adeò maligni malísque artibus potentes, vt nihil his omnibus proficias, quare statim discessum impetrabis, nam & medicum inuidia tacitè onerabis, & te à periculo eximes, si res malè cedant, aut si bene, tua industria in inimici gloriam non cedet. Dignosces autem hæc ex domini & necessariorum alienata gratia, oculísque ac gestibus: ex scurrarum scommatibus, ex clandestinis sermonibus, ex risu ministrorum, si te illi non curant, si mandata tua circa ægrum negliguntur aut frigidè administrantur, si clàm vel seorsum medici alij alia exhibent aut admouent: tunc enim, vt monui, confestim venià petità te subduces, ne in vitæ aut existimationis periculum incidas. Quòd si princeps causam repentini consilij requirat: apertè fateberis, te nolle in vtraque fortuna eandem infamiam subire.

FINIS.

DE

DE METHODO MEDENDI.

SECTIONES TRES.

PRÆFATIO.

MEDICAM artem antiquis temporibus maximo in pretio habitam fuisse, historiæ, & diuina scriptura tradiderunt: cùm tamen ab initio conditæ artis, Gnidiæ sententiæ prævalerent, quas sapientissimus Hippocrates libro, de victus ratione in acutis inscribitur, reprobauit. Incertum verò est eius temporibus, cui maior fuerit authoritas, an Hippocrati, an his, qui Gnidias sententias sequebantur. Mortuo tamen Hippocrate, eius institutis, posteritas Gnidiis sententiis antepositit. Itaque factum est, vt abusus pernicioſi in optimos vsus verterentur. Sed cùm nulla ætas calamitate sua carere possit, hæreses, Methodica, & Empirica, contrariis præceptis humanam salutem in discrimen deduxerunt, quarum vestigia ex Celio Aurelio etiam his temporibus videre licet. Tantæque iacturæ alia non minor ex opinionibus adiecta est Tessali, Erophili, Dioclis, Eratistrati, Asclepiadis, qui non tantùm superstitiones (summa medendi authoritate gloria comparata) inseruere: sed ita famosus vixit Asclepiades, vt ad integram ipse incolumis senectutem peruenerit, hominémque rogo impositum ad vitam reuocauerit. Quorum monumentis tam varia, tam incerta contrariáque dogmata relicta sunt, vt nisi Galenus Pergamus, medicorum gloria, fuisset subsecutus, iam de medica arte actum esse videretur. Etenim quæ illi pro salutaribus auxiliis inuenerant, non tantùm non salutaria & noxia esse, sed & lethalia, deprehensa sunt. Cúmque quod fugeremus, incertum esset, experimento cum illorum dignitate pugnante: quod sequeremur, non haberemus, nullo docente, meritò factum est, vt Plinius vir acri ingenio (quia ante Galenum fuerat) medicinam sui temporis, medicósque, qui eam exercerent, summis iniuriis, accusationibúsque prosequeretur.

Cœperunt itaque à Galeni morte commodiora auxilia occasionésque medendi ex eius libris, tanquam è perpetuo fonte, hauriri. Quoniam vir ille optimus non vnius ætatis aut regionis, sed omnium, qui ante ipsum fuerant vtilia præcepta congesserat, quædam etiam propria inuentione supperaddidit: quæ non humana, sed potius diuina videntur: qualia sunt, quæ in dissectionum pulsuúmque libris edita sunt. Harum doctrinarum alteram nullus eorum, qui eum secuti sunt, plenè adeptus fuisse, nedum auxisse videtur. Cúmque ratio disciplinæ postulet, vt non solùm inuenta cognoscamus, verùm inuentis aliquid adiiciamus, cùm in his hoc fieri nequiuerit, meritò sanè hæc doctrinam miraculi quandam speciem præbere videtur. At nec tamen Galenus (quanquam acer-

rimus esset disputator) suis temporibus potuit opiniones ac medendi methodum à se inuentas,inuidiâ contemporaneorum medicorum reluctante, aliis persuadere. Vbi vero ipse in fata concessit, extinctâ secum simultate, veritas refulsit. Perseuerante igitur medendi consuetudine, quam Galenus inuenerat, cùm eam in ordinem commodiorem) licet non meliorem) redactam, Paulus, Alexander, Aetiúsque monimentis reliquissent, bellis vndique ac schismate religionis Christianæ flagrantibus, literæ ac bonæ artes ad Arabes, qui eo tempore quietiores opulentiorésque fuerant, translatæ sunt, vnde quædam pseudo doctrina à Rasi, Haliabbate, Auenzoar, Serapione, ac Auicenna introducta est : qui partim ingenij sui confidentia, partim etiam malis versionibus linguarum innitentes (prò pudor) quantùm in nominibus rationéque morborum peccauere?qualia medicamenta mutauere ? membris hominis, nec formam,nec situm, nec numerum sanum dereliquerunt. Non constant in vertebris, non in musculis quot sint,concauos neruos à situ variant,discretiuam membris,sanguinis effectricem venis adiiciunt,ac pleráque alia penè innumera, quæ nunc enumerare non est præsentis instituti.

Recentiores breuitatis ac facilitatis causa, expositorúmque authoritate inducti, cùm etiam literæ Arabum ad nos citius peruenissent, Arabes ipsos, non Græcos, secuti sunt : vnde non tantùm errores illorum imitati, sed & longè plures admiserunt, nihil sani reliquentes, nec ipsos vniuersales canones, qui illæsi etiam apud Arabes fuerant, custodiunt. Itaque factum est, vt aliquando medicinam, non aliter quàm Mahumetani fidem religionêmque defendant.

Graue,me hercle, certamen aggredior, qui adeo inueteratos errores, ac apud totum penè orbem diutino, vsu firmatos abolere tentauerim. Quòd cùm humanæ salutis beneficio, non cuiusquam peculiari odio aut iniuria agam, cunctis, qui medicam artem exercent, quique veritatis studio tenentur (quos quamplurimos futuros spero) gratam ac iucundam rem facturum putarim. Non solùm enim errores ipsos, causámque errorum retexam, sed & veram medendi rationem explicabo. Neque id quispiam putet inutile. Licet namque antiquorum doctrina abusus illi tolli nequiuerint : non tamen desperandum arbitror, quin collatis authoribus rationbúsque diligentius discussis, melioribus etiam translationibus antiquorum, sententia intellecta, abusus illi in optimos vsus conuerti possint. Sícque humana valetudo variis ac periculosis erroribus hucusque quassata, melioribus Hippocratis & Galeni institutis instaurata, in posterum redimetur ac fouebitur.

PHILIP

PHILIPPO ARCHINTO EPISCOPO SANCTI SEPVLCHRI, VICARIOQVE PONTIFICIS SVMMI Pauli III. viro erúditiſſimo, & bonarum literarum fautori egregio.

S. P. D.

SÆPE ego (*Antiſtes optime*) *mecum dixi, Nihil eſt quod fatum effugere omni ex parte videatur. Et quanquam locupletius de hac re ſermonem habuerim, in libro huic tractationi dedicato, nihilominus toties mihi illius ſe offert violentia, vt etiam præter propoſitum, de illo ſermonem frequentius habere cogar. Atque ſi vnquam aliàs, nunc manifeſtè nobis illius memoria occurrit: quippe cùm meminerim, quàm audacter magis, quæ conſultò, opus hoc de medendi vſu in publicum emiſerim: cúmque ab initio multa ſcripſiſſem, non ſolùm inornatè, ſed ſine vllo ordine, vix audeo dicere, quibus modis animum addiderit, quaque demum neceſſitate ab eo impulſus ad edendum ſim immaturum hunc fœtum. Erubeſco cùm vltra etiam trecentos errores meos in hoc libro, præter etiam admiſſos à librariis recognoſco. Eratque animus illum iam dudum explodere è futurorum meorum numero: ſed obſtitit quædam illi non vulgaris adiuncta vtilitas, quæ etiam cum ſic venalem reddiderat, vt ſecundo anno librarius ipſe denuo, ni obſtitiſſem, in publicum emittere vellet. Dum vero maioribus eſſem intentus, aut magis neceſſariis, ad hanc vſque diem (annus etenim ab hinc tam nonus agitur) rem diſtuli. Pudebat me inter reliqua, nimia pietate, patris ſiquidem verbis perſuaſus, qui hoc palàm, neſcio quo ductus errore, affirmabat, Caſtilionæum nomen addidiſſe: cùm certum habeam, reuolutis omnibus publicis tabulis, maiorum meorum, ad annum vſque M. cccxl. qui ab hoc, ccv). eſt, nihil mihi cum Caſtelionenſis commune eſſe. Neque hoc refero quòd vel pigeret, ſi eſſem, fateri, vel quòd mallem non eſſe, quàm eſſe, aut quòd Cardanorum gentem Caſtelionea comparare velim. Verùm quantò pulchrius eſt ex nobiliſſima eſſe familia, tantò etiam turpius falsò ſemetipſum illi inſerere. Eſt familia illa antiquiſſima, ditiſſima, potentiſſima, Cardinales, Epiſcopos, viros etiam ſanctitate & armis inclytos genuit: floruit eruditis hominibus: nihil illi defuit, quod ad ornandam illam, aut quod ad dignitatem pertineret. Noſtra, & ſi ſit antiquiſſima, omnibus in cauſis longè inferior eſt, vt quæ neminem, præter Milonem Epiſcopum, memoria inſignem habeat. Is namque cùm Epiſcopi nutu, patria noſtra & circumuicinæ vrbes regerentur, anno communis ſalutis. M. clxxxix. vrbi noſtræ Mediolanenſi. xxv). hic à reſtauratione annus erat, Epiſcopus præeſſe cœpit: anniſque octo, minus quatuor menſibus, patriæ conſuluit. Itaque vt non pudet me eſſe Cardanum, ita Caſtelionenſem fuiſſe mihi glorioſum duxiſſem. Attamen longè turpius, vt dixi, falsò alienæ genti ſe ingerere. Satis nobis ſit cum illis amicitia: hanc in conſtantiam pietas, & fides parenti præſtita excuſabunt. Malo leuitatis accuſari ob emendatum errorem, quàm*

conue

conniuentibus oculis, dissimulare peccatum. Ergo vt ad rem redeam, cùm nec igni mandari liber ob vtilitatem, nec emitti ob errores honestè posset, curam suscepti non mediocrem emendandi. In posterum autem cauebo, ne quicquam adeò celeriter in publicum exeat, vt authori inurat labem. Fuerat nempe olim quindecim & hoc opus dierum labor: nunc plus in emendatione temporis, quàm in structura consumptum est. Addidimus etiam alios viginti octo errores, vt sic in centuriam excresceret. Non quòd plura longè non essent, quæ censoria nota indigeant: sed quoniam hic numerus aliquid habet apud antiquos authoritatis. Atque vbi non licet finem in rebus assequi, finis ipse aliqua ratione à nobis fingendus est. Non excusabo ego, inquam, errores meos, qui indignus sim venia, cùm in aliis accusem: verùm eandem mihi legem præfinio, & ab aliis imponi volo, qua eos dicere possim errores, ac pro his in iudicium vocari, qui obesse possunt hominibus: non qui quasi à superstitiosis grammaticis nullius momenti res obseruantibus in pueris notantur. Optimum etenim homini esse puto, quandoquidem res verbis sunt præstantiores, & vita breuis, modum scire in diligentia statuere, ne Protogenes sub Apellis censura fiat. Itaque hoc opus tibi denuo instauratum mitto ac dedico. Exiguum illud quod subsequitur, debere tentassem, ni nomen eius, cui nuncupatur, violare simul credidissem. Adeò ego in me seuerus sum, vt improbem, quæ non possum probare, vt volo. Maneat tamen vt exemplum rudis animi mei, aut primæ audaciæ, vt vel sic intelligant, quantùm interfit etiam discriminis in ætatibus. Te verò, quem ob singularem virtutem admiror, ob tempestiua beneficia in me collata (si quidem tu primus iacentem erigere cæpisti) non parùm diligo, florentem videre cupio. Tunc etenim, qui bonis literis operam dant, optimè sperare debent, cùm fortuna eos euexerit, qui non solùm sint eruditi, sed summum etiam bonum in eruditione ipsa collocant; frustráque, vt video, homines diligentiam, exercitationem ac fidem, in bonarum literarum ignaris quærunt. Nempe optimè veteres Mercurium, quem artibus ac scientiis præfecerant, omnium operum, omniúmque legationum ad mortales, ad deos, ad infernáque authorem esse fixerant. At non intelligunt quandoque homines, quanquam exercitati, improborum & imperitorum calúmnias, & conspirationes. Neque illud diuinum animaduertunt, quoniam in maleuolam animam non intrabit sapientia. Est enim solus eruditus, sapiens verè, solúsque sapiens eruditus. Verùm quorsum hæc? Studiis bonis operam dare decet, eos qui artem medendi innocenter profiteri volunt. Obscurior sum verbis, quàm decet esse, sed mea nihil interest; quandoquidem ad clarissimam mentem tuam verba dirigo. Me nullus in posterum accuset: nemo ignarus esse potest, cum & in aliis, quod in se agnoscit, adesse putat: ego id scio: hanc ego mihi, quam aliis inesse laudem cupio, volens tribuo. Ergo voluntatis vitium est, non ingenij aut imbecillitatis. Vbi igitur non est animi prauitas, ibi non est ignorantia. Sed multa ad tempus dissimulare cogimur, seu fatorum ordine, seu quia non bona existimamus, aut saltem non meliora, quæ ab aliis talia esse creduntur. Quicunque enim secundum diuinam institutionem mentem erudiunt, sic vt ab improbitate omnino vacent, conscientia primùm virtutis sua, demum & gloria, quæ post mortem manet, felices iam sunt. Hu igitur si fortuna aliqua affulserit, cùm diuitiæ & honores breui tempore possint accedere, summam beatitatem in vita consequuntur. At si his neglectis nobis opum, ac inanis gloriæ sola vel etiam prima cura sit, nulla spes amplius ad integritatem relinquitur: quare nec sine illa ad famam ac bonam conscientiam, cùm etiam prima multis ex causis fallax sit. Quamobrem præstat hominibus, quamcunque exercuerint artem, optimis inhærere institutis: cæteros verò eos, qui sic faciunt, pertinaciter fouere. Neque enim, qui tales sunt, vnquam ingrati esse possunt. Ergo cùm in te tantam benignitatem virtutémque, quantam in alio vnquam viderim esse, cernam; nihil maius efflagitarem, si à diis liceret, quod omnibus eruditis conduceret maximè, quàm vt tibi fortuna pro animi magnitudine ac virtute affulgeat. Quòd enim amplam ac honestissimam conditionem dederit, ego pro tua dignitate, pro animi altitudine, pro sublimitate mentis, exiguum esse reor. Mihi verò satis esse ducerem, vt de me secundum Apollinis responsum ad Ciceronem, tum in posterum, tum aliàs statuisses. Nam vt bono, imò meliore animo, libellus hic magna iam mortalium vtilitate, nec paruo desiderio prodierat in publicum sub nomine tuo: sic spero in posterum, vtiliorem longè futurum, ac etiam chariorem. Nostra verò fortuna aliorum auxilio non indigebat: si saltem homines, qui se prudentissimos credi frustrà volunt, operibus ipsis inhæsissent. Ergo fatum hæc agit, cùm per men-

tem

tem ſenatus diutinam pronouemur : qua vt minimè nobis inimica eſt : ſic iudicis potius, quàm ſanctoris iudicio fungitur. Nos tandem id ſolùm, quod ab omnibus vel bonis vel amicis rogare ſolemus, à te petimus, pro hac noſtra erga te voluntate, vt perfidia inimicorum noſtrorum ne ſubſcribas tacitus atque nolens : ſed iudicium ex te ipſo expenſis omnibus de amico facias. Vale. x v. Calend. Martij. M. D. XLV. Papiæ.

SECTIO PRIMA.

CAPVT I.

Quod inſanabiles morbos curare aggrediuntur.

PRIMVS abuſus eſt, cùm inſanabiles morbos medicamentis amoliri aggrediuntur : quales ſunt Phthiſis, Sclirosis interior, Tabes confirmata, ſimiléſque. Nam non ſolùm quia curare non poſſunt, in melius traducere nequeunt, ſed in longè deterius : ac citò necant, alioquin longo tempore duraturos.

Quòd autem ita ſit, manifeſtum eſt Omnis incurabilis morbi cauſam confirmatam ac inſeparabilem corpori eſſe neceſſe eſt. Quod autem tolli non eſt poſſibile, pari ratione nec minui fas eſt (cùm ſi minuatur, eadem ratione auferri poterit.) Igitur non licebit è morbo quicquam detrahere. Omne autem auxilium ſiue victus, ſiue medicamentum, ſiue opus manus, virtutem minuit, humores turbat, membra aliena qualitate inficit. Cùm igitur noceant, nec iuuare quicquam poſſint, conuenit, vt morbum deteriorem reddant, & ægrum morti velocius addicant. Cauſam etiam ex Hippocrate intelligere poſſumus. Cancros occultos melius eſt non curare : curati enim citius pereunt. Quod in hoc incurabili morbo dixit, in reliquis voluit intelligi : in quibus par ratio parem promittit euentum. Hoc ego vidi ſæpiſſime, mulieres cancris occultis laborantes, annis quadraginta ſuperuixiſſe, ſatis nō culpatâ valitudine : cùm nullum neque viginti annis cancro vlcerato laborantem vixiſſe conſtet, cùm plurimi & iam eorum biennio finiatur. Complures tamen medicorum hos morbos plurimis cauſis ſanare aggrediuntur : quidam, quòd non putent eos nequire ſanari : alij, quòd etſi ſanare poſſe deſperent, in melius tamen perducere confidunt : alij gloriæ ſtudioſi, alij pecuniæ auiditate, dum nihil perdere ex hoc timent, nimium fiunt audaces. Qua in re illi plus damnandi ſunt, qui genere morbum incurabilem, quàm qui magnitudine, ſuſcipiunt ſanandum. Diuini enim res conſilij eſſet, omnem morbum genere ſanabilem intelligere, an curationem recipiat, an non. Vnde Hippocrates, Acutorum morborum non omnino ſunt certæ prænuntiationes ſalutis, aut mortis. Galenus autem exponens inquit, Hoc ſcire licet, ſolùm in chronicis, non autem in acutis. Licet Rafis non omnino certam in acutis cum Hippocrate ſpem eſſe dixerit, longè tamen minorem in chronicis paſſionibus ſecuritatem euentus credidit, contra Galenum directè inuectus. Satis igitur pro confeſſo habeatur, multarum paſſionum finem ambiguum fore.

Cura igitur blandiente in talibus bonum eſt vti, victum talem inſtituendo, qui virtutem non minuat, morbo ſuppetias non ferat, dolores, ſymptomatáque ſedanda, corpus moliendum, ita vt cauſæ virtuti obnoxiæ aut morbo ſuppetias ferentes non augeãtur. Hoc eſt, quod dixit Princeps, & à rationali cura non deſiſtas, quoniam multoties aliqui ſanantur abſque ſpe aliqua mirabiliter.

CAPVT II.

Quod in victu procedunt augendo verſus ſtatum.

SEcundus abuſus eſt, cùm in victu ita peccatur, vt ſæpius fortunæ meliùs quàm medicis, æger committatur. Reclamat diuus Hippocrates, niſi cibi tædium adſit, craſſiore victu vtendum eſſe in morbi principio, ac demum morbo inualeſcente ita paulatim attenuandum : vt parum, aut nihil concoctionis tempore ægro cibi exhibeamus. Plurimi tamen, vt aliquid inſtituiſſe videantur, à principio mulierúmque conuitia timentes, etiam nullo cibi faſtidio exiſtente, ſubtilem inſtituunt victum : poſtmodum concoctionis tempore, oua & ex carnibus contuſa exhibent, ita vt ad mortem ſaturi, ſi non medicati ſaltem accedant. Hócque cùm rectè ſit Hippocratis mandatis oppoſitum, ita tamen eſt generale, vt vix credi poſſit ab antiquorum mente fuiſſe alienum.

Vt igitur præſtat, ægro in principio laborante, intelligere, an cibi tædium adſit, an non : ſi adeſt, victu extenuetur leuiſſimo, quo vſque ad ſtatum perſeueret, ſi propinquus adeſt : Si remotus, quo tempore cibi tædio caret, eo cibandus eſt, ita vt continuè victum exiliorem facere poſſis. Quòd ſi faſtidium non eſt, morbúſque acutus, pane loto, aut ptiſanæ bis in die, aut ter cibandus eſt, continuéque minuendus vſque ad ſtatum cibus. Hoc modo quot ſeruabis ægros, qui victu ſuo ſuffocantur ? Quòd ſi morbus eſt leniſſimus, carnéſque aut oua ſunt danda, dabis à principio, deinde ad ptiſanam ſtatus tempore pertranſibis, nec virtutis periculum eſt, vt in ſequenti dicetur.

CAPVT III.

Quod nimium pingui vtuntur, dando carnes & oua.

TErtius vsus malus est, cùm febrientibus carnes & oua exhibent, dicentes, nostri temporis ægros antiquorum victum sustinere non posse, consuetudinémque multum valere.

Cum nos videamus aliquot in carceribus sanos pluribus annis pane & aqua alitos vixisse, longè autem minus infirmo cibi, quàm sano debetur: plus etiam alit ptisana ac decoctus panis, quàm crudus: nec volumus eum pluribus annis, sed paucis duntaxat diebus, donec morbus transeat, abstinentiam sustinere. Nec, quod dicunt de consuetudine, attendendum est: quia contra eos facit. Antiquitus enim plus cibi carnium̃que sumebãt, vt ex historiis facilè apparet, vt quandoque arietem vno prandio absumerent. Si igitur attendenda esset consuetudo, subtiliorem nunc victum institueremus. Præstat igitur ptisana aut pane cocto, aut panico, aut oriza ægros alere, nil ex carnibus aut ouis dare, donec morbi iudicatio pertransierit ad duos dies, in grauibus acutisque morbis. Nam aliter facientes ægros interficiunt, non alunt. quòd si virtus valida fuerit, adhuc tenuiore victu opus est. Nam necesse est aliter facientibus alterum trium sequi, aut mortem, aut morbi longitudinem, aut accidentia sæua. Quorum primum, malum: secundum, damnosum: tertium, timorosum. In morbis autem longis, aut intercedentibus, vt tertiana, aut duplex tertiana parum per crassiore victu vtẽdum est, secundum morbi magnitudinem.

CAPVT IV.

Quod contusa & aquam carnis exhibent.

QVartus abusus est, cùm in victu ad contusa & aquam carnis transeunt etiam à principio, quod valde noxium est. Nam nutriens masticatione concoctionem acquirit. Secundò mandendi vim auferunt. Tertiò, quia plus ingurgitant, quàm virtus ferat: non enim ita decipimur comedendo, sicut bibendo. Quartò, quia aqua carnis longè deterior est iure, cùm minus nutriat & calidior sit. Hoc autem dicunt, quoniam corrigitur: at nunquã tantùm corrigitur, quantùm oportet. Et etiam quia eadem correctio iuribus adhibita melius proficiet. Quod etiã pulchro experimento colligitur. Videbis enim contusum edentem feces biliosas protinus excernere: si cum pane & carne pueris, naturalis egestio fit. Hoc sæpius animaduertimus. Vnde credendum est non omnino probatum esse alimentum, quod ex contuso gignitur. Sæpissime enim biliosa ac soluta fex ex eo pura procreatur, quod in febriente malum signum & causa pessima dicí potest. Hoc peccato nullum est deterius. Nam vt hypocritæ sunt omnium hominum sceleratissimi, ita ea auxilia noxia magis, quæ quandam auxilij spem habent, nocéntque. Existimant enim, quoniam faciliter deuorantur, & carnis substantiam in se habere creditur, & cum annexis emendata videtur, proficere multum posse, quia facilius est impleri potu, quàm cibo, vt dixit Hippocrates.

Consultius igitur fuerit, donec mandendi facultas adest, ptisana vti. Quòd si necessitas alimenti cogat, carnibus leuibus cum pane. Nam Galenum ita consuluisse sæpe video. Quòd si cum hoc mandẽdi potestas non sit, vtatur contuso emendatiore ex carnibus: quòd si virtus adhuc debilior extiterit, iuribus correctis.

CAPVT V.

Quod laudant olera, tanquam cibos.

QVintus Error est, cùm lactucam, endiuiam, bugloſam, lupulum cibos optimos collaudant, cum ratione cibi ad carnes, panem, ptisanam, lac, oua, orizam, comparatæ, sint longè inferiores ac medicinalem vim habeant. Non ergo, alimenti ratione absolutè bona dicuntur, sed absolutè mala. Quod igitur comparatiuè dicimus, rectum est: quod absolutè, noxium est, tum sanis, tum etiam ægris corporibus.

Non est igitur consulendum sano absolutè, vt herbis aut radicibus aliquibus vescatur, lactucámque inter olera minus pernicioſam non bonum esse dicemus: ægris etiam cum animaduersione consulemus. Cæteras herbas vituperat omnino Galenus.

CAPVT VI.

Quod vinum negant ægris.

SExtus vsus non rectus est, cùm vinum ægris negant, quia materias subtiliet, & ad caput trahat, cùm vinum album sit frigidum: multa enim corpora humorum attenuatione indigent, atque solùm his quatuor casibus noxium, quos vel dolor capitis assiduus, vel phlegmon tentat, vel delirium offendit, vel febris ardens cum cruditate inuasit. Cæteris autem vtile est, ex Galeni doctrina, sed non inutile etiam, phlegmonibus ad suppurationem iam redactis, Quibus autem vinum est inutile, his amplius nocent carnes & oua. Quod ergo inutile est, conceditur, neglecto salutari potu, decepti Arabum consuetudine, quorum præceptis, tum propter legem, quæ à vino eos arcet, tum propter aëris temperiem, quæ longè calidior est, à vino temperato iubemur. Itaque hac de causa à vino abstinentes, morbos procrastinant, longéque tardius ad sanitatem perducunt. Is autem error eò validior perspicitur,

tur, quantò æger ventriculo est imbecilliore, ita vt quandoque ad aquam inter cutem perducat.

Considerabis igitur primò, si vinum non permixta mala qualitate ab ægro sentiatur: si non phlegmone, non dolor assiduus validusque tenet, vinum album administrabis. Si verò desiderat vehementer, materia concocta, aut suppurato phlegmone lateris, dabis vinum album dulce: ita enim consulit Rasis. Et nos destitutum aliquando à quodam medico, ac persuasum animam efflare, quoniam in pleuresi vinum conuenire non putabat, sanitati restituimus. Erat enim æger annorum 70. & suppurato phlegmone, nihil eorum quæ intus erant, ob virtutis imbecillitatem expuere valebant. Cùm verò ventriculus valde infirmus est, rarò vinum negabis. Plures enim sanauimus in morbis pestiferis ægros derelictos sola vini potione, cùm virtus tantùm attenuata esset, vt infra horam, expirare crederentur. Oportet autem medicum esse eruditum, & natura prudentem: non enim paucis tantum arcanum distingui potest

CAPVT VII.

Quod melones præponunt multis fructibus.

SEptimus vsus non admittendus est, tam sanis, quàm ægris, cùm melones tanquam minus culpatos fructus concedunt, quòd odore sint non ingrato, sapore autem iucundissimo. His autem qualitatibus decernitur cibi natura: eò autem maximè, quia parum deterior cibus aut potus, suauior autem, melioribus quidem, sed minus suauibus est præferendus. Cùm verò consideras paruitatem radicis, & stipitis eximiæ magnitudinis eius habita ratione, & quàm proximus terræ sit, & quòd super eam perpetuò iacet, & quòd ab omni aëris qualitate permutatur, & quòd augmentum eius est velocissimum, confiteri cogeris, melonem, nil aliud esse quàm putridum terræ humorem, aliena qualitate coloratum, vitia qualitate coloratum, vitia omnia habentem, noxium ventriculo, iecori, spleni, intestinis, pulmoni, renibus, vesicæ, humores non solum putridos, sed venenosos fluxósque facientem. Ad febres acutas pestilentiales, ad apostemata, ad dolores, ad difficultates intestinorum paratissimum, à nullo authore quanquam egregio, satis vituperatum, noxas omnes horatij fructus tantò habet ampliores, quantò eius magnitudo, succi multitudo, paruitásque causæ concoquentis, omnibus aliis fructibus maior est. Adde quòd nulli potui rectè sociatur. Nam cum vino humores pessimos producit, vesicæ maximè obest, & iecori, & renibus, & phlegmones gignit cum aqua leuitates intestinorum, celiacum morbum, difficultates intestinorum, appetitus deiectionem subitò operatur. Quòd autem Hippocrates consulit, rectum est, vt parum deterior, non multò deterioribus sit præeligendus. Bonitas autem saporis & odoris mansuetudo, in eodem genere cibi ad iudicandam salutarem vim multum proficiunt. At in diuersis generibus nequaquam. Siliqua enim exitialis est cibus, si Galeno credimus, & fungi, & tubera, boletíque, & melongena. Nemo tamen salubri cicorio, ptisanáque ordeacea negabit esse gratiora.

Consilium igitur meum est, vt non solum dimittatur, sed ab vsu humano explodatur, etiam principum Decretis. Nam quæ lues est pernicioſior, quâ quotannis multa millia hominum pereunt? Mirúmque, quòd à medicis hæc pernicis consulatur, omissis vuis & ficubus eiusdem temporis fructibus longè minus noxiis.

CAPVT VIII.

Quod cibum vberiorem dant in prandio quàm in cœna.

OCtauus vsus explodendus est, cum cibum vberiorem capiendum in prandio, in cœna leuiorem consulimus: alij oppositum totum, vtrique ita grauiter errantes, vt nullibi amplius. Nam cum post cœnam quies & tempus prolixius, & somnus, & continentis frigiditas subsequantur, meritò cum hæ omnes causæ concoctionem iuuent, cibus in cœna copiosior debet esse quam in prandio. Quòd etiam Galenus in consilio morbi comitialis sentire videtur, ac alij plurimi celebres authores: Quòd si nimio cibo peccare contigerit, vel noxio, cum error ille vomitu leuissimè corrigatur (quòd hora somni fieri nequit) conuenit, quòd admissus error in copiosiore cœnâ hac de causa grauior fit, quàm in prandio: quia propter quietem & somnum non ita facilè, aut vomitu, aut à piloro crudum descendit inferius. Vehementius igitur spiritalia offendentur. Non rectè consulunt, qui peccare leuius in cœna dicunt. Ob hoc neminem vidi illorum qui assumpto veneno, antequam vomerent, dormierunt, curatum fuisse. Tutius igitur in malis cibis, aut valdè nimis perielitamur in prandio, quàm in cœna.

Melius igitur est in cœna plus comedere vbi vel moderatè comedendum sit, aut leuiter peccandum, ita vt peccatum illud citra vomitum, aut alui deiectionem possit emendari. At si peccatum graue futurum sit, vt non possit corrigi citra eiectionem, vt quan-

do nimis copiosè implemur, aut prauum omnino succum ingerimus, tunc leuius peccamus in prandio, ratóque veneno in prandio sumpto mori contingit ob hanc causam. Nõ igitur consulendum est in altero duorum, cũ distinguendum sit. Adde ne vsum eius, qui longo tempore assueuit, permutare coneris, si cum inculpata valetudine vixerit. Multos enim claros viros ea causa damnum non leue assecutos scio, cùm plus detrimenti ex mutatione consuetudinis, quàm iumenti ex recto viuendi more consecuti fuerint.

CAPVT IX.

Quod omni leui causa consulunt medicinas.

NOnus vsus est non amplectendus, cùm consuetudo sit quorundam medicorum in omnibus etiam leuissimis dispositionibus consulere ægris victum tenuem, & medicamina imperare: vt in grauedinibus, in corizis, in doloribus membrorum exteriorum, in ephimeris spontaneis. Nam talia sæpenumero sunt naturæ dimittenta: non semper naturam auxiliis medicinæ assuefacere debemus, quoniam pigrior redditur ad deliquia instauranda: & multò est grauius persæpe nocumentũ, quod medicina conciliat, quàm morbus qui aufertur. Simile est hoc his qui per fœnus debita persoluunt. In grauissima enim semper labuntur, dum modica extinguere putant. Hoc est, quod dixi Princeps. Amplius scire debes &c. Sufficit in talibus, maximè vbi virtus fortis est, moderato vti regimine, & reliqua naturæ dimittere, dummodo periculum acrioris morbi non immineat, quod facile à perito cognoscitur.

Vnde obseruandum puto, omnes morbos ratione certa victus egere, siue sint insanabiles, siue graues, sanabiles tamen, siue omnino leuissimi, ne quis fortè ex superius dictis errorem concipiat. At differt, nam in insanabilibus & leuissimis, victus pro sola virtutis ratione, tanquam si morbus nullus adesset, constituendus est, quantitatis ratione habita, in qualitate verò, vt contrarius sit morbo, & causæ morbum facienti, & hic differt à victu exactè salubri. At in his, qui graui conflictuntur morbo, non solùm qualitatis ad virtutem habenda est ratio, sed etiam quantitatis, ita vt minor sit cibus, quàm à virtute concoqui possit, vt morbo augmentum non ferat. Longè igitur copiosius insanabili morbo, quàm sanabili detentus paribus virtutibus existentibus alendus erit.

CAPVT X.

Quòd carnes piscibus præponunt in in omni febriente.

DEcimus errandi locus est, cũ generaliter carnes febrientibus dant, & pisces negant, moti authoritate Rasis in 3. Almanso. c. 16. dicentis, quòd omnes pisces sunt duræ concoctionis, & longam moram in stomacho trahunt, & fitim faciunt, cùm non animaduerterint, dictum, primò ad Glauconem cap. 10. & 12. probati pisces in febribus tertianis, & quartanis, eò quòd facilè concoquantur, præferréque eos carnibus in tertianis exquisitis. Rasis autem corporĩ sano comparauit, & magna parte improbatos cunctos damnauit. Persæpe enim medicinali alimento est piscis, & vt plurimùm concoctionis leuioris contrariæque qualitatis febri omni: cui si contingat, vt à causa calida, vt sæpissime est, fiat, etiam causæ febris aduersabitur. Hócque errore quam plurimi eo dum insaniunt, vt si quis contra ausus fuerit, pro imperito eum habeant.

Vtilius igitur erit in febribus ferè omnibus piscibus quàm carnibus vti. Sint autem pisces ex mari, Gobius, Aurata, Arbor, & si ex saxatiliũ generibus à Gal. de alimentis recitatis quisquam inueniatur. Ex dulcibus, Lucius, & Persicus, & vniuersaliter, qui squammosi albas & leues carnes habent, subtiles, lati, longíque non antiqui salubribus aquis habitantes, Rasis authoritate, præferuntur.

Cuius causa impudentiam erroris crassi preterire nolui saxatiles pisces, qui quibusdam generibus diffiniuntur, intelligentium pro piscibus qui inter saxa degunt, qui nulli sunt. Quòd si eos qui in aquis saxosis habitant, credunt. Abduani, & Ticinij, potius erunt saxatiles maritimis, cùm tamen saxatilium numero nullus ex aquis dulcibus comprehendatur.

CAPVT XI.

Quòd auxilia simplicia, & composita corrupta habent.

VNdecimus abusus est, cùm cuiuslibet medelæ auxilia corrupta habeant. Hic tantus est error, vt eius memorari me pigeat. Pro cassia lignea, corticem palustris ginistræ: pro carpobalsamo, mitti cuiusdam semen prozedoaria, quæ ex oriente vehebatur, incognitam ex Germania radicem: pro luto Armeno, rubram Appuliæ terram: pro lemnia terra, vulgaré creram: pro doronico, insulsam radicem: pro galanga quę etsi simillima est, vt Serapio docet, aliam acrẽ: radicem pro calamo aromatico, cuius substantia, quia calamus est, inanis interius spectatur, acorum: pro acoro consimilé colore, opere autem, sapore, gustuq; contrariam: pro xilobalsamo,

xilobalſamo, lignum incognitum. Nam quæ ad nos xilobalſami quantitas aduehitur hericiniæ ſiluæ non ſufficeret. Adde quòd extinctum eſt modernioribus referentibus: pro malabatro, folia lauri, aliquando citranguli: pro xiloaloe, radicem oleaſtri odoribus imbutam: pro ſandaraca, quod naturale eſt, gũmi iuniperi: pro lacca, ſandaracam in vſu aliquãdo intelligẽtes: pro ſcordio herba ſcorodon, quod aleũ eſt agreſte nominis ſimilitudine decepti: pro vngue odorato, inutilem oſtraci corticem: pro cinabari, quod è minera eruitur, cinaprium quod artificio argenti vini, & ſulphuris conſtat. ſimiliter pro minio minerali, artificiale: pro oſſe cordis cerui, cartilagines bouum: pro ſmaragdo, iacintho, ſaphiro, carbunculo, granato, orientalibus gemmis, lapides adulterinos, ex Europa, ac borealibus regionibus aduectos: phillitim, pro ſcolopendro: lichen pro hepatica: pro ſalutari neruorũ præſidio pede coruino, pedem columbinum, quod venenum eſt: pro hermodactylo omnium auxiliorum quæ neruis & iuncturis prodeſſe poſſint, præſtantiſſimo, ephemeri radicem non ſolùm inutilẽ, ſed & ſtrenuè venenoſam: pro yringo, cui nulla in bubonibus compar medicina inueniri poteſt, ſpinoſam certè, ſed ita diſſimilem herbam adminiſtrant: vt iam cùm pro maximis alexipharmacis, maxima venena propinent, neſciam quid ſperandum. Ita cùm non ſolùm vnum pro alio medicamentum ſubminiſtrent etiam catent quàm pluribus, narcaphto, cancamo, ciphi, amomo, balſamo, ambram habent ratiſſimam, quæ non ſit adulterina, diptamum, non illud Dioſcoridis ſine flore, & ſemine (nec quo vtuntur; ille eſt Vergilij) mirrham ratam, bugloſum in controuerſia, eupatorium adhuc ſub iudice eſt. Infinita ſunt, quæ connumerare non eſt præſentis inſtituti, quoniam quidam noſtris temporibus clari habiti viri de his diſſeruere.

Taceo exæſa medicamenta, antiqua, marcida, corrupta, adulterina, deficientia: quænam oratio tot vitia poſſet amplecti? Vtuntur etiam quibuſdam herbis non ſatis cognitis, quales ſunt Daneia, Scabioſa, Pimpinella, quas & ſi omnino damnare nolis, confiteri tamen cogeris talium vſum diuinando potius, quàm medendo fuiſſe comparatum.

Taceo compoſita medicamenta, quæ ſimplicium non ſolùm peccatis ſcatere neceſſe eſt, ſed etiam quibuſdam peculiaribus deliquiis, vnde quis ſanam Theriacam, aut integrum Mitridatum demonſtrabit? vnde ſapientiſſimus Venetorum magiſtratus, toties eius compoſitionem fieri vetuit, cùm perfici poſſe non exiſtimaret. Cùm in clariſſima vrbium hæc non potuerint fieri, in nobis tamen non ſolùm ciuitatibus, ſed oppidis diſtribuuntur: medicique, quòd admiratione magis dignum eſt, vtuntur. Melius igitur eſſet, vt de quocunque ſimplici, publica inter medicos concordia quid eſſet qualéque ſtatueretur: deficientibus, ſuccidanea Galeni, aliáque alia ratione inuenta ſubſtituerentur, ponderа, leges, ac electio adiungeretur. Demum ipſa compoſitio non ſine medici conſilio fieret, publicè ſimplicia exponerentur. Quis ſanè, rogo, fuit antiquus, qui vel ſimplicium, vel compoſitorum medicamentorum doctrinam non diligentiſſimè fuerit proſecutus? Noſtri autem temporis medici Pharmacopolis ignaris, aut auaritiæ ſtimulo delinquentibus derelinquunt. Nónne hi ſolùm in famulitio medicorum cenſentur?

CAPVT XII.

Quod aquis deſtillatis vtuntur.

DVodecimus abuſus hic adiectus eſt, eadem materia, diſſimili tamen ratione, cùm aquis deſtillatis vtuntur, in quibus neque odor, nec ſapor inuenitur, eius rei è quo facta eſt, exceptis roſacea violacea, & ardẽte. Nã Abſinthij aqua prædulcis eſt: vbi autem nec ſapor, & nec odor, ibi virtus eſſe non poteſt. Adde quòd plumbo & ære fiunt, quæ duo metalla humano generi ſunt pernicioſſima, cũ viderim aliquos ob viſum earum ad ventriculi tabem redactos. E quibus vnus fuit Franciſcus Taegius phyſicus ac lector, qui inuenta prima, hac de cauſa, mortuus eſt, Pernicioſiſſima, & generalis hæc conſuetudo propter facilitatem operandi, ac labores vitandos, & ſaporis iucunditatem indùcta; tot miſeris ægrotantibus damnoſa, tum à medicis, tum à Pharmacopolis.

Conſultius igitur fuerit & antiquorum more cum decoctis operari. Nam in illis virtus reſidet, & mos ille ab eis, licet operoſior, comprobatus.

CAPVT XIII.

Quod vtuntur ſimplicibus.

TErtius decimus error eſt, quoniam gloriæ ſpe multa cum ſimplicibus operari poſſe ſperant, è quibus etiam nunc ſunt quidam celebres medendo habiti: contra quos, quia opuſculum edidimus, inuehi nunc non eſt tempus.

CAPVT XIV.

Quod vnus modus medendi eſt vniuerſalis.

QVartus decimus vſus non admittendus eſt, cùm ſingulæ ferè ciuitates quandam habeant normam communem medendi in principio cum Caſſia hîc: Venetiis etiam & cum electuario lenitiuo, vel de ſebeſten: Ferrariæ, & cum Catapotiis: In Hiſpania cum pomis dietam moliuntur tridui: atque ita omnes calopodio vno calciare nituntur: Quod ſi Cerdones non aliter, multi magis nudis pedibus, quàm cum calceis, ſpectarentur. Hunc mundum aliqui canonicè medendi vocant, quẽ propter vſum perpetuum moruna aniculæ, Pigmentarij, Tonſores, nobiles omnes Veneti. Iam ſi omnes abuſus tantùm medicis, quantùm hîc obeſſent, nemo certè vnquam medicus villam, aut prætoriam domum

emisset. At, dicent, in cunctis lenitio alui, iuuatiua a principio est: quid si non lenire, sed eradicatiue purgare conueniat? quid, si venter lenis sit? quid si venæ sectio moram non patiatur? quid si ventriculus sit imbecillis? nónne prius corroborandus antequam leniendus?

Melius igitur est, si sanguinis detractio moras non patiatur, venam incidere: si venter lenis est, concoquere: si ventriculus imbecillis, corroborare. Quot vides à principio lenitiuum sine vtilitate vomuisse?

CAPVT XV.

Quod nunquam à principio purgant erradicatiuè.

QVintus decimus error est, cùm nunquam à principio eradicatiuè purgant, sed illam operationem ad statum producunt, In principio lenitiuis contenti, vel his quæ materiam solùm minuunt. Itaque vt exitiale est quiescente materia eradicatiuè purgare, ita turgente ea ad inferiores partes, maximè ad in venis interioribus non purgare, longè magis mortiferum.

Præstiterit igitur, quòd mihi sæpe numero contigit, ea turgente, à phlegmonis metu liberasse ægros, forti à principio medicamento exhibito. Vnde sæpius contingit melius pauperes medicatos esse, quàm diuites ob errandi timorem. Quòd etiam Galenus suo tempore de cataplasmatibus, testatus est, in curatiua arte, quæ iuxta præcordia imponuntur.

CAPVT XVI.

Quod à principio semper à leuioribus inchoant.

SExtus decimus abusus est, cùm in principio semper à leuioribus curam moliuntur: quodam canone Auicennæ decepti, non attendentes Hippocratis dictum: Extremis morbis, extrema exquisitè, remedia optima sunt, & medicati in valde acutis eadem die, tardare enim in talibus malum est. Dum enim tempus procrastinant, æger eò perducitur, vt nullo postea medicamento sanari possit. Adde quòd cura non à leuioribus, sed ab æqualibus est inchoanda, vt Galenus libro de temperamentis testatur. Sic maximos morbos lactucis curare aggrediuntur, vt si inter plures vnus euaserit, miraculum fecisse videantur: si moriuntur, persuadeant facilè astantibus ægrum vi morbi non medici insciti periisse. Fides in hoc medico semper proposita est, cum, qui moritur, non accusaturum. Ego autem tibi dico, magnos morbos non nisi fortibus auxiliis sanari à medico posse. Quòd si aliter curentur non à medico, sed sponte sua ac naturæ robore, quæ omnia contemnit & sustinet causa sanitatis, orta est: de qua nullam medicus gloriam consequi debet. Nam, vt Auerroes dixit, morbi sunt in triplici differentia: quidam ita parui comparatione virtutis, vt sponte sanentur: quidam ita magni, vt etiam medici auxilio iuuati, ægri tamen pereant. In his duobus medica arte opus non est. Alij autem, ita modico à virtutis robore interstitio superantur, vt in his medicinæ auxilium desideretur. Nam rectè curati sanantur, aliter aut pereunt, aut in prauas incidunt, ac difficiles ægritudines.

Præstat igitur in magnis morbis à magnis auxiliis, in maximis, à maximis: in leuibus, à leuibus: in mediocribus, à mediocribus initium medendi sumere. Et hoc est ab æqualibus inchoare. Quòd si dubitatio accidat, ne in grauius aut leuius auxilium incidas, tutius à leuioribus, paribus causis, quàm à fortioribus initium sumes. Et hoc est, quòd à leuioribus molienda est cura. Melius enim est, infra subsistere, quàm exquisitissimè euacuare. Cùm autem morbi natura ad statum per augmentum accedat, sintque in augmento fortiora accedentia, quàm in principio, & meatus aperti magis: meritò, si semper cum æqualibus cura mollienda est, in augmento dabitur locus fortioribus auxiliis, quàm in principio. Igitur à principio respectu augmenti & status cum leuioribus inchoabis, & hoc est, quod voluit Princeps. Isti autem à leuibus simpliciter initium exordiendum duxerunt. Quòd si à maximis ortus est auxiliis, in illis persistes. Nam in talibus tempore parùm differt status ab initio: si verò à magnis iuxta statum ad maxima eiusdem generis cura terminabitur.

CAPVT XVII.

Quod vitant, aut procrastinant sanguinis minutionem.

DEcimus sextimus error est, cùm in putrida sanguinis minutionem vitant, in Continua autem procrastinant. Vnde Galenus: omnibus putridis febribus venæ incisio salutaris est in arte medendi. Cùm autem intra venas humor extiterit valida virtute, & copiosiore sanguine, & morbo imbecilliore, & quia per omnia tempora auxilium præstat. His quatuor causis tutissimè ac vtilissimè etiam à prima morbi hora minutio fiet. Quantò enim citius, eò vtilius, ac præstantius. Ipsi verò cùm in multis interpolatis nulla obstante indicatione, venam non incidant, in continuis primam diem non solùm, sed quartam & septimam transeunt, merito fiunt periculi ac mortis ægri rei.

Vtilius erit in interpolatis si reliqua consenserint, sanguis verò plurimus fuerit, aut præmissa lenitione, si oportet, aut sine ea venam incidere. Caue tamen ne materiam peccantem intra venas trahas. In continuis protinus ab inuasione prima venas incides, eò magis si materia phlegmonem moliatur, nitidis ventriculo, ac intestinis existentibus: aliter autem lenitionem præmittas. Vnde Rasis in Continentibus: plurimi eorum, ac omnes fermè, qui ante euacuationem sanguinem miserunt, mortui sunt: qui verò

euacua

euacuationem ante moliti fuerunt, sanarit de pleuretico morbo loquebatur. Non ergo ad plus, secundam diem, aut tertiam sine sectione venæ pertransibis, si rectè operari volueris, vocatusque fueris à principio.

CAPVT XVIII.

Quòd partem materiæ purgant in morbis quietis.

DEcimus octauus abusus est, cùm in non turgentibus morbis partem materiæ purgant, à principio: alij autem electuario de Sebesten, vt Venetiis, Mediolani cum Trocischis de violis sine Scamonea, vbi Turbith adest, quòd nec verum Turbith est, & medicina conturbans. Mens autem Galeni super aphorismo (Concocta medicari) est, vt non sit, quieta existente materia, alia purgatio vtilis, nisi lenitiua, super illud, Corpora cùm quispiam purgare voluerit. Nam melius eligere debet medicus: sed plus est quòd adimitur ex virtute eo tempore, quàm ex materia: & reliquæ partis concoctio impeditur, & obstructiones augentur. Igitur cùm, quieta existente materia, nullum accidens sæuum timeatur, non est facienda purgatio materiam minuens: multo minus eradicatiua. Vnde etiam prima Quarti trac. 2. cap. 7. Et apud me magis dilecta est administratio Clysteriorum secundum mensuram, qua indigetur in virtute. Huic rationi maximè credideris, si ea, quæ in bubonibus extrinsecus incisis, ac non maturatis, aut expertus fueris, aut Albucasis dictis crediderit. Quæ enim ex his perniciosa sunt, citius occidunt: quæ salubria tardissimè, aut nunquam sanantur: maturata autem citò faciliter, ac sine dolore, ad optimámque sanitatem perducuntur. Rationes autem Rasis in continentibus, de purgando à principio, alias diluam. Materia igitur non turgente, nec ad vermes parata (istud enim quoddam genus est turgentis materiæ) quantumcunque multa fuerit, non purgabis, nisi post concoctionem. Adde quòd in aliquibus lenitio fieri nequit, nisi cum solutiuo addito, vt in rusticis & habitatoribus montium, qui castaneis aluntur, & quibusdam hominibus, quorum naturam præscire oportet, vel vsu, vel auditu. Sæpius etiam nulla indigemus lenitione, nisi ea quæ fit per Clysterem, cùm venter nihil deiicit, & ventriculus exaninitus est, pro qua lenitione Rasim consule.

CAPVT XIX.

Quod nutriunt, & purgant in statu.

DEcimus nonus abusus est, cùm in statu vel augmento, materia virtutem opprimente, debilitas virtutis ab astantibus iudicatur, ob hócque medici alterum duorum faciunt, ac persæpe vtrumque, cibant alimentis nutritiuis, qualia sunt ius contusum, aqua carnis, ac purgant: quorum vtrunque, ita pernicioſum, vt nil deterius, cùm morbi consistunt, ac vigent. Melius est quietem habere, dicebat Hippocrates de purgatione loquens, & alibi, In accessionibus subtrahere oportet, dare enim læsio, cibandi rationem insinuans. O miseros illos medicos, qui modicæ gloriæ, aut cupiditate pecuniæ amicum, & sibi fidentem occidunt, conscientiam perpetua labe commaculant, seipsos æternæ damnationi addicunt. Nemo enim eorum ita ignarus est, qui cùm hæc faciat, se contra omnes medicinæ regulas facere ignoret, ægríque perniciem accelerare: sed timentes ne mulierculæ, aut fame interfeciſſe, aut cũ oportebat, morbo auxiliari nesciuisse dicant, plus hominum calumniam, quàm Dei offensionem timentes, tam manifestè peccant.

Præstat in his alium, si times, aduocare, omnésque vno consensu abstinere. Multitudo enim medicorum vnumquemque ab infamia vindicat. Si possumus etiam prognosticari de accidentibus, illud nobis maxime conducit. At si fas non est, falsa infamia detineri melius est, quàm conscientia malorum perpetuò cruciari. Veritati enim insistas: nam infamia falsi criminis tandem extinguitur cùm veritas fortunam pedissequam secum duxerit.

CAPVT XX.

Quod omnibus purgationem post statum sistem expedire putant.

VIgesimus error est, cùm in cunctis purgatione opus ad sanitatem esse putant, dicto illo Auicennæ moti, & cum natura non mouet, moue tu hora motus eius: non quidem modum mouendi, sed horam determinauit. Vtilius interpretamur Aphorismum, Vndecunque natura repit, inde ducere per conuenientes regiones. Multi sunt morbi, qui vrina, alij sudore, alij vomitu, alij sanguinis profluuio terminantur, alij bubonibus, alij cerisipelate, alij vlceribus. Hos omnes conantur, alui profluuio finire, ventrem subducendo. Nónne dixit Galenus, Eorum quæ in thorace continentur, nihil posse per aluum excerni, vt in laterali morbo, & peripneumonia. Cur igitur aut qua vtilitate purgant tales? Nam de antecedente causa nihil est quod minuant, status aut declinationis tempore, cùm auctio per se cessauerit. Nónne dixit Galenus, eorum morborum iudicationes per abscessus fieri, in quibus natura non perfectè dominatur? Hi fiunt materiis extra erumpentibus: euacuatio materias intropellit, nec potest tamẽ perfici: quoniam natura non perfectè morbo imperat. His ergo pugnantibus ægrum perire necesse est. At dicent & febrem quidem habentis ventrem soluere melius est, quarta primi c. 4. Hæc quidem indicatio est vomitus tantùm comparatione, vnde subiungit, quàm facere, vt ipse euomat. Quòd autem dixit, Moue tu hora motus eius, in noua etiam traductione

versum est, hoc modo, Motu in motu conuenienti motui eius, quate emendatum est.

Satius igitur fuerit, dummodo indicium natura purgationis præmonstrauerit, illam viam sequi, nec aluum mouere, nisi in viis ductuum materia quieuerit. Vnde in pestiferis morbis, quia natura non perfectè dominatur, cita iudicatio tentanda est: idque bonum sequi, quòd in vnoquoque genere commodissimum. Est etiam quidam purgandi modus vnicuique familiaris, Pleuritidi, sputum; aut vrina: ardenti febri, sudor: Phlegmoni iecoris, sanguinis profluuium: Tertianis, vomitus: spleni, varices, & vlcera in cruribus: morbillis, alui profluuium: pestilentialibus, abscessus, sudor, aut alui deiectio. Vomitus autem lethalis indicatio est.

CAPVT XXI.

Quòd non vtuntur, nisi medicinis quas appellant benedictas.

VIgesimus primus error est, cùm in solis medicinis, vt dicunt, benedictis, consistunt Manna, Cassia, Sero, Rhabarbaro, & similibus: Nam cùm materia grossa, aut melancholica fuerit, tollunt quod subtile est, & crassum derelinquunt, & ita ex curabilibus morbis, incurabiles faciunt. Vt igitur non tutum est velle semper laboriosis medicinis vti, quæ robur virtutis exoluunt, & ad malas præpatant ægritudines: ita nec laudabile, in leuibus consistere, quæ morbos relinquunt deteriores, quàm prius curandos assumpseris.

Melius est igitur in crassis lentisque materiis non euacuare. Oportet igitur cum propriis semper operari. Serum enim in vltima subtilitate, lapis magnetis, in vltima crassitie humores subducunt: reliqua sunt intermedia, quorum ordinem aliàs in contradictione exposui.

CAPVT XXII.

Quod materiam semper euacuant paulatim, ac concoquunt.

VIgesimus secundus abusus est, tolerabilis tamen, ac defensione dignus, cùm materiam paulatim docent concoquendam, euacuandámque ex dicto Auicennæ: in quo tamẽ verba non mentem assecuti sunt Principis, quoniam longè citius terminatur ægritudo, si ad vnam tantùm vniuersalem purgationem reseruetur. Nam vna euacuatio alterius impedit materiæ delinquentis coctionem. Ita igitur intelligatur, vbi periculum deriuationis fuerit. Est autem cùm virtus debilis est, vel iuxta principale aliquod membrum materia delituerit, aut nimis molle, vt Adenes, & Pulmo. In his enim casibus etiam non exactè maturum bubonem incidere consuluit Albucasis: in reliquis longè melius citiúsque vna euacuatione soluitur morbus: Vermium tamen memento. Nam in his, vt dicemus, nedum aliquoties expectandum est concoctionis principium.

CAPVT XXIII.

Quod dicunt non omnes morbos ad Physicum spectare.

VIgesimus tertius abusus est, cùm omnes eas ægritudines ad curam suam pertinere negant, quæ sunt manifestæ, in quibus accusari possunt: eas autem omnes profitentur, quæ sunt difficillimæ, accusarique nequeunt, decorationem igitur & infantium morbos mulierculis: dentium dolores, tonsoribus: vulnera, vlcera, collectiones, Chirurgicis: oculorum vitia, circumforaneis herbariis: Ramicem, & Herniam, Circulatoribus: puerperarum dolores, Obstetricibus: gallicam luem, Impostoribus: luxatos fractósque articulos, Restauratoribus relinquunt. Vbinam Galenum, aut Hippocratem, aut Albucasim, aut Auicennam inuenerunt, qui non omnem artem profiterentur, medicamenta singulis pararent, de his apertè differerent? Vnde Galenus in primis artis curatiuæ libris, totam curandi methodum à chirurgica ratione assumpsit. Vnde etiam ossa à capite extrahere docuit lenticulari ferro, absque terebratione, quod etiam in vsu est, Mirmetias etiam è crure extrahendas docuit. Herniam, puerperarum passiones, infantiúmque distinctè descripsit. Vnde in consilio morbi comitialis dicebat, At ei qui vniuersales canones ignorauerit, nec sexcenta præcepta sufficiunt. Impossibile enim est sine curandi methodo, quampiam etiam, leuissimam ægritudinem rectè curare.

Cur igitur si se medicos profitentur, hæc nesciunt? Si sciunt, cur literas nescientibus prouinciam hanc committunt? Quòd si se victus rationem & purgationem etiam in illis ordinare fateantur, quomodo aut purgare, aut victum ordinare poteris rectè, si morbi qualitatem & magnitudinem ignoraueris? At dicunt, à Chirurgo recipio. Nonne scriptum est, si cæcus cæcum ducat, ambo in foueam cadunt? Eo magis, cùm duo vel tres plerunque sint Chirurgici etiam in maximis ciuitatibus, qui literis operam dederint, reliqui tonsores laruati, lanienam profitentur. At dicunt, morem sequimur ciuitatis, quale illud sexto artis curatiuæ, in fine. Sed cùm Romæ plurimùm agerem, ciuitatis morem secutus, permissa his quos chirurgos vocant, maxima horum operum parte, non doctrinam, sed manus operationem se ostendit dereliquisse, quod ex prioribus verbis licet deprehendere.

Quod si in hoc re non peccare, quod tamen haud possibile est, demonstrares, quam tamen fidem, medice, tibi præstabo, aut vomicam, aut ventriculi ficum, aut in hepate vlcus probè curaturum, si Ozenam, aut

aut Bubonem, cui quotidie ſpecillo, aut manibus imponere medicamentum potes, ſanare neſcieueris? An credam illud, quod intra eſt, leuis eſſe, quod plerumque perducit ad mortem, aut ſcientiam tuam Aſtrologo vel diuinatori comparauerim, qui propria domus ſuæ peccata cum ignoret, de remotis maximisque negotiis ſe ſcire profitetur? Cum enim vlcuſculum, aut Parotidem curare neſciueris, quomodo quiſquam cogitare poteſt, quod interius eſt vlcus, aut phlegmonem te ritè curaturum?

Ad medicū igitur pertinere arbitror perfectum, omne morbi genus ſcire curare. non ſolum per dietam, medicinas, & vnguenta, ſed etiam per manus operationem, inciſionem, videlicet, vſtionem, terebrationem. Quod tamen eſt illiberale, Chirurgo permittat, opus videlicet manus: quoniam longè differunt neſcire operari, nec præcipere, ac nolle manibus exercere. Nam cùm hoc non ſit decens, reliquum tamen non ſolùm vtile, ſed etiam eſt neceſſarium. Difficiles enim bubones hoc modo curaui in triduo, ac decennes fiſtulas inueteratas, ac derelictos extrinſecus morbos miraculi modo, quoniam interna exterioraque adiutoria probè noueram. Itaque ſolo famulitio auxilio, prout & Galenus, indigui.

CAPVT XXIV.

Quòd lunæ poſitiones obſeruant, vt non dent medicinas.

VIgeſimusquartus error eſt, cum Lunæ radiationes in exhibendis medicamentis vitant. Nam cùm ducere volueris Elleborum, moue corpus, dixit Hippocrates: Cùm verò luna cum ſole coit, vel radiationem initt, mutantur tempora manifeſtè, quia elementa & humores agitantur. Igitur bonum eſt, tunc medicinam exhibere in coniunctione, corpus repletum purgabis, in quadrato poſt oppoſitionem purgabis melius, poſt venam incides.

Cum igitur volneris rectè operari, facies illud hora aſpectuum, maxima cum vtilitate, cauebis tamen tria. Primum quòd dies illa non ſit indicatoria, vel vetita ratione naturali. Secundum, quòd æger non ſit nimium debilis: ne ſi moriatur alia cauſa, culpent te. Tertium congreſſus Lunæ cum Saturno, vel Marte. Quòd ſi hora radiationis cum Sole, Luna Ioui, vel Veneri ſocietur, optimum erit purgare, vel minuere, vt placuit Galeno.

CAPVT XXV.

Quòd de inutilibus quibuſcunque rebus decertant.

VIgeſimuſquintus eſt, cùm de minutiſſimis rebus diſceptant, grauiora præterеunt, vt videantur diligentiſſimi medici. Memini me aliquando vidiſſe clariſſimos medicos concertantes ſuper differentia duarum drachmarum, à quatuor, ſyrupi de lupulis, qui tamen raucedinem per venæ inciſionem curare nitebantur, neſcientes illud modernioris, Qui raucedine detentus minuitur, nunquam curatur. Merito igitur tales non Medicos, ſed Sophiſtas optimos appellauit Auenzoar. Decimant enim Mentham, & Anethum, & graviora legis derelinquunt. Optimum medicum decet, non ita ſubtiliter minutiſſima trutinari, quandoquidem non ſufficiet grauioribus omnibus exiſtimandis.

CAPVT XXVI.

Quod frictiones dimittant frequenter.

VIgeſimus ſextus abuſus eſt, cùm frictiones non niſi paucis morbis imperant, propter diſſuetudinem: cùm tamen cunctis, nullis exceptis, non ſolùm vtiles ſint, ſed & neceſſariæ. Vnde Celſus, Frictio cùm omnibus vertebris ſit neceſſaria, maxime tamen vtilis eſt his, quæ in collo ſunt.

Adnotare lubet alium errorem in frictione excipientium pectus, & ſpinalem medullam, quoniam Galenus de ſolis cruribus & brachiis loqui videtur. Nam Celſi authoritas, & ratio dictant, neque dextrum hypochondrium fore in frictione excipiendum. In cunctis igitur morbis frictio vtilis eſt & neceſſaria, & quocunque morbi tempore, ſed pro eorundem diuerſitate variandа.

CAP. XXVII.

Quod roborationem ventriculi prætereunt.

VIgeſimus ſeptimus error eſt, cum in omnibus morbis permutata victus ratione, neceſſe ſit ventriculum à propria fortitudine minui. Conuenit igitur ſemper ei præſidium admouere, quod tamen negligunt. Vnde Galenus ad Glauconem, In cura tertianæ nothæ, & quotidianæ conſuluit, tanquam magis manifeſtè ventriculo laborante, confortantia admouere præſidia, tum per interius, tum etiam per exterius. In frigidis calida: in ſiccis autem ſolam lactis pinguedinem prodeſſe inueni. In reliquis autem cauſis maxima auxiliorum copia non deeſt. Conuenit igitur omni morbo, omnique vniuerſali eius tempore, hæc duo ſemper præ manibus habere, frictionem, & ventriculi conſeruationem.

poteſt, vnde indicatio per abſceſſus exteriores eſt expectanda. Cùm igitur minutio virtutis tenorem tollat, & ad contrarium naturæ impetum retrahat, meritò cauſam mortis dediſſe videbitur.

Omnibus his in caſibus, vbi nullum phlegmonis interitus ſignum apparuerit, tutius per ſinguiſugas, & cucurbitulas ſanguinem auferes copioſum pro qualitate temporis, morbi, virtutis, & humorum, abſceſſuique viam conparabis, nec ad exacerbationem bilis deduces. Conſiderandum tamen an ex feruore, an venenoſa qualitate turbentur.

CAPVT XXXI.

Quod in hæmoptoicorum curatione ſunt ſegnes.

TRigeſimuſprimus abuſus eſt, in hemoptoicorum curationibus, quos omnes ferè deſtinant morti. Nam cùm in his copioſiſſima ſanguinis minutio conueniat, ſicque omnes à die prima liberentur, vt Galenus teſtatur, ac repetitis exemplis demonſtrat: Medici tamen noſtri temporis non audent, ſed breuem & interciſam detractionem faciunt, putantes, ſe Auicen. precepto muniri: cùm tamé ſciant Hippocr. dictum: A ſanguinis ſputo, ſaniei ſputum: à ſaniei ſputo, phthiſis: à phthiſi autem mors. Vnde Galen. Eorum, quos iam ſanioſum vlcus occupauit, neminem ſanatum vidi: & parum poſt. Cùm verò phlegmone inuaſit, exigua ſpes eſt ſalutis. Cur igitur cùm à latere longa tabes, ægri cruciatus, familiæ infectio, diſpendium ampliſſimũ, mors certa ſint conſtituę, ab altero, ſi vena promptè ac ſæpius copioſéq; minuatur, ſolùm mortis periculum, rariſſimúmque immineat: præeligunt tamen tantam infirmi, ac domus ſuæ iacturam periculoſa ſanitate? Vellem in hoc mihi aliquem ex his, qui ita acuti ſunt ad accuſandum cæteros, nunc reſpondere ac defendere, quoniam in propatulo eſt, ex ruptura venę in pulmone nullum, in pectore autem tariſſimum conualeſcere. Quare in curatiua arte, Thucididis dictum probatur, quibus alia ſalutis ratio non eſt, & quæ vnica videtur, ea dubia eſt, neceſſe eſt eos aduerſos periculis ire.

Debent igitur in hoc medici certa calamitatis iactura demonſtrata, ſi à cura abſtineant, præceptiſque ac antiquorum vſu citatis, imminentiſque periculi, habita admonitione, curam veram non fucatam, qualem Gal. docuit, amplecti.

CAPVT XXXII.

Quod in cognitione hæmoptoicorum propriè aberrant.

TRigeſimus ſecundus abuſus eſt, circa eundem morbum ferè. Nam cùm maxima interſit differentia inter fluorem ſanguinis, & ſputum vnum pro alio capi iut, cùm tamen longè differant. Nam ſputum ſanguinis niſi in tabificoſit, omnino caret periculo, fluor autem maximo ſemper periculo copulatur: vnde Hippocrates, Sanguis quidem ſupra, qualiſcunque fuerit, malum: dicitur enim fluor, vt Aurelianus refert, cùm ſub quantitate magna ſanguis expuitur, rutilans non congeſtus: ſputum verò, cùm pituitæ permiſcetur, modicúmque excernitur, aut congeſtum, quale in longis orationibus, in reſudationibus grauedinibúſque excerni ſolet. Vnde Plautus, Iamdudum ſpuo ſanguinem: quaſi longum, non perniciosum nominauerit morbum: apertione enim orificij venæ etiam expurgatur. Fit etiam propter eroſionem: in hoc falſum ſputum apparere neceſſe eſt, aut hominem tabificum fuiſſe. Hi ſunt, qui magno malo curati creduntur, cùm nullus hic morbus ſit, nulla hæc ſit ægritudo. Hæc eſt medicorum iactantia, eum curaſſe, qui nihil mali habet, eorum verò, qui verè laborant, hæmoptoica paſſione, neminem fuiſſe ſanatum. Nuper dum hæc ſcriberem, quidam aduenit, qui ſanguinẽ phlegmati permixtum ſpuebat, cùm nec falſum ſputum eſſet, nec homo tabidus. Iuſſi eum nihil timere: cúmque quòd viſcus expurgaret, dediſſem, repentè ſanatus eſt. Cùm hic alias eundem affectum habuiſſet, medici dixerunt eum fore hæmoptoicum. Itaque fidem ex hoc præſtiterunt, aliquos ſine periculo, maximè minutionis poſſe liberari.

Patiente ſputum ſanguinis citra tabem ac falſedinem ad te veniente: ptiſana cum zucaro eum cibabis, caput curabis, frigidis leuibúſque glutinantibus medicinis opitulare. Nam vel ex faucibus, aut è capite, aut aſpera arteria, aut reſudatione aliqua prouenit, ita vt omnino liberum à periculo ægrum eſſe iudices. Quòd ſi cum hoc etiam febris inuaſerit, tutiſſimum ſignum eſt, non exiſtentis fluoris. Quòd ſi cum hoc ſubniger eſt & congeſtus, tunc certum ſalutis indicium. Eſt enim ex arteria venali, in aſperam tranſitus ſpiritus quo aër defertur. Hic ſi dilatetur, ſanguinem, qui in illa continetur, in aſperam tranſmittit abſque noxa: Non quòd oſcula venarum aperiantur, vt exiſtimat Trallianus. Ob id illud eſt aduertendum aphoriſticum, à ſanguinis ſputo ſaniei ſputum. Neque enim ſemper malum eſt ſanguinis ſputum, quod ex pulmone prouenit, vt Galenus dicebat, ſed ob eroſionem vel rupturam.

CAPVT XXXIII.

Quod adminiſtrant puluerem cordialem cum cibis.

TRigeſimus tertius error circa febres ac venenoſos morbos ita impudens eſt, vt non à medico fieri, ſed à vetula vix perſuaderi poſſem, cùm tamen omnes admittant. Puluerem enim cordialem (ita enim appellant) ex iacintho, cæteriſque lapidibus conſtantem,

ſtantem, ac ſacharo (ſatis hercle iucundum, pulueremgustu) cibis permiſcent. In hoc omnes, vos ô medici, percunctari vellem: nam etſi vobi concedatur, lapides illos veras eſſe gemmas (quanquam & hoc ſuperius reprobatum ſit) primùm an ſciatis, quod res dulces ad faciendam opilationem ſunt veloces. Vnde Serapio, & dulcia ſunt ad inflammationem hepatis parata: quod dictum Alexander à Galeno iam ſuſtulerat. 2. de alimentis. Quid autem magis hepatis inflammatione, & obſtructionibus periculoſius, cùm vtrunque patris & matris ægritudinem vicem gerat? Nam ex obſtructione putredo, à putredine morbus, ab hepatis inflammatione, tabes, febres cordis æſtus, hydrops, cæteráque pernicioſa mala non magis alia cauſa fieri poſſunt.

Secundo, ſi alexipharmaca hæc eſſe credunt, neceſſe eſt magnam in eis vim credere. Vnde Galenus 5. ſimplicium medicaminum. Neceſſe eſt, cùm alexiteria inter humanum corpus, ac deleteria ſint conſtituta, æqua ratione ab vtraque diſtare. Igitur neceſſe erit, vt copioſius ſumpta multùm corpus à naturali temperie mutent. Cùm igitur fortia ſint medicamenta, quomodo innoxiè cibis iungentur? Vnde diuus Auenzoar, & qui ſumpſerit theriacam vel ſmaragdum, non recipiat cibum niſi poſt ſeptem horas, & poſt addit rationem demonſtratiuam talis abſtinentiæ. Quid hoc clarius? Allegent mihi authorem, qui hoc conſulat vel concedat.

Tertio, quia lapis hic puluis eſt, ex cibo & contrito lapide cementum fieri ſolet, quo nihil eſt durius, nihil pernicioſius, qualem putas debere obſtructionem fieri? Vtinam ego intelligerem quonam conſilio maltam ægrorum corporibus introducere velint? At ſi didiciſſent ex diſſectione, quòd venæ cauiecoris & gibbi adeo exiles ſint, vt adhuc incertum ſit an inuicem committantur, haud dubitarent, ab hoc auxilio in perpetuum abſtinere.

Quarto, quia cùm cibus medicinæ tali permiſcetur, ſi citò tranſit, obſtructiones maximas facit, quia crudus eſt, ſi tardè, nónne auxiliari ope deſtituetur, longa coctione permutatus? Solent enim non ſolùm alexiteria, ſed & venena vim ſuam perdere, ſi diutius coquantur, vnde Auicenna, Et cùm timueris veneni exhibitionem, multoties cibi plenitudo nos ſecuros reddit, quoniam veneni virtus validiſſima cibo obtunditur: quid ſperandum erit de his alexipharmacis, quæ etiam per ſe propinata modicam ſui ſpem promittunt. Hæc eſt tam frequens eorum laudabilis conſuetudo.

Annectitur huic non minor inſcitia, minore tamen iactura, cùm mixturam quandam appellatam cordialem ex floribus buglo ſi boraginiſque ac ſacharo conſtantem propinant dulcedine, ac craſſitate obſtruentem, adulterinam, non ſolùm ob pulueres vitiatos, verùm quia quòd buglo ſum adhuc eſt incertum, grauem coctione, vermes alentem, qui plurimùm peſtilentibus febribus copulantur, ventriculo hærentem, flatuoſam ac non paruum cibi tædium afferentem. Quòd autem grauis ſit ac flatuoſa, colligitur, quia tumet à calore, vt 3. de regim. à Gal. habetur.

CAPVT XXXIV.

Quòd in vermium cura dant res leues & incognitas.

TRigeſimus quartus error in vermium cura multiplex eſt. Nam cùm leuibus primo eos aggrediuntur, dúmque necare ſtudent, grandiores adultóſque efficiunt, quoniam inefficacia auxilia exhibent. Secundò, quia cùm incertis medicinis expellere conantur, qualia ſunt os monocerotis ab eis tantum opportunum creditum, quantum pretioſum à nullo commendatum authore, ab omni tamen medico collaudatum. Tunc enim conueniet talia incognita experiri, quando quæ manifeſta qualitate iuuare ſolent, non iuuant: qualia ſunt omnia vehementer acria, acida amara, purgantia, dulcia etiam copioſa quandoque diſrumpunt: verùm ſunt periculoſa. Omnia etiam acri odore predita, vt kabrog, turbith, rhabarbarum, radix filicis, ſemina caulium, portulacæ, ſantonicum, indicum, agaricus, aloes, ſuccus citranguli, crocus, diptamus vſualis, multa etiam alia ſtrenua medicamenta. Cur ergo ea tentant, quæ fallacia non ſolum ſunt, verùm & ratione carent? Vnde Galenus, virtutem nullam credidit, quæ à primis non deſcenderet qualitatibus, in libris ſimplicium medicamentorum: vnde in libello de lithiaſi: Non ſunt ſanè mihi accepta medicamina, quæ occulta virtute agant, nec illis fidem habeo. Tertiò peccant, cùm pulueres dulces exhibent incerta ſalutis ſpe: certa tamen iactura: nam ſachari vis ſatis quidem ad confirmandos vermes manifeſta ſit, coralli autem & ſmaragdi credita. Nolim ergo incertum iuuamentum, certo damno etiam longè minori præferri. Quartò, quia eos copioſe nutriunt, plus vermibus, quàm homini ipſi nutrimenti præſtantes. Nam niſi pellantur, cibis ali non debent, cùm haudquaquam occaſio detur, niſi famelicos occidendi.

Præſtiterit igitur cordi vtilibus pulueribus non dulci aqua, ſed cum vino, per plurimum tempus ante cibum vti: ita vt horæ ſint non pauciores, quàm quinque, cibi verò medicinales, ac cordi proprij, vt ex croco, buglo ſo malo medico, citrangulo, limunio. Cauere etiam dulcia oportet, niſi citra vermium ſuſpicionem res agatur: tunc enim prodeſſe poſſunt, ſi liquida ſint, quoniam prompta ad cor deferuntur, ſalutarémque vim ſecum ducunt.

In vermibus autem à forti auxilio initium duces. Diaturbith itaque inter compoſita, quod cum rhabarbaro conficitur, omnium auxiliorum eſt præſtantiſſimum à drachmis tribus vel circa. Quod cum diutina experientia comprobauerim, rationem habet etiam manifeſtam, cur cunctis aliis medicamentis præponi debeat. Nam dulcedine ſua à pueris libenter deuoratur, rhabarbaro ver-

mes

mes concidant & membra conforrantur, turbith ſedes illorum expellitur, reliqua non ſolùm gratiam præſtant, ſed & innoxium reddunt: ita ſit, vt iucundiſſimum, innoxium validiſſimúmque ſimul ſit, inter ſimplicia autem nil fortius occidit, apij ſemine: verum, & illud ſolí in montibus expoſitum natum ſit, nec tamen Epilepſiam moues.

CAPVT XXXV.

Quod in febre peſtilentiali procedunt cum infrigidantibus.

TRigeſimuſquintus abuſus eſt, cùm in peſtilentibus febribus, curam inualidam, inanémque exercent, ac ſanguinem etiam morbo procedente minuunt, in hoc tantùm ſolo excuſati, quòd cum Galeno cæteriſque antiquis peccant. Fatetur enim Galenus medela ſua parum profeciſſe, vexillúmque gloriæ in bolo armeno collocauit, quo ſcimus ferè nullos his temporibus ſanari.

In hoc certè morbo & modum medendi permutare oportet. Nam calidis plus quàm frigidis tollitur: habet & ſua concoquentia, alia longè ratione inuenta, ac longo vſu, qualia à maioribus noſtris accepimus, quibus etiam nunquam ſimilia vidimus, de quibus etiam alias longo ſermone ſcripſimus. Habet enim & hoc morbi genus medelam propriam, qua omnes penè curari poſſunt, ſicut & Gallicus. Cúmque optimum ac frequens experimentum ratione certa confirmauerit, eum qui negat, ſe ſanare poſſe, iure merito deſtituemus, ſed cùm moras non patiatur, vt Gallicus, audentius modum curationis ſuæ tutantur medici, peccare ſe non arbitrantes, cùm eos ſanare nequimus, qui ab eis deſtituti ſunt, morbi malitia inducias, non admittente, ſi quidem ex ſolo morbi initio probè auxiliamur.

CAPVT XXXVI.

Quod pulicarem morbum, morbillum credunt.

TRigeſimus ſextus error exitialis eſt, in eo morbo, qui pulicum maculis ſimiles in corpore notas efficit. Nam eum nomine morbillorum appellare nituntur, nos pulicarem à ſimilitudine nominabimus: & licet dicat Raſis. 18. continentis cap. 8. quod blaciæ non habent eleuationem in cute: & ſunt rubeæ in ſuperficie cutis, & ita videretur hic morbus ab illo complecti, tamen dixit paulum infra authoritate Gregorij, quod blaciæ ſunt aridæ & ſiccæ, variolæ. Ex quo apparet, quod eminentia eſt in vtroque, ſed differens, quia in variolis terminatur in acumen, & eſt cum ſanie, in blacciis neutrum illorum, ſed aſſimilatur igni perſico quaſi. Ex quo patet pulicarem morbum, qui nullo modo extra cutim eminet, non eſſe vocatas blaccias à Raſi, ſed blaccias eſſe morbillos.

Exiſtimant igitur morbillum eſſe pulicarem morbum, vnde & curam eandem eſſe neceſſe eſt. Vocatur autem Venetijs pulicaris morbus, petechie: Mediolani, ſignæ: quo errore dum medici tenentur, infinitam ægrorum multitudinem peremerunt. Nunc etiam cùm nihil ex morbillorum cura profecerint, attamen inſiſtunt, exiſtimantes illud Hippocratis, Omnia ſecundum rationem facienti, & non euenienti, non eſt tranſeundum ad aliud: ſtante eo quod à principio viſum eſt. Nequaquam voluit Hippocrates perſiſtere in his quæ contra rationem operamur, qualia ſunt hæc: nam pulicarem non eſſe morbillum paucis accipe.

Morbilli ſunt in cute eminentes ex toto genere ſuo ſaluiferi, omnibus hominibus aduenium, ſicut & variolæ, vt dicebat Auerroes, ſinguliſque annis ſpectatur, à rubeo rariſſimus eſt, rariſſimè niſi ſemel eidem homini aduenit, mitia habet ſymptomata rarus etiam, niſi in pueris, ac aliquibus adoleſcentibus videtur, non bubonibus peſtilentiæ ſociatur.

Pulicaris ſine eleuatione omnino eſt, ſoláque macula cutis exiſtit, genere ſuo mortiferus, nec dimidio humani generis aduenientis: ſolis ſtatis temporibus non ſingulis annis ſæuit, modò viridis, frequens etiá niger eundem hominem, bis térque, quatérque inuadit ſymptomatibus ſæuiſſimis, omni ætati etiam vſque ad extremum ſenium infeſtus, bubonibus, ac peſtilentiæ ita familiaris, vt rarò ab ipſis abſcedat.

Quæ ſanè vetula eſſet, quæ iam hæreret in iudicio, quæ non diſtingueret, quæ cõtrariis morbis diuerſas cura opportunas non indicaret, illi pertinaces decocta ad explodendum propinant, vt in variolis & morbillis ſolet fieri: cùm pulicaris macula ſolùm ſymptoma ſit, nec vlla materia ex eo excernitur, morbillus autem non ſolum ſignum eſt, ſed partem delinquentis materiæ continet, ob hoc expelli deſideratur.

Nec tamen putes me blaccias velle à morbillis differre, ſed ad eum, qui ſubterfugere poſſet, ex mala verſione ſcripta ſunt.

In hoc igitur morbo, cùm peſtiferus ſit, & non ſolum epidemius, præſtabit curam eam, quæ peſtilenti debetur, adminiſtrare: in hoc ſolo mentem apponens, quòd cùm in ſubtili ſanguine accendatur, cutimque tenter natura, quæ talibus refugium eſt vnicum, ſudorem eius veram cauſam oſtendit. Quare non deficientem adiuuabis, languentem coërcebis, cordi auxilia feres, paucique ab initio curati periclitabuntur. Liquet etiam ex hoc, eos qui aquam deſiderant, nullo meliore auxilio, quàm eius potus ſanati poſſe, ſi reliqua conſenſerint.

CAPVT

CAPVT XXXVII.

Quòd in morbi gallici dignotione cauſis & cura peccant.

TRigeſimus ſeptimus abuſus eſt, circa morbi gallici naturam qualitatémque, ac ſigna & medelam, de quo, quoniam libellum integrum ſcripſimus, ad illum te remitto.

CAPVT XXXVIII.

Quòd non expectant operationem medicinarum.

TRigeſimus octauus error eſt, cum multitudine medicamentorum ægrum onerant: eo dum, vt nec vnius auxilium patiantur, impediunt, nocent, debilitant, expenſis inanibus ægrum exhauriunt, hócque faciunt, vt plurima ſcire videantur. Vnde qui pauciora ſcit, plurima ſemper exhibet, quoniam omnia omnibus conferre exiſtimat, decipiuntúrque quodam dicto Principis. Et cùm medicamentum non iuuerit, permutate ad aliud, ſupple tu, tanto temporis ſpatio expectato, in quo auxiliari potuerit. Nam cùm tunc non auxiliabitur, aliud eſt quærendum medicamen. Vnde antè dixit, Caue ne à rectitudine recedas, licet videris quòd ipſarum tardetur iuuamentum.

CAPVT XXXIX.

Quod in doloribus non vtuntur propriis.

TRigeſimus nonus abuſus eſt, cùm in vehementiſſimis doloribus interioribus, vndecunque ſint, per enemata ſuppoſitoriáque, ac anodina medicamenta curam aggrediuntur. Quòd ſi intolerabilis omnino dolor extiterit, ad ſtupefacientia accedunt: aliter autem in primis ſubſiſtunt auxiliis, nil acopum adminiſtrant, aut ſtupefaciens, ad quod occulta poſſit virtute proficere, vt dolor mitior fiat: nam calidum trahere, frigidum denſare, ſtupefaciens virtutem, eneruare, atque periculoſiorem morbum reddere dictitant.

Hoc in errore non tantum ſicut in reliquis ſunt accuſandi, cùm ſe bene facere putent, licet malè faciant, illúdque canonicum credunt: in reliquis cum aut rudi inſcitia, timore aſtantium, aut obſtinatione diuturni abuſus periclitentur.

Si igitur dolor qualiſcunque ſit, ſiue acerbus, ſiue mitis vexauerit, quomodocunque tollendus eſt, dummodo non per narcotica vocata medicamenta: Eo enim tantum in intolerabili opus eſt, ſed & tunc vltimum proponendum, qualia auxilia ſunt, corou. cerui, galanga vſu nota, piper, limaces: nam nocumentum quod ex debilitate virtutis fit, & materiæ attractione doloris tempore (nam dolor ſanguinis profluuium irritat, & phlegmones facit) maius eſt, nocumento condenſationis materiæ ex medicamento ſtig do: & ſæpe etiam maius periculo torporis membri à ſtupefaciente medicamento inducti. Non ergo expectabis lenitionem in ſedando dolorem. Oportet tamen illud facere, & hoc non omittere: caue tamen ne medicamento morbi magnitudinem excedas. At dicent, vera doloris cura eſt cauſæ ablatio: fateor, aliud tamen eſt à quo cura ſit exordienda, aliud in quo finienda perficiendáque. Nam ſic conueniret in quocunque morbo ex humore conſtante radicitus à principio purgare. At, dicent, in eis prohibet cruditas. At ego dico in doloribus ſæpiſſimè, & dolor, & cruditas, & debilitas virtutis, & ſymptomata mala impediunt, vt vomitus. Hoc abuſu, quamplurimi pereunt aut contabeſcunt, qui citò alioquin ſanarentur.

CAPVT XL.

Quòd in vehementibus doloribus timent mittere ſanguinem.

QVadrageſimus abuſus eſt, cùm in eiſdem doloribus, quanquam acutiſſimis vana ſuſpicione, ne virtus ſoluatur, detenti, ſalutarem venæ inciſionem prætermittant cùm tamen ex Galeni præcepto ſit, & dolorem mitiget, & nos ſecuros à phlegmonis ſuſpicione reddat, ac ex conſequenti ſemper ferè à morte: raro enim dolor occidit, niſi phlegmone concitato.

CAPVT XLI.

Quòd in nephriti vtuntur diureticis cibis.

QVadrageſimus primus vſus damnandus eſt, in renum calculo, cùm cibos diureticos vináque alba propinant, credentes vias apertiores reddere, cùm plurimam eo materiam coaceruent, lapidémque ac arenas aduocent. Nam quòd ſperant materiam ibi moram non ducturam, haud impetrare poſſunt, cùm mora nutriendi cauſa ſit neceſſaria. Apertis igitur venis de materia plus accedit, cùm hoc etiam podagram adiungunt, vnde in communi adagio ex lithiaſi podagra. Itaque vnum volentes morbum curare, ipſum deteriorem reddunt, aliúmque non minus grauem adiungunt.

Meliuseſſet igitur cibaria ventrem ſubducentia miniméque aperientia aſſumere, ſed conſtringentia, qualia ſunt quæ obſtruunt, ac vnctuoſis, vel lenientibus complicantur.

CAPVT

CAPVT XLVII.

Quod concoquentia trina faciunt.

QVadrageſimus ſecundus abuſus eſt, cùm concoquentia trino numero terminant: cum ſanguinẽ pondere, non virtute nó qualitate, non impetu metiuntur, eóque tantùm vſus malus creuit, vt mihi, quandoque quatuor aut quinque concoquentia danti, quoniam non potius medicinam exhibebam, mulierculæ ſubmurmurarent. Quòd adiungitur deterius eſt, cùm miſſionem ſanguinis iteratam magnæ minutionis vicem ſupplere poſſe credunt: cúmque hoc, in vtriſque ſinochis peccato pernicies, aut morbi longitudo ægris comparatur.

Cogitare oportet concoctionem materiæ, vbi ægrum videre non poſſis, ratione habita, tum morbi, tum ſymptomatum iudicabis, nullíque numero famulaberis, ſed ad vltimam vſque coctionem peruenies. In ſanguinis etiam miſſione iterationem fugias, cùm vna copioſa ſecurè adminiſtrari poſſit. Iteratio enim Arabibus, qui in calidiſſima regione habitant, ob idque parum etiam ſanguinis habent, maximè placet.

CAPVT XLIII.

Quod in hydrope vtuntur ſoldanella.

QVadrageſimus tertius eſt error, cum in hydrope ſoldanella vtuntur, quæ hepar debilitat, nec ſanis antiquis nota eſt, ea præſertim in cura, in qua tum validiſſima, tum tutiſſima auxilia non deſunt. Ego ſanè eorum qui valida virtute, ac ſine hepatis ſcirroſi erant, neminem mortuum vidi, cùm curam antiquorum rectè experti fuerunt, ita vt non difficilem genere morbum aſcitem iudicauerim.

CAPVT XLIV.

Quod fluxibus cum febre dant caſſiam.

QVadrageſimus quartus error eſt, cùm in fluxibus purgatione vtuntur cum caſſia etiam peſſimè, quoniam inteſtina debilitat, immemor eius quod Glauconi Galenus referebat. Cùm febris fluxui ſociatur, non purgabis aut aſtringes. Multos enim medicorum vidi talia facientes, ægros etiam, qui non quantũ oportebat, aluo deiiciebant, nihilo ſecius in grauiſſima pericula perduxiſſe. Quendam cognoui medicum, qui cùm morti proximus eſſet, ſeipſum occidiſſe confitebatur. Nam cùm non in ſe, quàm in aliis, eſſet prudentior, in fluxu tres lenientes medicinas aſſumpſit, quibus inteſtina imbecilliora reddita, humoréſque concitati mortis cauſam dederunt. Nam cùm materia veneni particeps eſt, emendari debet. fluctuans enim ægrum interficit. Vnde etiam illud, Difficultas inteſtinorum ſi ab atra bile inceperit, lethalis eſt: non dixit, ſi cum atra bile fuerit, ſed ſi inceperit. Nam emendari humores minorem noxam pariunt. Si verò praui, tutius quieſcunt, quàm moueantur, ſiue medicamento, ſiue ſponte. Quod ſi humores haud venenoſi ſint, concoqui debent, antequam purgentur. Eſto modo quòd nulla venenoſa qualitate ſint infecti; ſint etiam concocti: præſtat etiam non purgare, quoniam ſecurius pluribus quàm paucis diebus eadẽ humoris quantitas eiicitur. Nullo igitur in caſu purgare, rariſſimè etiam aſtringere conueniet, cùm febris fluxui aſſociabitur, nec ſcio, cum omnes authores antiqui conſulant potius aſtringendum quàm laxandum, cur iſti lenitione opus eſſe exiſtiment. Nam licet Raſis in libro diuiſionum, in cura fluxus ab atra bile purgationem præcipiat cum epithimo, intelligit tamen cum materia eſt concocta. Nam venæ inciſionem ante hoc præcipit, intelligitque cum materia, quæ fluxus eſt cauſa, non excernitur. Rarò enim ſponte bilis nigra euacuari ſolet: cum verò virtus non ferat, aut accidens ſæuum ex fluxu vrget, tunc ſiſtere paulatim melius eſt. Conſtat igitur nunquam purgandum, rarò ſiſtendum, ſed ſerum calibeatum exhibendum.

CAPVT XLV.

Quod catapotia dant proximè à cœna vel ante cœnam.

QVadrageſimus quintus error eſt, cum catapotia ante cœnam, vel à cœna proximè propinant: de quo ſatis libello de ſimplicibus dictum eſt: præſtat enim horis matutinis accipere. Sed conſulendus erit etiam liber contradicentium medicorum.

CAPVT XLVI.

Quod in matre puerorum cum febre dant rutam & caſtoreum.

QVadrageſimus ſextus error eſt, cum in epilepſia ſiue conuulſione infantium vtuntur caſtoreo, rutha, mitr. dato, etiam circa caput aſſa fetida, & reliquis calidis medicinis: cuius ſententiæ authores celebres habentur: intérque hos Raſis, quos malè recentiores interpretati hora caſus etiam epilepſiæ adminiſtrant, quo nihil eſſet exitiale magis. Nam longè plus eſt, quod trahitur de materia, quàm quod euacuetur, nec eorum cerebrum tantam vim

sustinere potest, quoniam humidissimum est. Antiquorum verò consilium fuit, vt cerebro & corpore purgato hæc administrarentur: sic enim possibile est cerebri malitiam per hæc emendari. Quòd igitur in hoc præstat, si non vniuersa diuertentia iuuerint, cucurbitulæ, suppositoria cathæretica quæ vesicatoria, frictiones, ligaturæque adhibeantur. Considerabis etiam, si ea quæ anterioribus cerebri neruis moueri solent, qualia os, lingua, oculi, illæsa sint: tunc vertebræ candens ferrum imponens, vnde nervus conuulsi membri deriuatur. Quod si à collo infra totum corpus conuellitur à tertia ad quintam vertebram, cauterium impones. Hoc enim solo auxiliari suffragio poteris, pluréisque spe destitutos, sanitati restitues. Sed illud est longè deterius, cùm pueris iam febrientibus huiusmodi medicaméta exhibent cõtraria curationi. Nam cùm epilepsia vel spasmus febri succedit, humidis curanda est, vt colligitur secunda aphor. 26. & quinta aphor. commen. primo. Ob hoc mirum est, quomodo circa illam curam totum contrarium faciant. Non est tamen mirum cur nullus infans ex hoc sanetur, cùm mori cogantur, nec mirum est, cùm de nomine non constet apud Auicennam & Rasim curam esse ancipitem.

CAPVT XLVII.

Quòd sæpe derelinquunt ægros, qui postmodum sanantur.

QVadragesimus septimus abusus est, cum Galeni consilio, morituros solis prognosticis derelinquunt. Cùm igitur æger ad mortem tendere videtur, medicus eum destituit, plerunque verò aduenit vetula, vel circulator, vnde casu auxilio fortuito æger reuocatur ad vitam: ita non solùm medico, sed medicinæ infamia accedit. Primùm quidem, quod Galenus voluerit, dicendum est. Nam non absolutè intelligi hoc debet, sed primò excipiendi sunt morituri, qui diu tamen superuiuere possunt, quales sunt hectici confirmati, & vlcera in interioribus membris habentes, qui quanquam tandem sint morituri, tamen medici prudentis consilio gubernati multo tempore possunt superuiuere. Secundò non medicum, qui à principio ægri tutelam apprehendit, ab ægro coërcet, sed nouiter aduenientem monet vt abstineat, cõsilium gloriæ medici vtile: qui verò à principio morbum suscepit, aut curandum posse sperans, aut negare non potens, grauato etiam vsque ad mortem ægro, eum nequaquam destituere debet: maximè cùm sæpe postmodum, vel rupto phlegmone, vel ob latentem causam, vel aperto hiatu corporis, vel permutato medicamine malo, vel vltimo conatu natura experiente contingat ægrum à morte reuocati ad vitam. Cuius etiam sententiæ Princeps fuisse creditur. Nos autem quandoquidem in acutis nunquam sunt omnino certa signa salutis, aut mortis: neque ab ægro discedere consulimus, nec in desperatis casibus nouiter vocatum accedere debere negamus, modò futuri euentus astantes admoneas. Caue tamen ne tanquam curandum accipias: ob hæc igitur duo, maxima medicis infamia, ægris non parua iactura comparatur.

CAPVT XLVIII.

Quòd nouiter quædam medicinalia dant.

QVadragesimus octauus error est, cum nouiter natis auxiliari ope, alij sirupos, alij pulueres, alij aliud consulunt: cum constet tam mollia membra nulla debere permutari qualitate, siue purgante, siue etiam astringente. Nam cum etiam in morbis hoc Auicenna præcipiat, vsque ad plurimos dies abstinendum, nutricíque exhibendum. Illud tamen longè deterius erit infanti sano exhibere: siquidem corpora sana habentes difficulter ferunt medicationes: tenella enim illa membrorum compago nihil innoxium, lacte excepto, recipere potest. Quòd si nimium pleni videntur, à cibo abstineant, & vltimus terminus est horarum quadraginta. Quòd si quis hoc opportunum esse non credat, Galenum consulat: non enim est persuadendum eum tantam vtilitatem præteriisse.

CAPVT XLIX.

Quod thermarum aquas sæpenumero dant & malo modo.

QVadragesimus nonus abusus est, cùm thermarum aquas sæpius nullo iuuamento aliquoties etiam maximo detrimento suadent. Extremum etiam appellant auxilium, cùm aquæ aductæ primo sint inefficaces, ac plerunque etiam corruptæ: quod ex praua odoris & saporis qualitate manifestum est. Esto tamen quòd integræ sint bonitatis, ita vt non ad nos aquæ, sed nos ad aquas accedamus, cùm natura omnes aquæ metallicæ malæ sint (vt dixit Princeps) multitudo eius magnum corpori faciet nocumentum: in magno enim quanto, magna est virtus. Vnde etiam idem omnes aquæ minerales vrinæ difficultatem faciunt, inuamentum autem rarò magnum est: quoniam rarò contingit aquæ proprietatem exactè morbo fore contriam, nec valida vis à debili potest sustineri virtute, nec aquæ illæ admistionem, aut emendationem suscipiunt. Ob hæc omnia non mirum est, si plures thermis periclitentur, quã sanentur: quam ob causã antiquis rarò vsui fuit. Diligebant enim veteres ea medicamenta, quæ corrigi poterant: ea autẽ

asperna

aſpernabantur quæ violenta eſſent, nec poſſent emendari. Deteriores autem ſunt thermæ validiores: vnde Porretæ aquas vitant, non quia inſalubriores, ſed quoniam erroribus detegendis medicorum nimis ſunt promptuariæ. Noſtris autem temporibus ne quandoque gloria ſit aliena, ad aquas minerales ægros, quos ſanare neſciunt, deſtinant: ita vt rectè miſerorum refugium appellari poſſint. Nam ſi reliqua prætermittuntur, non carent omnes immodica ſiccitate.

Non ſunt igitur thermæ exhibendæ primò, niſi homine ad eas accedente: quòd ſi aliter cogat neceſſitas, vitreo vaſe non ligno deferantur, ſit autem plenum vas, non reſpiret, non aërem tangat.

CAPVT L.

Quod in diſtillationibus ex igne cauteria exhibent.

QVinquageſimus abuſus eſt, cùm in diſtillationibus ex igne cauteria exhibent, in reliquis morbi negligunt: cùm tamen inter omnia periculoſius cerebro cauterium adminiſtretur, cùm humidiſſimum ſit, & natura molliſſimum. Quot miſeros homines his cauteris iugulari vidi? nam cùm periculum ſit vehemens, iactura certa, cruciatus magnus, opus vulgò deteſtabile, non erit capiti adminiſtrandum, niſi certa ſalutis concepta ſpe, non ambigua. Id fiet, cùm infra caput omnia membra fuerint incolumia: aliter æger certè & omnino periclitabitur. Nam tanta eſt noxa ab igne illi membro, vt ſi vel alterius membri morbo, aut virtutis debilitati ſocietur, ægrum proculdubio producat ad mortem. In reliquis autem locis, excepto cordis tectorio, ſecurius ſit, licet maiore cum dolore. Vnde faciendum conſulo ſi neceſſitas exigit: neminem enim ob hoc periiſſe vidi vſque nunc.

CAPVT LI.

Quod aloem proficuum ac ſalutarem in vitæ regimine credunt.

QVinquageſimus primus abuſus eſt, cùm aloem & pilulas in vſu laudant pro ſanitate conſeruanda, quia ventriculo ſalutaris inuenitur, vt à Galeno: Aloes ventriculo gratum, vt ſi quod aliud, quod dictum ſecuti Auicenna, Meſue, & reliqui, non animaduertétes dictũ quinto continentis, aloes eſt comparatione ſoluentium medicinarum ſtomacho minus noxium, attamen & ipſum nocet, vnde Galeni dictum hoc ſonat, hæc Raſis, eius verba exponens: cui Celſus aſtipulatur, Omnis medicina ſolutiua mali ſucci eſt & ventriculo inimica: cum hoc verò aloes corpora tabefacit, & nimiùm ea exiccat, & ideo ſenibus prohibetur: & cum hoc pilulæ in lucunt magnam conſumptionẽ, & non eſt aliqua ex his vitæ prolongationi vtilis. Fecit igitur medicos errare dictum Meſue: atque vtinam ego hoc tempeſtiuè ſciuiſſem.

Conſultius igitur fuerit, niſi maxima vrgente cauſa, ab omni pillularum genere abſtinere, ac potius humidis medicamentis vti, ac cibis mollientibus.

CAPVT LII.

Quod in vere purgant, & minuant plurimos quibus nocent.

QVinquageſimus ſecundus error eſt, quòd iubent plurimos purgari, aut ſanguinem minuere, hoc autẽ maximè in vere, iuxta illud: Quibus vel minutio vel purgatio, cõuenit hos purgare vel minuere vere cõueniet: immemores dicti Gal. Intẽperatos autẽ neq; minus, neq; omnino purgabis: plus enim erit quod ex intemperato victu acceruabunt, quàm quòd tu medicamento vel minutione ſanguinis detrahes. Quod igitur ſolùm vtentibus, bono regimine conſulendum erat, omnibus conſulunt: & quod deterius eſt, libentius his, qui inordinato vtuntur regimine, quoniam in eorum corporibus veriſimilius eſt maiorem prauorum ſuccorum eſſe abundantiam.

CAPVT LIII.

Quod balnea crurium & manuum in febribus perſuadent.

QVinquageſimus tertius abuſus eſt, quòd iubent in febribus lauari manus & pedes ſecundum illud ad Glauconem, Balnea verò calida ex aqua fontis proſunt, tum quia aliquid vacuant delinquentis humoris, quia humore ac frigiditate cauſæ facienti febrem, ac ipſi febri ac eius incommodis probè aduerſantur. Non animaduertunt tamen in reliquis à tertiana pura hoc non dixiſſe: tum etiam quod iam dixerat, & ſi tibi ſigna coctionis præceſſerint, &c. Non ergo vult quòd augmenti tempore fiant: incommoda autem plurima ſequuntur. Sed ipſi ea exhibent ad alleuiandum dolorem capitis, & quædam alia accidentia, vt proficere videantur. Non enim conſilium medicorum improborum eſt iuuaſſe, ſed videri iuuaſſe. Probi autem medici eſt quod verè non iuuat: imò nocet, licet iuuare videatur, dimittere. Vnde cùm balneum intempeſtiuè, id eſt, citra coctionis ſigna & vniuerſalem corporis innanitionem exhibetur, hæc procreat incõmoda. Primò quidem obſtructiones multas facit, & tales vt niſi ægrè curari poſſint. Secundò apoſtemata inducit. Tertiò horripilationem, vt per Raſim apparet. Quartò virtutem exoluit: & ſcias quòd Raſis credidit in hoc, quòd in tertiana liceat balneari ante cõcoctionem ſecundum Galenũ vbi ſit pura,

& non est ita. Dico igitur quòd ægri non sunt balneandi, si ex putrida laborent, nisi concocta materia, & ægro exinanito, ó quoties vidi in hoc medicos errare grauissimè!

CAPVT LIV.

Quòd cibant in nocte.

QVinquagesimus quartus error est, cùm cibant ægri in nocte. Reclamat magnus Hippocrates non esse permutandam consuetudinem repente, etiam ad meliora: quantò minus vos non permutabitis ad deteriora? At, dicunt, virtutis debilitas hoc postulat: quomodo igitur cibus concoquetur tunc, si tanta vrget debilitas? iuribus igitur vtaris. At, dicunt, oua & contusa ex carnibus haud concoquuntur difficulter: at nesciunt quòd tunc morbus est in statu, si virtus deficit, aut in declinatione, aut syncopalis: si primum, per 19. abusum redarguti sunt: si secundum, non contingit ægrũ mori in vera declinatione morbi ex defectu virtutis stante cibo consueto, vt tertio de crisi patet: si vltimum, syncopalis rara est, nec in omni etiam cibandus est æger, vt primo ad Glauconem habetur. Rarissimum igitur erit quod in nocte cibum dare cogat. At medici in cunctis validis morbis hoc faciunt, nocentes validè. Si ergo morbus non fuerit syncopalis ex debilitate ventriculi, cum accessione nocturna, nunquam æger in nocte cibandus est.

CAPVT LV.

Quòd vitant creticos, qui non sunt dies cretici.

QVinquagesimus quintus error est, in diebus creticis. Nam vitant septimam in purgando, in quo dupliciter errant: nam in pluribus morbis septima, nec est cretica, nec indicatiua. Hac de causa suscitani morientem filium Antonij Corbittæ infantem, quoniam credidit medicus, quòd in septima non oportuit quicquam facere: dixi ego, quòd septima non est cretica ratione illius ægritudinis: cucurbitulas igitur apponens, sanguinem detraxi, & subito euasit à morte, hoc sæpe mihi accidit. Secundus error est, posito quòd esset dies cretica aut indicatiua, licet etiam purgare ob tres causas, vel quia natura tentat, & non potest mouere: vel quia morbus est fortis, & materia turget, non expectans rationem purgandi à natura: vel tertiò quia ipsa mouet motu non conuenienti, vtpote faciens crisim per synanchem vel morbum lateralem. Manifestum est igitur, quòd frequentius possumus operari in septima, quàm non operari. Ipsi tamen ex quodam instituto semper quiescunt morti ægri consulentes.

CAPVT LVI.

Quod purgant in morbis iunctarum.

QVinquagesimus sextus error est, in morbis iunctarum in quibus purgant assiduè, & etiam cum cassia, quod deterius est, cùm ipsa vehementer noceat iuncturis & neruis, vt etiam dixit Mesue: & cum hoc ipsi non habent considerationem etiam, quod non habent verum hermodactilum, & ideo purgant, & non possunt auferre præparationem, & dilatant vias iunctarum, & ita ex podagra parua faciunt arritim maximam: ideo sapiens Rasis dabat oleum solatri siluestris, cum modico olei amigdalini dulcis & sacharo: & Scipio noster curauit se diæta tenui. Dico istis duobus solis auxiliis, si quis rectè vsus fuerit, curabitur omnis podagra, quæ non fuerit confirmata. Cura autem medicorum nostri temporis, non solùm est inanis, sed perniciosa: vnde aliqui audent supra diarob cum turbiph, & alij supra medicinas fortes, & aliqui dant aristologiam.

CAPVT LVII.

Quod vtuntur temperatis in complicatis affectibus.

QVinquagesimus septimus error est, cùm in complicatis contrariisque affectibus, siue membri eiusdem, siue diuersorum vtuntur medicinis & cibis temperatis: credúntque quod res temperata cuilibet excessui sit contraria: & accidit sæpe, vt in quotidiana quod causa est frigida, & morbus calidus. Plerunque etiam ventriculus est frigidus, cum hepate calido, & vt in hydrope frigidus, cum hepate calido, & vt in hydrope frigida, cum febre & talibus. Hoc est igitur argumentum eorum vt medicina sit temporanta, vel cibus: nam medium vtrique extremo est contrarium: cura autem fit per contraria: igitur temperatum conuenit dispositionibus contrariis. Item calidum auget vnam dispositionem, & frigidum auget aliam: igitur temperatum est eligendum, saltem causa necessitatis, si non alterius. Item calidum remittitur à temperato, sicut apparet de aqua feruente iuncta tepidæ, & pari ratione iuncta congelatæ tepida, fit mixtio temperata: igitur competit tanquam contrarium. Ité quia medicina calida permixta temperatæ remittitur à medico: igitur & pari ratione morbus calidus à cibo & medicina temperatis. Ité cibus & medicina assimilant sibi corpus: igitur cùm temperatum assimilat facit temperatũ. Sed reductio ad temperatum est sanitas: igitur talis cibus inducit sanitatem in vtraq; dispositione simul: patet antecedens ratione reactionis. Ité cibus temperatus conuenit in vna dispositione tantùm: igitur à validiori in cõtrariis: cùm in vna dispositione detur locus

contrario

contrario exhibendo. Antecedens patet, de ouis carnibus per Galenum, inde cura ardentis febris, & tertianæ ad Glauconem & alibi, & Principem & alios. Item si cibus & medicina temperata non conueniunt in hoc, multò minus in reliquis dispositionibus: igitur erunt superflua & nunquam administranda. Patet in luctio, nam in simplici dispositione multò minus conuenient, cùm locus detur contrario, nec per te in dispositione contrariâ, nec etiam in sanitate, quia sanitas medicina non indiget, nec ægritudine temperata, quia sic primò non esset ægritudo, cùm ægritudo sit intemperies, tum etiam quia ea posita solueretur morbus à consimili medicina & cibo & non iuuaretur: igitur nulli competerent. His igitur argumentis medici persuasi, cibum & medicinam temperatam exhibent in contrariis affectibus, putantes vtrique dispositioni prodesse, cùm strenuè noceant. Nam cùm quadruplex sit modus in contrariis affectibus curandi. Primus est hic, vt per temperata curemus tanquam contraria vtrique dispositioni. Secundus, vt per commixta ex calidis frigidisue. Tertius, vt caput vnum statuamus curationis eique intendamus altero non neglecto. Quartus, vt vicissim curare tentemus, modò calidioribus obstantes frigiditati, modò frigidioribus caliditati. Non videtur quemquam ex his Galenus, prætermisisse modum præter primum, vt quòd in cæteris abusibus obseruatum est, ne obiter medicos peccasse credas, sed tanquam ad humani generis pernicié concitatos, illud primum elegisse, quod & à veterum sententia abhorreret, & cum nulla vtilitate maximam afferret calamitatem. Vnde. 11. artis curatiuæ, nunquam tamen præceptum illud, quòd contraria contrariis curantur, aliquando verum, aliquando falsum erit, sed semper verum, licet ex vsu contingat, quandoque cum aliis copulantur morbis, ante illa procuranda sanandáque esse. Hic tertium modum curandi attigisse videtur. Rursus autem ibidem, Quum verò etiam materiæ, quæ hæc efficiant, calidæ sint, necessarium est interea, tum putredinem, tum etiam febrem augeri: quare quoad licet id agendum, vt quæ minus calefaciat, materia deligatur, & polt. Quod verò febris ipsius iam accensum, refrigerabimus. Modum hic quartum eligere videtur non sine tertij comistione: nam apertionem caput intentionis curandi statuit, & licet prima fronte videatur in eiusmodi auxilio temperata postulare, atq; pro illis sentire, nequaquã tamen est: cùm auxiliũ non in temperatura quærat, sed in vi quæ extenuatoria est & diaphoretica. Manifestum autem talia minus calida propter febrem desiderari. At non quia temperata, sed frigidiora eligerentur: cùm autem talia nedum esse possint temperata, sed omnia calida, multò minus frigida quærenda erunt. Ob hæc Galenus sapienter proxima temperamento eligit ea, quæ nusquam frigida esse possint. Non ergo prima facies sermonis te decipiat, cùm cuilibet erudito satis hæc sint manifesta. Item ad Glauconem primo, dat in complicata dispositione ex bile & pituita ptisanam cum pipere, vel cũ mulsa hysopum vel origanũ, ita vt simul siccet & humectet, calefaciat & refrigeret, in victus ratione: comam verò absinthij concocta materia vtilem existimat, tanquam symptomati contrariã ac principali morbo: itaque in hoc videtur secundum modum & tertium amplexari: in sexto etiam de tuenda sanitate, nónne calidis frigida conuenire omnino putat? Quòd si omnino disiungi nequeant, aliquando oximel cùm diatrion pipereon propinant, vt cùm hepar obstructum, ventriculus autem non concoquit, ita vt alterum viscus caliditatem, alterum frigiditatem contraxerit: pari ratione oximelo detergit eos, quos caput frigiditas ventriculum caliditas detinet. Nimirum in arte etiam parua non seiungit hanc ab illa intentionem: nullibi media collaudat tanquam vtrique extremo contraria, sed prius extenuantibus, mox expurgantibus opitulatur, ita Galeni sensum ab hac opinione alienum esse, quod etiam ratio detectat, persuademur. Nam cùm curatio per contraria in gradu fiat, vt sæpe in arte curatiua Galenus replicat, non potest cibis temperatis aut medicinis res transigi: quandoquidem nullum temperatum distemperato in æquali gradu est contrarium. Præterea si ita esset, nulla iam alia esset medicina, aut cibus exquirendus: nam omni distemperato, temperatum contrarium est. Præterea cùm cibum aut medicinam temperatam calido exhibet, subitò calefit: non ergo amplius, nisi per instans, manet contrarium, simile etiã simili facere facit. Quòd si omnis medicina remissior, aut cibus competit, nõ erit mulsa in causonide refellenda, à qua tamen Hippocrates abstinuit, vt etiam colligitur ab Auerroe. Minúsque est non solùm absolutè contraria, sed in gradu æqualia desideranti, velle temperata exhibere. At, dicent, hæc quod temperatum est hecticis calidioribus, & quæ competunt: hoc quidem temperamenti causa non est, cùm & testiculos gallinaceos laudet Auenzoar, qui cum calidi sunt, hæc etiam frigidum est: itaque facilitatem concoctionis, velocitatem transitus, bonitatem alimenti, & paucitatem excrementorum in eo considerat, non ratione temperamenti. Nam sic iure ptisana præponitur: ob quæ iure datur cremor ex hordeo cum cancris & caphura, & trociscis de spodio. Videmus autem Auerroim reprensorem Galeni in compositione medicamentorum in diuersitate materiæ peccantis, & membrorum oppositione: quoniam existimant Galenus quòd hepar calidum attrahit quod frigidum est de medicina, & matrix frigida, quod calidum est: igitur Auerrois in cura dat piper & hysopum oximelite & aqua hordei, sicut præcipit Galenus. Verum diuersitas oppositionis non est secundũ duo loca simul, & cum dat carnes pulli, manifestum est, quòd non sunt temperatæ, sed calidæ in secundo gradu, & permutare iura cum liquiritia & hordeo non est malum, & ita videmus quòd iuuamentum verũ est in cibo & medicina cõtrariis febri, aut causæ febrẽ facienti, & correctis, & non in simplici cibo & réperato vel propinquo: & propter hoc videmus quòd

Auenzoar in cura febris cõpositæ dat pulos cum omphacio coctos, aut aceto & vtitur medicina frigida absterſiua composita ex contrariis partibus, licet videatur mihi compositio illa calida, attamen omnino constat ex contrariis: & licet Serapio in cura hemitritei dicat, quòd ſi æqualiter vincant phlegma & cholera, tunc curamus temperatis, intellexit per temperata æqualiter ex contrariis mixta: quod apparet ex vltimis verbis capituli, Cúmque fuerint æquales, miſcemus ea æqualiter: itaque non eſt eius ſententia ab hac differens, cum totam ſeriem verborum contemplatos factis: & in hoc etiam conſentire videtur Raſis cum dixit, quòd compoſitæ febris ſit cura compoſita, & licet alibi videatur ſentire de remiſſione medicinæ intelligit refractionem, aliter eſſet in contrario ſenſu: & hanc ſententiam defendit Auicenna contra Auerroim in cura hemitritei volens, quòd ſi natura non poteſt diſcernere, ægritudo eſt incurabilis: & hoc motus fundamento componit medicamentum ex croco, ſpica, thabarbaro, & caphura, & ſeminibus frigidis, & berberis, & ſpodio, & xiloaloes. Conſtat itaque, quòd medicinis vtitur compoſitis, & cibis ſimiliter, & hoc voluit cum dixit in primo. Ex rebus quoque in quorum medicatione ſubtile eſt, adhibendum ſtudium eſt: cum in vna coniunguntur ægritudine duo, quæ fieri debent contraria, quia oportet, verbi gratia, vt ægritudo infrigidetur, & eius cauſa caleſiant: quæro ſi per temperata hoc fieri poſſet, quòdnam ſubtile ſtudium eſſet adhibendum, nam faciliter ſoluerentur huiuſmodi morbi. Altior ergo ſenſus in hoc Auicennæ fuit etiam quam Gentilis expoſuerit, de quo inferius dicam. Æginetam etiam in eandem ſententiam ſubſcripſiſſe video ac Haliabbatem, quo nullus clarior in hac ſententia fuit. Vnde de hemitriteo loquens, cum tertianæ acceſſio imminet, lactucas atriplices, cucurbitas, & aquam granatorum, altera verò die, qua amphimerina præmit, pullis, & hyſphidabego, & zirabago: itaque alternatum victum exhibet quattum curationis modum complexus.

Cauſam huius erroris recentiores dedere Montagnana, Marſilius Ficinus, Platearius, ac alij qui non ſolùm Galenum, quem flocci faciunt, non intelligunt, ſed nec eum quem maximè obſeruant Auicennam. Turpe enim cùm ſit optimum virum derelinquere, vt expoſitori imitaris, illud verò turpiſſimum eſt, nec eum, quem vis ſequi, intelligere. Cùm igitur morbi contrarij quadrifariam diſtinguantur, aut enim diſtant loco, vt calidiſſimum hepar cum ventriculo frigidiore: aut loco diſtant, & tempore modico, veluti cùm diaria à bile lienteriæ iungitur: aut ſunt loco quidem non proportionata, ſed tamen ſeiuncta corpore, vt in hemitriteo, plurimùm enim eius locum habet ſeiunctum: ſút enim in venis quædam, & quædam extra: aut omnino iuncta ſunt, vt in febre tertiana notha. Hi ſunt modi contrarietatis in quibus oportet ſemper, vt obſerues quod dicitur quarta primi capite vltimo, an vna diſpoſitio ſit alterius cauſa, an vna ſine ala ſanari nequeat, an vna ſit alia periculoſior? & hæc eſt ſententia Galeni. Vt igitur in his rem experimento conformem à ratione non alienam dictis Galeni conſentientem mediteris, hæc obſerua. Primùm cùm diſpares cauſæ fuerint, ſiue quòd ſit alterius cauſa, ſine quòd ſine ea reliqua ſanari non poſſit, ſiue quòd validior ſit affectus, ſiue quòd periculoſior, aut omnino ſymptomati ſæuiori complicatus illius, quod magis vrget, curam per contraria in gradu molieris. Eſto autem quòd pares ſint cauſæ, quod vix credi poteſt à Galeno: ſit igitur calidiſſimũ iecur, & frigidiſſimus ventriculus, obſeruandũ eſt diligenter ne vnius medicina alteri ſit impedimento Hoc autem vel ratione applicationis, vel ratione moræ, vel ratione impedimẽti, vel ratione proprietatis Primum eſt, vt inungas hepar ex oleo ſandalino, & roſaceo, & ventriculum ex oleo maſtichino & de abſinthio: ratione autem moræ dabis calida ſine potu & quieſcere facies, & dabis cum craſſa ſubſtantia, veluti diatrion pipereon faciens quieſcere, & electuarium de ſeminibus, & ſanthalos, & caphuram cum aqua endiuiæ miſta cum vino alino & facies ambulare. Dabis etiam hoc à ieiunio, illud quandoque à cibo aſſumpto, ratione impedimenti: dabis piper contritum groſſo modo vt calefaciat ſtomachum, nec eius ſubſtantia tranſire poteſt ad hepar, & ſemina frigida exactè contrita. Hæc eſt cauſa cur diaſpoliticon non contriuit niſi modo craſſo, ſexto de tuenda ſanitate Galen. Ratione autẽ proprietatis, quia endiuia eſt frigida, & conuenit hepati, & res etiam dulcis citò ab hepate trahitur, & abſinthium, & piper manent in ſtomacho, & ea non appetit hepar, igitur ſi vel diuiſo tempore vel eodem commiſta dederis, ſimul ſtrenuè calefacies ventriculum & hepar infrigidabis. In cibis verò non tantùm qualitas, ſed & ſuccí bonitas attendenda eſt, dabis carnes pullí & cum pipere confracto conditas: poſt cibum autem per horas duas vinum albũ dilutum ita iuuant cibaria quæ piperata, & ius conſumptum dicuntur. Cùm verò morbus loco & tempore differt, curabis opportunis temporibus contraria adminiſtrare, & hoc ſit vt antebilis acceſſiones vinum demus granatorum, lienteriam verò non ſolùm exterioribus fomentis ex menta inuemus, ſed ante cibum aliquid ex citonio cum pipere cõdito adminiſtremus, paulatim infrigidãtes hepar, quia membrorum principalium infrigidatio moderari debet: poſt vtemur compoſitis contrariæ factionis, qualia ex pipere, abſinthio, inthibo, ſanthalis, melonum ſeminibus, hæc multùm, illa minimùm contundentes: qualia etiam inueniuntur ab Auicenna in ſuo antidotario quamplurima laudabiliter deſcripta.

Cum verò materia fuerit veluti quoquomodo diſiuncta, vt in hemitriteo (quanquam & febrium talium, nec numerus ſit, nec ordo) maior intentio eſt in concoctione & euacuatione, in quibus ſanitas potius conſiſtere videtur. Nã cùm ad intentionẽ peccantis qualitatis intẽdimus, cibis calidioribus frigidiora permiſcemus: plus enim vnaquæq; res ſuo contrario deſtruitur, quàm à conſimili foueatur.

tur. Omphacium igitur, & pruna, & acetum, & piper, carnibus volatilium miscebimus, ita tamen vt meminerimus cibos nos præparare, non medicinas. Nam eiusmodi nullam cibi rationem, sed condimenti obtinet: ità etiam ptisanam, pipere modico, passeres, seminibus albis condiemus: atque ita in medicinis calidis frigidis permiscebimus, non absolutè quidem (hic enim est error medicorum nostri temporis) sed eo in gradu, vt vicissim morbis opponantur. Hæc fuit illa antiquorum nunquam satis laudata solertia, à nostris autem non intellecta atque neglecta, componentium philonia, cæteráque opiatas medicinas, in quibus vtriusque contrarietatis extrema copulauerant, opium, hyosciamum, mandragoram, atque ex opposito, piper, castoreum, euphorbium, quædam etiam aromatica, non solum ad vires membrorum roborandas, ac abominationem tollendam, sed vt extremum extremo tanquam per medium conuenientius iungeretur ad tollendas extremorum morborum, ac etiam contrariorum dispositiones. Sic enim simul & cholicam tollunt, & pituitam calefaciunt, & febrem auferunt. His medicinis sanè nullam, si rectè operatus fueris, vtilitatem comparaueris. Si igitur quisquam notha tertiana detineatur, non habebis hic temporum vicissitudinem nec membrorum, sed quantum in ipsa est, tentabis, quæ de hemitritæo dicta sunt, permiscere, nullam disiunctionis occasionem expectans, vt in reliquis. Verùm caue, ne cum superfluo, experiaris sed in omnibus oppositarum virium cõmodè pro ratione tẽporis, morbi, naturæ, & reliquarum indicationum medicinas temperabis. Reliquum igitur est, vt obiecta dissoluamus, & primò quæ à iunioribus indicta sunt. Nam quod medium quoquomodo contrarium sit extremis tanquam oppositum, vt accepit Aristoteles, satis concedi potest. At quòd eo modo contrarium, vt æqualiter à medio distet, quantum morbus ab oppositio, id nec tu conaberis probare. Tale autem est quod quæritur, vt dictum à Galeno sæpius.

Ad secundum dictum est primò, quòd differentia est quadruplex in exhibitione: quoquomodo calidum membrò frigido non calido copuletur, vt piper ventriculo & non hepati: præter hoc etiam plus calefit frigidum membrum à calido, quàm infrigidatur à frigido, si ambo applicentur. Cuius experimentum est in tabula ignita & ad ignem posita, cui perpetuò aqua frigida superfundatur: non enim ignita, sed temperata euadet tandem: cùm tamen maior sit caliditas ignis, frigiditate aquæ: maior enim est virtus destruendi, quàm conseruandi, vt etiam in rebus, quas agimus, experimur. Oppugnatores enim validos, imbelles defensores esse vides: ita etiam natura vnumquodque ad destruendum paratum est. Non est igitur in tot causis vlla necessitas temperati.

Ad tertium, illud quidem fiet in inanimatis. Cæterùm animata non eodem modo se habent, sed si fiat, ita tardè conueniet, vt morbo mora potius sit deprecanda, quàm auferenda. Nam in igne experimur non extingui, nisi contrario etiam valido, nusquam autem temperato, nisi non propria causa sublato fomite.

Ad quartum, ubitat quomodo id fiat Auerroi. Sed cùm ita sit, non negabimus quod quotidie experimur, & si parùm remittatur iam tamen ratio subest. vt aliud sit compositio, aliud permutatio. Commistio enim semper quoddam medium possidet. Verùm cùm aliqua qualitas etiam aduersantibus, tum medicinis, tum cibis supra modum seipsam tollat, minimè securum duco eam intermediis auxiliis fouere, quam delere cupiamus.

Ad quintum, assimilatur quod non est extraneum, aut quod modicè vrget. Hoc est, quod dixit Princeps, imo sæpe sufficit multa regiminis bonitas. Quod autem rarum est & paruæ vtilitatis, non debet pro norma medendi in omnibus recipi. Nam dum hoc expectatur æger moritur: vltra id quod non prodest omnequam.

Ad sextum, aliud est consulere ratione alterius conditionis, aliud emendandæ temperaturæ causa. Nam cùm lac vel oua hectico propinamus, facimus hoc, ne laboret in concoquendo cibum, & vt sit boni alimenti, & vt paucarum superfluitatum, & vt velox ad transitum. Nam cùm non nutritur, ipse hecticus in deterius agitur subitò. Nam virtus nutritiua non potest quiescere per instans, vt ostẽdi in libro de morte. Adde quòd ouum & lac sunt frigida, & etiã quia frigiditatem operamur aliis ingenijs, balneo & trociscis, caphura, & cũ aqua hordei & ptisana, & reliquis: pari ratione non est inconueniens vti glycyriza ratione extinguendæ sitis: quanquam non sit ita frigida, sicut est morbus calidus, & ita radice feniculi in aperiendo, quanquam non sit calida pro facultate morbi frigidi: quia non deliderauimus apertionem fortiorem in principio morbi, ne materia magis cogatur quàm dissoluatur. Itaque non est inconueniens vti medicina temperata ratione alterius iuuamenti, sed eam eligere ad emendandam æqualem intemperiem, non solum imperiti, sed rudis ingenij est.

Ad septimum, ipsa est vtilis: Primò ratione alterius annexæ virtutis, vt capillus veneris ad aperiendum, cassia fistula ad leniendum. Secundò ad temperandum excedentem medicinam, vt terminos non excedat præstitutæ qualitatis. Tertiò vt corrigantur læues intemperaturæ, de quibus ab Auicenna superius dictum est. Quartò ratione complicis facultatis nutritiuæ. Nam pleraque ciabaria boni succi, aut temperata sunt, aut non valde remota ab humana temperie, secundum quam à Galeno temperatum dicitur.

At, dicet quispiam, quomodo remittetur qualitas aucta, si impermistæ virtutes ad membra deferuntur? Satis quidem est differentiæ, dicere: quod iam remissum est in missione, obesse non potest, & virtus permista ad alienum membrum defertur. Nam, vt ostensum est secundo virtutum naturalium, trahente membro quod sibi conueniens est, castoreum ab opio satis discernit, nec substantiam opij trahet. Quòd verò

remissum est in mistione caloris, quoniam non est, amplius trahi non potest: non igitur supercalefieri potest vltra id, quod ex mistionis beneficio relictum est.

Erat nobis consilium reliqua errata diligenti tractatione perpendere, sicut & in hoc fecimus: sed prætermisimus breuitatis amore, tum quòd non, vt quorundam moris est, ex libro in librum transcribere voluntas fuerat, cùm soleamus ex integro res aggredi, qualis hæc est, quam nulli propter difficultatem attigerunt, alij quoniam, inter hoc & illud nihil interesse putant. Quam ob causam diuersæ intemperiei & oppositæ membrorum, neminem meo tempore curatum plenè vidi, sed prophilactice potius esse consultum.

CAPVT LVIII.

Quod aurum imponunt coquinæ.

QVinquagesimus octauus abusus est, cũ aurum consumptis iuribus imponunt tanquam aliquid facturi: ita omne consilium medicorum est potius videri probos, quàm esse. Nam quòd aliquis malè agat, turpe est: sed cùm & illud, quod malè agit, inutiliter ac peruersè facit, id turpissimum est. Primùm enim, cùm mali viri sit, aut omnino rudis, alterum est non solùm imprudentis, sed omnino excordis. Quid enim aurum in aqua decoctum imprimere potest, quod nec validissimo igne soluitur, nec odorem, nec saporem viribus adiicit, nec ipsum minuitur? Sed concedatur, nónne cùm lebeti imponitur, ad fundum descendit? Vbi etiam feruente aqua, quæ in imo cacabi residet, frigida est, vt quilibet experiri potest, rogo, quam volunt in frigida aqua impressionem fieri? Alij pullo concludunt, vt quod internum est, nondum calidum satis sit, etiam aurum crassum imponunt. Quòd si tandem consilium est experiri, an auro aliqua sit vis eorum admirationi conformis, cur auri folia in summo lebetis, vbi feruentissima ebullitionis vis perspicitur, non suspendunt? Etenim fortè ita fieri posset, vt aliquid virium, quanquam exiguum, transmitteretur, nisi illud Plinij credere malunt., esse in carnibus pulli vim auri comminuendi, quódque transmutetur, quanquam hoc fabulosum sit. At si verum, de auro liquefacto illud docet, non de solido. Igitur præstantissimum potius arbitror, auri frusta ignita, iure extinguere: nam hoc non modicam habere vim potest, quandoquidem cauterium ex auro innoxium magis sit, quàm ex ferro, testante Principe, Quanquam & illud ad ignis substantiam leuiorem pertinere posset, & licet, quòd oculis conferat, argumentum egregiæ ac propriæ cuiusdam virtutis sit, non eius, quæ ex igne, mollitiei tantùm. Itaque si quoquomodo auxilium in auro existimatis, ea facite saltem, quæ si probare non potestis, attamen reprehendi nequeant. Meminini, cùm hæc scriberem, ex frequenti igniti auri extinctione in albo vino, saporis quandam gratiam sentisse, quæ non ex igne, sed ex auri substantia pendere videbatur: perceperunt & alij, quibus hoc consulueram vtile futurum.

CAPVT LIX.

Quod non obseruant momentaneam concoctionem.

QVinquagesimus nonus abusus est, in momentanea concoctione, in qua maxime peccatur. Nam cùm fluxio ex alieno loco fuerit, veluti in distillationibus, nón potest excerni permista incocta materia: vnde Galenus momentaneam concoctionem, vbi oportet, aucupari docet: quam nostri medici nec animaduertentes nec minus quid faciendum scientes, in infinitos morbos homines perducunt.

Præstat in his vna concoctione visa subitò eadem die ac hora euacuare, ac iterum concoquere. Sic enim breui finietur morbus, nunquam aliàs finem habiturus, cùm coctæ vrinæ sequenti die, alia non concocta subsecutura sit ad multos dies permansura.

CAPVT LX.

Quod accidentibus curam exhibent.

SExagesimus abusus est, cùm accidentibus curam exhibent: cùm tamen accidentia nullam habeant intentionem curatiuam prorsus, secundum Galenum. At, dicent, in libro ad Glaconem curat. Facilis responsio est, accidentia, vt accidentia sunt, nullam curam postulant: vt verò in causam ægritudinis addunt, non vt accidentia, sed vt morbi causa medelam desiderant, qualia sunt insomnietas, vehemens dolor, & nausea. Nam primum humores acuit & robur exoluit: secundum, virtutem dirimit: tertium, cibum prohibet: itaque accidentibus cura nulla debetur. Medici plus de gloria sua, quàm de infirmi salute solliciti, illud primùm statuunt, vt accidentibus obuiam eant, plurimúmque fit, vt eadem cura symptomata tollant, & morbi causam vsque ad perniciem augeant. Accidentia igitur, quæ causam morbi non augent, curanda non sunt, veluti leuis dolor, sitis in corpore humido, sternutatio, oris amarulentia, inquietudo, sanguinis fluxus non superfluus, impatientia luminis, & talia, quæ solent & infirmos perturbare, & astantes terrefacere, medicum autem egregium nullo modo mouere debent. Sed in hac saltem admonitione me operam perdidisse scio, cùm prius medici lucri desiderium posthabituri sint, quàm huic consilio obtemperaturi, quo nullum sibi præsidium apud vulgares ambitiosius habeant.

CAPVT

CAPVT LXI.

Quod vitant hyemem in detrahendo sanguinem.

SExagesimus primus abusus est, in sanguinis minutione, in quo ex temporibus errant. Nam cùm Princeps & Galenus ad Glauconem velint, vt superfluum caloris & frigoris deuitemus, primùm quidem frigus, plusquàm expediat, vitant, calorem autem minus: vnde non artis curatiuæ cùm causas dehortantes à sanguinis missione distingueret, nequaquam frigus, sed calorem immodicum adnumerauit, tanquam exoluentem & siccantem nimis: frigoris autem nullam mentionem prorsus fecit, vtpote quod ad negandam indicationem missionis sanguinis nullam præferret vim. Quod verò ad quantitatis rationem pertinere videbatur, ad vniuersalem methodum detrahendi Princeps & moderni recipiunt. Vnde in libro de sanguinis missione. Quòd attinet ad indicationem non detrahendi sanguinis, aut omnino pauci, est ex ætatibus pueritia, ex calore hominum candidus supermistus, ex tempore anni canis. Cæterùm, quæ his contraria sunt, aliam rationem non multi sanguinis detrahendi habent, vnde in maximis frigoribus à larga sanguinis missione cauendum est, hæc Galenus: quid clarius? in siccis igitur temporibus omnimodam sanguinis minutionem cauere docet: in frigoribus largam & exuberantem. Præstiterit igitur, quantùm fieri potest, caniculæ temporibus, sanguinis vitasse eductionem. Vnde Galenus ibidem, quotquot sanguinem miserant his temporibus, mortui sunt. In hyeme autem nunquam, temporis habita ratione, ab ea abstinendum, sed parcius subtrahendum. Præcipuè vbi extremæ hyemi & regio, & temperatura frigidissima copulata fuerit.

CAPVT LXII.

Quod dant cassiam post incisionem venæ.

SExagesimus secundus abusus est, quoniam ipsi dant cassiam post sectionem venæ, & in hoc videntur vti duobus motibus contrarijs non secundum vnam rationem. Quare natura impeditur & debilitatur: ideo periculosa est hæc operatio, damnosa, & ab antiquorum mente aliena. In tam celebri tamen vsu eam videmus, vt nihil frequentius inueniatur: & licet Galenus post venæ sectionem ventrem moueri concedat, attamen illud est per accidens in deliquio: non enim aliquid propinauit: vnde super aphorismo illo (Cùm morbi inchoant) vult Galenus quandoque vnum auxilium, quandoque alterum, nequaquam tamen ambo simul vnquam esse necessaria: & Princeps, cùm autem vnus humor superabundat, tunc magis est necessaria purgatio: cùm omnes, incisio venæ. Igitur ex diuisione patet, quòd nunquam simul sunt oportuna: & alibi, Balneum non est vtile, eò quòd trahit materiam ad extra tempore pharmaci: pari ratione nec sanguinis missio, cùm materiam ad venas magnas trahat, Purgatio verò contra. Vnde in aphorismis, æquales humores sectione venæ euacuabis: inæquales medicamento.

CAPVT LXIII.

Quod fluentibus mensibus timent venam incidere.

SExagesimus tertius error est, quoniam fluentibus mẽstruis, timent quoquomodo sanguinem subducere in eo tempore. At Galenus totum oppositum facit: nam cùm diminuti fuerint menses, eo tempore Galenus supplet defectum per venæ incisionem, secundum quantitatem qua defecerunt. Animaduertere autem oportet, quòd ratione ægritudinis potest sanguis detrahi à brachio etiam. Verùm ratione mensium deducitur à pedibus. Cùm ergo conuenerit sectio venæ secundum pedem, non dubitabis. In ea verò, in qua iam multo tempore defecerunt menses, cubiti interior vena secanda est In hoc genere frequentissimos inuenies abertantes, ob quæ dimittentes sanguinis missionem, ægrum occidunt.

CAPVT LXIV.

Quod non audent scalpere in cucurbitulis absque purgatione.

SExagesimus quartus error est, quoniam ipsi non audent scalpere in cucurbitulis absque purgatione, & in hoc peccant grauiter. Nam dictum Galeni de cucurbitulis intelligitur in non incisis: ipsi autem traducunt ad scalpturam. Nam cùm posuerit capitulum generale de ipsis, vt sunt tantum auertentes & calefactiuæ, subiungit de sanguisugis & scalptura, ita quòd intellectus illius loci est periculosus, & malus. Distinguendum est igitur hoc modo: Cucurbitulæ, quæ apponi debent ad distrahendum, præsupponunt corpus mundum: quæ verò ad corrigendum temperaturam, nequaquam: quæ verò inducitur, vel debent poni in causa emendandi sanguinis cum extractione per incisionem, & sic incisio præcedere debet: aut absolutè, & sic non præsupponunt. Breuiter nihil voluit Galenus ibi nisi duo: primum, quòd vbi scalptura debeat fieri cum purgatione ventris, aut venæ sectionæ, talia debent præcedere scalpturam non conuerso modo, non quòd absolutè præcedere debeat, sed vbi duo simul oporteat fieri. Secundum,

cundum, quòd cucurbitula sine scarificatione non debet apponi, quantùm ad resoluendum dispositionem, nisi corpore expurgato. Tertium verò alibi addit, in ægritudinibus cutis cucurbitula non debet apponi nisi expurgato corpore: nam sic plus trahit quàm resoluat, siue cum scalptura seu ἐγχάραξις, seu non.

CAPVT LXV.

Quòd curant phthisicos fucosa cura.

SExagesimusquintus error est, quia in empicis & phthisicis perdiderunt curam veram: & est, quòd si sanies sit alba, iuuat incidere ac exurere secundum pectus in loco in quo velocius petia exiccatur. Et licet Albucasis capite, 31. partis primæ, videatur hoc quasi ignorasse: attamen inuenimus nos Hippocratem super hoc conuenienter ausum, & rario testificatur super hoc, quandoquidem nulla alia salutis spes inuenitur, & quòd fit in exterioribus licet periculosius, necessariò tamen magis fit in interioribus: & hoc est primum in quo plurimi moriuntur, qui sanari integrè possent.

Secundus error circa hoc est, quòd ipsi vtuntur propter constrictionem pectoris. & febrem hecticam & acidentia eius, & febrem putridam, cura humectatiua, & nesciunt illud quod dicebat Galenus secundo artis curatiuæ, quòd cara vlcerum est exiccatio. Et ita dum augent causam principalem & curant ramos, faciunt curam palliatam producendo ægrum ad mortem miserabiliter, & decipiendo & malefaciendo.

Instruendo igitur vnam curam in hoc casu, vt hæc sit argumentum aliarum, ponamus quòd cuidam sit phthisis ex vlcere pectoris, & nondum peruenerit ad vlcus pulmonis. In primis quidem dabis ptisanam hordei & mulsam cum hordeo expurgans, & in ptisana pones bolum armenum, & facies eam ex aqua decoctionis mirti, aliquando corticis mediani fraxini, aliquando ex decocto apij, aliquando oliuellæ, aliquando caulium: ita tamen, ne multa virtus eorum ingratum cibum faciat. Dabis interim hoc ad expurgandum mirabile decoctum.

Ad Phthisim, remedia Autoris optima.

℞. Radicum iridis & cari agrestis, & assari, & myrrhæ, nasturtij, amigdalarum amararum, serapini, hysopi, prassij, radicum apij, foliorum oliuellæ, radicum gariofilatæ, glycirizæ, añ. ʒ. i. capillorum veneris viridium p. i. coquantur in libris. ii. aquæ ad consumptionem medietatis, cui collatæ addantur pro qualibet medietate singulis vicibus succi raphani an, ʒ. ii. vsque ad. ʒ. v. secundum tolerantiam, sachari. ʒ. iii. bibat tepidum in aurora: hoc solo possunt sanari medicamine.

Quòd si non omnino sanantur, sed tantum expurgantur, siccato vlcere ab exterioti pure, detur boli armeni infusio. ʒ. ii. in aqua oliuellæ vel gariofilatæ, cum ℥. ß. vini albi, & hoc bis in die: comedat etiam carnem ericij. Quòd si cum hoc remanserit caliditas, detur. ʒ. i. trociscorum de caphura omni die cum aqua geranij. Quòd si nec per hoc sanatur, post primum decoctum detur hoc.

℞. hordei ℥. ii. conquantur in libris. ii. aquæ ad ruptionem perfectam, postmodum imponantur cancrorum fluuialium carnes, videlicet caudæ, & coquantur ad perfectam dissolutionem, & in hoc dissoluantur trociscorum de luto armeno. ʒ. i. ß. pro singulis vicibus: interim exhibeatur onum cum hoc.

℞. pulmonis vulpis, boli armeni. añ. ß. capiat cùm luteo oui, & vtatur etiam ℥. i. ß. syrupi mirtini cum. ʒ. ß. myrrhæ & ʒ. ß trociscorum de caphura, & de bolo armeno, & vtatur ante cœnam sacharo rosato ex ℥. ß. ad. ii. secundum tolerantiam cum luto armeno.

Quòd si per hoc non sanatur, distilletur lutum armenum ex lib. iv. & de aqua illa detur per horas septem ante cibum. ʒ. i. cum ℥. i. aquæ pimpinellæ: & sunt aliqui, qui cum ipsa exhibent aquam sanguinis humani & sanant: & vtilior medicina est vsus aquæ boli armeni, vt dixi, per dies quadraginta. Et si hoc non contulerit.

℞ Radicum apij, foliorum oliuellæ, añ. ℥. ß. raphani ℥. i. ß. infundantur cum ℥. ii. boli armeni, & fiat, sicut dixit in libello de aqua ligni, & capiat quadraginta diebus, & sanabitur.

Quidam bibit oleum vitrioli cum aqua capillorum veneris, vel caulium, & sanatus est. Et aliqui dant apuam vitæ cum bolo armeno, deinde sacharum rosatum, & vtuntur aliquando cicere excorricato, & aliquando aqua limaciarum cum hæmatite, & omnia hæc sunt mirabilis iuuamenti. Sed modò ponamus tot auxiliis, vt plerunque accidit, ægrum non iuuari: si posset transmitti ad habitandum in siluis piceæ, plus iuuabit, quàm si habitaret in Ægypto. Et ex his, quæ multum iuuant, est vti terebentina frequenti cum ouo, diminuendo quantitatem oui & est singulare: & cùm pauca est materia retenta, & sputum satis facile, & reliqua difficilia, tunc sachari rosati quãtitas perpetuò assumpta cum pane recenti sæpenumero consolidat, & puluis herbæficulæ ad hoc est mirabilis: nos verò sic sanauimus multos.

Cum verò æger cum hoc tendit ad malum, faciemus curam, quam præcepit Hippocrates in tertio de morbis, hoc modo, Cùm quis purulenta spuit, tunc ægrum in sede ponito ieiunum, ac alius eum humeris concutiat, mouendo fortiter & velociter, ac aurem admoue pectori, qua parte sonitus exauditur, ea pus collectum est. Quòd si non sonet, nihilominus stante tussi & difficultate spirandi cum tumore pedum empima est, siue collectio saniei. Tunc igitur terram creticam madefactam, vel cretam superimpone, ac siccatam denuo madefacito, donec cognoscas eo latere saniem contineri, quo prius pus siccatum est: cognito latere secabis ea parte, qua sanies redundat, iuxta præcordia, ab horáque sectionis exures, non solum locum incisionis, sed & patientem locum,

cum, donec possit coalescere, nec sanguis aut pus amplius effluat: post quotidie bis à ieiunio, linamento crudo, videlicet sicco introducto, saniem extrahes, ita vt duodecima die totum effluxerit: atque ita exiccato toto thoracis ventre curabis, vt iniecta mulsa tussiat, sanabisque interius vlcus per medicamenta, demùm eum curabis complerè. Quòd autem non hoc solùm de empicis dixerit, sed de verè phthisicis patet, cùm subiunxit (sic etiam suppurationes ex vulneribus, pulmonis vitio magnis obseruationibus obseruato curatóque.) Signum autem mundi pectoris est, mulsa munda regrediens per os vulneris, pulsa per tussim: cùm verò conualuerint, lac asinæ potandum dabis, donec ab hectica fuerint liberati, ac trociscos, si libet, de caphura. Hæc est vera ratio curandæ phthisis, quæ vlcere spiritualium facta est: quanquam illa, quæ pulmonis vitio est, vix curari possit. Si autem pus saniésque, quas expuunt, non sint probatæ qualitatis, ab hac cura penitus abstinebis, secundum Hippocratis Galenique sententeam. Manifestum est autem & hac cura empiicos sanari maximè. Valeant ergo, qui curam exercentes, blandientem ægrum occidunt. Nam ista operatio multò minus periculosa est ablatione lapidis ex vesica. Eorum verò, qui in pulmone vlcus habuerunt, cùm pus bonum erat, nos aliquos sanauimus.

CAPVT LXVI.

Quod exturbant ægros à somno.

SExagesimus sextus abusus est, cum ægros aut syruporum aut medicinarum propinandarum causa à somno exturbant, plus incommodi ex somni interruptione ferentes, quàm vtilitatis ex pharmaco. Nam somnus semper bonus, nisi in principio & in augmento accessionis: quibus temporibus medicina etiam est inutilis. Nunquam igitur æger solius potionis causa à somno erit expergiscendus. In quo etiam errore accidit, vt somnum concedant post medicinam leuem: in quo contradicunt suo Auicennæ: & etiam, quòd dant vnum tantum syrupum in die, & cibum duplicant aut triplicant: cùm intentio Hipp. in libro regiminis acutorum fuerit, vt concoctio fieret toties, quoties cibus dabatur. Ob hoc oximel dedit, quandoque pro cibo, interdum pro potu. Melius igitur est, vt in acutis saltem syrupi duplicentur, & frequenter syrupus acetosus pro potu confert. O quàm in hoc medici nostri temporis sunt secordes!

CAPVT LXVII.

Quod inungunt renes ex vnguento Galeni.

SExagesimus septimus abusus est, in vnctione renum ex vnguento Galeni infrigidante: in quo toties peccant, quoties cogitant. Nam primò dant infrigidandi causa, & oleum iam sui natura calidum est, & oleum rosatum est ferè medicina temperata: nam rosa ibi est secundum virtutem, & oleum secundum substantiam: elaboratio ergo illa licet refrigeret aliquatenus, non est tamen sufficiens. At, dicunt, aperit poros, & ex hoc soluit calorem febrilem. Ego inuenio, quòd confert in apostematibus, quia confortat partes in principio, constringendo eas ne recipiant: sed hæc defendantur licet, malus tamen vsus eius in principio, quia repercutit materiam adintra, nec habet vim refrigerãdi quoquomodo illud, quod est in venis, multò minus, quod est in arteriis, & in concauitatibus. Secundò, quia ipsi perpetuò inungunt sine aliqua ablutione, & in hoc faciunt totum contrarium quæsiti. Nam pinguedo olei obturat poros, & quod est terreum, residet in eis, & facit nocumentum magnum. Tertiò, quia inungunt ex eo calido, & iam præceptum Galeni est, quòd nisi aliud obsit, actus medicinæ debet esse conformis potentiæ, vnde cerusa debet imponi frigida, & oxicroceum calidum. Quartò, quia dixit Auenzoar, quòd omne oleum exterius appositum nocet in ægritudine ex bile, & ratio est cum eo: quia nihil est inter liquores, quod facilius inflammetur. Nec inuenimus Galenum vti, in cura putridarum, inunctione olei alicuius, nisi ad maturandum, vt in ventre cum camomillino, etiam si sani eo tempore propter vsum balnei assiduè vngerentur: quantò minus nunc? Et ex hoc patet error illorum, qui etiam herisi pelata inungunt oleo rosato. Nam cùm morbus est vehementis inflammationis, debemus vti aqua cum caphura, & vidi propter hoc aliquos malè terminari.

Dico igitur, quòd primò talis inunctio non conuenit, nisi factis euacuationibus. Secundò, quòd debet fieri, quando competit, ex oleo frigido in actu, non calido. Tertiò, quòd post horam diligenter debent detergi renes cum vino albo, antequam iterum vngantur.

CAPVT LXVIII.

Quòd quandoque præponunt medicamentum sectioni venæ.

SExagesimus octauus abusus est, quoniam propter dictum Auicennæ faciunt quandoque vt pharmacia præcedat incisionem venæ, & quidam dant cassiam ante: & intentio in quarto regiminis acutorum est, quòd illud, quod dixit author illius libri, siue Hippoc. siue eius discipulus, sit verum, & est, quòd sanguinis minutio, non solùm omnem medicinam, sed & clismata debeat antecedere. Itaque valde peccant, qui cassiam vel etiam enemata præponunt incisioni venæ, sed deterius valde, qui alio vtuntur medicamine. Quòd si dicant, Caue ne fastidi

fastiditum phlebotomes ex principe, nam & illud voluit Hippocrates & Gal. Respondeo, quòd fastidium non tollitur per cassiam nec per medicinas nisi violentas, aut per inediam: quomodo igitur anteponent quidquam?

Vtilius igitur existimo ab ipsa inchoare venæ sectione, nec lenitionem ventris præmittere, & si Principi placeat: & multò minus purgationē, & ratio super hoc est, quod sectio venæ trahit, quod est de propinquo cordi ad extremum, & lenitio, quod est propinquum hepati: melius autem est, vt materia, quæ iuxta cor, declinet ad hepar, quàm econuerso. Igitur minutio præcedet, nec humores in venis superabundantes alio modo melius soluuntur, quàm venæ sectione. Non igitur purgatione, nec quod est in concauitatibus, trahetur ad venas magnas per solam minutionem, nec hoc contradicit ei, quod dictum est in decimo septimo abusu. Nam tunc nulla est intentio subducendi sanguinem merito morbi, & si fortè aliquando merito quantitatis vel alterius causæ: ad authoritatem tamen Rasis aliàs dicam.

CAPVT LXIX.

Quod vtuntur iuribus in confortando ventriculum.

SExagesimus nonus abusus est, quoniam vtuntur iuribus artificiosis in confortando ventriculum, & nesciunt primo, quòd omne pingue laxat & mollit: secundo, quod talia sunt humida in actu, etiam quòd essent sicca in potentia, & ideo non possunt iuuare in tali dispositione. Nam forma plus facit, quàm uirtus. corrugatio enim & incrispatio sunt, quæ confortant ventriculum, & iura actu distendunt & relaxant maximè in plurima quantitate. Igitur cura vera est cum electuariis de sacharo, solutis tamen, & cum trociscis & similibus.

CAPVT LXX.

Quòd in hectica dant medicinas.

SEptuagesimus abusus est, quod in hectica dant medicinas: de qua posito quòd sit curabilis, nihil adhuc est deterius. Et ego pono rationem: nam laxantes calefaciunt & exiccant, etiam quòd essent violæ, & addunt in ea caliditate & siccitate. Reliquæ medicinæ, etiam quòd non leniant, nocent tamen, & ponamus de caphura, quæ secundum rationem Galeni iuuare debet, maximè secundum authoritatem Rasis, & ponamus radicem, & manifestum est, quòd in sanatione hectici oportet sanguinem arterialem refrigerari, ac similiter arteriam. Sed in sanguinem arterialem nihil transit nisi sanguis venalis. Igitur oportet medicamentum factum iam esse sanguinem venalem, ac virtutem illam remisisse: omitto rationem, quòd exigua quantitas contra tantam multitudinem, renitente corde & arteriis, nihil proficiet, & hoc saltem casu in quo etiam venalis efferbuerit, sed tunc spes nulla est salutis. Fortè possunt dare, ne corrumpatur venalis ab arteriali, tamen relinquitur intentum, quòd nullus hecticus conuenienter potest curari per medicinam aliquam, & quòd in vno solo casu possunt exhiberi, quæ nullo modo ventrem mouent, quæ autem leniunt, nunquam. Igitur in hectica omnino sunt fugiendæ medicinæ. Quòd si dicant, cùm complicantur putridæ, dabimus propter putridam: & ego dico, quòd tunc solùm sufficiunt concoquentia, & nocumentum medicinæ attractiuæ hecticæ est maius iuuamento, quod facit in putrida, & in rei veritate tunc remanet aliqualis ambiguitas, & etiam de principio curæ, de quo dixi in libello floridorum. Pro nunc satis sit intelligere, quòd medicina in hectica, quæ fit ex vlcere pulmonis & apostemate renum, posset prodesse, vbi talis causa esset curabilis: sed causæ essentiales morbificæ membrorum, quæ sufficiunt ad generationem hecticæ, sunt insanabiles. Igitur nunquam medicina conueniet, Consultum est igitur prudenter in lacte & in balneo aquæ frigidæ, in quibus duobus auxiliis est omnis spes, & in aliquo casu trociscī frigidi laudantur potius prophilacticæ, quàm curatiuæ parti consulendo, cùm videmus hepar inflammati & corpus ad febres parari.

CAPVT LXXI.

Quod derelinquerunt vsum incisionis arteriarum.

SEptuagesimus primus abusus est, quoniam ipsi derelinquerunt vsum incisionis arteriarum, & incidunt solas venas. Scio, reclamabunt quòd hic error est in non faciendo, quasi non sit error nisi in faciendo. Fateor maiorem in faciendo errorem esse, at in non faciendo imperiti medici est omnino. Vnde sciendum quòd, vt in libro floridorum dixi, in febribus putridis soluendæ oppilationis causa vena inciditur, ideo nunquam arteria, quia in ea non cadit oppilatio: attamen in omni dolore pulsatili, vt habetur à Rasi, debet arteria incidi. Ideo in pleuresi non inciditur, quia non est dolor pulsatilis, & hoc bene animaduertit princeps decimo tertij. Ideo Galenus etiam monitu somnij se curauit à dolore lateris sine febre: nam, vt visum est ibi, omnis dolor pulsatilis est per se sine febre putrida, sed coniungitur ephimeræ: declarauī hoc ibidem. Oportet autem vt sit dolor vehementis pulsationis, in principio etiam: nam cùm iam apostema magnificatur, fit dolor pulsatilis ratione compressæ arteriæ, de quo dolore non dico.

Cum igitur dolor aliquis vehemens & pulsatilis à principio ægrum infestauerit, arteriam,

teriam, quæ in directo est, incide, & multum permitte fluere sanguinem, donec in ipsa operatione dolor cessauerit.

CAPVT LXXII.

Quod probibent aërem liberum ab ægris.

SEptuagesimus secundus abusus est, cùm ipsi includunt miseros ægros cameris prohibentes ab eis aërem liberum, tanquam aër liber ad salutem non sit vtilissimus. Vnde aër perflatus emendat malam temperaturam cordis & spiritus, & reuocat calorem naturalem, & exhilarat animum, & tollit malos vapores. Vtilis autem est omnibus morbis, exceptis læsionibus capitis, maximè vulneribus & contusionibus. Secundò, quando aër est corruptus, vt tempore pestilentiæ, quamuis tamen Zoar altas, Rasis perflatas cameras consulant, defendi possunt aëre non corrupto. At in omnibus aliis debent teneri fenestræ apertæ, nisi sol noceat nimia caliditate: maximè autem est hoc vtile in febre pestilentiali & phthisi ac similibus, & hoc nisi in horis conciliandi somnum.

CAPVT LXXIII.

Quod exercitationem à cibo noxiam existimant.

SEptuagesimus tertius error est, cùm exercitationem à cibo noxiam esse credunt: & quanquam non in re ipsa semper decipiantur, in causa tamen errant primo, quòd generale præceptum esse putent. Causam igitur credunt esse, quòd cibus non concoquatur, crudúsque exeat è ventriculo: sed nec in hoc aberrant. Plerunque enim hoc contingit: sed cur descendat, in hoc decipiuntur. Nam existimant ob id, quòd os ventriculi sit in fundo. At verò si quis alius error, hic certè est tolerabilis. Nam Galenus hoc credit: inquit enim in anatomicis, à gibbo ventriculi incipiens, vsque ad imum ipsius terminum, quē Græci pyloron vocāt, intestinorum origo est. Quamobrem si sic se haberet, iam leuis deambulatio periculosa esset, & nō lateret nos, cur à cibo exercitari minimè conueniat. Verum Galenus, quòd exercitium noceat, nimis planè docuit, sicque plerunque res se habet: cur autem hoc fiat, nemo adhuc explicat, nisi ex falsa suppositione. Constat enim ventriculi os inferius in suprema parte esse totius amplioris capacitatis, ex dextro latere, ab illius fūdo in perfectis hominibus palmo fermè distans. Quò fit, vt nisi admodum quis se repleat, tum maximè potu, etiam si pylorus apertus sit, nihil effluxurum. Ergo exitium hac de causa, nisi fallitur homo, obesse non potest, & tamen nocet: Quid igitur in causa est? porrò non solum in prima, sed etiam secunda concoctione obest, nec tamen pylorus alter est in iecore. Quid igitur? Reor duabus de causis concoctioni nocere exercitationē. Primum quòd iecur ac membra excalefaciat, quæ exinanita prius, quàm absoluta sit coctio prima, cibum ad se trahunt. Secundo quòd perturbentur ea, quæ in ventriculo sunt. Si enim tantum obest varietas ciborū, quia difficulter concoquuntur: tum verò malus ordo magis. Necesse est eum, qui à cibo exercitatur, vtriusque exemplum præstare, varietatis scilicet ac mali ordinis. Quare quę ventriculo insunt, partim cocta partim cruda, alia etiam semicocta eunt. Manifestum est igitur, cur exercitatio noceat. Aderit & prolixa spirituum à loco reuulsio tum resolutio, si violenta fuerit. Quare à cibo leuis inambulatio ac breuis confert. Si quispiam etiā exerceri necesse habet, à potu caueat, & tenax substantia vi suscipiat nutrimentum, quale est panis: & si aliud placet, mel, aut amigdalæ. Ex hoc verò manifestum equitationem exercitatione paulò minus obesse, nisi in asturconibus leuissima ac breuis peragatur. Cùm tamen non calescat in illa corpus, ab excitatione in multis longo relinquitur in nocendo interuallo.

CAPVT LXXIV.

Quod dant in articulari morbo & podagra decocta cum vino.

SEptuagesimus quartus abusus est, cùm in articularibus morbis tum podagra chiragráque decoctum in prandio & cœna pro potu exhibent, ex cinamomo & radice dulci, ac corianni seu coriandri semine, eodem tempore vinum concedunt. Quin etiam in prandio dant vinum, à prandio decoctum: alij etiam deterius consulunt, vt vino decoctum immisceant. Hæc est illa egregia medicina nostrorum temporum: in qua nulli rei consulitur, nisi vt nouum aliquod commentum excogitetur: tum verò vt alios imitemur non qui profecerunt, sed qui callidè artem exercuisse videntur. Nihil habent pro se in hac causa nisi quod cibi laborantium his morbis, tamen aliis diuturnis medica virtute carere non debent. Verum, vt ex initio rem aggrediar, alius primò victus aliúsque potus ei, quæ ex bile fit, alius ei, quæ ex pituita, debetur. Nam in hac vinum concedit Aetius libro duodecimo, & cibos calidiores, cum in biliosa non concedat. An igitur hoc erit medicamentum circulatorum, quod omnibus ferunt conuenire morbis? Summum verò Græcorum in hoc consilium est Alexandri, tum etiam Aetij ac Pauli, Galenique ac Arabum omnium, vt cibis parùm nutrientibus alantur. At vinum confertim nutrit, maximè rubrum, quod præferunt cæteris. Demonstranimus etiam nos in contradictore nostro, vinum hoc habere præcipuum vt nutrimenti assumpti maximam partem in sanguinem transmuter. Ipsum etiam decoctum plurimæ nutritionis est causa, verum hæc tolerari qāndoque possent cum cæteris erroribus: at diuersos potus miscere malum est. Nam varietas cibi concoctionem impedit, at nec minus potus. Pars enim iecoris dile-

cta trahitur ac secum rapit, quod noxium est: imò & Aetius vinum cùm exhibet, paucum, syncerum, fuluum ac subtile dat, non autem cum aqua permixtum. Est etiam vino peculiare, vt decocto iunctum accescat. Vnde etiam cum aqua hordei dare syrupum acetosum vetuit Princeps: & quanquam hoc dixerit de aqua hordei cum syrupo acetoso, ostendit tamen illud esse verum, etiam si sumatur cum vino, vt declarat experimentum: vtrunque enim corrumpitur. Causam corruptionis esse calorem, non hordeum, satis declarat Columella, vbi eum redimere docet. Ignea enim vis vt musto addita, præseruat ne acidum fiat: sic ad permutandum vinum egregiam habet facultatem. Optimum præterea est consilium Græcorum, vt cibi omnes ventrem lenem faciant, coriannum, cinamomum, & radix dulcis astringunt non parum. Hæc etiam medica vis nimis ventriculum offendit ac iecur. Imò nullus eorum, qui hoc potu cum vino vtuntur, ad senectam perueniet. Habet enim præcipuam in se noxam exurendi iecur, & hecticam aut hydropem conciliabit. Eadem enim est ratio, quæ in calida aqua dicta à Principe. Vtinam tantùm studerent medicorum libris, vt ambitioni & auaritiæ ac dolis: dormitantem, quæ passim iacet, in omni podagra & chiragra, in qua articuli nondum excussi sunt aut tophum habent, curam exactam inuenirent: quam ego ad hanc vsque diem nó docui, cùm occasionem expectem. Adeò enim quidam mente capti sunt, vt non tam sanari cupiant, quàm hæc immeritis ostendere. Veruntamen aliàs, in contradictore suo loco, omnia, quæ ad negotium hoc pertinent, edocebimus.

Melius igitur esset vinum aqua calibeata diluere, atriplices ex garo ante cibum sumendo: si autem aqua bona sit, ex cartami seminis, aut cnico (idem enim est) sumatur passis vuis additis. Hoc optimũ, hoc salutare præsidium, quod illi proportione respondet.

CAPVT LXXV.

Quod in capitis vulneribus ossis terebrationem frustra molliuntur.

SEptuagesimus quintus abusus est, quem olim Conciliatori explodere nixus est. Sed auaritia pessima chirurgorum eum demum redemit. Duplici autem modo peccant, & quòd frustra terebrant non sine magno vitæ discrimine, & quòd vnguenta pus trahentia nunc sine diligentia hac freti securitate conficiunt. Tonsores videas in omni capitis vulnere os capitis detrahere, tanquam cerebrum attocrea sit. At illud, præter periculum, accedit, quòd sanati debili capite, atque omnibus causis obnoxio superuiuunt. At illi rem magnam astantibus fecisse videntur, ac simul ægrum ingenti periculo liberasse: & hercle id agunt, sed periculi ipsi authores fiunt. Interim ne aliis minus audacibus, quos existimari volunt imperitos, credamus, impetrare à nobis solent. Scio quendam, cùm ceratum confecisset, quo ossa ac pus non secus ac forcipe & cotto detraheret, bis veneno ob inuidiam expetitum, ab aliis chirurgis: Marcus ab Vrsa dicebatur. Timent enim illi, ne sic nimio plus ars ipsa vilescat. Exemplum sequentes, vt fertur, Chiorum. Vt enim lachrima lentisci superabundauerit, mergunt quod supereſt, ne pretio solito decedat: sic illi malunt ligurica liberalitate defungi, quàm quicquam superesse aptum vsibus hominũ. Sed ad rem redeo Cum in vulnere non scinditur os vllo modo nec confringitur, iam omnino terebra frustra admouetur: si verò os quidem ex superficie vulneratur, nec sic terebrare os oportet, cum sanies ingressum non habeat, ad membranam duram. Si etiam diuiditur ac ossis pars, donec membrana detegatur, auferatur, iam nec sic opus habemus ferro, cum exitus puris pateat. Rursus si frangitur & concidit, iam terebra opus non est, sufficit enim partem fractam iam auferre. Quòd si non concidit, æger tamen habet mortis signa in opere ipso morietur. Declarauimus etenim, quòd his, qui nihilosecius melius sunt habituri, admouenda manus non est. At si spes sit, os autem sub percusso loco rimam non habet, sed alio, quid proficies, si in loco vulneris os terebraueris? Neque etiam cùm vincula pericranei & duræ membranæ futuris serratis colliduntur: cùm non sit vitium hoc in directo vulneris, sed sub cute in latente parte: vt incertus sit omnino illius locus. Sed nec vbi rima in osse temporis. Galenus enim hoc euitauit. Vbi etiam futuræ propinqua terebra mortem infert, quòd pericranei & duræ membranæ vincula soluantur. Sit verò aliquis non vulneratus, sed percussus in osse supremo, & secundum vtranque tabulam capitis os rimam à futura procul adeò exilem contraxerit, vt sanies ipsa egredi nequeat: iam vide ex terebra, quot sequantur incommoda. Primum quidem dolor vehemens ob adiacentes vtriusque membranæ propagines. Cerebrum etiam concutitur: vnde cottum auribus immittere solent, qui flagitium hoc satis scitè exercent. Læditur verò grauiter ex superueniente aëre, non solùm membrana dura, sed & interior & totum ipsum cerebrum. Hæc autem certa non erranti detrimenta. At quot ex errore, vt Galenus, inquit? nam si vel comprimatur cerebrum, vel concutiatur, attonitus morbus illico aduenit. Sunt quibus profluuium sanguinis mortem afferat: aliis phlegmon superueniens, aliis labor operis accendit febrem, ex qua moriuntur. Cùm & victus tenuissimus ibi sit necessarius, tantus labor minimè conuenit. At, dicent, hoc necessarium est, saltem hoc in casu, quamuis non parum periculosum: cùm aliter sanies egredi nequeat. At si per os solidum non est naturæ impossibile peccantem humorem expellere, quantò minus rima iam fatiscente? Optarem igitur, quando etiam sic sanati plurimum detrimenti in vitæ meta suscipiunt, obnoxij etiam temporum mutationibus ac grauedinibus, vt ab hoc opere abstinerent. Sed si non persuadeo his, quibus nihil turpe videtur præter

pauperta

paupertatem, saltem physicis hoc notum erit. Illi enim chirurgis, in alieno sumptu liberaliores erunt. Porrò elapso anno docuimus, quantum cerati nostri vis posset, cùm os inseparabile octoginta tribus diebus adhæsisset, chirurgo fideliter rem tractante. Nam nulla vi ferri concutiebatur, quod octo diebus auulsum est.

Eadem ratio nos doceat ab his abstinere, qui se incantatione mederi persuadent. Nã nihil plus habent, quàm quod in medicamento continetur. Diximus de hoc in libro de animi immortalitate. Plures enim frustra pereunt etiam leuissimis ex vulneribus. Sed quid attinet impostores lacessere, qui vulgo iam fermè noti sunt? adeò tamen prævalet insanus pecuniæ amor, vt ob inuidiam, lapidis vesicæ excisores mutuis venenis se petant. Quid putas facturos, si quispiam artem frangendi illos absque ferro inueniat? Tantum potest pretium, vt salutis authores non solum, sed & artem ipsam odisse cogar.

Ceratis igitur innitendum, auellendúmque quod iam dimotum est, eradendum quod corruptum. Antiquorum autem sententiis in contradictorum libro responsum est.

CAPVT LXXVI.

Quod in renum lapide à præcipuis abstineat auxiliis venæ sectione & purgatione.

SEptuagesimus sextus abusus est, cum in renum lapillo, cum maximè excrutiat, purgationem ac venæ sectionem prætermittunt: cum dicat Hipp. Iuuenes veratro purgare, venam in poplite incidere. Memini anno quodam, cum plures calculo vexarentur, quibuscunque venæ sectio, deinde purgatio exhibita fuit, his salus etiam reddita est. Eorum, qui his auxiliis caruerũt, nemo nisi difficulter sanatus est ac tardè, cum aliqui etiam obierint. Nam sectio venæ dolorem minuit, & periculum phlegmonis tollit, ac etiam ardentis febris, quibus sublatis, sæpè aut nunquã celeriter æger moritur. At violenta purgatio humores à loco reuellit, vt non facilè in vrinæ incidant difficultatem. Impellit etiã lapidem deorsum, quasi vecte inferius illum trudente: & si dicant, quod Auicenna non imperat nisi purgationem sine venæ sectione: sed nec Paulus nec Alexander illam consulunt, imò neque purgationem. Solus Aetius vtrunque auxilium commemorat, diuisimtamẽ, vt in reliquis fieri solet. Sed haud obscurum est, Galenum illum non vidisse, cum è cubito, non è poplite sanguinem auferat. Verum hic locus non est vanas opiniones refellendi: vnus tantùm Aetius rationem quasi ducem secutus est. Igitur in hoc errore excusari, qui aberrant, merentur, cum hic error sit veterum. Sed nos non sinemus vtcunque, rationem placitis medicorum cedere, præsertim Hippocrate & Galeno ducibus. Quid igitur agendum si, breuiter accipe.

Cum signa calculi apparuerint in renibus nisi ægritudo confusa sit (Nam Paulus Ca-

nobius patritius Mediolanensis non aliter eos excernere solet, quàm pueri multi suos vermes) si plenitudo adest ex sanguine, sanguis primo ex cubito, inde ex poplite auferatur: si autem humor vnus abundat, detrahendus erit. Cùm verò humores æqualiter augentur, mittatur sanguis è poplite: post attenuantia impellentia molientiáque exhibeantur. Iam enim plus dimidio curæ peregisse te existima. Victus ex oleribus attenuantibus ac mellitum in acerbissimis doloribus turbò balnea emplastráque administrabis. Constat autem nos inuenisse auxilium, quod iam duos ægros in vna hora liberauit: cùm iam diebus fermè viginti quidam medici glorioſi circa eos frustra laborassent. At ego etiam in illorum altero quanquam debili, haud veritus sum sanguinem detrahere, cogente necessitate. Neque enim turum foret, absque purgatione aut venæ sectione, tali præsidio vti.

CAPVT LXXVII.

Quòd medicamenta venenum continentia refugiunt.

SEptuagesimus septimus error haud absimilis mihi videtur incuriæ grammaticorum. Nam hi verba omnia barbara & iure merito refugiunt. At ex latinis nec omnia placent, sed quæ ex Cicerone tolùm sumuntur. Rursus & in his delectum habent. Nã quæ vetustate obsoleuerunt, negliguntur: atque sic coarctata adeo est latina locutio, vt vix commodè mentem tuam possis exprimere, cùm præsertim de re aliqua, quæà foro abhorreat, sermonem sumus habituri. Sic horum studium, cùm locupletandi linguam esse deberet in angustum eam redigit. Sed hoc longè minus vitiosum, cum moram patiatur hæc superstitio: & error inanitatis illorum, pernicem ægri non pariat. Sic igitur nobis refugientibus medicamenta quæque, adulterina, vitiata, dubia, incognita, tum ex notissimis exesa, antiqua, corrupta, pauca relinquuntur, quibus commodè vti licear. Ab his si etiam venenosa omnia prædita facultate subtraxeris, duo non leuia sequuntur incommoda. Primum, vt morbis multis propria prædia desint. Secundum, vt fermè nunquam æque valida sint illa, viribus affectuum. Memini me hoc dixisse iam de medicamentis purgantibus. At in eis moles, pro virtute, satisfacere potest: cùm in his frustra hoc quærere liceat. Et ne omnino in incertis rebus moram trahere videar, exempla quædam proferam. Commemorat Alexander Epithema ex auripigmento robur addens lieni. & quanquam ad lienem auxilia non desint, haud non facile est inuenire, quod adeò præsentis sit iuuamenti: quódque cum hoc illum confirmare possit. Sic in pastillo Marcelli ad dysintericos quem vt præclarum idem collaudat, cùm quinque venena recipiat, sandaracham, lachrimam nigri papaueris, æris squammam, æs combu-

ſtum & auripigmentum:& tamen hoc medicamentum etiam immittitur per inferna. Sic in Fauſtini paſtillo etiam præter ſandaracham & auripigmentum calx non extincta ingreditur,ad eundem vſum.Sic ad gallicam luem quid compar inuenies ſuccis aconiti præparatis?Alij,quos nos etiam fecimus ſæpe, argentum viuum igne elaboratum in catapotiis exhibent, quod & aliàs diximus. Nónne argento viuo inter vnguenta aut ſuffumigia peſtis illa aboletur?& Auicenna ipſe retulit medicamentum ex veneno ad lepram, & quidam interpretantur Albes pro aconito:tum maximè cùm dicat diamuſcum illius eſſe alexipharmacum:& expoſitores Arabicarum dictionum per Bels album idem expoſuerunt. Præcepta etiam præcauendi,dum teritur venenum,ab illo commonſtrata idem docent. Galenus etiam commemorat egregia iuuamenta carnis viperæ ad eundem morbum. Sunt qui ad podagricos ingentem illarum operam polliceantur:Alij ad tardandos canos,ac ſenectutem remorãdam:Alij ad viſus aciem encomiis præferant.Certum eſt Anacardinam compoſitionem ex veneno conſtare, & tamen in frigidis morbis nulla antecedit:cuius etiam meminit Aetius. Philagrij quoque antidotus ad diuturnas febres ex eodem, conſtat ſulphure & hyoſciamo & in elephantiaſi,quam clarum eſt eſſe Auicennæ lepram, vulturis medicamento addit euphorbium:ſed id tamen exterius applicatur. Ergo & cantharidarum ſuus vſus eſt,& bufonibus:quibus omni ſalutare magis,emplaſtrum conficitur ad ſynanchem illam à Galeno deploratam, cùm muſculi interiores laryngis ſunt inflammati. Memini me aliquando iam incenſis funibus liberaſſe eo emplaſtro Riuoltellam lignarium fabrum, cùm vix tempus liceret ſumere ad conficiendum medicamentum. Ferunt etiam illi in Aſclite præclaram eſſe virtutem,quam nondum nihil licuit explorare.

Igitur cùm morbus magnus eſt,cùm tentata ſunt communia auxilia,nec proſunt, ad venena etiam confugiendum eſt.Sic tamen, vt vel emendata, venena eſſe deſinant, aut exterius applicentur. Nec credas tantum virium theriacæ ineſſe,reliquis autem nihil.

CAPVT LXXVIII.

Quod purgationem venæ ſectioni præferunt.

SEptuageſimus octauus abuſus eſt, cùm purgationem, venæ ſectioni præferunt. Non ignoro me in alio loco rem hanc quaſi attigiſſe. Verùm multum intereſt dicere, quando venæ ſectioni ſit adminiſtranda, & medicamentum illi comparare. Nunc tibi tanquam exemplar medendi referam pro formula.Tum Mediolani,tũ Venetiis olim, ſed & id commune exiſtimo vbique, nam nulla communior herba eſt vrtica: naſcitur in Æthiopia & Germania Italiáque, cultis ac aſperis locis,ſepulchris etiam ac in humidis paludibus.Exhibent igitur ex indica ſiliqua globum admixto ex turbith ſuo trociſco inde altera die venæ ſectio adminiſtratur: atque ſic optimè ægro tanquam ex typo conſultum exiſtimant. At non aduertunt (nunc etenim cùm aliàs de febribus tractaremus, de morbis abſque febre loquor)hæc verba à Galeno prolata. Ad huiuſmodi autem morbos veratro vtimur: venam autem ſecare, cùm multus aut craſſus ſanguis abundauerit in venis. Quòd ſi vtroque auxilio homo indigeat, à venæ ſectione incipiendum eſſe, notiſſimum eſt.

At, ſcio, reclamabunt habere, quem ſequantur,Principem: Cùm humor abundat, humores prius æqua:pòſt venam incide.Hoc igitur ad contradictionem reuocandum eſt. Ratio ipſa pro nunc ſufficiat in tam pernicioſo ac execrabili errore.Sectio venæ debetur multitudini omnium humorum, purgatio ſuperabundanti: vbi vtrunque auxilium eſt neceſſarium, ibi vtraque vrget cauſa. Quare cum cogimur ſanguinem mittere ac purgare,abundant omnes humores:atque inter eos vnus ſuper reliquos. Si igitur prius moliamur purgationem, periculum eſt, ne ſtante plenitudine, febris accendatur, vel humores in locum aliquem decumbant, vel obſtructio ingens fiat.

At ſi prius venæ ſectione abundantia omnis tollatur,ſolum relinquitur vnus humor, qui tunc commodiſſimè educitur. Alia ratio eſt,quòd proprium eductionis ſanguinis eſt, virtutem attenuare, eductionis per medicamentum, calefacere. Igitur ſectio venæ non commodè adminiſtratur à purgatione, cum iam virtus eſt inedia debilior reddita eſt:ſed medicina à venæ ſectione. Ergo vbi vtroque præſidio opus eſt,ſemper præmittenda venæ ſectio erit.Hinc patet illum,qui nobis quondam propoſuit, an ſtante æquali neceſſitate medicamenti & ſectionis venæ, præponenda eſſet ipſa venæ ſectio, nihil interrogaſſe, cum eſſet definita iam à Galeno.

CAPVT LXXIX.

Quod inſtrumenta plurima ad chirurgiam neceſſaria ignorant.

SEptuageſimus nonus abuſus eſt, cum tot inſtrumenta reliquerunt,olim excidendo, cerebrando,reponendo,reſtaurando,adurendo, extrahendo, confirmandóve neceſſaria: cum tamen omnia diligenter Hippocrates, Galenus, atque Albucaſis edoceant. Verum præcipua duo pro luxatis ac fractis:alterum, cui nomen eſt Gloſſocomon pro cruribus & vtile & neceſſarium:neceſſarium quidem ad rectam repoſitionem etiam dorſi vertebrarum:vtile autem,vt qui laborant etiam,mouere ſe poſſint, vt Hippocrates inquit. Toties cum Galenus deſcripſit, tantus illius vſus,nos illud penè neſcimus.At rectè ſciũt, inquam,maledicere,ambire, præferre quandam authoritatem. O miſeri mortales qui mala malè tantum ſapitis!An vos non pudet partem illius veſtri ingenij, quod nec cum

Archimede,

Archimede, si viuat, estis commutaturi, partem prudentiæ, quam non cum Aristotele, aut eruditionis in arte, quam non cum Galeno si reuiuiscat, pauculásque horas ex tot, quas maledicendo, quas struendis perditis insidiis mortalium tandem commodis qui vos frustra alunt, impendere? Galeazius Capra, cuius aliàs in exemplis geniturarum meminimus, excussa coxæ vertebra etiam nunc viueret, si non manibus, sed glossocomo cruris os fuisset restitutum. Nota iam est illius, quam ibi recitauimus, historia. Pari ratione alterius meminit Hippocrates instrumenti non adeo fama cogniti, sed tamen singulari vtilitatis, ad reponendum luxatum brachium. Non est instituti hic nostri omnia, quæ desunt, referre: in libris regularum medicinæ etenim à nobis hæc sunt explicata. Satis pro nunc sit admonuisse, Albucasim non malè in hac materia post Hippocratem & Galenum multa scripsisse. Verum huius erroris, Auicennam hac in parte negligentissimum, authorem habent.

CAPVT LXXX.

Quod in febribus pestilentibus victus tenuitatem perperam imperant.

OCtuagesimus error est, cùm in pestilentibus febribus perniciosè, quasi febrem ex pituita curaturi, exquisitam inediam imperant: illud non animaduertentes, quòd Princeps dicebat. Nam plurimi eorum qui viriliter agunt, & comedunt violenter, euadunt ac viuunt. Rasis etiam idem affirmat ex Galeni authoritate in epidemiis, quæ authoritas habetur his verbis. Fortissimi ergo, qui vim sibi ipsi adferentes, cibum oblatum assumpserunt, omnes ferè superstites euaserunt. Quare omnium consensu victus tenuis in his non solum non iuuat, verùm vehementer etiam nocet. Et causa huius est, quod cùm materia concoctioni apta non sit, necesse est vt vel homo moriatur, vel vt cruda expellatur. Sed ad hoc requiruntur vires validæ, & propter hoc cibus iuuat plurimum in hoc febrium genere, & non in aliis: & sic patet etiam ratio, cur non sit mittendus sanguis in hoc morbo, & hoc iam diximus aliàs, & quod esset de mente Galeni. Medici verò nostri temporis quodam fato omnes occidunt, partim sectione venæ, & partim victus tenuitate. Itaque consulo.

Quod laborante febre pestilentiali sanguis nullo modo mittatur, nec victus tenuis administretur: sed dentur cibi, qui resistant putredini, iucundi gustu, & odore grati. Licet tamen sanguinem minuere ratione materiæ præparatæ non corruptæ, cùm laborans à multitudine suffocatur. Nam in hoc casu virtus nullo modo debilior redditur.

CAPVT LXXXI.

Quòd in doloribus partis, quæ ad ventrem attinet, enemata intempestiuè exhibent.

OCtuagesimus primus abusus est in renum & intestinorum doloribus, vbi nulla data mora, sæuiente dolore, frequentibus enematibus lacessunt ægrum nondum concocto cibo: maiórque est longè iactura eruditatis, quàm vtilitas ex alleuiatione doloribus. Peccatur autem tripliciter: in tempore, cùm fit à cibo: in additione attrahentium, cùm fit cum medicamentis expurgantibus diaphinicone, vt dicunt, & ieralogodion: in appositione calidorum, cùm additur, vt moris fuit Venetiis Paduæque, electuarium de baccis lauri.

Hic mos ab astantium solicitudine primã duxit originem. Namque illi videntes iuuari ægros ab eruditis medicis enematibus opportunè adhibitis, ipsi intempestiuè ea admouent. Inde medici imperiti aut perfidi, ne quicquam prætermisisse videantur, tantum admittunt errorem: ex quo periclitatur persæpe æger: aliis autem qui seruantur, morbus necessariò longus euadit, aut reuersionẽ habet, si celeriter finiatur. At facilius illi pecuniam odio habebunt, quàm mihi in hac causa sint obtemperaturi. Nimis enim infamiam timent. Namque & in hoc, & in electuario illo, & in fomentis calidis primò ægri iuuari videntur: sed postmodum grauior morbus redit. Vnde Aetius, In cholica, quæ fit ab humoribus crassis, fomenta quidem calida ab initio iuuare videntur: sed post, morbus grauior reuertitur. Vnde subiungit de his, quæ assumuntur, loquens. Intentio igitur in his est, concoquere ac diuidere humorem sine caliditate excedente. Itaque discutientia & digerentia medicamenta ab initio exhibita morbum reddunt incurabilem. Accedit, quod spem omnem in expurgantibus per inferna ponunt, cùm tamen persæpe vomitus sit magis necessarius, vt dicebat Aetius. Quòd verò ad expurgantia attinet medicamenta, vbi humor crassus sit ac lentus, plus attrahet ad locũ ex iecore & vicinis regionibus, quàm educere possit, etiam quod per inferius immittatur. Alij verò, ne cogar repetere, enemata super enemata infundunt: ea verò sæpius intrò refrigerantur, & dolorem adeo vehementem concitant, vt etiam occidant: alij medicamentum exhibent nondum aluo emollita: vnde quidam medicus, quem ego noui, duos hac de causa ægros prima die morbi peremit. Contigit autem mihi, cùm tũc iuuenis essem (agitur enim annus ab hinc vigesimus) vt vocatus sine pulsu vnum ex his inuenerim, morténq; prædixerim, quæ infra duas horas subsecuta est. Prætor tamen timẽs ne peste ille mortuus esset, medico illi ac mihi interdixit, ne cum oppidanis versaremur, me offerente conditionem sectionis mortui, ex qua ostensurum pollicebar imam partem iller intestini d suptam fuisse. Verum cùm non annuisset, celeriter tamen me liberaui-

Est igitur obseruandum, vt ab initio euacuantia fortia omnia, item calida deuites etiam exterius apposita. Enematum etiam impositionem non nisi quinta exacta hora à cibo leui, vel septima à mediocri admittas, nisi à flatu morbus sit, aut à diuturna secum retentione. Enematibus autem non descendentibus, glandula supponatur ne venter impleatur. Motus in hoc plurimùm iuuat. In crudis autem humoribus coctionem vt expurges, expectabis.

CAPVT LXXXII.

Quod in cholica oleis exterius ac pinguedine vtuntur.

OCtuagesimus secundus abusus est, cùm in cholica olea exterius tantum emollientia ac pinguedines affatim exhibent, existimantes se non parum prodesse, cùm noceant. Nam virtus intestinorum maximè constat in expellendo: imò vera cura morborum causam habentium est, vt causa tollatur, intestinorum autem compositio est ex villis qui sunt secundum laxitudinem, fermè tota. Nam in coli initio & fine ac recto apparent longi. Opus enim intestinorum proprium est, secundum virtutem animæ sentientis, expellere, vt vult Galenus: sed expulsio iuuatur à sicco, Galeno teste, & ratio ad hoc clara est. Laxatæ enim tunicæ ab oleo exterius imposito, quónam pacto vehementer extrudere feces duriores poterunt? Et si dicant, quòd virtus contentiua debilis redditur ab humido, Galeno eodem loco teste, dico quòd humor laxans, vtramque virtutem debilitat. Sed cùm in fecibus duris, aut tenacibus humoribus expellendis validissimo instrumento indigeamus, non possunt relaxantia in hoc conferre. Et si dicas, quod molliunt feces, dico quod non prius quam substantiam intestinorum. Necesse est enim, vt primo transeant per membranam carnosam, & cutim, & pinguedinem & musculos & peritoneum, & vtramque tunicam intestinorum. Quare eadem ratione nocent laxando peritoneum & musculos ventris, & non solùm intestinorum tunicas. Ergo detrimentum hoc aut magnum erit, aut leue, sed omninò sine iuuamento. Et si dicant, quod calidi est attrahere & expellere: dico quod est verum de calore naturali: præternaturalis autem non expellit, sed attrahit tantum. Quare olea & pinguedines trahent materiam ad locum, & cum hoc nihil expellent. Et si dicas, quare ægri ergo dolore leuantur? Respondeo, quia membra ab humido distenduntur & fiunt magis ampla, & sic non torquentur. Sed cùm hæc extensio postmodum finem habeat, homo postmodum læd tur absque iuuamento. Iuuantur etiam alij ob auxilia iuncta opportuna, vt enemata & medicinæ, & aliquando si sit humor crudus, à concoquentibus.

Igitur in hoc casu conuenit vti fomentis ac emplastris cum vino exiccantibus non actu quidem, ne feces exiccentur, sed virtute: & hoc est quod dixit Princeps. Et ad vltimum nullo modo indiget expulsiua quiete: sed motu & condensatione modica, quæ ad experimendum & ad expellendum tali adiuuet mensura, quòd instrumentum retineat figuram aptam constructioni atque expressioni.

CAPVT LXXXIII.

Quod exhibent album cibum ægris, deinde obseruant res nullius momenti.

OCtuagesimus tertius error est, cùm album cibum dant ægris. Inuexit hanc consuetudinem medicus exterus Picentinus Campanúsue, vt satis intelligas dolo non errore nostros peccare medicos. Nam cùm nihil in hoc vtilitatis esse viderent, rem tamen tãquam lucrosam illico amplexati sunt. Constat is cibus farina orizi, sacharo, iure pulli, succo limunij, pulpa pulli. Sunt qui diligentius attendentes, farinam amidi loco orizi supponant: cúmque multis aliis etiam modis cuarient, paululum ab hac tamen norma deflectunt. At primum, quàm prauus sit hic cibus, imò etiam pessimus, nemo, qui non omninò sit mente cæcus, non videt. Nam cum cibariis prauis vnum ex tribus malis necessariò adsit, in hoc solo omnia certè insunt. Sunt autem tria mala ex his ex cõponentibus, ex compositione, & ex modo componendi. Primum igitur aggrediamur. Carnes nemo ignorat, quantum plerunque obsint tum maximè in febribus. Docuimus & quòd multis mollis sacharum noceat. De orizo dicebat Dioscorides, quod aluum supprimit. Galenus autem addidit, quod ægrius concoquitur, quàm alica. Dixerat autem iam de alica, quòd esset validi nutrimenti: quódque nisi diutius coqueretur, & in multa aqua, ob concoctionis difficultatem & alimentum tenax imponeret ægris. Sed quãdo hæc ita sunt, in plane absoluta coctione, nónne, si viueret prorsus Galenus, exclamaret? O medici, qui me sectari dicitis, nolite tanquam infamiam mihi conciliare, vt etiã iugulетis ægros his cibis penè crudis: quæ ego vix percocta sanis essem concessurus. Nónne cruditates, nónne obstructiones, nónne inflammationes etiam ex hoc vestro nectareo cibo protinus consurgent? Quid agitis? Nónne vera dicent qui se Auicennam sequi profitentur seniculi isti, ac nullius scientiæ viri? multò tamen plures ægros sanari ab his, quàm à vobis, qui me solo nomine sequi iactatis. Sed ad limunij succum accedamus. Nulli dubium esse debet, caliditatem carnis illum obtundere, tamen etiam prohibere putredinem: sed si quantum ventriculo obsit, quis expendat, non facilè vnquam eius succum loco cibi sit concessurus. Etenim Galenus citrij succum non cibis aptum, sed

carnem

carnem tantum aut corticẽ, declarat in libro de alimentis: cùm tamen haud tam grauis sic hic succus, vt limunij: & Auenzoar dixit, quòd acetum est adeo difficile ventriculo, quod nisi esset vsus, natura non ferret ipsum: & ideo dixit, quod vterus non tolerat vllo modo illius vsum. Et ideo etiam dicebat Galenus, Quæ exasperant, sunt acida, & astringentia: sed in astringentibus est vtilitas non leuis ad confirmandum membrum: acida neruosæ parti sunt inimicissima. Et Princeps etiam. Quæ ventriculo maximè sunt inimica, acida sunt. Sed ad compositionem deueniamus. Certum est, quod cibi simplices facilius concoquuntur: & ideo Princeps numerat compositionem ex multis, inter causas difficilis concoctionis: & maximè in primo. Quod & sumpsit ex Galen. manifestè, vbi dixit, & qui scripserunt de cibis illorum varietatem damnauerunt: tum verò magis, cùm ex contrariis facultatibus constant. At verò & hic tertia hæc causa non deest. Nam ealida hic frigidissimis, durissima mediocribus immiscentur. Nam amylum si loco etiam orizi ponatur, cùm facilè concoquatur, iuxta Galeni sententiam, non conueniet cum carnibus. Miscere etiam dulcia postmodum his, quæ difficillimè concoquuntur, adeo prauum est vt nihil possit esse deterius: quandoquidem dulcia celerrimè trahuntur à iecore, & cum his durissima quæque ac cruda. Ob id tandem cogimur dicere hunc abusum omnem etiam in sanorum victu euertere rationem, in ægris vero perniciem præsentaneam afferre, si grauiter langueant: in leuissimis etiam morbis reuersiones & longitudinem accersit. Quod si quis incredulus ad hæc sit, quanquam valido ventriculo & sanus experiatur hunc cibi vsum, videbit nec octo diebus posse citra manifestum ferre incommodum. Et mallem illos pro ægrorum salute artocream concedere communem, quæ constat herbis, ouis, butyro, caseo & pipere. Nam hæc longè minus mala est, tum magis, quod solet exquisitè in furno concoqui. Sed quia hic est sanorum cibus, illum reformidant. Satis enim ducunt, vt ægri cibus conueniens esse existimetur, si sanis sit inconsuetus. O admirabilem illorum sapientiam! Cur non dant etiam ægris carnes canum & equorum, quia nec ex his solent, qui rectè valent, quicquam esitare. At, dicent, non par est exemplum, cùm nemo edat hæc vel cruda vel cocta seorsum, vel etiam mixta. At vero orizum, caro, amylum, sacharum, vus, succus limunij singula ex his inter cibos habentur, sintque in perpetuo vsu. Hæc ratio nulla est, cùm succus limunij cibus non sit vllo modo, nec orizum nisi admodum coctum. At vero si coquantur validius, hic cibus omnem, quod prorsus ab instituto suo abhorret, gratiam amittet. Hi igitur sunt tam solertes in arte, qui maxima hæc admittunt, in minimis adeo sagaces. Nam in vuis arenulas damnant, cùm tamen in omnibus ferme sanis illas longo ego vsu obseruauerim, nihil mali prorsus portendentes. Sunt enim in sanis excrementum, in ægris caloris lecticuli notæ. Similiter & quam vocant pituitam, in alui deiectionibus frustrà obseruant aberrantes tota via. Existimant enim illum esse humorem in venis contentum: cùm digni sint risu, vt quos forsitan videas bis vel ter ligno lentum illud gluten trahentes, admirantes, & laudantes etiam medicamenti vim. O egregios viros, qui nesciant nullo medicamento primum talem materiam ex venis posse educi etiam validissimo: cùm tenax necessario prius diuidi debeat: nec etiam nouerint illum non propriè esse humorem, sed mucum vel à cerebro destillantem in ventriculum, vel viscidum quiddam intestinis salutis gratia hærens. Hæc est illa nobilis nostrorum medicorum, qui in angulis cum insciis tot deblaterant, sapientia. Vbi cùm videas in maximis aberrare, minima quæque tam supina ignorantia postmodum obseruare, iure dicas, plus longè ab his offensæ quàm vtilitatis prodire. Porro vnum illud non est obiter prætereundum, nihil ad podagram prouocandam aut attritim magis facere albi huius clarissimi cibi vsu. Quamobrem non ægros: sed ipsos medicos adeo ignauos sumere oporteret generosum hoc suum ferculum: hoc est, quod faciendum in hac causa consulo.

CAPVT LXXXIV.

Quod rhabarbarum in cholica, in ascite, in podagra & siccis temperaturis nocet.

OCtuagesimus quartus abusus est, cum rhabarbarum exhibent in omnibus ferme morbis. Nec nunc attingo, quod alias dixi, illos perperam non nisi medicamentis innoxiis vti: nam alia nunc est ratio. Hoc enim volumus docere, præcipuum ex illis non solum inefficax esse plerumque, sed etiam validè nocere: vt ex hoc ad cætera eiusdem innocentiæ transire possis, velut & in antecedente abusu, ex albo cibo ad reliquos absque ratione compositos cibos reiiciendo transire te velim. Quæ enim his capitibus traduntur, sunt pro exemplo tantùm, vt ex his in alia deflectere liceat: vt ex melonibus in cucumeres, & quas vocant anguries, in fragra: ex aloës vsu damnato, sennæ vsum, ac catapotionum omnium. Sic non leuis ex hoc libello vtilitas haberi poterit. Nimis enim simplicem rationem me iniisse credas, si damnandi tantùm ea, quæ hic scribuntur, calamum sumpsisse me in manibus persuadeas. Sed ad rem venio: Rhabarbarum in hydrope, ascite, tympanite non conuenit: quia omne medicamentum expurgans, & non materiam facientem morbum, commouet materias ad ventrem, & facit illum tumescere, & virtutem prosternit. At rhabarbarum hoc facit: nam secundum Mesuem, solùm purgat bilem & pituitam, & similiter Auerroës non tribuit hoc illi: & etiam, quia rhabarbarum purgat bilem magis quàm pituitam, & sic refrigerat iecur. Sed hæc ratio est nulla, quia solùm expurgat

bilem, quæ est iàm separata & inutilis : sed illa non addit in calore naturali rem, de qua sit curandum, & ante posita propositio est nota ratione & experimento. Authoritate etiam Aetij hoc clarum est, qui libro decimo, cùm hanc curam describeret, nullum omnino exhibet medicamentum, quod aquâ non purget. Idem quoque sentit Alexander & Paulus, tum magis quòd lathyrim dant & euphorbiũ & squammam æris, quæ omninò non conuenirent, cùm sint venenosa & plena periculi, si rhabarbarum aut alia similis medicina prodesse posset. Eadem etiam est sententia Principis in ea cura. Nullo enim medicamento vtitur, quod aquam non educat. Similiter & Auenzoar hoc docuit : neque enim vtitur consimilibus. Quare manifestum est, quòd non expedit dare hoc in morbo. Et si dicas, quòd Auerroës laudat cum, quia confortat iecur, & ita possumus dare hac de causa: respondeo quòd cùm non possit absolui ab expurgante virtute. cur debemus dare medicamentum noxium ? cùm liceat exhibere diacurcumam, dialacam & talia, quæ nullo modo nocent & iuuant tamen. Si dicas, quòd Mesue dicit conferre hydropisi : dico quòd ostendit modum confirmando iecur, & aperiendo obstructiones. Quare confert hydropisi subtercuti seu anasarcæ : & similiter conuenit in præparatis ad asclitem & tympanitem, antequam inuaserit eos morbus. Sed neque in cholica propter duas causas, primò, quia habet virtutem astringentem : secundò, quia educit subtile, & reliquit quod est crassum. Circa quod notanda est regula, quòd omne medicamentum educens duos humores tantùm, educit ex uno eorum, quod est simile alteri: velut rhabarbarum educit bilem flauam & pituitam, & licet de pituita partem subtiliorem tantùm: & polipodium educit atram bilem & pituitam, & ideo educet crassam pituitam. Aduerte tamen regulam Galeni, quòd si educit crassam, prius educet etiam subtilem. Tertia causa est, quia trahit materias ad intestina, & ideo dicebat Princeps, Et caue ne trahas materias malas ad intestina, & sequatur excoriatio, & sic patiatur postmodum vtrunque, cholicam scilicet & excoriationem. Posset etiam addi, quòd calefacit & ita exiccat pituitam in ipsis intestinis existentem. Propterea videmus, quod Galenus dat hieram ad detergendum, & coloquintidam ac talia. Si dicas, quod aufert punctionem in intestinis, respondeo quód intelligitur & est verum de illa, quæ oritur ex flaua bile quanquam nec hoc omnino sit tutum. Sed in podagra & chiragra est illius nocumentum manifestum : eo quòd appetit vias, & sua subtilitate ac caliditate cum siccitate iuncta humores facit penetrare: & hoc iam est declaratum supetius. Et si dicas, quòd habet virtutem astringentem, respondeo, quòd verum est, sed non meritò iuncturarum, quia est res omnino leuis, & etiam quia virtus eius, non perducitur ad iuncturas : & ideo est omnino inutile respectu earum. Quòd verò noceat temperaturis siccis, patet, cùm sit calidum & siccum in secundo. Ideo etiam noxium est febrientibus, tum maximè vbi est suspicio hecticæ: & propter vim astringentem adducit tabem, tum quia est tardæ operationis in educendo. Omne enim medicamentum calidum & siccum vim habens astringentem consumit corpus nimis.

Consilium est igitur, vt non exhibeatur vllo modo, vbi est suspicio transitus ad hecticam, non podagrosis, non in hydrope, asclite vel tympanite : non in cholica nisi facta ex bile pura.

CAPVT LXXXV.

Quod ægris & sanis consulunt, vt super plumam dormiant.

OCtuagesimus quintus abusus est, cùm consulunt vt sani ac ægri super plumam dormiant. Olim in lectulis ex frondibus quos stibades, aut phyllada etiam vocabant, dormiebant, vt Atheneus & in philoctete author est Sophocles. Galenus lectulorum & si meminerit, non videtur eius compositionem declarasse. Martialis tamen hoc docuisse videtur cùm dixit :

Lassus Amyclea poteris requiescere pluma.

Et Iuuenalis :

Pensilibus plumis.

Sed tamen cùm spina dorsi, tum renes ac arteria magna & vena eodem loco iaceant in dorso, lapis gignitur frequens, accenditurque corpus, & humores ebulliunt : assuetis verò sic, nullum est in senectute imbecillitati præsidium. His verò qui febre laborant, maior caloris æstus superadditur, & ideo non parùm nocet.

Consulo igitur, vt qui calido sunt temperamento, & qui lithiasi laborant, & qui imbecilli ceruice, & qui febre detinentur, dum sunt iuuenes, à pluma semper abstineant : dum vero senescunt, modicè vtantur, febrientes nunquam. In hoc tamen debent excusari medici, quia antiqui de hoc parum locuti sunt, cùm tamen res esset necessaria: & forsan, quòd in sanis non præparatis ad lapidem, longa consuetudo vincit voluptatem strati salubrioris. Est autem calidissimum omnium pluma tum anserina subtilis præsertim, pòst lana, inde cottum, post sericum, inde linum cum palea. Ego autem serico in lino contento vtor, cùm tamen ille damnet in vestimentis hæc, quæ calefaciunt, videtur & idem iudicium de pluma facere.

CAPVT LXXXVI.

Quòd sal & acetaria ab ægris remouent.

OCtuagesimus sextus abusus est in sale & acetariis, quæ ab ægrorum maximè febrientium cibis amouent, cogúntque insipidos illos cibos sumere siccitatem & caliditatem

ditatem satis damnantes: adeo semper, dum in rebus nullius momenti student, aberrant. Nam clarum est, quòd parùm deterior cibus aut potus melioribus quidem, sed minus suauibus est præferendus. Hoc vel solo, si sal non arbitrantur venenum, laborantibus tamen maximè cibi tædio affectis illud in cibis addere debent. At forsan dices, quòd victus humidus febricitantibus omnibus confert: & si intelligatur de tali virtute, non substantia, vt multi volunt, non tamen mica salis siccum cibum efficere poterit. Non tamen vtaris plurimo, ne te dicas læsum consilio meo, iudicio etiam ægri. Sed minus adhibe, quàm sanitatis tempore. Nam calida & sicca temperies præter naturam cibum amat frigidum & humidum. Salis etiam natura resistit putredini. Declarant autem Galenus & Rasis tria illius iuuamenta, crassa colliquare attenuatéque, cibi tædium auferre, & appetendi excitare vim, tum putredini resistere. Monent & aluum salsa, vt Galenus secundo de alimentis docet. Acetaria verò adhuc vtiliora videntur sale. Acetum enim apperendi vim excitat, putredini resistit, diuidit tenaces humores, obstructiones aperit. Iam verò declarauimus, quòd antiqui dabant cum cibo concoquentia, seu vt verius dicam, præparantia. Galenus verò dabat lactucas non solùm, sed attriplex, maluam blitum, lapatium: cùm verò daret oximel, aceti non meminit. Sed & in quartanæ cura salsa dabat & sinapium. Nunc verò nihil audent, & tamen nimis plerunque. Olei tamen modicum acetariis addes, quia in febribus leuiter accenditur. Ergo & sal cibis addendum, & his acetariis vtendum. Habent olera, vt parùm nutriant, vt plerunque humida frigida sint, & appetendi vim excitent.

CAPVT LXXXVII.

Quod vinum in exhibitione ligni indi coquunt.

OCtuagesimus septimus error est, cùm in cura morbi gallici lignum cum vino coquunt. Hic error ad aliam pertinet à nobis scriptam tractationem. Sed tamen quia & multa alia vino incoqui per errorem possent, non ignorandum est, quam qualitatem vinum feruendo acquirat.

Cum igitur vinum leuem habet substantiam, ab igne corrumpitur & acescit, vt Galenus author est. Cùm verò potens, si coctum non sit, igne perficitur: vt mustum, ex quo defruttum, & sapa ac vina, quæ nõ acescunt, vt apud Columellam. Quæcunque autem vina iam sunt perfecta, proprium amittunt calorem accedente igne. Acescunt igitur vina & sicciora fiunt, vt etiam posterius declarabat Galenus. Quare vina, quæ coquuntur, infirmiora frigidioráque & sicciora euadunt. Contrahere verò illa calorem adscititium, etiam ostendit argentum vinum, quod igne elaboratur. Quamobrem corrumpi vinum hac de causa necessarium est. Corrumpitur etiã alia sibi & oleo communi tantùm: nam quòd diximus, etiam melli conuenit: quoniam quò facillimè exuritur, in igneam transit qualitatem, cùm iuxta ignem apponitur. Non enim aliter inflammari posset proprius admoto igne, nisi sensim ad ignis naturam, cùm prope fuerit, accederet. Ac vinum ardere cuiuis potest esse conspicuum. Quare vinum, cùm coquitur, corrumpitur: atque sic iecur ipsum exurit.

Consultius igitur fuerit, aquæ hæc incoquere, partem vino infundere atque miscere, non solùm in his verùm etiam aliis. Quòd si cogamur, vt in oleo, aquæ partem adiiciemus.

CAPVT LXXXVIII.

Quòd expurgantia medicamenta ex diuersorum purgantium natura conficiunt.

OCtuagesimus octauus abusus est, cùm incerti quid agant, omnia simul miscent composita simpliciáque diuersarum facultatum: diaphiniconem seu compositum medicamentum ex palmæ fructibus: diacatholiconem, siliquam indam, sirupum rosatum laxans, rhabarbarum, agaricum, taliáque sine sensu, sine ratione. Nec mihi secus facere videntur, quàm Iudæus quidam apud Philippum Viceeomitem morem trahens. Laborabat aulicus vlcere cruris malo hunc medici, vt sæpè accidit, sanare non solùm nequibant, sed in deterius agebant periculum. Tunc Iudæus principi inquit, Si illum mihi tradideris, ô Dux, spero firmiter me eum curaturum. Subrisit ille, tum demum, si eum susceperis curandum, cùm nihil ex arte medica scias, quid tandem acturus es, inquit? At Iudæus, emplastrum ex fœno illi superimponam: quòd fieri vix possit, vt cùm ex tot herbis fœnum constet, ne illa sit præsens, quæ morbum hunc curare perfectè possit. O quot Indæi illius exemplum imitantur! etiam in grauioribus morbis: habéntque hoc pro Galeni librorum studio. Sed num aduertunt primò, quòd in multis medicamentis multa sunt incommoda: commodum verò vix vnum est. Deinde, quòd Galenus ipse, quem in ore tantum habent, hoc nusquam agit, vt multa medicamenta misceat, nisi temporis beneficio iuncta in vnum coalescant, vt in catapotiis plerisque & hiera ac talibus. Est etiam præceptum commune, ne medicamenta purgantia non longa compositione edomita misceamus. Nam vnũ celeriter soluet, & aliud tardè. Nec video causam fermentandi hieras ac catapotia, si misceri possunt medicamenta diuersorum generum. Nec hoc facit quin, vt inquit Mesue, non incoquamus scamonem syrupo, gratia exempli, rosato: quia virtus illa non habet subiectum à syrupo: & ideo non fiunt operationes diuersæ, sed sola vis syrupi augetur. Nec aliud puto voluisse Galenum,

Galenum, cùm dixit se scripturum in libro de compositione purgantium medicamentorum causam, cur desierit vti catapotiis Quinti.

Quare dico, quòd vbi opus fuerit, debemus expurgare quæ noxia sunt, vel vno tantum medicamento simplici emendato, vel catapotiis aut hieris fermentati, vel medicamentis, quæ virtutem quasi similem habent.

CAPVT LXXXIX.

Quod raro & oscitanter administrationem exercent anatomicam.

OCtuagesimus nonus abusus prauus & noxius originem præbens multis aliis, est, cùm vix semel vident hominis viscera: nec etiam curant animalium aliorum videre. Sed in hoc sententiam meam dicam audacter. Non mihi videtur belluarum anatomia multùm vtilis, imò nec parum forsitan. Adeo euariant membra hominis etiam ab illius simillima simia. Solùm videtur mihi hæ dissectiones in tribus vtiles. Primò in videndo operationem: vt si velimus videre quomodo musculus à latere, erigendo se brachium extendat. Secundò pro viuentium experientia: secare enim hominem vt illius interiora membra inspicias, inhumanum prorsus est, & anthropophago dignum opus. Tertio, pro his, qui nunquam viderunt, introducendis. Nam confusa doctrina sensitiua paratum facit ac docilem ad exquisitam capessendam. Cæterùm si diligenter tractanda res est, plurimùm membra hominis à reliquis animalibus discrepant, situ, forma, substantia, numero, magnitudine. Vt autem in quibus euariat, breuiter colligam, magis necessaria hîc subnectere libet. Nec te moneat Galeni authoritas: naturæ & oculis credendum est, non Galeno: atque ob id Galenus non tam iustè à Vessalio damnatur, quàm negligentiam vestram reprehendo, ô medici. Hæc igitur sic se habent, quæ vel à Galeno sunt prætermissa, vel in quibus homo à reliquis differt animalibus. In iunctu-ris omnibus cartilaginem quandam habet, cui ligamenta inhærent, aliam longè ab ea, quæ ossi obducitur. In vtero cornua nulla sunt verè, sed quædam prominentiæ tantùm à lateribus extuberantes, quæ vasa excipiunt seminaria: cum tamen hæc in bobus seu vaccis appareant. Nullus etiam est lobus in pulmone, qui cauæ subiaceat, cum quatuor tantum habeat: in canibus tamen adest. Nec vllum monoculum effatu dignum, sed vestigium tantùm, exile breuéque, ac inane: cùm in suibus magnum sit ac plerunque plenum. Inuolucrum etiã cordis dextro latere & mucrone ipso septo transuerso adnascitur: cùm in canibus non parùm alterum ab altero distet. Iecur etiam canibus & suibus diuisum in lobos: homini nequaquam, sed tantùm in ambitu paululùm excauatur. In vertebris septem habet processus, cùm simia nouem: caret enim homo his, qui deorsum inflectuntur duobus postremis, cùm duos tantùm tales habeat, simia quatuor. Ventriculus etiã sinistra elatior est, quàm dextra, cum illis septum attingat dextra iecur: & magis sinistra posterius exporrigitur, ac cauitatem ibi habet. Vnde debilibus ibi concutitur, dum obequitant. At de pyloro, quòd in suprema illius parte sit, quódque glandes duas carneas habeat, iam diximus aliàs. In omentum quoque venæ deductæ omnes ex porta, ex caua nulla defertur: cùm tamen oppositum Galenus censuerit: atque ideo nec ex sanguine cauæ ventriculi fundus nutritur, cùm nullum ex ea trucum is suscipiat. Sed nec ventriculi os seu gula seu stomachus septum transuersum cum arteria magna vno & eodem loco terebrat: sed quà perforat stomachus illud, pars abscedit ad anteriora, non obscuro interuallo. Sub cutis verò pinguedine super ventris octo musculos, membrana carnea coextenditur: quæ non ex musculorum contexitur fibris, cùm communis sit vniuerso corpori. Hanc Mirach Arabes vocant, quandoque ea voce omnia quæ illi superimponuntur cum musculis intelligentes. Nexum verum illum mirabilem in cerebro boum inuentum, neutiquam est in homine conspicere rem adeo famosam. Aberrat etiam Galenus in motu capitis ad latera super vertebram atlanticam: cùm vel momento ab illa nequeat abscedere. Sed neque bene sentit, cùm per olfactus instrumenta, pituitam excerni putat. Nam & si vtrunque à cornibus ventriculorum inferioribus originem ducat, loco tamen abundè differunt. Neque etiam anteriores à postremis distinguuntur ac mediis, sed vtrinque vnus ab anteriore parte ad posteriorè extenditur. Quot verò in neruis differentiæ? quot in musculis? quot in ossibus: longum nimis sit, præcipuè quæ ad interna membra pertinent, si cuncta dicere voluero. Sed non est hoc præsentis instituti: in texto enim libro contradicentium medicorum hæc docuimus, atque alia omnia quæ ad dissectionem pertinent.

Nunc verò satis sit monuisse, debere medicos singulis annis corpora hominum dissecare, qui ex morbo in xenobiis mortem oppetunt. Nec in illis cùm difficulter hoc fiat, absolutam totius quærere dissectionem, sed membri propriè, quod morbo affectum creditur, in laterali morbo pectoris: in coli dolore intestinorum: in phthoe tabéque pulmonum: duo enim potius sunt quàm vnus. Nam & hoc addendum in narratione ipsa fuerat, in febribus cordis ac iecoris, in attonito morbo cerebrum cum corde, in asélite renes, omentum, iecur, peritoneon. Namque alia sunt vt principia, alia autem ex morbo oblædunzur: In arcuato fel & sima seu caua iecoris: in mala concoctione ventriculus: at in doloribus satis manifesta est ratio, dicente Hippocrate, quòd vbi dolor, ibi est morbus.

CAPVT

CAPVT XC.

Quod laserpitij succum ignorant: præcipuis vero carent auxiliis.

NOnagesimus abusus est, cùm laserpitium ignorant succúmque eius, hic ab aliis succus Cyrenaicus vocatur. Iam verò sæpe dixi me vnius tantum pro exemplo solere mentionem facere: cùm alia innumera simili lapsu reprehendere velim. Igitur opos cyrenaicus qui & laser, à Dioscoride his notis describitur. Odorem myrrhæ habet, color quasi subrufus, optimusque qui translucidus Nota verò plantæ est, quod caulis ferulæ, folia, apij semen latum. Theophrastus verò asserit folium suaue, fructum verò illius & mollem & acrem, semen autem vt attriplicis foliatum latúmque. Radix eius ad magnitudinem cubiti ascendit, extuberátque suprema parte: totáque vis huius in radice fermè est. Manditur autem recens recisa radix ex aceto: color autem folij aureus est: succus acris, excipitur autem sic. Radices incidúntur ac soli exponuntur: nam qui defluit liquor, siccatur à feruore solis: cum farina excipitur quatitúrque ac sic seruatur. Excipitur & ex caule alius non adeo probatus: nihil autem antiquis adeo familiare ac in vsu: & meritò, vt docebimus, Silphium plantam eius Græci vocabant. Inquit autem in quarto libro Cyrenensis regio plurimum affert laserpitiũ odoréque suauissimum. Refert verò inter odorantes plantas illud: nec pigebit referre, quanquam obiter, quæ ille scripserit de eius ortu miraculo similia. Refert enim in Africa, imbre crasso ac piceo, syluam enatam laserpitij ante Cyrenem cõditam annis septem: iucundum in cibis odore suo eius succum esse refert, non solùm Theophrastus sed & Plinius. Quin & qui scripsit de honesta voluptate, quamuis iunior, illud miscet omnibus eduliis, quæ odore vult nobis commendare. Tanta verò illi vis inest, Dioscoride authore, vt in ore contentus succus toto corpore, breui quandam sudoris imaginem effundat. Quò fit vt minimè obscuræ aut mediocres illius vires esse possint. Cæterùm præter id, quòd pecora persanat & expurgat, iucundúmque carnium illarum odorem efficit: ad hominis vsum septem præbet auxilia præstantissima. Primum quidem, quòd à Theophrasto enarratur, concoquendi: atque in hoc præterea quanta medicamentorum inopia laboremus: hoc autem singulare etiam est. Nunc autem de vera concoctione sermonem habeo, non autem de præparatione: inde in morbis præcipuè frigidis & in sanis vtilis, innatũ enim calorem fouet. Inde præcipua et secunda laus. Nam cibos iucundos odore efficit ac gustu, alioquin toti corpori salutaris. Tum verò & tertia illi gratia est in repellendis venenis, vt Dioscorides enarrat, quo nil potest esse vtilius in quotidiano præsertim vsu. Non solùm autem in his causis confert, sed & in extremis venenis, vt carnis rabidi morsu, itémque spontaneis carbunculis anthracibúsque. Quartum vsum in pectoris, collumellæque vitiis affert, quibus quisque fermè laborat: atque eo ego sæpe vtor. Vocem autem lenit totúque parti, quæ spiritum continet, non leuem præbet vtilitatem. Commendatur & quintò in omnibus cutis affectibus, qui colorem vitiant, nec solùm in his sed etiam clarius, cancrenis ac verrucis, omnibúsque, quæ vitio frigidioris humoris externas partes affligunt. Sexta laus est in febrium rigoribus, ac conuulsis rigentibúsque: vltima est in dentium doloribus, ac etiam erosionibus. Habet & præter hæc alia plura, sed non adeo præcipua, vt quòd arcuatos curet, ac colorem optimum efficiat, vt pro fuco mulieribus constet. Tanta vis vni rei est, quam nec à pluribus expeteremus: & tamen cùm nihil dissimile habeat, notissima excidit res in morbis salutaris, vsu iucunda, sanis vtilis. Quid igitur in aliis sperandum est? Haud dubium est nunc Belzoi vocari succum Cyrenaicum: nunc solis pigmentariis in vsu est. Plantam, qui ex India veniunt, eisdem notis efferunt, quibus silphium descriptum est. Idem odor, idem sapor, idem vsus: ad eadem enim præstat, ad quæ ille antiquorum. Habet & quædam propria, quorum haud interest meminisse, cùm nec authoritate constent, nec retulisse ex vsu fuerit. Simili incuria negligunt omnia medicamẽta morbis propria: atque si habent, talia habẽt quæ melius sit nõ habere. Vbi enim Titimali vsus in asclite? vbi theriaca vera, pluribus morbis ac validis simul propria? Quis audet elleboro atram purgare bilem? sed purgant, imò exagitant. Vbi ad ventriculum, humidũ chærefoliũ, quod mihi præsenti anno cõmodum inueni? ad deiectionem appetentiæ cibi, menta, ad imbecillitatem verò absinthium. Vbi parietariæ vsus ad lapidem, nisi exterius conterendum? Vbi bubonion seu inguinalis herba ad tumores? Vbi auxilium concoquens? Nam quæ habent, præparant, haud concoquunt: vix vnum habent salutare, ac præcipuum auxilium in gallica lue. At nos his contradixisse aliàs videmur: sed in his quæ expurgant tantùm, cùm emendata non sunt. Sed huic etiam è directo iam repugnauimus: non hercle, nam non omnia omnibus misceri debent. Nunquam tamen simplicia optima sunt: quæ etiam non purgant, rarò noxa carent. Ob id tutius aliis emendantur: at propria tamen non ignorasse expediet. Sic ex vitio vitium oritur cum rationem exercitationis ignoramus. Esse autem propria vniuscuiusque morbi auxilia iam ostensum est, atque efficacissima, de quibus [illegible]nus scripturum se librum pollicetur. Sed non quæ ab antiquis tradita sunt, solùm oportet inspicere, verùm quæ experimento respondent. Tantùm verò tribuerunt veteres experientiæ, vt etiam amuleta inter strenua auxilia collocarint. Sic Iaspidem viridem Galenus in ventriculi affectibus, Alexander & Aetius in aliis alia atque alia permulta scripsere.

Optimum igitur est post lenitiones, præparationes,

parationes, coctiones, purgationes, ac talia, præcipuum in vnoquoque morbi genere habere auxilium, vt de podagra & phthoe diximus.

CAPVT XCI.

Quòd loco sectionis ac cauterij, escharoticis exemplis vtuntur.

NOnagesimus primus abusus est, cùm in sectionibus ac cauteriis administrãdis ob ignorantiam musculorum, venarum, ac arteriarum escharoticis medicamentis (potentialia vocant illi cauteria, vel ruptoria) administrant. Peccant autem multis modis: primò, quia diutius hominem torquent augentes febrem & vigilias, vnde quandoque in hecticam hac ex causa transeunt. Interim etiam aliquando sanies intra penetrat, fitque morbus insanabilis: nam operatio hæc non nisi tardè perficitur, vt aliquando etiam diem quartum aut quintum attingat. Hoc autem dicebat Albucasis, horum tarditatem incusans. Tertium incõmodum est, quòd loco salutaris impressionis, quæ ab igne fit, venenosa qualitas iniungitur. Fiunt enim hæc medicamenta aliquando ex cantharidibus: quanquam leniora sint, quàm vt profundius penetrant: quandoque verò ex calce ac capitello. Fiunt & ex præcipitato: est autem hoc genus argenti viui iam igne extincti, inde æreo vase tandiu confricato, donec rubescat: omnia autem hæc venena sunt. Dicebat autem princeps, Iuuamenta cauterij quatuor sunt, prohibere vlcus ne serpat, sanguinem constringere, materiam corruptam finire & frigidam malam qualitatem tollere, quanquam & in calida non parùm iuuet, si Albucasi credimus. Horum nullum inest auxiliorum escharotico medicamento. Ideo dicebat bene Gentilis ibi exponens, quòd quando Auicenna dixerat (Melius est vt cum medicamento tollatur caro corrupta, quàm cum ferro in malis vlceribus, ob periculum musculorum, ne lædantur, vel ob arterias aut venas) intelligendum esse hoc comparando escharotica solùm incisioni, non autem cauterio ex igne. Paulus in libro sexto innumeras commemorat operationes, quæ vel igne aut ferro administrantur: paucula in septimo emplastra ad rumpendum abscessus, vt ex fermento, & smilion. quod robustissimum ex eo genere est. Adde quòd membra aliqua omnino id genus medicamenti non sustinent, vt de oculis dicebat, quanquam adhibeat palpebris. Sunt & genera morborum, quæ escharotica abhorrent, irritantur enim non parùm, vt carcinoma: ideo cauterio curabat Paulus. Sed obiiciunt ætatem ac sexum: tum verò quòd crusta ipsa ex medicamento diutius inhæret, quàm si igne obducatur, tum quòd vbi incerta est mea magnitudinis abscessus, tutius negotium medicamento, quàm igne peragitur, tum etiam quòd in cancerosis vlceribus, vbi carcinoma exquisitum non est, ferrum non turò agit: cauterium autem sanas etiam partes allicit. Indicio esse emplastra excogitata, aliàs nullius futuri vsus.

Sed hæc parum ad rem. Nam quod ad ætatem & sexum pertinet, occultè plerunque peragitur, celeriúsque absoluitur dolore, quàm metuere discat. At verò cauteria hæc, quæ adeo in vsu sunt aliis in cruribus, aliis autem in brachiis nunc, antiquo tempore vix ea nota fuisse existimo: & signum huius etiam est, quòd Rinaldus in suis parabolis & Nicolaus Florentinus, qui diffusius hanc tractarunt materiam, nullius antiquorum meminerint, qui dixerit locum eum, qui cauterio sit vexatus, apertum tenendum esse, permittendúmque vt sanies fluat. Nihil tamen crebrius his temporibus conspicere licet, quàm ramicosos hos miseros monachos ob clamorem assiduum, & cauteriis perpetuis obligatos ob medicorum imperitiam. Philosophus in problematibus inquit, Quæ sub alis & iuxta inguina erumpunt in abscessus, medicamẽto rumpenda sunt: qui autẽ latisunt abscessus alibi, igne, acuti ferro. Censet sub alis & iuxta inguina periculum ex ferro accedere: cauterium autem & sectionem ex ære fieri consulit potius, quàm ex ferro, quòd celerius sanescant, quæ vruntur pertunduntúrue.

Dixerim igitur in carcinomate ac talibus, quæ acuso constant humore, explodendum esse vsum escharoticorum. In omnibus etiam nondum vlceratis locis opus esse ferro vel ære igneo, tum etiam in membris nobilibus: in fistulis quoque seu malignis ac difficulter sanabilibus similibus, in omnibus etiam febrientibus, in omnibus debilibus, in omnibus macilentis, in his quibus opus est celeritate, in locis propinquis membris principalibus, seu vbi fluxus humorum timeatur, ignis aut æris vsus est necessarius, emplastrum autem fugiendum. Memini vidisse nobilem virum, qui cùm nihil mali pateretur, dum ædema curare niruntur, ob inscitiam emplastro escharotico in incurabilem sinum, egregios nostros huius temporis medicos chirurgos ac etiam physicos communi sententia traduxisse.

CAPVT XCII.

Quòd sæpius in febrium fine balnea prætermittunt.

NOnagesimus secundus abusus est, cùm balnea in febrium fine prætermittunt. Videntur autem non minus peccare ex hoc præposteto ordine, quàm cum adhibent ante conctionem, vt superius diximus. Est autem febris proprium tria facere: membra ad siccam & calidam intemperiem traducere: corpus ărefacere: & cutim condensare, cum ob siccitatem cutis trahatur immo licè. At vero balneum hæc omnia appositissimè soluit. Nam cutim rarefacit, humectat corpus, atque infrigidat, & impinguat. Febri-

bus

bus ephemeris conuenire ob hæc creditur, conuenit & hecticis. Verùm in putridis necessario spirituum inflammatio ac diuturnæ febris modus quidam necessario copulatur: de quo haud sine causa mihi in libro contradictoris dicendum fuit. Nunc hercle satis erit, si ostenderimus id esse ex antiquorum omnium sententia, quod ab omnibus negligitur.

Igitur in decimo artis curatiuæ, dum ad curam eius laborantis vocatus esset, qui ex inedia ferme perierat, die decimo quarto eum lauit, ac rursus decimo sexto: sed & hoc stante etiam febre. Inquit enim, Cum dici decimi tertij accessionem facile tolerare vidissem. At num in diaria febre vna lauatione contenti erimus, aut expectabimus solutionem? cum ter lauaret, octauo artis curatiuæ, iuuenem in die. Et rursus sub fine inquit: Iam & alium sic curauimus mirantem, quomodo frictione, & vnica lauatione multorum dierum inæqualitatem dissoluerimus. Ac rursus: Non semel aut bis lauare aut ter, verum sæpius quam possumus: in primo statim die ad vesperam eos, qui diaria febre laborarunt, tum magis in secundo ac etiam in tertio lauasse ægros. At vero in putridis, vt ad rem dubiam illis, non exploratam quorundam more traducam sermonem, iam mihi est insistendum. Nemo enim tam absurdus est medicus seu Arabs, seu Græcus, seu etiam Latinus, qui ephemeras balneo non curet: quanquam & illud hi nostri Æsculapij negligant, vt omni conatu, quantum in illis est, consilio ex paruis magnos, inde errore ex illis rursus morbos letales reddant. Galenus igitur? postquam nisi Galenum hi sciunt, nullique alij credunt, quin etiam Galenistas sese vltro vocant, habeantque) in nono artis curatiuæ, cum iuuenem sanguinea labo rãtem febre, sectione venæ vsque ad animi defectionem curasset, etiam sudore superueniente, in tertio nihilominus hominem lauit, ab eo computando, quo sanguinem detraxerat.

At quid opus est tot exemplis? Ex decimo eiusdem, sententia totius rei colligatur. Inquit enim, Rationabilius fuerit nec in principio febrium aut incremento homines lauisse. Quippe tunc dentata ac coarctata non solum est cutis, sed etiam, quæ sub illa est, caro. At in febris inclinatione, vel incipiente vel procedente, vel etiam amplius progressa, & nos sæpe, & alij quidam medici multis ægris balneum adhibentes, non parum frequenter contulimus. Inde post pauca subiicit. Itaque ex omnibus, quæ de balneis retulimus, vna summa colligitur. Euacuari per ipsum si quidem, quicquid in corpore humidum aut fuliginosum fuerit: consistunque per ipsum in naturali symmetria tum caro ipsa, tum cutis, solidarumque partium ariditas corrigitur: & calor ille non modo qui ex lauacro accessit, sed etiam qui prius affuerat frigidæ lauatione summouetur.

At ne aliquid prætermittam, in hecticis si quid est præsidij relictum, in hoc vno vel solum consistit auxilio. Sed rursus ad putridas febres orationem ipsam deflectamus. Hic idem in 11. libro inquit, Itaque eos cum ducia lauamus in balneo, aut medicamentis raram cutem facientibus vtimur, aut vinum vel aquam frigidam damus, vbi concoctorum humorum signa apparuerint. Ætius etiam libro 5. dum de cura agit putridarum in generali per res non naturales, balneum, concoctione apparente in omnibus conuenire existimat febribus. Idem in sequentibus etiam consulit, dum peculiariter de ardentibus tractat. Quinimo & frigidæ vsum quandoque in his suadet. Nunc autem non est præsentis instituti ea commemorare, quæ aliorum errore possent nobis imputari. Idem Paulus dum putridarum febrium curam docet: Omnes concoct. m iam materiam reposcunt. Idem Alexander, quamuis solus ex Græcis materiam haud concoctam etiam lentam, aut crassam expurgare consulat, si modo moleste, contra omnium aliorum sententiam: nobiscum tamen & in tempore & in modo, hac vna in re consentit. Et Princeps in prima quarti sui libri frequenter exhibet, vt in cura Causonidis & tertianæ puræ. Hoc autem non est omnino, in quo disputamus, quamuis eius verba generalem balnei in febribus vtilitatem declarent. Hali etiam libro tertio cum tradidisset curam febris continuæ, inquit: Postquam reliquerit eum febris, vtatur regimine conualescentium iam supra dicto. Dixerat autem hoc in in primo libro, cum inquit: Et vtantur calefactione in media balnei domo cum aqua dulci temperata. Rasis etiam in decimo octauo continuentium tum Galeni authoritate, tum sua inquit: Conualescens cum debilis fuerit, balneo cibis ac vino fouendus est. Refert autem hoc quibusdam in locis ex artis curatiuæ libris, tum vero melius ex arte medicinali in fine, vbi Galenus enumerans ea, per quæ reficitur conualescens, balnea connumerat. Atque si ea ad generalem virium recuperationem commendantur ex quocunque morbo debilitatis, quid in febribus, vbi vel maxima pars curæ hoc auxilio, vel etiam tota cura perficitur? Cornelius quoque Celsus libro tertio inquit, dum de febrium curatione in generali ageret. Vtile est etiam in balneum ducere: prius demittere in solium: post vngere: iterumque ad solium redire: multaque aqua fouere inguina. Dies me deficiet, si omnes in medium adducere voluero. Sed reclamabunt protinus insequendam consuetudinem: olim fuisse pauperibus ac diuitibus ex æquo balnea in vsu: nunc vero solis Germaniæ populis, atque his qui lupanar frequentant. Indicio est, quod in Italia Thermæ iuxta id sunt. At non mehercle videntur Hippocratem aut Galenum vidisse, qui libro de victus regimine inquit: Quamuis balnei vsus paucis consuetus sit, nihil minus ægrotantes ad ipsum deducendi sunt, quam fieri potest commodissime. At non solum in febribus sed etiam in peripneumonicis cæterisque morbis phlegmonem habentibus conuenire ibi docet: nec non qualiter & quo modo concocta sit quidem materia. Nam in ardenti febre, vbi sola bilis abũdat, non viscida, nec crassa, nec cum phlegmone iũcta etiam ante coctionem cõuenit, sed hoc periculosum. Docet inquam &

Galenus non solùm balneum, sed & olei inunctionem tepidioris à balneo conuenire, eisdem, quibus etiam ipsa lauatio, cautis.

Quamobrem hæc vna sit regula. In omnibus ephemeris ac hecticis balneum semper conuenit. Quòd autem de balneo dico, idem de olei inunctione consulo. In putridis autem in quibus neque phlegmon, nec humor adest crassus, aut glutinosus, aut obstructio, aut nimia repletio, fueritque ardens febris, balneum etiam conuenit ante coctionem. In cæteris, si materia peccans fuerit calida, concocta materia, manente etiam febre, seu phlegmone adsit seu non, adhuc conuenit. Et rursus in omnibus verè conualescentibus seu ex febre ab humore calido, seu frigido, seu etiam cum phlegmone, seu etiam à morbo non febrili.

CAPVT XCIII.

Quòd in capitis & superiorum membrorum percussionibus ac vulneribus, non purgant validis medicamentis.

NOnagesimus tertius abusus est, cùm in capitis ac superiorum partium vulneribus ac percussionibus inualidis purgant medicamentis hominem, beatam cassiam exhibentes. Cur ego illos grandes medicos non accusem, ad omne genus erroris armatos, vt ægros perimant. Erat spes in febribus saltem, quas quotidie tractant, eos aliquid scire: sed quot modis, quàmque perniciosè in illis aberrent, iam in præcedentibus ostendi, vt si vel consultò vellent delinquere, vix hanc attingerent metam. Quanquam non pauci consultò aberrent, vt morbos in diuitibus protrahant: inde transit consilium in vsum ac naturam. Dum verò rariora tractant, nihil omnino norunt. Appello autem rara vertiginem, attonitum morbum, sybillum, vulnera ac phlegmones, hydropem, vrinæ fluxum, quem frigidis ad perniciem curant, alioquin facilè cessurum medicamentis. Semel enim Diabetes in Italia à Matthæo Ferratio pro miraculo visa est, bis à Galeno in calidioribus etiam regionibus, cùm frequentissimus sit vrinæ fluxus, ille morbus acutus ac perniciosus, hic leuis & diuturnus. Sed cùm de hoc aliàs dixerim, ad rem ab initio propositam reuertor. Periculum est in vulneribus his ne phlegmone excitetur: atque id maximum igitur vt diuertamus materiam, quæ id facere potest ac expurgemus. Videtur autem vna ratio hæc atque turgentis materiæ, in qua secundo regim. acut. purgat Hippocr. cum phlegmonem minatur. Nec video salutarius auxilium. At cucurbitulas apponunt non expurgato corpore non solùm in his, sed incipientibus quibuslibet morbis, angina, animi deliquio, percussionibus, terroribus, capitis dolore, cum hoc prohibeat Galenus in libello huic tractationi dicato. Vnde subiicit, Vbi magis conuenire videatur, in cerebri phlegmone fluente materia non conuenire, nisi prius expurgato corpore, sedatáque fluxione. Igitur huius erroris causa est ex alio transitus, cùm soleant tonsores in vulneribus adhibere, cùm ex errore in errorem migrent. Sed denuo ad rem reuertar: prædixi enim futurum, vt rem aggrediar infinitam, si singula, in quibus grauissimè peccant medici, per capita tractare voluero. In genere igitur mihi dicendum est, vt paucissimis veritatis amatoribus, cuius ego pertinaci defensione totus fermè periclitatus sum, tótque gratuitò susceptis inimicitias, satisfaciam. Sed me huius propositi haud piget, nec solùm in ipsa summam capio voluptatem, sed etiam in sensu huius pertinacissimæ voluntatis. Ergo quòd in vulneribus hîc medicamento valido vtendum sit, ratione ipsa ostendi. Scio quàm multa hic atque alibi obiici possint tum in aliis: sed iam sæpius illos, ad libros contradicentium medicorum reiecti. Neque enim in tam absoluto ac breui, quale hoc est, opere, talia possunt declarari. Quamobrem ad authoritates me conuertam. Non enim ignoro, non turgere hic materiam dicturos: imo turget, cum præ dolore ad vulneris locum raptim deferatur, nec coctio vlla expectanda, cum febris non adsit, nec præparatio materiæ, cum alioquin corpus ductum sanum esset, nec motus ille medicamenti, agitare illam merito dici potest, cum iam absque eo illa in motu sit, ac rursus ad contrarium eius loci, ad quem cum periculo defertur, reuellat & euacuet. Ætius namque libro decimo quarto docet, in vulneribus neruorum si corpus sit plenum prauis humoribus, medicamento vtendum esse. Et hoc intellexit Princeps, cum dixit de genu loquens: Et vt festines in illius apostematibus, vulneribus, ac vlceribus, cum sectione venæ & purgatione. Sed quid clarius Hippocratis sententia ex libro de vlceribus quarto de morbis curandis scripta? Inquit enim, Purgatio per aluum plurimis vlcerum prodest. Præterea vulneribus, quæ in capite sunt accepta: item quæ in ventre & articulis: ad hæc his, quibus ossi caries impendent: præterea quæ suuntur, & que exeduntur, & herpetibus, & reliquis, quæ vlcera diuturna reddunt: etiam quæcunque deliganda sunt, per aluum purgãda sunt: in omni etiam vlcere, cui erysipelas superuenit, purgari oportet corpus, qua parte vlceri maximè conducit, seu per superna, seu per inferna conueniat. Igitur cum morbus magnus tribus modis enadat, potissimè autem vulnus, inquit Galenus, seu ob membri læsi nobilitatem, vt cum in pectore, capite, ventreque acceptum est: seu ob prauam loci conditionem, vt in cubito, genu, capitibusque musculorum: seu ob magnitudinem affectus, vt cum sutura vel ligatura indiget in his omnibus purgatione corpus indiget. Quod autem per purgationem non intelligat lenitionem, sed validam humorum deiectionem apparet cuicunque, qui citra affectum, Hippocratis requirat consuetudinem ac verba. Nam neque mediocribus purgare solebat, nec leuibus. In erysipelate etiam optime purgari debere corpus docet.

CAPVT

CAPVT XCIV.

Quod in pectoris morbis conantur medicamenta expurgantia exhibere.

NOnagesimus quartus abusus est, cùm in pectoris morbis materiam expurgare conantur. Adeo mala quædam illis etiam fortuna, aut genius quidam infestus exagitat, cùm vbi debent, non agunt: vbi non conuenit agere, conantur. Dictum est autem de hoc in primo contradicentium medicorum, dum de agarici virtute tractaremus. Illud solum nunc nos decet adiicere, Galenum in septimo de compositione medicamentorum nullum tale scripsisse, sed omnia eiusmodi medicamenta ad tria traduxit genera: lenia, acria, & media. Verum quisquam forsan, nec immeritò, dubitabit, quónam pacto catapotia ad sanguinis reiectionem, gratia exempli, ex charixeno conferre poterunt, si nihil eousque descendit. Respondeo vim illorum (nam nunc ecligmata prætermitto) per venas deferri in pulmonem. Dico autem ramos venæ arterialis, quæ sanguinem defert ex corde, ac arteriæ venalis. Ergo si in asperam vitium incidat, parum necessariò hæc prodesse manifestum est. Rursus, quia ex pulmone in cor vnus tantum est aditus, ex corde in pulmonem geminus, licet longè facilius medicamenta ad pulmonem transferre, quàm in cor ex pulmone materiam delinquentem. At verò vbi etiam traducta sit, necessarium est, vt in sinistrum cordis ventriculum penetret per illius substantiam, quia caua non excipitur. At in medicamentis non necessarium est vt hoc fiat, sed venæ arteriali via lata patet. Accedit, quòd vbi etiam pus penetrauerit, in renes deflectitur per magnam arteriam, non ad iecur. His quatuor causis medicamenti vis per iecur ad pulmonem facilius accedit, quàm ex pulmone ad iecur sanies: quibus quinta addatur, hîc opus esse sola virtute, illic autem etiam substantia ipsa, quæ expurganda est.

CAPVT XCV.

Quòd potum inter cibos administrant.

NOnagesimus quintus error in institutione est consuetudinis. Plures cùm sint, vnius solum meminisse decet. Nam reliquas innumeras sic introduxerunt, vt cùm relinquas, in ægritudinem incidas: cùm amplecteris, vix cùm illa bene habeas. Etenim cùm vera ratio ostendat & antiquorũ authoritas, primò cibum totum esse sumendum, vltimò autem bibendum, cùm cibus concoctus iam è ventriculo defertur, quidam medici obliti diuturnæ consuetudinis istud præceptum seruare conati, mortui sunt, alioquin validi existentes. Igitur pessimum est consuetudinem permutare: optimum melioribus assuescere: prauis verò mediocre. Sed quod diximus, iam exequamur. Galenus igitur septimo artis curati, hæc habet: Sed enim si quo athletæ vsu tenentur, conualescentes instituerimus, bonum erit: scilicet vt à cœna non bibant, antequam cibus concoctus fuerit. Nam si biberint, innatant cibi, cùm ventriculus ob interpositum humorem illos non contingat. Verum si sitiant, tantum indulgendum, quãtum ad sitis molestiam leuandam sufficit. Postea verò quàm concoxerint, abundè bibere sinantur. Nam celerrimè si ita faciant, cibus ipse per corpus distribuitur. Cõciliator existimat, primo eos sumpsisse liquidiores cibos, qui sic instituuntur: sed hoc haud verũ est. Imò de his loquitur qui iam solidioribus vtuntur, relinquerúntque lac, iura, ptisanam: alitèr consilium in solos conualescentes contorqueret. Ad id minimè conuenit, cum iam athletas, & generalem vtilitatem addat, huic præcepto. Habemus & aliorum placita, qui cum his consentiunt. Nam Rasis quarto ad Almansorem: non bibat aquam ieiunus, nec super mensam, sed postquam superiora alleuiata fuerint, tunc affatim bibat de aqua vel vino. Eandem sententiam fermè habet Princeps & Haliabbas. Scio Celsũ Romanã narrasse consuetudinem, vt non solum potum inter cibum sumerent, sed & frigidæ potu clauderent. Itaque hoc non minus, quàm vt pueros ante septimum annum litteris tradant, nocet: nec Conciliator rectè sentit, qui scopos instituendæ simul ac seruandæ consuetudinis miscuit.

Ergo infans vt ablactari cœperit, sumat ex iuribus mollia confecta pulmenta, ouorúmque vitella, abstineátque à carnibus. Post sensim ad duriora traducatur, cúmque his assueuerit, ab hora concoctionis, aquam sumat, septenniſque magistro lenissimo ad literarum studia primùm tradatur, iuxta Pauli atque Aetij sententiam.

CAPVT XCVI.

Quod ptisanæ vsum prætermiserunt, tum maximè secundum proprium rationem.

NOnagesimus sextus error est, in quo ptisanæ vsum prætermissum docemus. Incliti enim medici de minimis quibuscunque ad ipsos non pertinentibus soliciti, hanc tantam rem obliuioni tradunt. Sufficiant autem laudes, à Galeno huic tractioni dicato in libello descriptæ. Est enim humida, frigida, lenis, detergens, facilis concoctionis, boni alimenti, tum mediocris in nutriendo, subtilis, non turbans, non flatuosa, iucunda. His vndecim conditionibus aliis præstat eduliis. Porrò quæ ex his sequuntur, vt quòd sitim sedet, quódque ventrem leniat, sputa coadiuuet, corruptos humores mixtione emendet sua, nolim hic enarrare. Nam nimis longum esset. Peccatur igitur: cùm eam relinquerint: grauius peccant qui

illam ex hordei conficiunt farina. Nam vt prior facilè concoquitur lenisque est, ac detergit: sic hæc grauat, obstruit, sistit, atque ob id etiam flatum gignit, ac sitim. Solent enim, quæcunque difficulter concoquuntur, vt labores, sitim generare. At verò tertiò errant, sed minus his, qui nec ex quo hordeo, aut qua ex aqua illa conficiatur, curant: sed aquam esse putant, siue hoc ex grano aquáve, aut meliore componatur. Simili incuria cùm quotidie per hæc duo transeant, panem decoctum exhibent: at præstat lotum conficere iuxta Galeni sententiam. At nec intelligent si eis modum explicauero, nedum vt sciant, quid sit panis lotus. Memini autem me scripsisse toto decennio neminem mihi ex febre Mediolani periisse: at illud mirum magis, cùm tanta horum inscitia, qui tunc eam artem exercent, ac dolis incuriáque quemquam seruari.

CAPVT XCVII.

Quod in attoniti morbi cura seu apoplexiæ non vno modo peccant.

NOnagesimus septimus abusus est in morbi attoniti cura: qui adeo est multiplex, vt me cogitantem fatiget. Primò equidem diuina Hali in sua practica verba non animaduertunt. Inquit ille, Si facies rubea aut liuida vel viridis fuerit ac plena, sanguinem ex remotis mitte: sin autem facies non huiusmodi fuerit, ægrum dimitte naturæ ad horas vsque septuaginta duas. Quæ verba nec Conciliator intelligit, nec alij curant, nec si legant (tanta est huius seculi calamitas) quid sibi voluerit, intelligent. Igitur in his non agendo, quæ præcipiuntur, in aliis, quæ non debent, agendo, certa pernicies accersitur. Ætius & Paulus sanguinem in omnibus mittunt: nec inter se tamen conueniunt, magis præceps stultiúsque Pauli consilium, vt qui parum rationibus fideret. Aberrat vterque Galeni malè intellecta sententia, sed hic locus non est. Rectè dicebat equidem Princeps, Et scias, quòd apoplexia, ac resolutio neruorum, cerebri vias claudunt, vt medicinæ nihil ex delinquente materia educere queant. Itaque illud primò animaduertere decet, cùm longam narrationem in contradictore de hoc fecerimus. Nam nulla magis in cura hærent aut dissident medici, quàm in hac. Si morbus est omnino lethalis, nihil agendum prorsus. Est autè lethalis, qui vel à febre, vel cum febre superuenit: ac longè eo deterior, quàm in his, qui vt mortui, statim ab initio iacent. Quòd si interceptam vim sentiendi existimant, quorsum cruciatus admouentur? nisi vt aliquid vel perperam agere videantur: ostendũt autem tunc solum hi, qualis animus, qualéque sit eorum officium. Sin autem febris superuenit, quæ ob suffocationem accidit, immedicabilem morbum reddit. Frigét autem horum manus, sed pulsus tamen est frequens, cæteris salutaris. Sed hoc oderunt, nihil facere, malúntque ipsis carnificibus perire hominem, quam sine illorum opera seruari. Porrò quæ capiti admouentur, non parum ab initio nocent. Calida enim hæc, vltra quòd ad locum materiam trahunt, etiam si mitesceret morbus, cerebro adeo concusso, mortem inferrent. Sed nec à cibis temperare possunt, timentes astantium infamiam: & si nihil (quid modò profuturum) exquisita inedia præstantius sit. Adde asinorum ouatribuentium præconium. Hos enim loris cedere deceret. Expectas vt quid agendum sit, subiiciam: non agam hîc: est iam id scriptum. Si breuibus dixero, accusabunt verba mea, & ignorantiam vnà suam.

CAPVT XCVIII.

Quod in hydrope asclite, secando ventrem, aberrant.

NOnagesimus octauus error est, cùm in quibusdam libris legissent medici (in asclite peritoneum esse secandum, vt aquæ laborantis effluat) illi ex templo pulchram rem inuenisse existimantes, quotquot in manus veniunt, dissecant, nec vllus vnquam sanatur. Id illi conspicati ac stupidi admirantur, tandémque frustra id auxilij inuentum credunt: adeo sine mente sunt, qui etiam sine pudore fuerant. At nesciunt, primò eos, qui ex duro tumore iecoris in id morbi incidunt, nunquam posse sanari, vt inquit Galenus, tum verò si incidant, vitiato iecore ex aquæ diuturna mora nullam relinqui salutis spem. Sed & si educatur, cadenti ferro minus læditur æger, vt Haliabbas testatur: quanquam & Galen. incisionem consuluerit. Sed nullus euidentius, quàm Serapio hîc, qui consulit, vt non nisi firma virtute, vis hoc auxilij afferatur. Cæterum aliquos sanatos refert: ab incisione purgantibus medicamentis & exercitio vterentur. Celsus etiam, vbi iuuenes sint, hoc consulit, & Paulus, παρακέντησιν id auxilij genus vocat. Aliud est autem, in quo aberrant stupidi: Nam cùm Ætius libro decimo consuluisset, in aqua inter cutem super poplitem secanda crura, id illud vidi egregios medicos, in asclite facere, cùm solum in leucophlegmatia (hyposarcam vocat Princeps) id conueniat, vt ille apertè testatur. Verùm ignorantia illos excusare debet, cuius causam veteres debere. Nam aqua intercus aliquando omne hydropis genus significat, dicente Paulo, quòd auxilij genus in nulla alia specie aquæ intercutem conuenit, quàm in asclite. Propriè autem vt speciem significat, anasarcam ostendit. Anasarcæ vt sectio supra talos conuenit & nulli alij, sic παρακέντησιν soli asclitis. Vide modò quàm perperam vtrunque in vtroque experiantur.

Consultum igitur fuerit atque facto optimum in hydrope asclite (legunt alij ascite,

te, magna ne dicam an improba sapientia) illico purgare aquam, nec differre. Nam vt moram traxit, etiam virtute constante, vitia interna membra, mortémque affert necessariam. Si non prorsus cedit, experiare malagmata, omnia quidem intra quindecim dierum spatium. Sed & si hæc non profecerint, illico seca ventrem & expurga medicamentis quotidie. Die verò, qua secas, nisi ad vesperam, cibi nihil prorsus dederis. Exerceas illum: moderatè tamen, ne vel febrem aut casum virtutis, aut sitim incurrat intolerandam, singulisque diebus eum sic regas: facilè enim ac breui conualescet. Caue autem, ne vulnus refrigeretur, sed in calidissimo aere detegatur. Operiatur autem multis sed leuibus ac calidis pannis. Ergo vitiosa est sectio quæ tarda, quæ cum scyrrho iecoris, quæ sine medicamentis, auxilio & inediæ & exercitationis. Vt verò hæc vitiosa, sic lethale prætermisisse tanti morbi fermè vnicum auxilium.

CAPVT XCIX.

Quod frustra timent lac & oua in febribus, cúmque abstinuerim à difficilioribus quæstionibus.

NOnagesimus nonus abusus est, cùm lac & oua tanquam perniciosa in febribus putridis fugiunt. Nam lacte & oua optimi esse alimenti in libris contradicentium medicorum planè docuimus: superius etiam, cùm carnes damnaremus, quorum ratio habita est. Nec omne lac omnibus conuenit febribus, sed solùm asininum: hecticis autem omne. Conuenit & liquata caro in solis fermè tertianis: quam nos superius, ab aliis febrium generibus, tum aliis morbis prohibuimus. Conueniet enim in exedentibus eadem ratione, qua à Galeno in tertianis conceditur. Abstinui autem à singulorum pertractatione, ac etiam disputationibus difficilioribus, cùm ea omnia alibi tradita à me sint. Hæc verò scripsi hominum salutem præferens odio medicorum. Nam iustum est, vt insontium vita inexplebili eorum anaritiæ anteferatur. Nos verò illos omnes auersari atque accusare par est, qui veritati, quam nos vnicè amamus, hostes sunt, ac inimici.

Manifestum verò ex his cur alij quidem me refugerint: alij magis impiè damnare conati sint: cùm viderent laruata sepulchra, propriam inscitiam, scelerúmque nefandorum conscientiam, quibus impares melioribus essent, ni falsis criminibus ac conspiratione principum populi proferent vitam.

CAPVT C.

Quod scriptores horum temporum plus consulunt ornamento orationis, quàm vtilitati legentium.

CEntesimus hic error aduersus legentes scribentes ac medicos ipsos inscribitur. Nam vt ad legentes ipsos primò deueniam, non pudet illos in eadem causa tres aut quatuor opiniones diuersis temporibus tueri. Cùm igitur veritas vna sit, certum est harum tres saltem falsas esse, atque vnam tantum veram: quandoque etiam contingit vt nulla. Sed quod optimum est pro illorum defensione, concedatur. Clarum est igitur tribus annis falsa, vno anno vera illos docuisse discipulos suos. Quamobrem triplo plus damni, quàm vtilitatis attulerunt, perdúntque sic principes pecunias suas, vt falsis præceptis discipuli imbuantur. At me non mentiri quisque intelliget, qui horum sophistarum scripta sub diuersis annis perlegerit. Est autem huius erroris causa quadruplex. Prima, quòd non tenentur amore veritatis, sed ambitionis & auaritiæ. At primum præceptum Galeni fuerat, vt diligerent super omnia veritatem, illi soli intenderent. Secunda est, ex ignorantia mathematicarum. Vnde Galenus iubebat (relinquo nũc Platonem & Aristotelem) vt mathematicis maximè studerent: quoniam, inquit, faciunt hominem cognoscere argumenta demonstratiua à probabilibus, & veritatẽ intelligere. Tertia causa est, ex ignorantia Logicę Ideo præcipiebat Galenus ibi, vt methodum inquirendi veritatem discere vellent. Adiuuat hoc, quòd ex illa inani ac contentiosa Peripateticorum schola veniunt, in qua gloriæ ascribitur falsum tueri, & nihil firmi scire sed solum nosse ad partes tanquam in declamatoriis argumentis dicere. Est ne hæc illius, quem tantum profitentur, Galeni mens consiliúmve aut præceptum? Sed quarta est, quòd timent ne in posterum non habeant quid dicant, vulgatis iam illorum, vt solet scriptis, tanta pestis inuasit ob auaritiam, ignorantiam & ambitionem. Quare antiquorum more, pueri primò mathematicis essent imbuendi: experimentum sumatur de puero mendace: is viridicus euadet hac disciplina imbutus, tantus est illarum disciplinarum cum varietate ipsa consensus. Philosophiam verò simplicem, non contentiosam amplectantur, meminerintque cùm ad medicinæ sacra perueniunt, non nugas se tractare amplius, sed hominum vitam, incolumitatem atque fortunas. In posterum autem si consulere velint, alios medicinæ libros interpretentur. Sic nullo labore omnia noua videbũtur.

Ex hoc alius error processit. Nam assueti discipuli tot varietatibus, non medicinam, sed sophismata amplectuntur; & pro veritate ambitiosam contentionem. Nec cupiunt doceri, sed in disputationibus victores euadere: quasi de philosophorum chimeris, &

non de humana salute sit certamen. Accedit huic maius incommodum, quòd à Peripatericis edocti vel nullam esse animam vel vnam, nihil à morte timentes, euadunt scelestissimi, vt optimos illos experiaris, id est minus malos, qui apertè philosophos, id est, hæreticos puros se esse fatentur. Quamobrem cùm ita sit, nescio an plus commodi an incommodi mortalibus medicina afferat: cúmque considero, quod indocti decuplo plures sint etiam mediocriter eruditis, quódque eruditis tot vitia sunt, deinde tot causæ aberrandi, etiam si cum fide rem tractent, denique quòd etiam qandoque si non artem, fortuna tamen fallat artificem, & quòd plures ab indoctis longè occiduntur alioquin victuri, quam morituri aberuditis seruentur: timeo, ne magno malo potius, quàm bono, vt pleraque alia mala, mortalibus medicina accesserit. Nec tibi quisquis es, nouum hoc videatur: Galeni hæc ad vnguen sententia fuit, dum de medicis loquitur in arte curandi. Ille quatuor aut sex seruabat magno labore ægros in vno mense, cùm cæteri viginti singulis diebus occiderent. Cur putes toties medicos à Romanis explosos? Cur tandiu, quippe sexcentis annis, illis carere voluerunt? nisi quòd præter superuacua impensa accedebat iactura populi. Nec existimes sponte admissos, sed cùm veneficia, adulteria, furta ac cædes pro incuria & luxuria irruperũt. Quis non videt adhuc Turcicam gentem sine illis viuere, ac longè melius? Nunc nouiter cùm irruperint, & inter eos spes est etiam illos aliis venefiiis dementatos cedere posse. Tot autem malis accedit, quòd sub hac specie praui ac scelerati innumera committunt flagitia. Quot ego cognoui, qui adulteria perpetrarunt? cum sacris virginibus concubuerunt? atque alia etiam admiserunt deteriora, si quid tamen his sceleribus potest esse deterius. Vbi est is, qui sacrosanctum Hippocratis iusiurandum obseruet? Sed cùm non artis hoc sit vitium, sed hominum, deceret principes, Senatus, ac magistratus, qui tam facilè miserum quenque, ob furtum duorum coronatorum suspendio puniunt, hos, qui delinquunt tam grauiter, acerrimè castigare, eóque asperius, quanto flagitium occultius admitti potest. Quid enim cùm in omnes, etiã in ipsos magistratus diligenter animaduertunt, cautú ue sit de dolo malo etiã in minimis, hac in sola arte, sub qua tot furta, rapinæ, homicidia, incestus ac veneficia latent, adeò sunt negligentes, Admonentur à Catone, admonentur à Plinio, admonentur Galeno. Non est hæc nostra, sed mortalium querela. Nam nobis penè satisfecit, qui potuit. Ergo & bonis incitamenta & præmia præponenda. Nec quisquam nisi patritia gente admittendus. Quo in præcepto Mediolani rectè consultum, nec nisi optimis moribus, tum etiam parentem. Nam quòd ad artis nobilitatem attinet, superfluũ est. Disputationes verò non in angulis, sed publicè: non semel, sed singulo triennio exercendæ. In disputationibus autem, quæ ad ægrorum curam instituuntur: & illud recte constitutum est Mediolani, ne quisquam alius accedat. Ex hoc tam paruo semine, ni succurratur, magna tandam malorum seges exorietur.

Vltima à scriptoribus ipsis calamitas adest. Confarcinant alij ac quicquid in buccam venerit, in publicum edunt: magnis nominibus plebem (nam sic libet appellare hominum partem illorum studiosam) seducentes: sine philosophia, sine ratione, sine iudicio, denique etiam sine pudore, alius ab alio vel integras paginas, nec pudet etiã, ab antiquis sumunt. Arabes negligunt: nihil illi sciunt: solo Galeni nomine turgent: velut quidam, qui nec eum à calce salutauit, quotidie mihi de Galeno obgannit. O deus quem mihi mouet risum? Alij idem putant ornatè dicere, ac rectè & bene, volúntque res verbis, non verba rebus ancillari. Laude dignum existimo Pomponatium, quod & aliàs dixi, solitum dicere, si possemus etiã sine Latina lingua omnino disciplinas doceri, melius esse, quàm in ea temporis vel modici dispendium facere. Atque is mihi etiam sapere videtur, qui rudis linguarum ac barbarus, rectè tamen multa nobis tradidit, non solùm in philosophia, sed & in arte medica. Denique quis illorum vel curam cum omnibus etiam Græcis perfectam edocebit, nisi in paucis ac diuturno tempore? Studebimus ne Galenum, cùm attonitus morbus agnoscendus est, ac medicandus? Ætius nõ cum Galeno consentit, plurium placitis subscribens, velut Archigenis, Rufi, Adamantis sophistæ, Critonis, quorum sententiæ partim à Galeno oppugnantur, partim illi repugnant. Denique nec id, quod tentant, assequuntur. Nam sexcenta in vnoquoque libro eorum non Latina verba inuenire licear, bruta, humiditas, ac talia: dúmque his studenteuitandis, philosophiæ operã non dant, sine qua impossibile est vel med ocriter eruditum esse medicum. Sed inconstantiam etiã illorum expende. Scribunt, rescribunt, exponunt, vertunt conuersa, ad omnem libellum apologiam extemporaneam excudunt. Inde vide illorum etiam, qui vertunt diligentiam: ex vna disce omnes illorum solertias. Nolunt verbum reddere verbo: quod, quàm vtile sit in his (non enim poëtæ hîc sumus) aliàs disputabimus. Nunc verò vel sic simplicium medicamentorum tabulam, vt iacet, depromunt, cùm præstaret Latinè reddita, Latino ordine collocari.

Sicque laudetur Deus, quòd medicina, quæ per Gentilem, Iacobum & Hugonem ad instans redacta fuit, nunc per nostros scriptores ad grammaticam, & medicamẽtorum simplicium inexpugnabilem contentionem, trutinámque verborum vnius viri quasi Dei, ratione relicta, miserabiliter hoc tanto studio nunc peruenit.

Innumera sunt & alia, quæ non iniuria his adnumerari possent. Verùm hæc pauca pro nunc delibasse sufficiat, quia graniora videbantur, tantúmque inualuerunt, vt minima pars sanæ doctrinæ, optimisque experimentis relicta sit. Misereor autem mortalium, qui in summis periculis minus sapiunt, quam qui æstu, fluctuante mari, in cimba vehuntur. Nam cùm etiam ignauo ac rudi

nautæ

nauta vsque ad maximum vitæ discrimen, omnibus expositis fortunis plus credant, quàm sibi ipsis ægri, & qui eis assistunt, medicorum sapientiam floccifaciunt, nec illorum ad vnguem omnano decreta obseruant, plus etiam in eius electione falluntur, cùm vel loquaciorem medicum, aut ambitiosiorem, aut seniorem, aut enm qui plures numerat clientelas, aut promptiorem, aut magis præcipitem, aut magis familiarem, aut moribus comptiorem, aut verbis blandiorem, aut vestibus ornatiorem, aut enm, qui potentum limina terit, reliquis præferunt, cùm studium assiduũ, doctrinam copiosam, exactam diligentiam, naturæ iudicium acre, vera prognostica, & optimos successus anteponere deberent. His enim sex rationibus, qui sit perfectus medicus, deprehendi potest. Nam hæc non alicuius iniuria, sed ad humani generis vtilitatem scripta sunt. Nam cunctos hos abusus vigere ægri, ministri, tonsores, pharmacopolæque testantur.

DE METHODO MEDENDI.

SECTIO SECVNDA.

DE SIMPLICIVM MEDICAMENTORVM NOCVMENTIS.

AMBROSIO CAVENAGO CÆSAREO Protophysico. S. P. D.

LIBELLVM de medicinarum simplicium noxa edituru, nomini tuo dicandum censui: vt si quicquam deesset singulari tua doctrina supplereture: sin minus aut horitas illum tueri posset, dignitatis enim & virtutis magnitudinem egregij ciues, duceſque nostri ac externi testantur. Nunc demum Cæsaris priuilegium confirmauit, & amplianit. Vale.

De Simplicium medicamentorum nocumentis.

MVLTOS Ego vidi medicos de simplicium medicamentorum vsu gloriari, quod & facilius inueniri, ac inuenta parari, non minúsque quibuslibet compositis pharmacis ad tollendos malos affectus vtium habere possint. In qua sententia Scribonium Largum Claudij temporibus medicum celeberrimum scripsisse video, simplicia medicamenta prius esse narrãda, quoniam compositis plerunque sint efficaciora. Octauianus etiam Horatianus Valentiniani imperatoris tempestate clarissimus physicus, & composita & remota remedia damnat, omnique ætati, morbo, occasioni, in quacunque etiam prouincia, parata ex simplicibus auxilia egregia constanter affirmat. Plinius etiam paruo antea tempore vir insignis, ac quantùm vllus alter in rebus eruditus, eadem scripserat, medicósque ex longinquis partibus & operosa & pretiosa vehi persuadentes, calumniis prosequitur: cùm ex horto suo quisque remedia decamentis etiam ab ipso probatis referti sunt. In eorum etiam confirmationem & Celsum, promere possit impensa nulla, laboremodico: omnésque eius libri singulatibus medi- & Dioscoridem, & Galenum, maximè in simplicium medicamentorum libris, Auenzoar, & Serapionem, Auerroim, Principem, Rasim, Mesuem, Haliabbatem, innumeros etiam alios, tum antiquos, tum recentiores scripsisse video, ac singulos affectus strenua ex singulatibus medicamentis auxilia. Quinimo video præsentes medicos (& hoc etiam ego aliquando expertus sum feliciter) in interioribus morbis, maximè autem ventriculi, eremorem camemilli per se administrare, protinúsque dolores sedari, quod & à Galeno scriptum iuuenio. Sæpe etiam plurimas simplicibus medicaminibus vidi sanari diuturnas ægritudines, quæ longo tempore frustrà cum compositis pharmacis tentatæ fuerant. Quod nemo sanè admirabitur, si in aperiendi facultate solam gentianam expertus fuerit: nec solùm in ea, sed in orthopnoicis & quartanis affectibus extemporaneas sanationes videbit. Huius quo-

que opinionis Auerrois fuisse videtur, cùm de rhabarbari natura dissereret. Namque non solùm innoxium esse dixit, sed etiam aliarum medicinarum nocumenta corrigere: cui etiam Mesue assentitur, & ratio. Nam cùm plures partes in rhabarbaro purgantes videre liceat (ventrem enim soluit, & obstructiones aperit, & membra confirmat, & sanguinem reprimit, in tantùm vt hæmoptoicis assum, summum auxilium esse credatur) nil mirum, si per se sumptum innoxium fuerit, cùm multorum medicamentorum vires egregias in se contineat. Quod etiam veritatis imaginem habet: contentaneum enim est, naturam in hoc opere arti non cessisse: nam non artem natura, sed naturam ars imitatur. Credendum igitur putant, medicinas simplices re ipsa esse compositas, non solúmque simplicibus morbis, sed diuersis & pugnantibus exhibitas sanitatem restituere posse. Nuper etiam ad hanc confirmandum heresim, cuiusdam ligni Indici inuentio accessit, cuius longa exhibitione per cremorem, non aliter melius elephantiasis quoddam genus curatur, quod vulgari nomine dicitur morbus gallicus. Infinita horum possem commemorare exempla, cùm omnium medicorum libri his scateant remediis, sed omnia sub vna ratione constant, vt non frustrà sermo producendus sit. Capita igitur vniuersa eorum, quæ interius assumuntur, tria sunt, cibus, medicina, venenū quorum commistione sex mẽbra generantur, ex quibus tria silentio digna sunt: nam de cibis non est instituti propositi pertractare. Medicinas verò venenosas, ac ipsa venena nemo sanæ mentis, vel solo audito nomine, innoxia esse dixerit. Reliquum est igitur, vt de medicinis ipsis aut cibalibus, vel cibis medicinalibus dicam. Est autem inter hæc differentia, quoniam medicinalis cibus alit primò, & immutat: medicina cibalis, cùm immutauerit, in alimentum transit: medicina verò simplex nequaquam ab immutatione transfertur in alimentum. Igitur cùm cibi medicinalis paruum fuerit iuuamentum, non erit mihi de eo longior sermo habendus. Quòd si assiduitate quis iuuamen angere sperauerit, duplici obice impedietur. Primùm, quoniam desunt prodesse auxilia, cum opus est, quæ quotidie in vsu sunt, vt Plinius dicebat: quare Princeps iubet iuuantia etiam medicamina permutari. Alterum est, quòd si in modico vsu paruum damnum sentiatur, in plurimo magnum euenire necesse est: vel ipsa consuetudine omnino mitescere, quorum vnum propositi nostri metas ingreditur. Reliqnum verò ad cibi rationem, de cuius natura dicere propositum non est, pertinere video. Igitur nobis tantùm duo membra supersunt, videlicet medicina simplex, & cibalis, quorum vtrunque diuiditur in laxantem, & eam quæ aluum non subducit. Primum quidem genus, medicamenti nomine, simpliciter appellabo: etsi non ignorem à pluribus hoc nomine tantùm strenua laxantia debere intelligi: sed non est de nominibus litigandum, vbi res ipsa difficultatem non parit. Galeni hoc enim præceptum est. Alias verò medicinas, vel simplicium nomine, vel medicinæ, vel medicamenti cum adiectione intelligi volo.

Dicamus igitur primò de medicamentis in genere, demum de propriè vocatis: prætermittentes illud, Omnem medicinam purgantem, & soluere & inueterascere: nam hoc non medicinæ ipsius, sed operationis vitium videtur. At medicinas nunc, non operationem ipsam reprobare propositum est: si quidem hoc non solùm simplicibus medicamentis, verùm etiam compositis commune foret.

Primum ergo à ratione, quæ plurimùm potest, sumamus exordium. Cunctarum medicinarum facultates ita sibi annectuntur, vt si prima culpa caruerit, secunda vitio detur, veluti quod robur addit, obstruit: contrà, quod aperit, robur minuit & laxat: suntque hæ vires semper æquales, Galeno teste: quantum enim constrictionis in medicina facultas augetur, tantum & roboris membro addit. Cùm igitur paria sint iuuamentis detrimenta, tantùm vnaquæque medicina nocebit, quantùm & iuuabit. Hoc autem deterius erit, cùm non æqualiter intrinsecæ particulæ affectæ fuerit, quod rarissimè contingit. Plerumque enim hepar calidum, ventriculo frigido existente inuenitur. Quomodo igitur, si zinziber ventriculum calefaciet, hepar non vrettaut si oxiacanta feruorem iecoris mitigabit, ventriculo frigiditatis intemperiem non augebit? At si compositò vtaris medicamine, vnaquæque particula, quod sibi conuenit, attrahere didicit, vt volebat Serapio. Eo modo calida membra frigidas medicinas, frigida calidas, ad temperandam naturam sibi vendicant. Quòd si capparis corticem in misto medicamento lienosus deuoret, à splene attrahitur, antequam in ventriculo magnam inferat noxam: quòd si ei absinthium copulauerit, fiet, vt hoc in ventriculo moram trahat, & non ad splenem deferatur. Qui verò capparis simplicis vsu delectabitur (de cortice loquor, nam fructus sale conditus mitior est) & in iecore, & in ventriculo roboris noxam patietur: acre enim est nimis medicamen, & nimiùm aperiens. Scio quidem rationem hanc ab Auerroe aliter interpretari: sed non mihi curæ est opiniones suas, cùm aduersus medicos in medicina disceptat, referre. Aliis enim libris medicorum contradictiones descripsimus. Sed iam, vnde digressi sumus, eo reuertamur. Zoar vir & longa experientia & animi synceritate inter medicos non paruæ auctoritatis, censet nullum membrum principale, nec ventriculum ipsum absque astringentibus ac aromaticis fore curandum. Quòd cùm ita sit, erunt omnes affectus, excepta immateriali debilitate, compositis medicinis curandi. Nam primò materiam euacuare oportet, antequam membrum confirmetur. Igitur apparet, medicamina composita in cunctis morbis esse necessaria. Nam vno duntaxat excepto, quod rarissimè accidit, morbo (cum illum etiam ob alias dictas, & dicendas rationes medicamine compositò curari conueniat) cæteri omnes vel hac vnica ratione composita medicamenta

dicamenta repoſcunt. In quam etiam ſententiam expreſſa voce Princeps inuectus eſt, vt nec illud in his, quæ foris applicantur, præteriri maluerit. Sed iam aliam compoſitionis neceſſitatem, audi à Galeno ſub compendio enumeratam. Sunt equidem medicamina morbis æquali contrarietate machinanda hoc enim à Galeno ſæpius repetitum eſt. Cùm igitur ſingularia in gradu æqualia & morbo conuenientia vix inuenire poſſibile fuerit, cui dubium eſt, medicinis vtendum eſſe compoſitis? Hoc autem magis, cùm quædam ſimplicia vni morbo ita conueniunt, vt in cauſam addant, veluti quoſdam video medicorum, aſclitem genere quodam caulis ſoldanellæ vocatæ materno ſermone curantium. Quòd ſi ſimplex propinatur, non parum iecinori oberit, ſatuiſque, puto, foret iſta relinquere, cùm non deſint auxilia in vtraque conditione ſalubria. Accedit huic cauſa alia: nam plerique aut ventriculo ſunt imbecilli, vt os eius mordicationem ſentiat, aliis renes, aliis hepar, aliis cor eſt inualidum, aliis nauſea velox, aliis minus ſoluitur aluus, aliis parum, aliis complices ſunt affectus, quas omnes ob cauſas in cunctis affectibus compoſita oportet offerre auxilia.

De his igitur generaliter ſatis dictum eſt. At nunc peculiari ſermone laxantia medicamenta proſequamur: nam horum præcipuè vitiola natura eſt, vnde Cornelius Celſus medicus antiquiſſimus, cui ſi Galenus non ſucceſſiſſet, poſt Hippocratem palma medicinæ ſtatuenda erat, dicebat, Omnem medicinam ſolutiuam mali ſuccieſſe, & ventriculo inimicam. Cui non ſolùm Serapio aſſentire videtur, ſed rationem adiicere. Cùm enim non aliter aluus ſubducatur, niſi prius ad ventriculum contractis humoribus demum expreſſis, neceſſe eſt ipſum & humorum qualitate, & motuum diuerſitate, non parùm lædi, ac etiam temperamentum ſolui. Cuius etiam ſigna ſunt, faſtidium ſubſequens, antecedens plerunque nauſea, malus ſapor in ore, quem tandem extrema comitatur ſitis, ſi rectè ſolutus fuerit, vt dicebat Hippocrates. Verùm etiam mihi in hac cauſa Galenum fauiſſe perſuadeo, qui omnium laxantium innocentiſſimum affirmauit ſerum, quod tamen & mellis & ſalis ſocietate correxit. At nec ſic flatulenta vis omnino deiicitur, vt cuilibet experiri licet. Quòd ſi innocentiſſimum medicamentum, non omnino etiam emendatum vitio caret, quàm is exiguo, quid in aliis non æquè probatis medicamentis dicendum erit? Aut igitur Galenum culpare, aut experimento diffidere, aut omne laxatiuum medicamen vitioſum fore fateri cogimur. Horum igitur trium præſertim tot rationibus famulantibus; minus abſurdum eſt concedere, quod etiam quotidiana oſtendit experientia: omne laxatiuum, nullo excepto, per ſe ſumptum fore vitioſum. Debuerant hæc ipſa nobis facere fidem: ſed ne quid promiſſæ inueſtigationis prætermitti videretur, iterum à ſingulorum enarratione auxiliorum orationem exordiar, cùm prius vnius meminero, non eſſe ferum quaſi medicinam, ſed potius potum medicinalem, cui ad diuiſionem quadruplicem laxantium medicaminum a Meſue examinatam fuga ſuperſit. Exiſtimet etiam quilibet ſecum, ſi in hoc, vt ita dicam, familiariſſimo potu (namque omnes lacte alimur in infantia) quoniam ſoluendi virtute præditum eſt, tantum noxæ contrahitur, quid in aliis ſperandum ſit, quæ non ſolùm nobis aliena, ſed ferè incognita, & guſtu inſuaui prædita ſunt? Dicamus igitur de his primò, quæ vehementiora ſunt, pòſt de quibuſdam quæ à recentioribus benedicta appellantur, quoniam verè ſoluendo minus conturbant. In cæteris enim ſatis fuerit, camemilli & glizirizæ naturam exploraſſe.

Scamonion in ſubducenda bile omnibus Meſue prætulit medicamentis, ventriculo autem peſtilentiſſimum, & deleterij vim habere Paulus Ægineta exiſtimauit: cuius correctorium mirabolanos in ſuo capitulo, idem Meſue eſſe dixit.

Titimallorum ſpeciebus omnibus aquam purgandi vis ineſt maxima, Raſi teſte. At ea venena eſſe, vel à Galeno vel à Principe ſciat: vt etiam loca glabr' perfectè reddantur lacte eorum. Aceti infuſione, & citeniorum ſocietate mitiora ſunt.

Lacterim ſimili vi, & eſulam pollere manifeſtum eſt: verùm maiore noxa, minore tamen vtilitate, vix naturæ pluribus ingeniis conciliantur.

Elacterij vim tum in hidrope, tum in pituita euacuanda Hippocrates celebrauit, & Raſis: ſanguinem tamen educit Principe teſte, cuius correctio non vna eſt, dragaganto, tamen miteſcit aliquatenus.

Hermodactyli iuncturis opitulantur, ſi quid aliud: attamen ſtomachum lædunt vehementer. Meſue raphano corrigit, Raſis opium & ſacharum miſcet, in catapotia formatur, rarum etiam eſſe creditur. Quod enim ſub eius nomine adminiſtratur, adulterinum eſt.

Pes corninus ventriculum non ita lædit, & ad iuncturas ab Alexandro plurimùm commendatur: innoxium magis eſt hermodactylo, vt etiam Princeps teſtatur. Ipſum tamen à nullis per ſe adminiſtratur, lædit enim interiora: quare aromatibus copulatur.

Turbith phlegma educit grauiter: nomine ipſo, noxia natura detegitur. Corrigitur zinzibere à Meſue.

Cartamus ſeu cnicus ab Auerroë in phlegmate purgando indifferenter omnibus præponitur auxiliis. Cordumeno à Meſue corrigitur: non enim ſuum deeſt vitium, vt cuicunque natura progenito. Cardamomum tamen pro cordumeno ſubiiciatur.

Collocintidam craſſis lentiſque humoribus, qui extra venas poſiti ſunt, accommodatiſſimam eſſe fatetur Auenzoar. Eſt tamen tantum eius inteſtinis nocumentum, vt adhuc de eius contritione, & Raſis, & Meſue, & Princeps diſceptent. Ab Auenzoar amygdalis copulatur, à Sarapione, dragaganto.

Sarcocolla ſubtili pituitæ educendæ, optima eſt: educit & craſſam à recentioribus

ſæpe

sæpe repetita. Erodit tamen vehementer & calefacit. Miteſcit lactis per ſeptem dies infuſione, vt à Montagnana docetur.

Veratrum ad purgandum atram bilem, & totum corpus inaniendum, item ad iuuentutem reparandam Meſue commendat. Hoc enim proprium ei ineſſe videtur. Veratrum tamen conturbat, & ſæpe conuulſionem efficit: propterea ab Auenzoar nenufare ob immodicam ſiccitatem corrigitur, vt ſic etiam cordi propitius fiat. Nec hoc acopo præſtantius inueniri poſſe arbitror, non ſolùm veratri, ſed omnis medicamenti, quod in modica ſiccitate principalibus membris nocere natum ſit.

Lapidem Armenum Alexander in humore nigro educendo cunctis aliis præpoſuit: multiplici tamen lotura indiget. Nec tamen ſic omni nocumento caret: cœruleus tamelapis hoc in iuuando inferior, in nocendo, valentior inuenitur. Quidam etiam nullam ei vim ineſſe putant.

Epithimum Serapio cunctis prætulit in educendo felle nigro. At tamen multiplici nocumento obeſt, præcipuè tamen his, quibus abundat flaua bilis. Corrigitur mirabolanis Indis.

Polipodium inferius ipſo eſt: nec tamen noxa vacat, extenuans corpora, ſubuertens ventriculum. Multa ſanè huiuſmodi nominare poſſem, & penè infinita, vt terbentinam, armoniacum, perielimenon, centaurium, peplum, ebulum, ſambucum, ſquillam, ariſtolochiam, ciclamen, ireos, ben, ſemen, opoponacum, dracontium, brioniam, ſtaphiſagriam, nitrum, ſparti ſemen, giniſtæ flores & perſicorum, cataputiam, album elleborum, alumen liquidum, aſſarum, ſerapinum, fella teſtudinum.

Opportunius igitur fuerit ea, quæ in dubio verſantur, contemplari, & quæ ſine noxa ab aliquibus eſſe creduntur, qualia ſunt aloes agaricus, rhabarbarum, caſſia fiſtula, manna, ſenne, violæ, roſæ, fumus terræ, tamarindi, mirabolani, abſinthium, ſticados, ius galli, eupatorium, pſilij ſemen, lupulus, capillus veneris, aqua lactis. Aloem igitur declamant medicinam totum corpus purgantem ventriculo commodam: quinimo & ſanitatem tueri credidit Meſue cum cibo ſumptum. Hic quidem, vt puto, conſilij proprij pœnas dedit. Nam in iuuenta extinctus eſt. Hoc autem quantum habeat detrimenti, conſiderandum eſt in vnaquaque particula: non enim in cunctis ſimplicibus hoc expedire puto, ſed in his tantùm damna diligentius inquirenda ſunt, quæ ab his tanquam innoxia proponuntur. Primò itaque de ſapore eius ratio habenda eſt. Nã, vt Princeps dicebat, etiam quòd ægritudinibus auxilium ſimplex opitulari poſſet, attamen fuit neceſſaria medicinarum permiſtio, ob ſaporis prauitatem. Si igitur in aliquibus hoc conuenit, aloem de horum numero eſſe neceſſe eſt. Hoc enim omnium medicamentorum cum collocintida in amarore obtinet principatum. Vnde recentiores exerta lingua iubent deuorari: non enim eius amaritudo ſentitur. Sed videamus an ventriculo amicum ſit. Dicebat Raſis aloem amicum ventriculo fore, non ſimpliciter intelligendum, ſed ad reliqua purgantia collatione habita. Cunctis enim aliis eſt minus perniciosum. An autem omnibus conueniat, & quibus, Paulus paucis verbis patefecit, aloem tabem inducere profeſſus, ſi calidis & ſiccis temperamentis exhibeatur, aut in longo vſu, vel inculpato humoribus corpore: an autem conueniat cum cibo ſumptum, in de caſſiæ fiſtulæ ſermone dicemus. Agaricus quanquam vix probatus inueniatur, nec tamen quantumcunque bonus noxa caret: hæret, nauſeam mouet, viſcera debilitat, vnde rarò vel aliter quàm in cremore, aut ſali, vel oximeli commiſtus propinatur.

Rhabarbarum calidum eſt & ſiccum immodicè: craſſæ etiam ſubſtantiæ, vnde commodè ſquinanto & ſpicæ ſociatur: leuis vſus parum iuuat, multus vehementer exiccat. Itaque corporibus ſiccis non parum nocet per ſe ſumptum, Solemus itaque paſſulis innoxium reddere: humores autem pituitoſos per ſe excernere non valet. In omnibus igitur morbis copulari debet, niſi in humido corpore ſola bile oppreſſo, quod vix inueniri contingit. Igitur aut in cremore, aut alijs iunctum medicamentis, vel cum paſſulis plerumque exhibetur.

Caſſiæ fiſtulæ nullum per ſe vſum credo. Nam ſi ante cibum plurimo tempore ſumatur, in alimentum tranſit, Meſue & experientia docente. Sic autem perdicem nemo etiam paraſitus ei non antepoſuerit. Vt aluũ autem ſubducat, ante cibum, vel à cibo proximè deuoratur: hoc autem & in aloe & in cæteris medicinis fieri peſſimum ducebat Paulus, cùm cruditatem maximam procuret, locóque concocti humoris educti crudus inſtauratur, nec ſine virium detrimento, quod à ratione ſumit initium. Nam non aliter ſubducitur alvus, quàm aperto piloro, atque ita mora in ventriculo non contracta incoctum alimentum tranſit in venas: extrema enim morula, quam cibus in ventriculo ad concoctionem contrahit, eſt horarum octo, vt dicebat Raſis. Non igitur hoc meo iudicio flocci faciendum erit incommodum, quo tamen deterius agitur, ſi more quorundam catapotia, & in ardorem febrilem, & in tabem membrorum addentia propinentur. Minore enim nocumento vitato, deterius introducitur.

Manna quidem antiquæ innocentiæ memor nullum videtur ſenſibile inducere nocumentum. Verùm ego prunis magis, quàm medicinis aſſimilari puto. Eius tamen natura peruertitur, cùm in malam inciderit ſedem, nec verè quid eſſet, Serapionem cognouiſſe credo, ſermonis breuitate, & varietate.

Roſas nemo ſimpliciter offerat. Ad lipothomiam enim vſque ducunt: aliquando ventriculum ſubuertunt. Aqua caſei ſyrupus commiſtus propitius eſt.

Violæ vt minus habent vitium & vis aſtringentiæ, ita à nullo ſolæ exhibentur.

Fumiterræ ſuccus eſt in vſu ad mundandum ſanguinem, veruntamen ventriculo inimicus eſt. Nam omnes ſucci præſertim

hic

hic eum offendunt, quare ab eorum administratione cauendum est: iubuertunt, laborem præstant, concoquendi vim minuunt, quod & si Galeni inuentum sit, attamen experientia quisque doceri potest.

Quæ soluunt & dulcia sunt, emundant sanguinem, vt manna, cassia, & thamarindi leniunt pectus, si alio sapore non inficiantur, vt manna, & mel & cassia. Renibus omne leue auxilium laxandi propitium est, vt violæ, aqua lactis &c.

Thamarindi stuporem dentibus inferunt, ventriculo nocent.

Mirabolani rugas visceribus & obstructiones inferunt: quanquam in seruanda iuuentute, non aliud sit melius medicamen.

Aqua lactis leuis virtutis est, flatus inducit, tardè operatur.

Nec ignoro horum minima forè nocumenta vt rhabarbari, cassiæ, mannæ, rosarum, violarum, fumiterræ, seri: attamen si iuuamen insigne procuraueris, multiplicata exhibitione, vel multitudine, impossibile erit damna occultari.

Sene mundat sanguinem, & iuuentuti seruandæ, & coloris bonitati manifestum præstat iuuamentum, ratóque vtentem febre acuta corripi videbis. Nihil minus stomacho nocet. & tædium in operatione affert, capitis dolorem aliquando mouet, nec iure gallinarum tollitur nocumentum ventriculis pituitosis: quidam iulep violato, cremorem temperabant, minúsque molesta erat, videbatúrque insignis medicina.

Absinthium sanguinem à bile mundat: hoc enim eius proprium est, Serapione teste. Per se sumptum tamen & odiosum & inutile, ex succo etiam damnosum.

Ius galli nullo insigni iuuamento præditum video. Quòd si nitrosi plus habuerit, laxabit quidem, sed magis ventriculo oberit. Si verò inuenis animalis, insipidus potus est: velut & pruna, cibus: verùm & si molliendo feces aluum fluxilem reddant hæc omnia, non tamen à ratione ptisanæ dissentiunt, nec de ventrem mollientibus dicere propositum est. Differunt enim hæc ab omnibus alius vocatis medicamentis, quoniam non subitò, sed plurimum post tempus liquidiores feces reddunt, nec cogunt alimentum incoctum descendere: talia etiam sunt blitum, mercurialis, cerasa, oleum cum cibo sumptum, & plura huiusmodi.

Sricados trifagonnæ & eupatorium absinthio plus sunt nociua, & minus in vsu. His enim herbas solas propinantes neminem vidi. Frustra igitur de his sermo habendus est.

Lupulus quidem in mundando sanguinem plurimis fumoterræ anteponitur: nam humidus est, ille verò siccus. Humidas autem & frigidas medicinas solutiuas incolumiores aliis credendum est, quoniam suæ operationis sunt moderatrices, & nocumentum tollunt. Verùm non est in lupulo à cibo virtus aliena: quotidie enim manditur, & per se sumptum nihil operatur.

Psilij mucilago infrigidat vehementer, sed parùm soluit.

Capillus veneris parui iuuamenti est in laxando. Noster nec in hoc nec in alio virtutem habere videtur, ita vt nemo hæc sola propinare audeat. Quòd si quis experientiæ causa tentauerit, medicinæ calumniam, & imperitiæ sibi inferri videbit.

Nec tamen Mesue authoritas in his multùm te moueat, qui aquam lactis, & pleraque alia sine detrimento esse credit. Nam experimento res aliter esse deprenditur, ita serum calidum & siccum, Galenus frigidum & humidum dixit, ille nullo cum damno, hic verius duplici nocumento. Itaque consultius fuerit de simplicium natura Dioscoridem, Oribasium, Galenum, Serapionem, Rasimque intueri, cùm etiam Principi duntaxat in parte modica fides sit tribuenda.

Inter autem ea, quæ minimè ventrem soluunt, glycyrizæ ratiò habenda. Primò est suauis gustu, vnicum doloris ventriculi solamen, Zoar teste: renes purgat, sitim extinguit, temperamento proxima est gutturi, & faucibus leniendis præstantissima, famen tollit, vt dicebat Dioscorides, sed & ipsa multiplici ratione damnanda est. Namque primò veluti inuidente natura factum est, vt ab eradicatione paucissimis diebus seruari possit, ne noxam & cariem contrahat, qua nil in terrenis fœtibus deterius censuit Cato lignis, radicibus, terra, lapidibus. Quid igitur tam præcoci senecta statui de ea potest, in qua iuuentæ initium marcidæ senectæ copulatur. At nec in pubertate innoxia est: tollit enim famem, Plinio dicente, Soluunt famem butyrum, glycyriza, hippate: igitur nónne eam etiam, quæ opportuna est, tollet? Nam butyrum ex eo genere est, quod etiam fastidium inducit: cuius ratio in promptu est. Nam quæ verè famem tollunt, nutriunt copiosè: at nulla radix impensè nutrit, Galenus citetur. Igitur non ex glycyriza fames rectè amputabitur, sed fastidium potius inducetur: non tamen par ratio sitis sedandæ fiet. Nam ea verè humido eius succo mitescit. Aliud etiam succurrit nocumentum. Nam ea si lignosa edatur substantia, reclamabit Galenus neque alimentum, nec medicamen bonum esse posse: si verò succus, aut decoctum, vnum quidem obstruit, aliud autem minimæ virtutis: multo enim eo pro potu perpetuo in podagra vsos fuisse vidi. Igitur non nisi ad faucium labores præstans erit, sed & in hoc ratio habenda est. Si enim manditur, tantùm abest à ventriculo viscus, vt nullo sit hoc modo sumpta pectori auxilio. Connumeratur enim inter causas incurabilis phthisis viarum longitudo, vt neque valida remedia per cibum potúmue sumpta in causa pulmonis curandi sentiantur. Si verò masticetur, plurimùm persæpe humoris ad fauces contrahit, quàm vel soluat, aut concoquat. Quinimo medicorum commune præceptum est, eos, qui faucibus laborant, à masticatione abstinere debere. Patet igitur tantùm in ecligmate sumendam, præsertim cùm non multa in capite materia resederit, sed ad fauces actis, vel salsus humor descenderit, aut musculi laringæ obrigauerint. Hac enim in causa, Galeno docente, summum præsidium expertus sum eam esse inter simplicia.

Camemillam

Camemillam haud ſolam vnquam vidi foris exuberi: parum enim vt nocet, ita minimum conducere ſolet. Extra oleum adminiſtratur: intus tamen cremorem eius, aliquando decoctum, nunquam ſuccum vidi propinari. Tres inſunt ei præcipuæ virtutes, doloris ſedatio, maturatio & calefactio ſine attractione manifeſta: attamen attrahit occulta attractione. Tertium eſt, quòd confert omnibus viſceribus ſub peritoneo contentis: hoc tamen oleo eius præcipuum eſt. Itaque laudem hoc ſimplex obtinet inter omnia ſingularem. Verum nec omni noxa carere quicquam poteſt. Nam intus aſſumptum ventriculum deijcit & laxat: eſt etiam in potu abominabile, calefacit etiam cum ſubtilitate, vt augeat bilem, &c.

Omnium igitur medicamentorum innocentius eſt ſerum, ſecundum manna, tertium rhabarbarum. Indiget ſerum præcipitatione & flatus diſcutione: manna robore ſolutionis. Eſt tamen & cibus: at rhabarbarum confirmatione & ſubtiliatione, ac caloris remiſſione. Inter alia autem ſimplicia liquiritia, & camemillo, nullum aut innocentius, aut plurium iuuamentorum inuenies medicamen. Hæc igitur de his dicta ſufficiant. Reliquum eſt, vt aliam rationem inducamus vtilitatis: venia enim omnibus ſimplicibus nocendi data, vel occaſione ſublata, ſunt tamen compoſita ſimplicibus præponenda, cùm etiam æqualis fuerint virtutis: vnde Auenzoar ipſe, Medicina compoſita cùm æqualis fortitudinis ſimplici comparata fuerit, fortius operatur, ac non ſolùm in primis, ſed & ſecundis ac tertiis virtutibus, cuius cauſam quinto colliget. Auerrois aſſignare nititur. Quòd ſi ita eſt, quis ſanè tam ſtupidæ mentis fuerit, qui compoſitam medicinam ſimplici non prætulerit? cùm non ſolum innocentior, & ſuauior, & ſed ad tollendos morbos præſtantior fuerit.

Extremam igitur nobis ſupereſt partem diluendis obiectis impendere, vt citra diſcordiam & animi trepidationem propoſitæ concluſioni acquieſcere poſſimus. Illud ſanè nos meminiſſe operæ pretiũ eſt, cuius ab Horatiano moniti fueramus, ſic commodum medicinæ officium impendendum, vt cum ſuſceptam cauſam curare cepetimus, alia non creetur. In hoc quidem aliquorum etiam nunc medicorum peccatum eſt, antiquitus verò frequens & manifeſtum. In quò quidem Catonem tantum inſaniſſe referunt, vt proprium filium cremore caulium occiderit. In hoc etiam peccato Plinium & Horatianum ſui præcepti immemorem fuiſſe palàm eſt, quanquam quartus ille liber ad Euporiſtum potius fabellarum, quàm medicamentorum videatur. Scribonium etiam Largum in hoc errore fuiſſe comperio. Nam longè diſtant valentiſſimum medicamen eſſe, vel innoxium. Primum ſimplici non deeſſe palàm eſt: ſecundum verò adeſſe impoſſibile. Igitur ſi non ſolum rectè & validè, ſed & tutè, quod Galeni præceptum eſt, morbum curare volueris, vel ſimplicibus emendatis, vel compoſitis medicamentis cura procuranda eſt. Quòd enim ſimplicia ad curandos affectus validiſſima inueniri poſſint concedo. Quòd innoxia, nequaquam. Itaque gentianæ vſum, vt mirabilem credo, ita ſolitarium non ſolum inſuaue valde, ſed & noxium puto. Ligno Indico non parua inutia ventriculi manet: vnde multos ſcio eo curatos ſecundùm ventriculum ab elephantiaſi poſterius longè deterius, quàm argenti viui inunctione habitos, maximè eos, quos ſecundũ naturam prius frigida pituita exercebat. Eodem modo aquas thermarum, quoniam miſcere non licet, non parua ſequuntur nocumenta, vt quoſdam hydrope occupatos earum potu viderim: cùm tamen egregia ſint iuuamenta, ab earum vſu abſtinere non licet. Nemo ſanè, quòd nocent, ignorat, verùm iuuamenti magnitudo vſui conciliat. Quamobrem ſicut imperiti medici eſſet in neceſſariis cauſis, ob aliquod detrimentum, earum vſum effugere, ita imprudentis & male fortunati, in lenibus cauſis ipſas exhibere. Aquæ tamen Indici, ebeni, cinamomum adiicito: ſic enim & velox operatio & fortior & mitior, & minus nocua erit. Nec tamen exiſtimare conuenit, fortibus vnquam ſanatos morbis his, qui nunquam affecti fuerint, pares eſſe. Sicut nec lignum, quod per ſe rectum natum eſt, ei qui multiplici flexione ad rectitudinem deductum eſt. Facit enim illa multiplex flexio, vt vires ac robur ligni, imò etiam compago ipſa aliquatenus ſoluentur. Totius igitur fuerit à morborum inuaſione ſe cuſtodire, etiam quòd certa ſanitatis ſpes non deſit, nec ſanationis incommodum adnumeretur. Quæ verò de thermarum aquis experimur, ea ſunt non abſimilia his, quæ ex aquis ſimplicibus quotidie fiunt iuuamentis. Ex acutis enim febribus plurimos ſanaui ſolo aquæ ſimplicis potu: non tamen negandum ex interiore non pariter lædi, videtúrque huius neceſſarius vſus magis, quàm vtilis. Rhabarbari tamen recordatio, ſi Auerroi creditur, plus omnibus medicamentis nobis negotium indicit. Nam cùm multorum medicamentorum vires egregias complectatur, non tamen ſimplex medicamentum refert, ſed compoſitum. At quia non arte, ſed naturâ compoſitum eſt, ideo nec ipſum per ſe omnino innoxium eſt. Deterius tamen nocumentum puto eſſe ficcitatem immodicam, cætera tolerari poſſunt, & ſi non laudari, nec in hoc naturam quiſpiam accuſet. Nam cùm cottum & lanam, & ſericum nobis parauerit, non propter id venit accuſanda, quòd non veſtes ipſas formauerit. Nam res ipſas nobis natura conſtituit, modum nequaquam, naturæque opus eſt medicamina parare, artis verò ad vſum accommodare. Sic liberalium Principum eſt dona populis concedere, iuſtitiam adminiſtrare, non tamen ipſorum eſt ſingula cuique, ſed magiſtratuum diſtribuere. Non enim diuinitatis aut nobilitatis eſt argumentum ſingularium curam gerere, ſed ſummæ humanitatis, qualem in noſtro principe experimur. Hac enim virtute in homine ſummæ authoritatis nil præſtantius inueniri poteſt.

SECTIO

SECTIO TERTIA.

De Admirandis curationibus, & prædictionibus morborum.

CVRATIO PRIMA.

De Atra bile & lepra.

HVnc librum in Catalogum cæterorum non solum ob paruitatem adscribere neglexi, sed quòd antea pars fuerit libri de libris propriis. Nunc postquam eam tractationem ab illa seiunxi, visum est, vt breuiter, quæ mihi in arte contigerunt mira, enarrarem: Galeni exemplo, in libro de Prædictione ad Posthumum fretus, imò illum potius imitatus.

Cum ergo Mediolanum sub finem anni 1534. rediissem, inops & omnium egens, quò me fortuna compulerat (neque enim solùm in collegium receptus non eram, sed etiam ab illis oppugnabar, grauique omnium, Fato quodam, inuidia laborabam: non amici, non res, non affines: sed ab omnibus desertus, illum Sinopensem Diogenem imitari, imò potius referre videbar) forte fortuna obtigit, quòd Cauenagus ad curam Principis accersitus, dimisisset eos phratrios, qui Canonici vocantur (sunt autem in eo genere monachorum, nam & Monachi à quibusdam appellantur nobilissimi) atque illi medicum quærerent, Franciscúsque Gadius tum templi collegio præpositus, quadam antiqua familiaritate mihi notus esset, suadente etiam Cauenago ipso, me pro collegij illius medico eligeret. Ipse autem loci antistes Gadius, tum iam biennio toto & atra bile morbo, & Græcorum lepra detinebatur: nec vllis auxiliis, quanquam à clarissimis viris curatus, leuari, nedum sanari potuerat: adeóque eum morbum molestè ferebat, vt dicere soleret, malle se mori, quàm tam grauiter assligi: hortabatúrque me, vt etiam periculosa tentarem remedia, quandoquidem secura nihil profecissent. Verùm felicior fui ego, quàm illi expediret. Namque ptisanæ vim assiduo, & cardium testudinum, leuissimis alioqui medicamentis, salis interdicta consuetudine, cum sex mensium spatio ita ab vtraque affectione curaui, vt numquam postea nec atra bilis ex mœrore animi, nec scabies ex mora sex annorum, quibus in Diomedea insula captiuus superuixit, redierint. Sed vt dixi, expediebat illi vt potius Themison aliquis fuissem, quàm Hippocrates. Septimo enim pòst, aut ad summum octauo anno, qui rex vocabatur apud suos, ab eisdem captus, misera multa primùm passus, & sub terram viuus defossus, vt etimina fa-

teretur, tandem in vinculis in excelso atque edito loco animam reddidit.

CVRATIO II.

De Antiquato vlcere cruris, cum aliis symptomatis.

DEinde cùm in vrbe esset Branda Scotus, frater Octauiani illius amici nostri, & ipse mihi familiaris, deduxit me in viam Sozzæ numeratæ. Vbi ingressus ad mulierem natam circiter annos triginta, quæ iam tredecim (vt ipsa referebat) annis super cathedra sedebat, quoniam vlcus in crure sinistro patiebatur, quod etiam tabefactum erat, atque debile adeo, vt nullo modo se sustinere posset. Erátque in ea tabes alia quædam totius corporis, & dolores per cuircuitus eam vexabant, vocabatur Martha Motta, quæ etiam nunc viuit: cùm iam exacti sint anni plusquam viginti, habitátque extra portam orientalem, nunc marito coniuncta. Eam curare aggressus, biennij spacio sanaui, atque in posterum ambulauit: núncque crus elongatum est, non tamen adeò vt non claudicet aliquantulum: peperitque filium, quamuis parum superuixerit. Dices, quomodo laborabat quadruplici morbo? corruptione, & retentione mensium, febre inordinata, qua etiam corpus siccabatur, contractione neruorum vlcere. Menses prolicere tam inueterato affectu non potui: sanguinem, fumaria, & lupo salictario, & aqua lactis, victúque humidiore meliorem effeci: vlcus ob id sponte sanatum est: neruum extendi in vnctione pinguedinis asini, & fotu vinaciarum sensim curaui reparare quod longo temporis cursu corruptum fuit, aut vitatum, aut tabefactum.

CVRATIO III.

De Melancholia & comitiali morbo.

CÆsarem Palauicinum, aliúmque nobilem ex oppido Gallarati, melancholia & comitiali morbo alternatim, quorũ vnus iam quindecim diebus (cum febre, Palauicinus alter iam sex mensibus, sed sine febre, verùm cum clamoribus) laborantes, & frustra à medicis vexatos, somniferis lotionibus capitis, & solo potu pulueris chrisolithi ex vino, in octo dierum spacio sic liberaui, vt nunquam morbus redierit.

CVRATIO IV.

De Tabe simplici.

EX tabe autem simplici innumeros sanauí: atque inter reliquos filios duos fabri lignarij, qui apud portam Tonsam habitabat. Erat autem præter victus moderatam rationem, ex pane cocto cum seminibus peponum contusis, ac colatis, aut ptisana, cochleis, cancris, testudinibus & potu vini albi, vnicum hoc præsidium: Sanguinem suillum, & cochleas purgatas, & ranas cum germinibus rubi in balneo Mariæ destillabam, & aquæ huius pro ætate quantitatem dabam, donec pingues efficerentur. Sic etiam sanaui filium Iacobi Mariæ Astolphi, tabellionis summæ fidei, amicique nostri.

CVRATIO V.

De Pthoe exquisita, & sanguinis sputo.

AT verò ex pthoe exquisita non nisi vnum seruasse me memini, Iulium Catium, institutorem iunioris ætatis Principis Mantuæ humanioribus literis: is perfectè sanatus est. Fuit autem cura longa & artificiosa. Et præter victus rationem humectantem & exquisitam, lutique Samij (quod nunc vocant Armenum) vsum, aquæque destillatæ per balneum ex foliis aristolochiæ & consolidæ seu symphyticum vinaciola & lichen, non satis memini an aliud addiderim præter rubi rosarúmque germina, aquas etiam calidas Veronensi ex agro Caldæræ vocatas exhibui. Ita seu diligentia, seu bona fortuna quadam & sua & mea vsus, sanatus est. Nec ignoro nunc multa posse addi: aloes succum in distillatione, & galliopsis radices, & vulpis pulmones, & lutum armenum: quod & tunc addidimus.

Verum qui non curati sunt, sed diu protracta sit vita, plures fuere: Donatus Lansa, Hieronymus Tiboldus, & Franciscus Serius, aliique multi: sed horum trium, quorum & miraculum & exitus idem fermè fuit, historiam narrarę decreui. Donatus itaque Lansa pharmacopola erat è regione templi Scalæ, vir probus, & musicus: & ob id Leoni Ogiono Musico, & qui me ea in arte instruxerat, maximè notus. Cum hoc aliquando transibam ante tabernam Lanzæ: atque ibidem paululum moratus cum Leone, verba forte fortuna de cura Pthoes habebam: ille autem ex taberna cuncta (vt postmodum intellexi) obseruabat, quæ dicebam. Vbi sermonem absoluimus, rogat me vt paululum in taberna conquiescerem, auditurus quæ narraret. Ibi omnia apperuit, & sanguinis sputum, & saniei, & febriculam, & extenuationem: rogat, vt si quid auxilij haberem, impertirer, haud ingratum futurum beneficij accepti. Itaque copiosè de omnibus disserens, adeò illum iuui, vt se sanũ aput omnes prædicaret: sputum tamen sanguinis non omnino cessauit. Hieronymus verò Tiboldus mercator, ad tabem natus, macilentus & alatus iam pluribus mensibus iacuerat in lecto, & pro deplorato habebatur, quòd saniem haud dubiè multam quotidie expueret, & consumptus esset totus, nec cartilagines integræ illi erant. Sed & hic reuixit, & impinguatus est, filiúmque ex vxore suscepit. Sextius autem, cùm illi iam duo fratres ex eodem morbo periissent, ad extremum consumptionis deductus erat: sed hunc non potui efficere vnquam, vt febris putrida relinqueret. Quamobrem vix tribus annis superuixit, & morbi vi absumptus est demum: reliqui longiore tempore, & non sine causa obiere. Lanza enim post quadriennium dum prætoris familiam effugit, è fenestra saltu se deiecit. Inde diu latuit in piscina: vnde cùm nec sic nisi iam diu à febre correptus, sibi prospexisset, quadriennio pòst obiit. Tiboldus autem totus è pluuia madidus, noctem in alea consumpsit, vnde cùm febri correptus esset, nec ego adessem, diu atque diu conflictatus, ac frustrà nostrum implorans auxilium, qui tum Papiæ degebam, quinquennio postquam releuatus erat, periit. Verum dices: Quibúsnam remediis leuati sunt? Iisdem, quibus Catius sanatus est.

Sed à sanguinis sputo, antequam prorsus tabescerent, multos curaui ac liberaui: Ambrosium Seronum, militem strenuum, cui haud dubiè vas in pulmone ex distillatione iam quatriduò disruptum erat: Aloysium quoque Pusanium tum adolescentem, qui etiam nunc viuit: & Cæsarem Bozium, cuius duo fratres proximis antè diebus eodem morbo absumpti fuerant. Cura fuit, qualis à Galeno describitur in Quinto Artis curatiuæ: hoc vno addito, quòd super renes lintea madefacta in succo plantaginis imponebam. Quo etiam auxilio curaui Ambrosium Castanum, virum propè septuagenarium, qui libras sanguinis supra decem euomerat: núncque etiam, cùm multi anni interiecti sint, viuit.

CVRATIO VIII.

De Phthoe febre, tussi, sputo puris, & spirandi difficultate.

SAnaui & neptem adolescentulam à Pontificis libellis, Datarium vocant, Francisci Altiati, postquàm velut phthoe pessima laborantem ipse ego pro deplorata reliqueram. Aderat febris vehemens, spirandi difficultas, maxima tussis, puris sputum copiosum. Itaque cùm cætera præsidia non valerent, iussi vt sola ptisana pro cibo vteretur, aquáque cum saccharo confecta: acciperet autem singulo mane vncias quatuor decocti caudarum & chelarum cancrorum in aqua hordei, cum drachmis duabus sacchari: conualuitque perfectè, & sanata est. Hoc eodem auxilio multos admodum curaui,

rauí, qui integræ ſanitati reſtituti ſunt. Erat autem illa, filia vnius qui ex phthoe vera obierat.

CVRATIO IX.

De Empyemate.

EX peſſimo autem empyemate, à medicis egregiis derelictum iuuenem, Adrianum Belgam, optimorum morum. Nam neminem illo gratiorem expertus ſum. Erat autem à libellis Don Alfonſi Pezoni, regij quæſtoris. Hunc itaque febre, tuſſi aſſidua, ſputo ſaniei, difficultate ſpirandi laborantem, miris modis curare aggreſſus ſum anno abhinc quarto: coactúſque ſum ſanguinem mittere, quòd magis periculum, quàm etiam morbum vererer. Inde teſtudinum vſu, & ſyrupo etiam ex illis confecto, exquiſitáque victus ratione (in qua alij medici non obſeruanda peccauerant, carnes & ouа concedentes) tandem eum liberaui ſic, vt vxorem duxerit, & nunc etiam ſanus, mei memor viuat. Vſus autem ſum in eo deſtillatis aquis, cuiuſmodi ſupra docui: tum decocto ligni Indi, cum humectantibus & expectorantibus melle ſiquidem, altheæ, & ſymphyti radice, ſcabioſa, glyzirriza, foliiſque longæ ariſtolochiæ.

CVRATIO X.

De Summa tabe cum fluxu ventris.

QVæ verò contigerint in hoc genere morbi in filiis Laurentij Gadij, tempus eſt vt exponam. Hic tabellio eſt. Contigit autem anno, ni fallor, 1546. vt duo filij morerentur ex ſimili fermè morbo. Ad tertium autem adoleſcentulum vocatus, qui & ipſe eodem morbo laborare videbatur iudicio parentum & domeſticorum, cum iam fluxu ventris & tuſſi & ſumma tabe detineretur, iudicaui celerrimè moriturum. Itaque cum alij quatuor filij & ipſi eodem morbo detineri viderentur, territus pater, quaſi de veneno ſuſpicabatur. At ego verecundè petij, vt cùm mortuus eſſet, qui iam grauiter laborabat, liceret corpus diſſecare, vt aliis proſpiceretur. Annuit pater, diſſecuimúſque Sed hac in cura & actione aderat Franciſcus Peregus medicus. Peracta eſt res: inueni in iecore puſtulas ſicut ciceris grana, candida, rotunda: in pulmone quoque alias, & partem oblongam liuidam atque fuſcam. Ex quibus coniectura aſſecuti ſumus, non eſſe venenum, curæque modum. Itaque hac ratione ſeruati ſunt omnes, qui ſuperſtites erant filij, & nunc etiam viuunt. Curatio autem fuit cum refrigerantibus & humectantibus, & vſu ſacchari roſacei aſſiduo.

CVRATIO XI.

De Diſtillatione & febre continua.

IN ſimili caſu fuit filius legati Reguli Mauræ, puellus decem circiter annorum: cui olim confracta caluaria, magnáque parte oſſis, capitis extracta, deſtillatio & febris continua adeò vrgebant illum, vt ego quòd eſſet illuſtris viri filius) miſerum primos ciuitatis medicos aduocari. Qui vbi ſuperuenerunt, nullam ſpem ſupereſſe concludebant. Itaque hoc videns, & ſolus in cura relictus, nouam curandi rationem mire cœpi: & humido victu imperato, ab ouis & carne abſtinens, mélque deſtillans, ac rorem Syriacum (quoniam & illud adiectum erat incommodi, vt medicamenta omnia reſpueret) 40. dierum ſpacio illum plenè ſanaui.

CVRATIO XII.

De morbo Gallico, hectica, duplici tertiana, & aliis.

VIrum quoque Illuſtrem Franciſcum Inaram Hiſpanum, præfectum ſtipendiis bellicarum machinarum, qui iam quinquennio perpetuo, magno patientiæ exemplo non ſolum morbum Indum pertulerat, ſed à diuerſis medicis excarnificatus, & pecunia magna ſpoliatus (referunt enim, ſupra mille aureos coronatos in medicos conſumpſiſſe) nihil iam reliqui habebat. Erat enim hecticus, duplici tertiana laborabat, vlcera in capite ſerpentia & inſanabilia: nec oſſa detraxiſſe profuerat: vigil, tabefactus totus, ac cum gipſeis tuberibus in cruribus variis doloribus conflictatus, nihilominus vnico præſidio vini Indici ligni, diebus in octuaginta, in quibus totidem accepi coronatos, planè pleneque liberaui, reſtituta carne, colore, viribus, vt poſtea plures ſuſceperit filios, & nunc beatus viuat. Porrò Indici vini deſcriptio hæc fuit: Vinaciola optima, cortex eius ligni in puluerem redactus, cinamomum noſtrum, garyophyli, lachrima abietis lota, roſmarinus, ſaluia, S. ſampſuci, thlaſpi, bugloſa, borago, meliſſa, radix ænulæ, ſtæchas, betonica, camepythys, ſanthalum, ſulphur non expertum ignem, ſena, cyclamen, colocynthis, caphura, mel, ſerapium è ſumaria, modò è ſucco, modò ex infuſo cum rore, thus, elleborus, cardamomum maius, piper, eupatorium, xiloaloes. Prandebat paſſam vuam edens, cœnabat comedens elixum pullum & panem in iure intinctum, ſumebat tum vuas paſſas. Verùm hæc multo poſt ſcilicet poſt reditum è Scotia.

CVRATIO XIII.

De Spirandi difficultate.

AD temporis ordinem reuertor. Cùm in multos sola spirandi difficultate laborantes incidissem, omnes quidem sanaui, sed paucissimi permanserunt in ea sanitate. Verùm vbi reciderunt, mortui sunt. Inter quos fuere Iacobus Zampana sacerdos, & Prothasius Roellus. Hi cùm primum ex eo morbo eò peruenissent, vt iam pollinctores & funus pararentur, reuixerunt, & plenè curati sunt. Sed Prothasius Roellus, cùm fessus & inflammatus ab exercitio, in templo Diuo Laurentio dicato diu quieuisset (est autem frigidissimum, etiam æstate media) correptus à febre, non potuit à me liberari: sed pulmonibus totis putrefactis, & per sputum reiectis, periit breui. Zampana prandebat hora decimaoctaua: & cùm bene perpotaret, ante vesperam cœnabat, cùm tamen sexagesimum excessisset annum. Ob id denuò reuertente morbo, non potuit amplius curari. Oportebat ergo per annum huiusmodi homines à morbis adeò sæuis liberatos, victu conualescentium regere, & sub arcta regula continere, tum maximè quòd senes essent. Indicio est, quòd Elisabeta Pagnana patricia, ex diuturna spirandi difficultate à me sanata, nunquam recidit. Curaui autem illos, victu tenui, vsu mellis, & decocto ligni, cum his quæ cum lenitate quadam siccant: velut isopo, thymóque: nec brassicam in cibis abhorrerem. Clauenzanus autem adolescens, nomine Iacobus, qui iam per septem annos spirandi difficultate laborabat, frequentibus & longis sæuisque accessionibus, desperatus ab aliis medicis, à me in duobus mensibus plenè sanatus est, factúsque pinguis: sed alia ratione. Dropace enim Pauli ad coxendicum dolores, addito melle anacardi, superimposito suturæ coronali, vna die fermè libras duas aquæ detraxi. Inde sequentibus diebus idem actum est, sed non tanta defluxit aqua: sicque liberatus est. Existimo cantharidas idem posse, quod anacardi mel & euforbium etiam. Miscebam etiam elaterij granum vnum vnciis tribus lactis, iubebámque eo tanquam errhino vti: & conduxit multùm. Atque hæc omnia prius præpurgato corpore, cum catapotiis, siccatóque victu tenui, sed humido tamen, parúmque alente, tum decocto Indici ligni pro potu exhibito. Periit hic iuuenis aliquot post annis, licet ab eo morbo prorsus liber, ex acuta febre. Existimo eum indiguisse victus ratione certa, & exercitatione diuturna in libero aëre, quòd cerebrum ab immodica intemperie liberatum, non bene ferret tantam mutationem: tum maximè, quòd (vt dixi) iam diu ea detentus fuerat. Qua etiam ex causa Octauianus Robia, à Senatus libellis, ab Indica lue ad mortem oppressus, cum summis vigiliis & tabe vltima maceratus, à cibis abhorrens, & febre putrida laborans, quamuis semel liberatus, quòd à liberatione immodicè se fructibus horariis repleuisset, quamuis ob iuuentutem non perierit, diu tamen conflictatus est: & recidit in eosdem ferè morbos, licet non adeò sæuos. Alij verò, qui à lue Indica à me liberati sunt, sine numero sunt, & quotquot penè voluerunt liberari: quòd illos diligentius monuissem, in sanitate recuperata permanserunt.

CVRATIO XIV.

De Renum calculo.

DOnato autem Lanzæ erat patruelis Simon Lanza, qui cum iam duobus penè mensibus renum calculo laboraret, irritis auxiliis, iussi vt inuncta manu cum oleo liliaceo, quis secundum vreteras eam deduceret, appositis etiam cucurbitulis supra natem lateris doloris: intráque tres horas lapidem satis magnum, vt postmodum apparuit, detrusit in vesicam. Sequenti die, vino è radice graminis epoto (quod etiam in antistite Phratrium canonicorum, & Hieron Gorla mercatore pannorum profuit) lapidem eiecit, & liberatus est. Idem anno sequenti frigidus totus cum esset, & sine pulsu, ex assumptione catapotiorum perperam à medico magni tum nominis, sed satis imperito assumptorum, rursus ad vitam restitutus est, iuribus pullorum, abstinentia ab omni cibo, clysteriis leuibus pinguibúsque, & calefactione extremitatum.

CVRATIO XV.

De Opsthotono.

LAborabat itaque multùm Donatus Lanza, & beneficio proprio, & experimentis in agnatum suum atque alios, vt nomen meum omnibus innotesceret, & vt in ciuitate inclaresscerem. Itaque cùm relicta taberna pharmacorum in domum Francisci Sfondrati se contulisset, qui vir & senator erat, & secretioris consilij, & multis nominibus dignus: forte fortunà contigit vt per eosdem dies puellus, ni fallor, septemdecim natus menses, febre ægrotaret. Aderat autem Lucas Cruceius, famosus medicus: dixerátque non esse periculum. Decimo tertio die superueniente, comitiali morbo subitò correptus est. Aduocatur alius celebris medicus: hæret, & meritò. Nam in decretorio die aduenerat, & à febre, erátque admodum validus affectus. Tum Donatus persuadet patri, vti me aduocet. Ille vt videbat periculi magnitudinem simul, & alterum medicorum deceptum, alterum hærere, misit statim ad me: non inueniunt. Paulò pòst bona quadam fortuna rediens domum, intelligo me vocari. Accedo illico, non solum quòd vir illustris esset Sfondratus, sed quòd etiam de

me

me bene meritus. Ibi inuenio medicos: respicio puerulum, animaduerto contortum collum retro habere. Dico coram omnibus, laborare alio morbo, etiam grauiore, quam comitiali. Quærunt quo? respondeo. Opisthotono. Ad vocem insolitam omnes silent, coniiciuntque in me oculos. Tum Cruceius exponit, quid hoc nomine significetur: deinde rogant, quare id dixerim. Tum ego puerulum attolli iubeo: vident retortum collum retro velut arcum, nec hoc contentus, admoneo vt conentur dirigere: nihil proficitur. Tum Cruceius, vt erat vir minime malus, seu numine impellente, inquit: Ecce non est similis Hieronymo in dignoscendis morbis. Ad hæc verba obstupuerunt omnes, vt qui scirent quanta apud medicos laborarem inuidia. Tum patet; Estne modo auxilium huic morbo? siluerunt socij. At ego, ne gloriam partam scientia artis, fortunæ arbitrio committerem, respondeo: me tentaturum omnia, nihil posse polliceri, quod morbus natura lethalis esset. Medici reliqui coniiciunt totum onus in me, ne si puer interiisset, quod scirent notum omnibus esse quam mihi aduersarentur, ego in illos culpam reiicerem, postquam iam persuasum esset astantibus me solum, morbum agnouisse. Hac igitur in parte fortunam propitiam habui, sanauique puerum, & satis breui: qui nunc à dignitatis cuiusdam nomine Bato vocatur. Itaque ex ea hora tantum gloriæ mihi accreuit, vt si vel integro anno Sfondratus Mediolani mansisset, omnes ciues ad me confluxissent, atque ita breui primum locum inter medicos nostræ vrbis obtinuissem. Sed Deus qui me ad maius munus vocauerat, effecit, vt nondum expleto bimestri spacio Sfondratus abierit: & interim etiam mortuus est Donatus Lanza. Tantum tamen mihi profuit hoc factum, vt nunquam deinceps coactus fuerim cogitare de moderando expensas, sed vt pro earum magnitudine laborem augere vellem. Quæris, quomodo sanauerim? tribus auxiliis? Breuiter dicam: abstinentia à carnibus, vino, & ouis: linteis in oleo camemelino & liliaceo perpetuo impositis cruci, partibusque, quæ contrahebantur: & medicamento, quod constabat ex Mithridato, & triplo sacchari rosacei, & electuario de moscho, tum margaritis, Hyacinthis, Smaragdisque orientalibus. Id quadam bona fortuna apud me compositum erat Miscebatur serapium, ex citri seu mali medici succo.

CVRATIO XVI.

De Articulorum morbis.

EX arthritide autem & articulorum morbis primum Io. Antonium Scazosum, Io. Baptistam Mareschalcum à Senatus libellis, & filiam Io. Angeli Litrati, tum alios innumeros. Sed iuuat horum trium insigniorum curam narrare. Laborabat ergo Io. Antonius Scazosus biennio arthritide, nil proficientibus medicis. Quem ego exhibitione decocti ex ligno cum betonica, & catapotiis ex hermodactylis, curaui. At Io. Baptista Maresschalus quatuor iam mensibus (eratque mensis ille, quo curare aggressus sum illum, Decembris) cõflictabatur, præterea duabus febribus: vna intermittente altera continua: & quod omnium deterrimum fuit, cibum omnem auersabatur: & fermè immobilis cum esset, merito à medico suo vel pro insanabili habebatur: vel expectandum ver ad curam contendebat, ob idque diffidebamus. Ego enim non existimaui hoc faciendum, quandoquidem affectæ particulæ in dies fiant imbecilliores. Neque enim in humano corpore quicquam quiescit: sed si non in melius proficiant, necesse vt in deterius prolabantur. Itaque colocynthidam in melle coxi puro: mel autem odoratis mistum, velut offam deuorandam dedi: decoctumque interim ligni ex aqua propinans, ante finem hyemis perfectè sanaui, vt nunquam postea in eum morbum reciderit, & adhuc viuit. Filia autem Angeli Litrati iam biennio experta non solum omnes medicos, sed etiam circulatores, sumpserat vinum, aquam, vnctione, & suffumigia ex cinnabari factitio, nec sanari poterat. Dolebant ei crura, ac tremore vexabatur ita, vt totas noctes vigil persæpe duceret, absque spe vt par erat, tot frustra tentatis potentissimis auxiliis. Itaque exhibito vino cum optimo cortice, curandam interim particulam ipsam suscepi: excogitatoque præsidio, quod & causæ morbi & morbo aduersaretur, ipsum confirmaret membrum, lachrymæ ligni magnam quantitatem excipi iussi: qua cum thure, ligno aloes, semine balsaminæ, styrace odorata, cortice citrij mistis, & sæpe cruribus eo suffumigio calefactis (aderat & lapis gagates copiosus) sanata est perfectè, conualuitque. Liberaui etiam Petrum Antonium Besutium, iuxta ædem sacram Breram, non procul à Porta beatrice laborãtem arthritide, eisdem pene auxiliis, quibus etiam Scazosum, cum hi à medico suo omnibus in deterius labentibus destitutus esset.

CVRATIO XVII.

De Sciæ morbo.

EX Sciæ morbo, quem inexpugnabilem esse putant, multos liberaui, imo præter Ælum, quotquot in manus meas venerunt: atque inter reliquos, vxorem Hannibalis Crucei, à Senatus libellis, amici nostri, viri præterea eruditi, iacentem cum doloribus intolerandis, & ea parte, qua coxendix afficiebatur, etiam immobilem iam per quatuor menses. Tum mihi tempus anni æstiuum fuit. Aquam igitur ligni, multo admisto agarico, & multa radice pytiusæ, cum gingibere, cinamomo, cardamomo, maiore pyretro, santhalisque citrinis, saluia & rore marino exhibens: cum moderata, non exquisitissima victus ratione, quam ferre non potuisset ob morbi longitudinem

Demum, cùm ex his coxendix non leuaretur, drapace Pauli impoſito, perfectè eam paucis in diebus liberaui.

CVRATIO XVIII.

De omnium membrorum contractione.

QVod verò contingit de Gaſpare Roulla (vix enim aliter ſcribi rectè poteſt, vt profertur (caupone triumtibicinum è regionè aedis noſtræ Mediolani, adeò miraculo proximum viſum eſt omnibus, vt multi ad hunc viſendum accurrerent. Nam nulla vi humana ſanari poſſe videbatur, antequam per nos ſanatus ſit. Sed libet narrare hiſtoriam. Iacebat iam per annum integrum contractus in lecto, ſed ſupremis quinque illius anni menſibus totus immobilis, non pedem, non caput aut brachium mouere poterat, neque aliud quic quam. Præter dolorem enim ingentem, membra, vt lapis, rigida obduruerant. Et erat media hyems. Conſtat hunc à me intra quadraginta dies plenè ſanatum, non admiratione, ſed ſtupore maximo eorum qui illum viderunt. Alij enim ſideratum, alij perculſum diuina ira, alij reſolutum, alij dæmone correptum dicebant, ita vt non deeſſent ſupplicationes & execrationes. Hunc itaque ita curauimus. Abſtinuimus ab omnibus vnctionibus, quorum vſu maximè non recte præpurgato corpore, in tantam morbi magnitudinem deuenerat. Miſimus ter ſanguinem, quamuis maxima cum difficultate, quòd brachia contracta eſſent, nec poſſent extendi. Indurauerat enim, vt dixi, velut ſaxum aut lignum, totus ceruix, crura, dorſum & brachia. Sed & dum curarem, ſæpius de ſalute deſperauit, adeò vt à cura me deſiſtere vellet. Primis enim vigintiquinque diebus non alleuatus eſt vel minimum. Sanatus autem eſt cura Mareſchalci: ſed, vt dixi, ter miſſo ſanguine, non ſolùm ob morbi magnitudinem, ſed etiam quòd ex vitæ ratione & ipſo morbo coniectarer, totam ſanguinis congeriem corruptam eſſe. Nec fefellit me vlla ex parte de hac re iudicium factum. Siquidem totus qui exiit ſanguis, putridus erat. Remanſit tanti mali veſtigium, collum obtortum: & nunc Alexandriæ etiam (vt audio) cauponam exercet.

CVRATIO XIX.

De Podagra.

QVinetiam ex podagra & Franciſcum Tagainum ſacerdotem, amicum meum, quandiu vixit (vixit autem ſenex) & meipſum, & alios omnes quotquot parêre conſiliis meis voluerunt, in perpetuum nullo negocio ſeruaui incolumes. Ea autem fuit ratio, vt manè ſolum olus aliquid aut mel cum pane ederent, exercerentur ieiuni, & aluum mollem haberent: ſummóque ſtudio vitarent, ne abſque fame, aut cum eruditate, aut nauſeabundi cibum ſumerent, vterentúrque vino albo. Medicamentum noſtrum ad præſeruandum recipit cuperoſam, ſemen baſſamine, aſphaltum Iudiacum, & xiloaloen, aut cinamomum.

CVRATIO XX.

De Cæcitate.

SEd & cæcitatem in non paucis ſanaui, nondum tamen confirmatam, ac præcipuè in illuſtri antiſtite Bonromeo: quem cùm non tam morbus, quàm medici excæcaſſent, curantes oculum, qui nullo morbo laborabat, purgantéſque iam debilitatum, eodem proceſſerunt, vt non ſolùm non ſanauerint, ſed in deterius deduxerint hominem. Erant autem eius temporis primarij omnes: ſed in medendo parùm, vt etiam reliqui, proſpicientes Forſan id mirum videri poteſt: at non eſt. Nam difficillimum eſt in regno humano plurimùm habere authoritatis, & in naturæ regno multùm poſſe. Et rurſus impoſſibile prorſus, in humano atque diuino. Non eadem placent Deo, quæ hominibus, nec quæ hominibus aduerſantur, Deo rurſus grata ſunt. In eodem enim genere ſunt & quæ placent, & quibus homines offendimus. Conſpirationes, doli, iniuriæ, authoribus ac ſociis malorum placent, Deo diſplicent: his qui vexantur, & patiuntur. Deliciæ autem, inertia, luxus, nobis placent, Deo diſplicent, & ſi non offendantur homines. Verùm modum, quo ſanauerim, ſeu potius iuuerim, nunc dicam. Iuſſi vt abſtineret à medicamentis omnibus purgantibus, vt vteretur fœniculo & euphragia, conſpicilia etiam perpetuò gereret. A quibus dum ferret, ita leuabatur, vt ſine impedimento interim cerneret: ſed & in poſterum abſque illis melius videbat. Hic poſtmodum fungis malis deuoratis, cùm ego non adeſſem, periit. Leonem Ogionum, cùm diu conflictatus eſſet oculorum morbo, medicamento ad parotidas ex cantharidibus appoſito, ſtatim multa aqua defluente liberauimus. Indicium curæ fuit, aliis præſidiis non potuiſſe ſanari. A cæcitate etiam, ligni Indi decocto, eruditionis non vulgaris amicum vindicauimus, Io. Antonium Comitem, cùm aliquot menſibus parùm aut nihil videret.

CVRATIO XXI.

De Febre ſingultuoſa, & de continua.

SEd & eundem Ogionum anno præterito ex febre ſingultuoſa, quem aliàs tantum ſemel videram, ſanaui, dum iam excederet annum octuageſimum. Exhibui abſinthium, & oleum amygdalinum, & oxymel aſſiduè. Extra verò abſinthij ſuccum, cum oleo amygdalino dulci. Exiſtimaui, vt par erat, membra eſſe ſicca: manum, quæ in illis continebatur, lentam. Alius item

item seruatus est, quem vidisse dixi, sed ille iuuenis erat: vt quod maximum esse antea putauerant, non esset formidandum. Verum multum interest, quòd singultus cum febre vel antea aduenerit vel pòst. Agnetem quoque Claudij Galli (qui solus ex ea gente in nostra ciuitate mercator supererat) iam nouem mensibus continua febre laborantem, postquàm extremam sumpsisset vnctionem, sanaui: quanquam sæpe vir suus, Vale, mihi diceret, non posse id fieri ratus. Habitabat tum in via, quæ à templo magno ducit ad Bouleuterium vetus, & nunc quoque tabernam mercium ibi habet. Simili miraculo sanaui Iuliam Rotoram, vxorem Io. Baptistæ mercatoris insignis, laborantem febre continua cum tumore & dolore in hypochondrio dextro: tussi quoque & spirandi difficultate adeò magnis & assiduis & confirmatis, vt vix vno aut duobus diebus superesse posse existimaretur. Ergo diæta exquisita robustior facta, & tursus misso sanguine, & vbi remisit febris decocto propinato ex ligno Indico, conualuit, & nunc etiam viuit: quam tamen repetentibus febribus, vix post triennium incolumem præstiti

CVRATIO XXII.

De Vertigine.

CLementem pocillatorem illustris Principis Bentiuolæ iam non audentem progredi ob vertiginem sæuam, qua incertis horis, sed assiduè corripiebatur, aquæ decoctæ cum ligno Indico, & corticis eiusdem dimidio, tum agarico, stœchade, saluiæ betonica, seseli, semine leniſtico, rosmarinóque sanaui. Nec in posterum eiusmodi symptomate correptus est. Reddidit hic mihi gratias ingentes. Dolorem capitis quoque annorum viginti septem, in Francisco de Puteis, sacerdote D. Nazarij, mitigaui: cum alij non potuissent. Plurimùm valuit, à pinguibus omnibus, & validis ab Hippocrate nutrimentis vocatis, abstinuisse.

CVRATIO XXIII.

De Febre & Catalepsi

MArtiano mercatori duo filij ægrotabant, quorum natu maior annos natus (ni fallor) octo, post delyrium, sensum, & vocem amisit: aderátque febris & vrina aquosa, & vites imbecilles. Minor natu eò tendebat, sed nondum tanta morbi magnitudine correptus erat: nam natu maior iam decem dies in amentia degerat. Intellexi absceſſum esse in capite ex genere catalepsis, cùm detinentur sensus atque motus, proximo affectu sideratorum. Verùm vtrunque sanaui, facilè quidem, vt par erat, natu minorem, difficulter autem maiorem. Summa curationis, quandoquidem aliter parùm proficere poteram, in cucurbitularum sine sanguinis detractione assiduo vsu fuit, & ciborum abstinentia ac somno: cùm alij pessimo argumento & nutrirent abundè, & vigilias imperarent, Galenum & Auicennam de grauis soporis cura perperam interpretantes.

CVRATIO XXIV.

De Quartana duplici.

AQuartana etiam non paucos, sed inter alios filium Bartholomei Cressi Pistorienſis ciuis, cùm iam septem mensibus, eáque duplici detineretur, incredibili celeritate: vt etiam vxorem eius, matrémque, quartana laborantes, ex diarrhœa totidem mensium: ambo enim in lecto iacebant. Cura fuit, vomitibus, abstinentia cibi in diebus accessionis, purgatione cum pharmaco Amechio, inūctione dorsi hora frigoris ex oleo de scorpionibus, & pinguedine anseris, & gentianæ succo. Alios verò curaui succo radicum verbasci, in potu dato.

CVRATIO XXV.

De Vteri antiquis doloribus.

EX vteri antiquis doloribus curaui vxorem pharmacopolæ trium regum: quæ postmodum erga me tanti beneficij memor, semper grata fuit. Viuit adhuc, cum iam à curatione anni circiter vigintiquinque præterierint. Summa curæ fuit, purgato corpore cum his catapotiis. Recipe corticum cassiæ nigræ, cassiæ odoratæ, cinamomi, corticum citri, betonicæ, radicum pytyusæ, zedoariæ, galangæ, & tryferæ magnæ appellatæ. Inūngebam locum assiduè ex oleo delino, liliaceóque: atque ita conualuit.

CVRATIO XXVI.

De Inexpugnabili dolore præcordiorum.

DOlorem diuturnum inexpugnabilem circa præcordium dextrum, cum vomitu bilioſorum & crudorum, à Cauenago & Candiano tum celebribus medicis frustra tentatum, in Octauiano Mariano patricio vito, redeuntémque per circuitus, ego solus tandem curaui: sed maximè prandij consuetudine sublata: inde misso sanguine, purgato corpore, decoctóque ligni sancti exhibito. Sed vix intra duorum annorum, ni fallor, spacium (cùm morbus ipse sæpe iam abiisse, & hominem reliquisse visus, rediret) iniunxi, vt à crudis abstineret, & puluinaribus ventriculum & præcordia foueret.

CVRATIO XXVII.

De Vrinæ profluuio & sanguinis mictu.

POrro ex vrinæ profluuio primùm meipsum, & filiam Paluicinæ adolescentem, & quotquot in manus venerunt curaui, cùm in aliorum manibus omnes perierint, quamuis primarij medici illi existimarentur. Cùm verò quendam coram aliquibus illorum vna fermè die sanassem, qui iam penè per mensem curatus non solùm nihil profecerat, sed penè interierat, admirabantur, cùm tamen res non esset admiratione digna. Abstinebam à purgantibus medicamentis, illi dabant: abstinebam à pinguibus, illi ad eorum vsum hortabantur, dabam vuas passas, admittebant: lentes non admittebant, nisi inuiti: calidis vtebar, illi frigidis: renibus astringentia imponebam, illi verebantur ne conclusa vi, aqua redundaret ad viscera principaliora. Plumam detrahebam, huius non meminerant. Lauabam sæpè pedes, & hoc negligebant. Vinum dabã album, id iure non conuenire dicunt. Prohibebam à cibo exercitationem, somnum iniungebam. Hæc duo solùm cum illis fuere communia præcepta. Cæterùm post hæc inueni, ad huiusmodi affectum auxilium præstantissimum, quod in librum de Secretis retuli. Liberaui & Antonium de Caio, in domo Io. Antonij Maioragij laborantem ex casu ab equo sanguinis mictu. Hoc non inter admiranda recenseo, cùm morbus etiam ab alio sanari forsan potuisset, quamuis magnus, sed ob auxilij vtilitatem: succo enim radicis eius, quem rauanellum vocant, illum paucis admodum diebus curaui.

CVRATIO XXVIII.

De Dolore capitis cum tussi & difficultate spirandi.

IAm verò quæ contigerunt in Io. Paulo Negrolo, mercatore non vulgaris nominis, quæque toti vrbi nota sunt, tempus est vt commemorem. Tanta enim fuit res, vt plerique obstupuerint, omnibus verò maledicis perpetuum silentium sit impositum. Pertransibo autem breuissimè rem omnibus notam, vt posteri eam sciant. Laborabat igitur hic capitis dolore grauissimo, cum tussi & difficultate spirandi, iam biennio: & vt erat liberalis admodum & ingenui animi, tres medicos, primos ciuitatis absque dubio, aduocauerat: cúmque illi curando nihil profecissent, in eam opinionem (vt audio, idque etiam ab vno eorum accepi) deuenerũt, vt esset phthisicus, & omnino insanabilis. Spe igitur omni destitutus, ad me venit: rogat vt opem afferam. Fuit dies illa Iouis: iubeo, vt sequenti mane operiatur in lecto. Eo ad illum: omnibus bene pensitatis, pronuncio ipsum sanandum, factúmque vt die Mercurij sequente intelligat se posse sanari. Describo igitur quædam in rem facientia. Sequente die admoneo eum pharmacopola Castellinus, vt desistat: tam calida enim esse medicamenta quæ scripsi, vt si eis vtatur, vitæ periculum subeat. Quo consilio id egerit, tibi æstimandum relinquo. Die dominico, cùm diu sortem suam languens defleuisset, decreuissétque abstinere his auxiliis, nec amplius fidere consilio meo: admoneor ab Ambrosio Serono, quem postea (vt superius dixi) ex homoptoi curaui. Accedo ad ægrum: post multa impetro, vt pharmacopola vocetur: aduenit. Interrogo, quænam sint illa medicamenta calida? Tandem, vt breui rem peragam, fatetur se ignorare singula medicamenta cuius naturæ sint: hócque pertinere potius ad me, quod etiam verum erat. Itaque conuictus propria confessione, accersitur alius pharmacopola. Quid plura? die Mercurij accedo ad illum, lætum inuenio. Proh superi, inquit, vera pollicitus es: quomodo tam celebres medicos tamdiu latere hic morbus potuit? tum ego, Non latuisse puto, inquam, sed quisque iudicio suo vtitur in medendo. Hinc fit, vt ego in te fortunatior sim, alius in alio. Vt verò rem paucis peragam, intra viginti duos dies perfectè sanatus est. Quæris modum? Idem fermè, quo Inara sanatus est. Purgaui illum catapotiis Galeni, ad catarrhum, quinto Methodi: inde ligni Indici decocto, cum colocynthida & aromatibus: detraxique prandium, solum panem bellariáque concedens.

CVRATIO XXIX.

De hectica, arthritide, tabe, hydropisi & vlcere perforante vesicam.

POst hæc vocatus ad affinem suum Nicolaum Siccum, hecticum, arthriticum, tabefactum morbo regio, aqua intercute, & resolutione laborantem, non curaui: sed ita leuaui, vt iam omnibus, præterquam mihi ipsi, sanus videretur. Si voluisset de vita curare, viuere potuisset. Superuixit quinque annis. Fuit mistum curandi genus, in multiplici morbo. Iuuit decoctum Cynæ radicis, plus aliis auxiliis. Sed & Cæsarem Barbauaram, patricium virum, duobus annis in vita retinuimus, quanquam vlcere vesicam perforatam haberet. Hic tamen nunquam sani viri munia obire interim potuit: sed ei facultas, alteri voluntas, ad recuperandam integram valetudinem defuit. Multa mihi præter hæc præclara auxilia fuerunt ad cordis palpitationem, quo me à nativo morbo, alios quoque plures vel vna die in perpetuum sanaui. Et ad viginem, flagrantiámque vrinæ: quæ nunc commemorare non est necessarium, quòd secreta sint.

CVRA

CVRATIO XXX.

De Hectica lepra & ascite.

TRanseamus ad eorum ægrotantium narrationem, qui à me his medicamentis curati sunt, quæ publicare fas est. E quibus celebre illud est, quod contigit in Francisco filio Philippi Peragalli. Annum is agebat duodecimum hecticus, asciticus, leprosus, putrida etiam febre laborabat. Curabatur à Gotifredo Castillioneo, medico non vulgari: verùm in melius non proficientibus remediis, aduocatus sum. Vix erat vbi inciperemus. Iecoris dolor præterea vrgebat. Consilium fuit nostrum, vt pane vteretur ex zea, cum aqua cineris confecto, seminéque fœniculi, & dimidio triticeæ farinæ. Curationis autem vis fuit, succus cichorij, cum erithrodani puluere, atque spicæ. Eo deuenit, vt singulis diebus ad libras decem aut duodecim vrinæ mingeret. Atque ita is quoque persanatus est.

Atque hæc de ægris insignioribus, qui ex morbis desperatis à nobis curati sunt: quanquã innumeros alios temporis longitudo & obliuio aboleuerit. Neque enim nisi paucis abhinc annis huiusmodi miraculorum rationem habui. Hoc vnum satis sit, me semper in artis operibus felicissimum fuisse, adeò vt nonulli ad casum, alij ad dæmonem referrent. Verùm vt nemo felicior perpetuo successu in curando, ita nullus ab erroribus & casibus aduersis tutior meipso fuit: adeò vt in tota vita vix ter aut quater siniſtrè res cesserint. Itaque si ad fœlicitatem medendi respicio, haud piget fortunæ meæ: quandoquidem videam Galenum tam paucorum meminisse, quos ex deploratis morbis sanauerit. In libro enim de Prædictione ad Posthumum, meminit Eudemi senis, in hyeme à tribus quartanis curati: & vxoris Bæthi, cuius morbum reliqui medici ignorare videbantur: tum Demadis thetoris, & familiaris Charilampi cubicularij. Sed horum duorum casus haud insignes fuisse reor. Meminit & iuuenis eius, decimo artis curatiuæ, quem Thessalici medici inedia penè perdiderant, vt fermè tota hæc summa in tres reducantur. Verùm tamen Galenus non tantum curandi arte, quantum scientia dissectionis & prædicendi inclaruit. Admirabilem enim in hoc genere fuisse, scripta eius de Pulsibus tam egregia testantur. In curando verò si maiora exempla edidisset, vir gloriæ cupidissimus, qui toties de prædictione gloriatur, quique etiam minima scriptis suis inseruit, existimant aliqui non prætermissum fuisse. Verùm conscripsisse multa talia credo, atque etiam maiora in libris de Cura vniuscuiusque morbi propria: sed hi libri magna humani generis iactura, vt reor, periere. Sed his omissis, non solum in curando, sed in cognoscendo morbos, ac prædicendo, adeò felix fui, vt æmuli ipsi hoc mihi munus sponte tribuerint, non solùm quòd id fatendo maiorem fidem in aliis viderentur habituri: sed quoniam, quæ contigerunt, supra artis ipsius vires esse viderentur.

PRIMA PRÆDICTIO MORBI admiranda cum curatione, à veneno sumpto.

NArrabo autem è multis pauca, atque inter cætera quid contigerit Baptistæ Syrtiro mercatori prædiuiti, tum vxori ac filiis. Eius enim primum vxor ægrotauit, cúmque nihil proficerent auxilia familiaris medici, antequam illa obiret, ægrotauit & ipse coniux. Ob idque alium quendam Themisonem turgidum, & multa deblaterantem, maledicum, in medendo infœlicissimum aduocauit. Is licet medicamenta nulla suo more, vt eruditus videretur, adhibuisset, multáque (vt solitus erat) differendo adduceret, partim falsa, pleraque ex ignobilibus quibusdam empiricis contra alios medicos, nihilò felicior in cura fuit: quippe æger defunctus est. Interim iam omnes filij ægrotabant. Ego autem solitus eram tres fratres defunctl mederi, Paulum, Euangelistam, & Benedictum. Itaque videntes hoc nihil profecisse, & quia res arbitrio eorum agebatur defuncto fratre, aduocant me. Ego perpendens rem diligenter, cognoui veneno illos esse affectos. Doceo patruos: iubeo aduocari socium, eum qui primus in cura vxoris fuerat, veluti testem: præstitis auxiliis, scilicet copioso lactis potu, quamuis febrirent omnes, conualuerunt. Inter hos erat puella minor natu annos agens circiter octo, quam ania existimabat sub occasu solis perituram, quòd iaceret vt mortua, irridebátque adhibentem auxilia: minúsque ob hoc mihi fidebat, quoniam crederet quadam iuuenili ac prorsus temeraria spe me ad curandum accessisse. Memini autem, quòd pueri ipsi conuellebantur etiam, præter reliquos morbos: sed & illos postmodum curaui solus. Viuunt etiam nunc omnes, præter infantulum: qui postquàm sanatus fuit, à nutrice dormiente suffocatus est. Verùm in curatione ipsa vsus sum in omnibus medicamento illo, quo Sfondrati filium sanaueram.

Prædictio II. *cum curatione febris.*

SOrorem quoque Io. Pauli Negroli, cuius superius feci mentionem, iam duobus mensibus febre, sed magis quàm pro febris ratione conflictatam cùm cognouissem, dixissémque in vtero habere, intra quinque dies sanaui, exhibito diamargaritone: peperitque filium primogenitum, qui adhuc solertia mea superstes est.

Prædictio III. *cum curatione.*

BArtholomeum etiam Marianum, cùm falsò existimaretur phthoe laborare, atque ob id pro deplorato relictum, in viginti diebus sanaui, morbi intellecta sede.

Sed non solùm in dignoscendo præsentia, verùm futura prædicendo curam adhibui.

bat. Cuius testimonio sunt tot præclara præsag a : atque inter multa, imò innumerabilia, adeò vt vatem me verum prædicent, nec vnquam de errore quisquam acusare me ausus sit.

Prædictio IV. *ex pulsu.*

MEmini inter reliqua, quòd cùm laboraret Ludouicus Madius puer, annum agens circiter vndecimum, aduocatúsque essem cum alio celebri medico, nec videretur puer grauiter laborare, quod & febris remissa foret, & puer facilè morbum ferret: dixi matri, futurum, vt aliquando hic puer repentè ex hoc morbo in grauissimum affectum incideret, à quo vix euaderet. Cùm illa causam scisciteretur, respondi, me ex venarum pulsu id intelligere. Nunciauit hoc illustris fœmina alteri medico : qui cum eadem hora, qua ego solebam, scilicet sub noctem, puerum non inuiseret, dixit, quod & verum erat, hanc tantam mutationem se non percipere. Nam aliis horis non tanta erat inæqualitas, quæ vel ab ipso, vel à me, si tunc solùm tetigissem, percipi potuisset. Cúmque ego hanc diuersitatem augeri in dies viderem, affirmaui semper hoc futurum. Quod & contigit: namque repentè post dies fermè viginti, cùm grauissima spirandi difficultas inuasisset, miserunt ad me, & venienti occurrit mater flens, ac dicens : Heu quàm verus vates magno meo malo fuisti. Itaque obiit puer altera die. Ob id verò, tum etiam alia experimenta, cùm toties abierim, nunquam me deseruerunt. Quæris forsan, quod genus pulsus tantum periculum significare potuerit? Erat inuens & miurus, & inæqualis etiam, atque inordinatus: semper autem humilis, nec ad cutem elatus, sed profundus. Quæ omnia indicabant causam opprimentem & firmam.

Prædictio V. *ex pulsu.*

CVm verò reuersus essem in patriam, ægrotabat Io. Iacobus Resta, duóque aderant egregij medici. Aduocor : dixi, laborare cerebri abscessu. Senior contradicebat : alter non negabat, sed posse adhuc sanari sperabat. Sequenti die, cùm adhuc conuenissemus, qui pridie negauerat laborare abscessu, credo, immemor eorum quæ dixerat, abscessu cerebri iam quatriduo laborare fatsus est : ob idque mittendum sanguinem, quod & alter medicus censebat. Tum ego nihil obiiciens de pristinæ diei contentione, respondi, non laturam virtutem. Cùm verò ipsi concordes contradicerent, vt viderunt me dicentem statim casuras vires, etiam dum sanguis mitteretur, mirabantur: neque enim causam vllam adiiciedam, cur id ego expectarem. Quamobrem surrexerunt, diligentius pulsum exploraturi. Cúmque vnà ad ægrum iremus, tentatis venis, iam prorsus cecidisse vires cognouerunt, & admirantes abiere. At ille paulò pòst mortuus est. Tum iunior quendam submisit, qui me interrogaret, qua ego arte id deprehendissem? Cùm respondissem, ex pulsu : At & nos, inquit ille, pulsum percipimus. Quasi idem sit pulsum sentire, & omnes illius differentias exactè assequi. Erat enim pulsus ille humilis, inæqualis, inordinatus, nec tactui resistebat. Vnde non solùm oppressionem facultatis, sed etiam resolutionem significabat. Declaratum enim est in medicis expositionibus, quatuor modis deprehendi facultatis imbecillitatem : quæ cùm summa est, præsentem mortem nunciat.

Prædictio VI. *ex solo aspectu.*

NVper verò, cùm ad quendam ingrederer, neque lotio, neque vlla alia re visa, nec ægro interrogato, pronunciaui ex solo ægri aspectu, illum magna spirandi difficultate laborare, non posse dormire, & pedes tumidos habere. Ille admiratus prædictionem, inquit : Non solùm pedes, sed & crura tumida habeo, iámque sex diebus noctibúsq; vigilo, & spirandi difficultate maxima laboro. Tum ego suis, moriturum breui, dixi. Mortuus est sexta die, postquàm illũ inuiseram. Quomodo autem id assecutus sim, quatuor verbis explicabo. Cùm accessissem, sedebat in lecto ægrè spirans, omoplatásque trahens : quod maximæ difficultatis spirandi argumentum est, & faciem tumidam habebat. Vnde clarum erat, qui sic afficiuntur, somnum capere non posse : debilitatis inde viribus, aqua intercute à pedibus veluti remotionibus à corde corripi : quod & tumor faciei apertius ostendebat. Denique, ne singula prosequar, in prædicendo adeò felix fui, vt neminem mihi vel æmuli ipsi præferant, cùm quidam vel plus mihi tribuant quàm res ipsa exposcat. Alij facilè cesserint, modò laudis in arte aliquid remittere velim. Non enim existimant prædicendi partem medicæ artis propriam esse, ac medico vt reliquas conuenire. Verùm non tam est prædictio hæc nostra ad ostentationem (vt plerumque esse solet) sed potius ad ægrorum.

Prædictio VII. *in exhibitione medicamenti purgantis.*

NOn pigebit autem subiicere, quod Augustino Fornario Genuensi nobili viro contigit. Is namque Indica lue aliquando cùm laborasset, correptus est febre lenta, qualis solet affectos illo morbo comitari: atque ita sensim in hydropis genus illud incidit, quod vocant Tympanitem. Aderat & alius medicus : cúmque maxima diligentia ab vtroque curaretur, nihil tamen proficiebat. Mulieres assistantes & amici collaudauerunt quendam alium medicum, turgidum & glorioſum : &, vt fit, cùm res ad vota non succedunt, facilè obtinuerunt vt superuocaretur. Is vt conspexit hominem diuitem & liberalem, simúlque quod inuideret mihi, tametsi iuueni, existimauit è re sua esse, vt me abacto, præda solus potiretur. Itaque statuit, vt coram omnibus Genuensibus nobilibus, contra morem & decreta Collegij, verba faceremus. Inuitauit autem (vt credo) illos. Nam alioquin non tam communi consensu præsentes adesse potuissent, ad audiendum

diendum quod instituerat. Aduenium itaque, & prior ille, cùm dixissem, demonstrassémque morbi genus, rogat autoritati suæ consulens, licet iunior esset, vt vltimo loco ei dicere liceret. Assensus est senior. Quid plura? vt cum solebant, ambo in vnum consenserunt: scilicet in ægri perniciem, vt me explooderent: ita sunt mores hominum. Tunc senior lætus, pronunciat salutem futuram die sequenti: multáque alia addit, amentium more. Itur deinde ad ægrum. Ibi multa gloriatus, pollicitúsque, dicit communi consensu statutum, vt medicamentum sumeret, rogárque me, an verum sit. Ego, qui mentiri non didici, respondi, placuisse hoc maiori parti. Intellexerunt astantes, intellexit & æger. Rogat igitur æger me, an medicamentum sumere debeat: fidebat enim plurimùm mihi. Respondi, vocatos esse tres medicos, hanc sententiam esse maioris partis, medicamentum esse natura innoxium (erat enim cassia nigra, hieræ species, & rhabarbarum) illorum esse maiorem autoritatem. Non audebam vlterius progredi: erat enim is collegij procurator. Hæc namque officia plerique quærunt, vt vi retineant, & metu, quod bonis operibus aut eruditione comparare non possunt: simul & vt apud imperitos autoritatem assequantur. Tum ille acrius instat, vrget, sanitatem pollicetur: tandem medici, amicique recedunt. Tum astantes mulieres rogant, vt si existimem obfuturum medicamentum, ne exhibeam. At ego, qui non solùm rerum naturæ satis peritus eram, sed etiam diuini iuris, in hæc verba respondi: Si è re fuisset vt non propinaremus, non esset aduocatus hic tertius medicus. Nam iam diu nos ab hoc auxilio volentes abstinuimus: verùm postquàm vos aduocari illum iussistis (leges autem collegij iubent, vt qui vltimò aduocatur, sententiam ferat) non decuit me, plusquam par esset, contrà obniti: omnes enim sciunt, me quantùm licuit, obstitisse, multò minus verò iam constituta re, mihi solùm licet à constitutis discedere. Hoc enim improbi & fallacis hominis esset, illud pertinacis: nec hoc etiam, si vellet, facile esset facere sine magno meo periculo & iactura famæ: si vos ita voluistis, rectéque consuluistis, non est cur ego obsistam: si erratis, haud par est me pro alieno errore pœnas luere. Acquieuerunt inuitæ: vt quæ intelligerent, non placere determinationem. Datur itaque medicamentum vesperi (hæc enim manè acta erant) diluculo ius quoddam. Tantum verò abfuit vt conferret, vt noctem inquietã duxerit, manè obstreperet regmone. Aduenit medicus senior, audit strepitum, videt plorantes mulieres: interrogat, an is esset æger? respondent, eum esse: adiiciunt verba, more mulierum. Ille pertinacia adeò amens erat, vt non crederet eum esse ægrum: sed dubitabat, credo, ne ego illi ludos facerem. Caput introducit: erat enim apertum ostium de more, vt morientibus fieri solet. Videt ægrum esse: statim abiit dicens, mortuus est, mortuus est, venit & alter medicus, videt ægrum, solatur. Veni ego hora prandij. Tum æger ad me: Ecce vides hominem in te confidentem: age, si potes, vt me reuoces à periculo præsente. non ego illum, sed ciues mei ad me adduxerunt. Itaque hortatus hominem, vt bono animo esset, aliquid dedi, iuxta vesperam redij, nec discessi prius, quàm illum perfectè ab omni medicamenti noxa liberassem. Tum Genuenses omnes vsi sunt opera mea deinceps, præter duos, qui addicti erant nomini illius. Superuixit autem æger mensibus septem & cùm videretur liber, surgerétque, repentè diaria obiit. Vix enim superuiuere poterat, vel cum optimo regimine: quanto minus, furculis lapathi crudis assiduè vtens? Atque hæc in patria contigerunt. Quamobrem ne miteris, si talibus atque his similibus crabrones (vt dicitur) irritauerim: vnde tot conspirationes & oppugnationes, maledictiones ortæ sunt. Adagium enim verum est: Qui in tenebris ambulat, odit lucem. Nec verò ob solam ignorantiam plerique peccant, sed quia sanctissimam artem non legitimè tractent: vnde diuino destituti lumine, maxima peccata perpetrant. Iam verò hic fuit vitæ meæ cursus ad hanc vsque diem, pro quo more maiorum hanc accepi compensationem. Sed quantùm mundus me odit, tantùm mihi Deus fauit: & inter cætera, quòd mortis amicorum conscius non sum. Atque id Antonij Matiæ Maioragij, qui se mutato prænomine Matium Antonium voluit appellari, fato perspicuè declaratum est. Is cùm bis ad minus, siue ter, à me vitæ periculo esset liberatus, supremo tamen morbo sine causa alium rogauit. Et licet me etiam aduocasset, omnia tamen alterius medici arbitrio agebantur: tum quòd ille medicus (vt mos est) id affectabat: tum quòd æger ipse verbis plus quàm rebus fidens, optare id videbatur: tum etiam, quòd ego nõ nescirem quorsum tanti apparatus tenderent. Itaque qui toties cũ mea laude seruatus erat, sine mea culpa periit. Retulit tamen alter medicus suæ infelicis operæ locupletius munus, scilicet annulum decem coronatorum precij: cùm ego pro salute bellaria quędam tantùm accepissem. Agnati tamen sui fidentius in posterum mea opera vsi sunt, aliósque spreuerunt. Aut enim (dicebant) ille curando errauit, aut solus tum cognouisti qualem exitũ esset habiturus. Ille enim alius, etiam prope mortem cùm esset, salutem pollicebatur. Verùm non iri hoc amico solùm, sed in omnibus, vno duntaxat Ptospero Marinono excepto, eadem felicitas me comitata est.

At dices: Si hæc ita se habent, totam vrbem occupare debuisti. Nequaquam, ô amice. Sunt & regni humani vires, quibus, quod suum est, id est, autoritatem inter homines, licet non adeò celebrem tueatur ægrorum multitudo, quæ plebem mouet, solicitudo circa languentes etiam præpostera & inutilis, grata principibus atque proceribus, colluſio cum aliis medicis & chirurgis, tonsoribus, pharmacopolis, obstetricibus, famulis, mulierculis, cauponibus, tam scelesta quàm vtilis: multitudo auxiliorum peritis quidem ridenda, imperitis admiranda. Diximus autem de his in Apologia aduersus Thessalicum medicum: nunc & propositis

sitis & vtilioribus insistamus. Verùm quamuis non omnia simus complexi, meliora tamen fermè omnia, & nobiliora obtinueramus, nulla cura, modico labore: & quod omnibus melius fuit, multùm immutata est imitatione nostra & autoritate & exemplo ars medendi in ciuitate nostra, quamuis aliqui durius obstiterint. Etenim & carnis & ouorum vsui (nam de vino vetus est consuetudo) ad septimum diem primùm, nunc etiam ad quartumdecimum (vltra obtinere non potui, quòd prædictionem non calleant) interdictum est in acutis. Separarunt alexipharmaca & gemmas à cibo, purgantium medicamentorum exhibitionem ab initio morbi reliquerunt: sectiones venæ & plures in vno morbo & liberaliores administrant: tot dulcium vsum, quo antea ægris non rectè consulebant, minuerunt. Frictionibus vtuntur, coctiones expectant: cùm purgare voluerint, ventriculum confirmant in quibuslibet morbis. Vsum quoque multorum simplicium introduxi, sed & medicamentorum. Validioribus tamen vti non audent, cùm ego semper sine errore illis vius sim. Memini cùm aliquando me absente laboraret morbo gulæ (anginam fuisse prauam existimo) Regens Pyrouanus, qui è consilio Cæsaris erat, medicos celeberrimos totius ciuitatis aduocasse, eos inspexisse auxilia, quibus ego quendam patricium curaueram: neque tamen ausos vti illis, quanquam collaudassent ea. Subiecitque vnus ex his: Optima quidem existimamus hæc præsidia, sed oporteret, qui eis tum vsus est, nunc adesse præsentem. Itaque qui velit feliciter in artis operibus versari, non solùm sufficit vt scripta antiquorum perlegat, tum nostra atque aliorum, sed diligentiam sumiam adhibeat & in curando, & in prædicendo, ne vlla ex parte aberret. Cúmque id facere non possit nisi paruo numero suscepto ægrorum curandorum, vt nec ventriculus multos cibos bene vnquam concoquere potest: præstat, paucis manus admouere, & eos sanare, quàm plures perperam medendo, magnam eorum partem perdere. Cúmque id agendo lucrum forsan non suppeditabit pro victu, pauperúmque curam non magis quàm principum negligere iustum sit, turpe non est, nec flagitiosum, ab his quos curandos suscepisti, multò plus exigere pecuniarum, cùm eos sanaueris, quàm alij medici faciant. Atque ea de causa multos ego curare recusaui, qui diligentiam quidem me dignam, & iustè à me exigebant: solutionem autem medico gregario, idque iniustè, mihi proponebant. Atque hæc ad hanc vsque diem, qui quartus est ab Idibus Aprilis, anni 1561, mihi contigerunt. Qui autem in posterum succedent, si digna huiusmodi erant commentariis, aliàs referam: in vniuersum hoc suadens bonarum literarum studiosis, atque addictis artis operibus, vt meminerint, nihil esse melius, quàm diuini beneficij accepti memoré esse: & nos nostráque à numine gubernari: nec conatus hos nostros multùm prodesse, sed vlciscí diuinitatem non aliter crimina nostra, quàm errore mentis in nobis relicto: humana verò speciem solam boni atque mali retinere, atque eam momentaneam, solidi nihil, vt eius gratia aberrare debeamus.

FINIS.

DE

DE RADICE CINA.

RESPONSVM PETITIONI M. Antonij Maioragij.

IN casu huius Eruditissimi Viri, laborantis erosione gingiuarum & dentium, concussione facta ex humore calido & acuto: quæsitum est, an radicis Cinæ exhibitio conferre possit? Respondeo, quod iuxta Principem Medicina experta melior est quàm non experta. Et manifestum est quod in phthoë cum aliis auxiliis curaui fratrem Petrum Martyrem: & filiam Bartholomæi Ephippiarij: & filium Gabrielis de Rigamonte: & Hieronymum Thiboldum; & filium fabri lignarij habitantis sub porticu portæ tonsæ: & mulierem iuxta Sanctum Marcellinum, omnes ex phthoe exquisita deploratos, & ab aliis vt breui morituros medicis relictos: cùm quibusdam eorum nec viuentis effigies supereſſet: alios etiam innumeros curaui ex eodem morbo, tribus illis viis regiis narratis in libello experimentorum, quos longum esset referre, præsertim cùm ex his plures non essent adeò, vt hi quos ego narraui, confirmati. Et nunc à biennio citra, omnes præter vnum curati sunt, aut ex toto, aut vt possint pluribus annis supersuiuere.

Quare non video cur mihi Cina sit experimento in phthoë cura tentanda: tum magis quod generosi quidam medici nostri volnerunt in cura illius Thesaurario Martino illam exhibere, conspiratione eripientes illum è manibus meis, cùm nondũ cognitus essem in tam præclara experientia, spe huius noui medicamenti, & intra menses quatuor miser ille vitam finiuit: nostri autem adhuc omnes etiam viuunt, videntúrque potius omni alio morbo perituri quàm ex phthoë. Sed nec in Gallica lue ligno sancto pŏteſt comparari, nos enim cum plusquam centum nobiles ex ea curauerimus, nunquam Cina indiguimus. Quare cum minus valeat in quibus maximè probatur, quid in hoc sperandum? Vt tamen aliquid de Cinæ natura ac viribus dicam: Est illa quidem radix non parua, crocei ac subalbidi fermè coloris, pulida, & gustu subacida, odoris fermè nullus, vt quæ sit quasi lignum: adeo efficax, vt nullum aliud medicamentum, ne venenum quidem possit ei comparari. Nam primo vel septies cocta, vel etiam plusquam decies, vim præbet medicamenti egregij: & aquam vt pulli ius efficit: & vncia eius incoquitur aquæ vncias 200. fermè, donec ad 70. redeant. Nihil autem est, quod tamdiu vim suam posset ac in tam magna aquæ quantitate impartiri. Vehitur ex India, è regione Ciniana, vt existimo. Scinditur in subtilissima frustra lataque vt coronati aurei: atque vt dixi, 20. aquæ vncijs, vncia vna in nouo lebete terreo lapideóve immergitur, feruétque donec ad 65 redeat, intecto semper vase ne fumus possit exire, inde ab igne detracta proxima igni constituitur, circumuolutis pannis, ne vel quicquam exire possit fumi, aut repentè refrigerari. Purgans decoctum reddit. dimidia Ganti drachma, quæ Aypi est radix. In singulos autem dies renouatur decoctum, amittescit enim vt pro 24 diebus 24. vnciæ sufficiant. Bibuntur summo mane vt calidissimi decocti vnciæ 14. pănisque prolicitur sudor: inde licet post tres horas benè contectum pannis etiam si non sudauerit è domo exire. Seruatur interim calida vsque ad vesperas, bibitúrque cum cibo, nec aliud omnino quicquam, sed & interdiu, non tamen adeo feruens sed quasi tepida: abstinebit à Venere, meridianóque somno, cibis etiam omnibus actibus, salsis, amaris, acidis, lacte, hisque quæ ex lacte fiunt, tum iuribus ac fructibus vtetur pane ac pulli carne elixata in singulos dies bis: à cibo autem etiam melle, hoc enim huic decocto maximè conuenit. Post 14. diem autem pullis assis vti licebit absque condimentis. Si morbi Gallici causa exhibeatur, lauentur hoc decocto singulis diebus optimè vlcera, & panni ex illo madidi imponantur. absque ligatura: licet etiam post 8. dies semel, si virtus admodum sit debilis, vini aliquod decocto hoc lymphati bibere, atque ita interdictis duobus diebus repetere. Si aluus non demittat, decocto oleo rosato, melle & sale enema fiat, nec aliud alterius generis: subducit enim aluum egregiè: cogitur autem aluus plerunque à 7. die, ac in posterum suppressa manet: quo tempore etiam incipiunt in Gallico morbo sæuissimi dolores scilicet à 7. die hi vt plurimum ad 14. terminantur, alui autem duritiei manet vsque ad finem dierum, quibus decocto vtitur. Peractis 24. diebus colligitur lignum quod relictum fuerat in singulos dies, ac in vmbra siccatum exactè, denuo comminutum in exiliores partes tantundem aquæ incoquitur, sed vt duæ vnciæ ligni 200. aquæ

impouantur: redeant autem ad 65. vt prius, exhibetúrque eadem ratione iisdémque præceptis per duodenos dies: interim autem licet ludere, spaciari, contectum pannis, negotiárique serenis tranquillisque diebus. Manifestum est autem quod natura & proprietate hoc agit Cina, aduersus Gallicum morbum, non autem licet victus tenuitatẽ, vt in ligno sancto in causam curationis adducere. Neque siccitate id agit sola: impinguantur enim accipientes, vis igitur eius exsiccans, & putredini tum ob hoc, tum ob vim propriam resistens: habet & aerem partem, ob quam amarum conuertitur facilimè, & vtentes ab acribus, amaris, acidisque ac salsis arcet: valde enim tenuium est partium, habet & partem succulentam ac ducem & actuosam, qua impinguat, & proprietate sua iecur confirmat. Ob hæc igitur ad quæ prosit satis est manifestum. Hydropi siquidem, vlceribus malignis, phthoë, sed non sola: lepræ, elephantiasi Gallico morbo, & atrophiæ & scirrhis iecoris.

DE CYNA RADICE,

SEV DE DECOCTIS.

PROXIMA huic tractationi videtur ratio decoctorum magnorum. Verum par mihi videtur difficultas in tradendis disciplinis, atque in frugibus serendis, seu nimis sterili loco areleant sata, seu læta pingui proueniant, & à multitudine inutilium herbarum suffocentur. Vtque illud magis abominamur, ita hoc plus detrimenti afferre solet. Verùm non eo studio inscribimus, vt vsum à multis sola experientia traditum Cynæ doceamus, atque disputemus an Cyna à Syna, Græco antiquo Prouinciæ nomine, an Cyamba vulgari ac nouo deducatur: quæ disputatio superuacua mihi videtur, sed cum satis constet in ea regione illam nasci, operæ pretium fuisset si (postquam soli historiæ ac experimentiæ inhærent ratione non satis perspecta) cuius plantæ radix hæc fuisset, edocuissent. Referunt quidam, plantam arundini esse similem nasciique iuxta mare & locis palustribus cum alij contendant in promontorio. Ipsa sanè radix vulgaris acori nostri similis omnino est. Regiones orientis vt alias docuimus, & maxime quæ ad meridiem positæ sunt, succosiores & efficaciores plantas progignere solent: quod etiam in aromatibus videmus similiter & montes, quàm humilia loca: & iuxta mare, quàm flumina. Verum quod magis considerandum est, cuius etiam causa hunc laborem suscepimus, est, quonam pacto per continuam non huius tantum medicamenti, sed plurium etiam aliorum exhibitionem constitutámque victus certam rationem morbi alioquin inexpugnabiles superari possint ac soleant. Sic ligni sancti, & Sarzæ parilinæ. & arboris quæ in noua Gallia inuenitur, decocta miras sanationes efficere experimento deprehenditur. Constat sane hunc modum vnum ex his viginti esse à nobis in arte Medendi nostra parua connumeratis, per quos magni morbi solum curari possunt. Existimant quidam præcipuam causam esse inediam, alij euacuationem, ego vero intemperiei mutationem, nam cum potus fuerit totus medicatus, simplexque cibus, inficietur cibus & ipse, vnde nutrimentum? at ex nutrimento humores generantur, à quibus membra restaurantur. Mébra ergo ipsa & humores mutata ad arbitrium nostrum intemperie nullum morbũ qui superari non possit, hac ratione merito pati possunt. Adiuuant ad hoc euacuationes, quæ per huiusce modi contingunt, vt inediæ & exhalatio, quam meritò digestionem per poros seu cutis meatus appellare possumus. Ergo cũ quatuor sint causæ, inedia, digestio, euacuatio, intemperiei mutatio, quam etiam principalem esse docuimus, nemini dubium est, etiam citra omnem euacuationem manifestam maximos morbos posse sanari huiusmodi decoctorũ assidua assumptione. Quod solum in periculo versatur, cuique diligenter intendendum est, ne decocta illa retineantur vel hac coniectura, quod cum magna quantitas assumatur, nihil exeat, aut valde parum. Pro quo solent qui diligentius artem exercent, interulas pondere expendere, tum primum cum siccæ fuerint, deindè cum sudore maduerint, vidi frequenter discrimem Italicarum vnciarum nouem esse, sic tuto duplici ratione in decocto perseuerare possumus: tum quia quod superfluo ingeritur, etiam euacuatur, tum quod hoc indicium est vincentis naturæ, ac rectè operantis: vnde suspicari non debemus, in reliquis partibus assumpti humoris pigram futuram. Altera coniectura est, si aqua ventriculo innatet, nam neque excipitur à venis, vt prodesse possit, & coctionem vitiat calorem obtundendo: & vitiatam corrumpit, dum alimento immiscetur. Fieri etiam potest, vt sic in ventriculo retenta sudorem moueat ob præsentem vim caloris, nam ferme feruentia decocta ebibi debent, vt optimè docebat Auenzoar. His ergo duobus in casibus ab eiusce modi exhibitione abstinendum semper est post septimam diem in robustis corporibus, in imbecillibus autem post quartam. Et quamuis nec sic tutò exhiberi possit quippe nuper Hercules Robechus amicus noster, cum neque in ventriculo noxam sentiret, & abunde sudore perfunderetur, liberatúsque ob id sit cachexia, nihilominus in ipso fine cholera morbo vexatus, tantum reiecit

aquæ

aquæ vt nesciam vbi illam interim potuerit continere. Ita ergo etiam si non prodeat sudor, si non mingat multum, parua quantitate, modo secundum rationem exhibeatur, vti licebit. Atque par ratio in aquis thermarum habenda est.

Obseruanda autem in omnibus ne temere ad talium exhibitionem accedas: primum vt corpus, quantum fieri possit, præpurgatum sit ab humoribus, ac liberum ab obstructionibus bonisque cibis antea saltem per quadraginta dies nutritum, neque exhaustum venere aut immodicis laboribus aut curis, vigilia adsit: tempus verò non frigidum his quinque conditionibus modo contraria contrariis oppotueris, vtpote Cynæ decoctum calidæ, ligni sancti frigidæ intemperiei recte poteris exhibere. Vt ergo omnium vnum sit exemplum, postquam de Cyna sermonem cepimus, illius historiam absoluere propositum est.

Est Cyna radix crassitie ferè brachij vbi manui coniungitur, nodosa adeo, vt quidam ex arundinum genere eam esse existiment: mihi autem videtur è genere serpentum, vt hederæ lupi salictarij, intus quidem fungosa, rufa, subalbescens, externus cortex, & quæ optima est ferrei coloris quæ manus nobilis ferruginei, sed splendidioris itaque mihi videtur, vt metallum tracto temporis rubiginem contrahit, ita hæc radix contrima ratione, alioqui ferruginea ferri sit coloris. Grauis est admodum, quæ optima est: & quanto ab hoc defecerit, tanto profecto ignobilior. Odoris pene nullus, saporis autem sub acidi, pinguem tamen illius substantiam esse conflat ex decocti gustu. Vis eius quanta vlli alij pharmaco: vnde qui illius facultatem ex primis qualitatibus determinare conantur, neque vera dicere, neque quæ scripsimus nos in libris de subtilitate, de medicamentorum viribus nouisse videntur, quippe densa substantia, atque eadem tenuis etiam minimis qualitatibus prædita longe maiores effectus efficere potest, quàm vel piper vel gingiber. Quid enim mirabilius esse potest, aut maximarum virium maius argumentum? quàm quod sexies decocta atque ex vncia in centum quinquaginta aut amplius aquæ septima rursus vice aqua adhuc tingitur, eadem cum sale & oleo mixta pro clysteri egregie fæces atque humores detrahit.

Cuius verò temperamenti sit quidam calidam in primo, siccam in tertio ordine esse affirmant. Ego si hac in parte contendere vellem, Galeni nequè sequi, operam vt dici solet, atque oleum perderem, nam facilius nostris hærens principijs, dicam multo illum humido pingui atque demso abundare, quod cum mixtum terreæ substantiæ atque eadem tenuissimæ sit, membra solida firmare potest, vnde non tam vulgare auxilium est, vt quidam existimant nisi mihi ostenderint radicem aliam quampiam, quæ incocta ex vncia in libris quindecim aquæ (ita enim præparari solet) totum illud iuri gustu atque aliquanto dulcius, vino verò tenero substantia & colore simile efficiat. Quo circa nihil mirum est, si humido tam tenui, tam deoso, tam multo omnia corporis membra, omnes contractas solidasque partes permeare atque permutare possit. Ergo intemperiem calidam vehementerque frigidam, tum laxitatem membrorum atque destillationes vndecunque sint, sanare poterit: vnde & cachexiæ & alcitu & imbecillitati ventriculi ac iecoris atrophiæ & resolutioni, tum his qui ex destillatione contabescunt, aut difficulter spirant: præterea vlceribus omnibus etiam pulmonis, sed cum exactiore inedia opitulatur, tum sanguis eruptionibus vndecunque sint, atque hæc quidem verè atque cum ratione. Addunt alij podagram & coxendicis dolorem, tum lepram, scabiem, elephantiasim, tum etiam morbum gallicum hoc præsidio curari posse: de quibus nihil habeo quod referam, cum experientia hæc constent, nihilominus non adeò huius radicis decocto fauere decreui, vt illud ligni sancti aut corticis decocto conferam. Quod verò in hoc detrimenti est, commune est omnibus qui copiosè administrantur potibus, vt ligni sancti decocto & thermarum aquis, scilicet vt ob copiam ipsam ipsi ventriculo obsit. Labefactat enim eum, & quandoque non absque periculo. Et certe hæc noxa illi peculiaris & præcipua est, & minime contemnenda. Ferunt etiam lapidem confringere, id mihi incertum est: renes tamen sua multitudine purgare potest, intemperiemque sanare, atque etiam illorum robur, qua ratione etiam iecoris confirmare, verum id forsan aliquis obiicier, dicens: Quomodo ventriculum labefactat, iecur autem & renes confirmare potest: ea ratio est, quòd ventriculus plurimum simul aquæ recipiens, distenditur, & laxatur, cumque membrum sit exangue, multum debilitatur: ac contrà iecur & renes, cum sanguinea sint, non facilè possunt debilitari, etiamsi confertim aquam exciperent, at confertim aquam excipere non possunt, quia cauitatem nullam magnam habent quomodo scirrhos dissoluere possit, hæc aqua nullam patit difficultatem: scientibus quòd scirrhi à pingui humido atque tenui & solum & facillimè dissoluuntur, restat ergo vt de electione dicamus.

Eligenda est recens, colore ferreo, grauis admodum, nam quæ optima est, his lapidibus assimilatur, qui infecti ferreo colore iuxta fodinas inueniuntur; non exesa, non carioſa, secanda verò est in frusta coronatis aureis similia, unciæque huius scobis, si morbus sit, mitior: aut duæ, si mediocris: aut tres, si omnino inexpugnabilis sumenda erit: & similiter habenda est ratio par habitus atque ætatis. In libras igitur quindecim aquæ fontanæ, & in vase figulino vitreato infundet per horas viginti quatuor, deinde contecto vase excoquatur super prunas absque fumo, donec tertia parte absumatur, indo seruetur loco calenti iam excolata, quòd si libeat validiorem habere, pauciorèque opus sit potu, duodecim tantum aquæ libræ assumantur, ita redibunt ad vncias propè centum. Memineris etiam, vt perpetuò dum infusa est radix, dum ex-

coquitur, dum etiam percolata seruatur aqua, vt semper exactè vas contectum sit, locoque, vt dixi, calido asseruetur: nam si secus egeris (cum aliàs per se in viginti quatuor horis acescat, quod etiam certum est indicium maximarum virium) intra viginti quatuor horas acescit: atque ita pro medicamento transit in potum pernicio'um, perseuerantibúsque exitiale. Indicio autem est corruptam esse aquam, corruptio concoctionis ad quàm sequitur fluxus ventris præter consuetudinem, cum ipsius radicis vis nõ leuiter sit astringens. Ergo detracta scobs in decem libras aquæ rursus debet infundi (nam frustra siccabitur, vt quidam solent in ligno sancto, cum nihil sit adeptura melius sed potius interim amissura) eademque ratione post viginti quatuor horas coqui ad tertiæ partis consumptionem, similiterque seruari: atque hæc secunda aqua vocabitur. Porrò triplex exemplum huiuscemodi aquarum decoquendarum edocebitur, vt iuxta rationem magnitudinis morborum, atque causæ etiam auxilia possit administrare. Dicebat enim rectè Galenus in libro Artis medicæ iuxta finem: Paria viribus debent esse præsidia cum morbis, morborumque causis.

Ita triplex modus erit: exquisitissimus hoc modo hora matutina (sit gratia exempli, nox horarum nouem æqualium, dies autem quindecim) in ipso ortu solis ab octo vsque ad duodecim iuxta patientis robur vnciam decocti primi (nam huius solùm est vsus pro potu cum cibo seu interdiu) cum vncia vna saccharo (sit autem calidissimum, sic enim sudorem, si omnino prolici possit, prouocabit) ebibat, idque decoctum sit ex tribus vnciis scobis: inde tegatur substratis sex linteis mũdis, cumque sudore maduerit subtracto proximiore linteõ ne refrigeretur, rursus sudare permittatur, atque ita altero subtracta donec sudare desierit, singula auferantur: demum interula commutata vestibus optimè integatur, sed tamen lenibus, & quæ minimè ipsũ fatigent, hora decima tertia assumat panem bis cõctum sine sale & cum saccharo præparatum, atque vuas passas, tum etiam creticas, sed tenuioris corticis, nec non in fine artocream ex amygdalis, quam Martium panem vocant: bibat quoque ex decocto ipso calido quantum libet, sed vt dixi immixto saccharo, vel puriore melle, quale est quod ex Cephalenia insula, vel ex Hispania aduehitur: pòst iocis intentus per duas horas saltẽ quiescat, vnde si dormire libet, superdormiat quanto enim plus dormierit, tanto melius est: tum quia sudores magis proliciuntur, tum quia vires magis reficiuntur, tum quòd decoctum ipsum in intima melius penetrat, tum quia corpus sudore exiccatum magis humectatur. Cauẽre tamen oportet in omni huius decocti exhibitione, ne Venere vtatur (solet autem is potus, seu potius ea victus ratio Venerem magis excitare) atque ita cauere oportet vt neque ante a per mensem neque in ipsa potus assumptione, neque etiã post per mensem alium, Venere vtatur, exitiale enim pene est hoc, sicut & ventus, & frigus peculiari quidem ratione forsan magis in hoc potu, sed generali haud dubiè: quandoquidem corpus ipsum & tarum, & ex angue & imbecille & super calefactum admodum existat. Hora ergo rursus vigesima prima potum eundem quem manè accepit, eadem quantitate eisdemque legibus assumat. Cœna verò persimilis omnino prandio, idéque potus, singulo verò die noua aqua paranda est: imò duplex, vt dictum est, & quantum superfuerit externa semper abiiciendum Porrò secundæ aquæ vsus est pro clysteribus sale & oleo adiecto, vt dictum est. Etsi contingat ægrum inediam ferre non posse, pulli in ea aqua incoquantur, vt alia quævis quæ vsui esse possunt. Sed quæ in vsu est ad incoquenda edulia dimidium primæ aquæ, denuò cum secunda excoctæ recipere debet, adeò vt scobi radicis, cum iam infusa secundò iacuerit, prioris aquæ pars dimidia aut tertia eiusdem diei superfundatur, simulque coquantur. Itavt omnium vna constans sit ratio, scilicet vt vel cibi qui eduntur pingues nõ sint, cuiusmodi sunt ficus, pira cocta, mel, saccharum pineæ, panis martius, vuæ Corinthiacæ & Creticæ: aut si pinguia sint, coctione in ea aqua à naturali statu permutantur, quo fit vt ouis aut lacte vel his quæ eo constant, in hoc primo genere vti non liceat, quoniam neutra earum conditionum illis adesse potest, quamvis enim huic aquæ incoquantur, parum aut nihil à propria natura recedũt: eiusmodi ergo est exactissima huius potus cum aliorum similium administratio. In qua tamen licet serenis & non ventosis aut frigidis diebus spaciari atque absque cura negociari, intectum pellibus nobilioribus ac leuissimis, vt sine labore egredi liceat. Vnde etiam eques magisque pedes, imò neutiquam tutum fuerit omninò pedibus iter agere.

Secundus autẽ vsus qui mediocris est, cibos quidem pingues bis in die admittit; sed (vt supra dictum est) perpetuò incoctos secundæ aquæ. Cætera verò quæ obseruanda sunt omnino, vt in exquisitissimo modo retinenda sunt, velut communia omnibus administrationum modis. Quale etiam est illud, quod in nullo genere exhibitionis decocti aquæ Cynæ æger vti debet excellenti aliquo sapore scilicet: aut acido aut austero, vel acri amaróue aut salso, sed omnia quæ illis participant penitus sunt relinquenda. Hoc vero contingit ob id quod cum aqua per se, & euacuatio quæ ex aqua prouenit, multum exiccent, maximum ab aliis siccantibus periculum imminet. Ita quæ coquuntur, absque sale coqui debent. Iure autem pro potu in vtroque horum modorum vti licet, cum ius ipsum sit medicatum, et maximè cum iam corpus contabuerit. Cœnam quoque aliquo astringente cibo præcipué medicato elaudemus, velut cotoneorum, carne ex saccharo, aut cornis aut sorbis vel piris, aut coriandris conditis. Atque in his omnibus tum aliis decoctis propinandis, non vt in febribus ab initio tenuissimè, cum materia multa præparanda est atque educenda, successu temporis corpore exinanito & viribus imbecillioribus, nec natura præparationi,

nec

nec multo minus coctioni intenta, sed solum nobis temperamento restituendo copiosius atque plenius reficiendus est æger, vt simul vires, caro ac temperamentum celerius restituantur. Sed neque à solis cibis vehementis qualitatis abstinere oportet, sed etiam duræ concoctionis velut amygdalis ac pane iam diu excocto. Verùm & bis coctum recentem assumere decet: qui si tertiam diē non excedat, optimus erit.

In tertio vero genere administrationis caro & maximè pulli iurulenta & elixata sine auxilio secundæ aquæ admittitur, imo assatæ experientia non solum ratione omnibus præferendæ: atque id generale est huic tertio modo velut & oua, pisces tamen & caseum nemo probat. Sed quod maximè dubitatione dignum est, id est: vtrum liceat in prandio atque cœna vino vti? atque si licet, an permixto decocto Cynæ? Decoctum Cynæ si tantum serapij loco assumatur, non video quid prohibeat, quemadmodum in omnibus aliis decoctis, quin homo possit cum cibo vino vti: verum vt nullo periculo res agitur, ita etiam minima vtilitate. Sed an vino decoctum immiscere possit, magna dubitatione dignum est. Auicenna inquit: Et iungere serapium acetosum cum aqua hordei, malum est, quoniam illam corrūpit. Videtur & vinum corrumpere has aquas, vicissimque ab eis corrumpi, atque ita periculosam esse hāc permixtionem: nos autem experimento didicimus, nihil egregij aut boni aut mali ex hac permixtione consequi, idque iure merito, namque frustra fermentarentur medicamenta, si extemplo ea miscere liceret: sed non iuuant, quoniam alterum alteri impedimento est: omne vero medicamentum vbi vim ignis ex decoctione in terrea parte conceperit, vinum ipsum corrumpit, ob id aqua simplex decocta non corrumpit: neque cum odoratis, sed quæ sponte acescere solent minimè ligni, maximè decoctum Cynæ: cum enim in viginti quatuor horis per se acescat, cur cum vino sumptum ipsum non corrumpet? neque enim sic profluet per sudorem. Quæcunque igitur sponte acescere nata sunt, & maximè si breui, vt lactis serum, Cynæ & hordei decoctum: si non assumptione per aluum aut vrinas aut sudorem etiam breui expurgentur, corporis temperamentum corrumpunt. Quare neque in ligni decocto, neque in thermarum aquis id periculi erit, verum tutior est aqua thermarum, ligni enim decoctum æstate tertia die putrescit, aut ad summum quarta. Neque enim in his exacta putredo, quæ iam perferri non possit, expectanda est. Nullum igitur quod breui acescat medicamentum cum vino assumi debet, nam vini causa retinetur in corpore, ideóque corrumpit atque corrumpitur à vino: vtraque autem ventriculum debilitant, atque iecur, atque in malam traducunt intemperiem. Similiter neque in cibis, si vino vti contingat, aqua permiscenda est: aquæ enim potus omnibus medicamentis validis cynæ, tarzę patiæ ligni sancti decocti, tum thermarū aquis noxius est valde, certo experimento, ne dicam exitio. Præter enim quod crassitie sua atque frigiditate illorum opera impedit, corpus ægrotantis medicamento relolutum atque euacuationibus, destituit atque labefactat. Similiter commune est omnium horum trium modorum generi, vt quandocunque velint, quantum velint, ex decocto bibant, modò calidum sit, sudórque pro ratione quantitatis profluere soleat. Neque enim solum hoc non nocet, sed etiam egregiè iuuat: medicamenti enim habet rationem, tum potius ipse, tum cibus, qui cum eo assumitur. excipio tamen in his eos qui vinum bibunt cum cibo: nam his vtique non conuenit, multóque minus quam si vino permixtum decoctum quis bibat. Melius etiam erit, si vel statim à cibo, vel post quinque horas non interim quis eo potu vtatur. Atque hæc de generali ratione dicta sint: nam ali (de singulis certas quasdam normas tradiderunt quas nos sic probamus, vt non à generalibus præceptis, neque his quæ declaratione certa inuenta sunt, discedere liceat.

Licet etiam dubitare an quod pluribus placet, medicamenta alia his decoctis sint immiscenda: multa hinc inde adducuntur, quæ omnino non certam ac generalem rationem habent: nam thermarum aquæ, aut Cina non admittunt. Thermarum aquæ, quoniam naturali calore constant, qui aduentitio corrumpitur, dumque externam acquirunt, vim propriam amittunt. Cynæ decoctum cum in quodam temperamento exactissimo constet, & ad libellum quocunque addito, vel minimo medicamento à constituta illa & moderata intemperie deiicitur atque euertitur: itaque nihil talibus permiscere oportet. At in decocto Indici ligni, cum per se vehemens sit & potens, nec iuxta exactissimam moderationem sit constitutum, sed vehementiore caliditate quàm etiam siccitate agat, multumque habeat pinguis humidi, temperari potest, suásque pariter retinere vires, atque ita vna hæc ratio generalis constituatur: Quæcunque pinguia valde sunt, nec circa constitutam mediocritatem consistunt, à qua tamen operatio illa desideretur, quæque non sola natura constant, ea mixtionem admittunt: velut lignum sanctum, & magis cortex, maximè verò. Reliqua non admittunt, scilicet quæ natura constant, aut paruo prædita humido pingui ex moderata quadam temperie opus suum perficiunt: aut si plurimo etiam abundent, opus suum abundanti tenui, tamen pingui humido perficiunt, velut Cyna. Vnde etiam in his obseruare decet, vt dum coquuntur, non respirent aut exhalent: nam optima pars atque tenuissima, quantum licet, conseruari debet. Quòd si in duplici vase decoctum id fiat (id tamen expertus non sum) optimè cessurum spero, nam cucurbita clausa (id genus est vasis) melius euadet, atque exactius obseruetur.

Peculiare autem quoddam ineſt illi, vt scilicet à septima die aluus fermè ex toto supprimatur. Vnde tum ob id, tum ob morbi naturam in Indica lue ab ea die solent non parum dolores augeri, qui vt plurimum

mum ad decimam quartam diem extenduntur sæuissimi : ac alui durities vsque in finem scilicet xxiv. diem : qui communis est terminus: quanquàm ego non improbem iuxta diuersorum laborantium necessitatem variari hunc terminum, atque etiam nonnunquam vsque ad xl. extendi, velut & in tliermarum potu, sic & ligni sancti non vltima dies erit xl. imò vel ne lx. (quanquam rarò ad eam necesse sit peruenire) pro vltimo termino constitui debet. Si ergo aluus supprimatur, post tertiam diem clysteri dicto succurrendum: ante non licet, ne aut vires minuantur, aut sudor diuertatur. Sed si aluus iusto plus fluxerit, carnes assatæ dentur, panis in iure ex Cyna madefcat, vnguenta ex miristicæ nucis oleo, & absinthij adhibeantur. Si non sufficiant, etiam fomenta ex menta.

Ergo vt ad Cynæ decoctum redeam, sic citate putredini resistit, temperamento in actiuis qualitatibus ad moderationem omnia membra deducit, succulenta substantia restaurat, vires atque corpus impinguat: detergit verò parte quadam leuiter ægri, qua etiam illius decoctum breui admodum tempore non solum in acidum sed etiam amarum transit saporem. Vbi vero tanta vis decoctis inest, certè etiam contritis in substantia sint tam dura, vt superari nequeant, non minor facultas adesse potest, atque ideo cum eorum substantia auxiliari decebit.

Porro vim medicamenti huius, si ad lignum sanctum conferre libeat, sic expedito: aduehitur ad nos hæc radix post biennium, raro vsus ante quinquennium, vnciæ tres in xv. libras aquæ, ligni sancti vnciæ quindecim, proportio effectus fermè tripla; proportio ergo quindecupla: cui si adiiciatur moræ ratio, erit trigintupla, at lignum sanctum inter præcipua medicamenta habetur, & hydargirio fermè par. Vnde haud rectè dictum videtur, vulgare & inefficax fore medicamentum. Sed nondum ratio absoluta horum innotuerat. Neque tamen hoc dico, quod Cinæ vetustatem aut quinquennium illud probem, sed vt ostendam quanta vis illi sit.

Verum etsi alibi de Sarza Parilia abunde actum sit, breuiter tamen hic modum exhibendi (quod media fermè sit inter cynam, & lignum sanctum viribus ac temperamento) subiicere decreui. Est autem quasi dumi genus tametsi in ea spinas non viderim. In libras xij, aquæ fruticis huius leuiter tusi vnciæ quinque per duodecim horas infunduntur ea fermè conditione quæ in Cyna dicta est, coquitur ad consumptionem duarum è tribus partium. Quinæ aut senæ vnciæ, ea ratione quæ in Cyna explicata est, bis in die assumuntur, ipsi trunci exempti rursus in xij, libris aquæ infunduntur, adduntur anisi & liquiritiæ vnciæ. L. Inde absque mora coquuntur donec quinta pars solum absumatur, atque hic pro potu est. Cibus mane panis, & pulli caro aut auicularum vesperi amygdalæ abique pane passæ que vuæ, à syrupis assumptis sudor qui facile fluit prouocandus est. Multo lenior est hæc atque commodior Cyna, ac ligno sancto frigidis ac calidis temporibus vsui est, & minus afficit corpora, adeo vero familiaris illius est vsus, vt nec fœminæ nec pueri eam refugiant. Prodest omnibus fermè longis morbis: & in lentis etiam febribus vtiliter ac tuto exhiberi potest. Quandoque coquendo syrupum tantum medietatem consumi præcipio. Optimus autem modus, & à me inuentus est, vt libræ octo aquæ & quatuor vini flaui admodum potentis sumantur, aliquando paribus ponderibus maximè in syrupis, addo etiam cinamomi vulgaris nonnunquam semunciam. Quin etiam ligni sancti mistionem admittit, & fœliciter omnia hæc moderari docet pro ratione morbi causæque & symptomatum, regione, anni tempore, natura patientis, ætate vsu atque consuetudine vt iuuat, vt fert, vt dormit appetitque.

DE CYNA RADICE, FINIS

DE

DE SARZA PARILIA.

RADIX quædam nuper, tenuis, ac subcrocei coloris, ex India aduehitur, quam ego omnium Mediolani primus vidi. Erat autem non absimilis liquiritię tenuissimæ, rugosa scilicet, (nam ea talis, cùm siccatur, euadit) & calore inter croceum & cinereum: sed gustus subamarus erat: odor vix sentitur. Vncia vna in lb. ij aquæ, colorem addit vini rubri turbidioris, odorem quasi grauem, amaritudinem non leuem, & summè prouocat sudorem. Partiũ est tenuium crassarúmque. Amaritudo in terreo constat. Calida in fine primi ordinis, sicca in secundo. Epota cum tenui victu, scilicet, pane bis cocto, atque passulis, per dies 40. Gallicam luem plus iouat quàm Cina, aut lignum quod sanctum vocatur. Expedit autem vt sic etiam opituletur his qui arthritide laborant, & vlceribus prauis, & his qui ob pituitosum humorem laborant œdematibus, aut morbis trans hepar. In obstructionibus autem concauæ partis iecoris, & ventriculi mala coctione, non auderem hoc tentare, nisi forsan victus tenuitas nos à periculo tutos redderet. Quòd etiam iecur confirmet, quódque lienem extenuet, quòd incipientem elephãtiasim curare possit, & hoc verisimile est. Dantur decocti vnciæ sex in singulos dies summo manè, id est, horâ diei secundâ; tantundem horis ante cœnam tribus, tum cum cibo quantum volet. Permittitur autem sudare contectus pannis ab assumpto potu: verùm vt sudauerit, liberior est quàm in assumptione Indici ligni: neque enim prohibetur, quin in solita prodeat exercitia, nisi frigoris metu, vnde contectus pannis esse debet, & vitare infausta tempora pluuiarum, ventorum, & frigoris. Meminerit eius quod scripsit Hippocrates: Vbi fames, laborandum non est: atque similiter cauendum, vt inquit Galenus, à sectione venæ: sic & à Venereis, ac curis nimiis: singulis tamen decem diebus purgare conueniet corpus, cum catapotiis quæ lectos humores & crassas feces expellere possint: quales ex Aloes colocynthida & Elleboro componuntur. Alij præbent siliquam Indam cum diacatholicone, quod vt minus vtile est, ita magis tutum. Habet autem præcellentem inter sui generis medicamenta vim hæc radix, in emendandis capitis ac cerebri vitiis: seu ob tenuitatem, seu ob proprietatem quandam. Et quanquam hæc ita sint, candide lector, non tamen tantæ victus tenuitati seorsum præsertim purgationibus frequenter adhibitis, parum ad curandos consimiles morbos tribuerem. Quo fit, vt Gallicam hanc pestem inter frigidos affectus collocauerim. Sic humana solertia in dies inuenit quod iã inuentis meritò præponi possit. Vidimus in claro viro Martino Chiaues Hispano post modicæ quantitatis haustum (nam in eo periculum primò fecimus) crassam atque sanguineam materiam à naribus descendentem: ita vt propter os quod intermedium est miraremur, quanquam vlcera aliunde vsque ad os penetrantia, à descensu diuerterent. Constat autem Indicas res maiori præditas esse virtute, etiam pro qualitatum ratione. Sed de hoc à nobis in libello de Subtilitate dictum est. Nunc autem quoniam ita sit, solum intellexisse sufficiat. Quodque generaliter peregrina medicamenta plus agant: aër autem, atque cibi, ac potus patrij, ad vitæ vsum magis conducunt.

DE OXYMELITIS VSV IN PLEVRITIDE.

AD THADDÆVM DVNVM MEDICVM EPISTOLA.

QVOD ad me de literis tuis datis ante Calendas Maias scribis, amice charissime, nihil est quod dubites. Si enim perlatæ fuissent, protinus respondissem. A discessu tuo enim literas nullas abs te accepi, vna duntaxat epistola excepta, quam primis diebus miseras. Neque aliud continebatur quam quod Assij esses. Id mihi satis esse putaui, scire vbi esses, quandoquidem & tu certò nosses vbi essem. Iam verò de lite quam habes cum illo empirico primum nihil miror, nam tu de re probabili

salcem litigas: at ego de certissimis rebus litigare cogor. Quandoquidem inter cæteros nuper stupidus quidam Mediolani, & paulo melior Thessalo audet dubitare, an in acutis morbis carnes, & oua, & vinum debeamus exhibere? Et de vino certe quod minus offendit nobiscum sentire videtur: de reliquis de quibus nulla est dubitatio, homo turgidus adeo dubitat, vt contrariam sententiam teneat, iugulaturus, vt video, quotquot homines acuto morbo laborantes in eius infœlicem manum inciderint.

Neque illum authoritas Hippocratis, neque Galeni, neque ratio, neque experimentum potest hunc stupidum hominem à sententia tam absurda amouere. sed cum ancillis & mulieribus de ægri salute miser hic, quanquam plurimas iactet diuitias, consulit. Idem cum audisset ex me abscessum in septo transuerso absque dolore omnino fieri posse exclamauit vir eruditus, hoc nouum esse paradoxum. Neque vnquam apud Auicennam vidisse pleuritidem absque dolore, sed aliquando serius contingere, aut maiorem modo, modo minorem. Atque ita hic vir eruditus (dignus prorsus qui cum lanificis mulieribus cum quibus consilia agit, conferatur) nugatur. Nec animaduertit primum pleuritidem non dici de abscessu in septo transuerso, sed solum in pleura, vel vocato panniculo diuidente pectus, aut de his abscessibus qui in musculis fiunt. Minus verò sapiens vir intelligit quod Auicenna nullibi nec in decima tertij, nec alibi mentionem fecit abscessus, seu apostematis diaphragmatis, seu non nouerit, seu non auderet signa illius ponere. Idem homo cautus non nouit quod GALENVS persæpe ab AVICENNA dissentit. Sed mirum non est in re rara, & quasi illi recondita errasse. nec magis mirum est contendisse acriter, quasi si eruditionis calculus pro censu debeatur. Sed mirum est in victu acutorum morborum adeo deliraſſe.

Sed quid tu fecisses amice mi, certe acriter pugnasses vt ambo ridiculi euitati fuissetis. Nam & illud mihi testabatur mulier nobilis quam a graui morbo liberaui, cum hunc eundem alium que iuniorem satis certe eruditum aduocasset, parum abfuisse quin pugnis decertarent.

Quo factum est vt lite per domesticos dirempta vterque dimissus sit.

Non tibi nugas ago, scis me non solere mentiri. Itaque satius duxi illum cum plebeio ægro (nam ex infima plebe erat hic cui propter amicum operam potius dabam quam ob pecunias) dimittere ridendo, quam apud tam absurdum hominem contentione agere. Nam ego noui semper fuisse multos Thessalos, Hippocratis ætate Gnidij, Galeni, Methodici cum sua diatrido, Augusti temporibus Themison, vnde Iuuenalis:

Quot Themison ægros autumno occiderit vno. Tu vero demiraris nunc esse empiricos qui tibi contradicant? Nonne meministi quid Galenus dicat tertio Methodi? Certè, inquit ille, minimam spem habeo propter eum qui nunc regnat bonarum artium contemptum, diuitiarum vero & ciuilis existimationis ac potentiæ admirationem hæc quæ scribo vlli vsui futura esse hominibus. Et alibi in eodem opere: Actum est de medicina hoc nostro tempore, nisi Deus aliquis nobis succurrat. Vide quæ scripsit in primo libro eiusdem, dum docet vocari ad ægros non eruditos, sed aulicos atque conuiuijs assuetos. Semper omne in præcipiti vitium stetit, vt nihil miteris id genus hominum quod eruditissimis ac nostris præceptoribus non pepercit, nobis futurum inimicum. Causam iam habes, imperitiam inimicam eruditioni, summam ambitionem cum auaritia coniunctam. Vnde quosdam experieris alioquin tibi iure magis infensos, mitiores, quod eruditionis sint participes, quod ego etiam hic Mediolani experior, ita enim quisque mihi amicior est, vt eruditior, tres aut quatuor qui verbis plebem seducunt neque quicquam quod ad artem pertineat norunt, ita aperte de nobis maledicunt, vt qui non norit nos illos esse putet. Quod si quis vera me non dicere existimat, in examen ducantur, nam neque rite latinè loqui norunt, neque philosophiæ partem vllam attigere, neque rationem artis intelligunt, nec præcepta medendi. Sed finxerunt sibi quædam commenta, quibus illudant plebeculæ. Sed postquam in hos sermones incidimus, audi rem ridiculam atque suauem. Erat vt scis Alciatus Iurisconsulus, vir omni laude dignus, qui nostram prouinciam nostramque ætatem miris modis tum etiam monumentis illustrauit. Prudens etiam in omni ciuilium actionum genere, vtque breui pertranseam immensum pelagus laudum suarum, humillima stirpe natus, diuitias, nomen, stipendium, doctrinam, Regum amicitias sibi non vulgares comparauit. Sed hæc omnia ex sorte. Sed præter sortem, vt solus legeret, collegij Mediolanensis societatem & ordinem senatorium, maiora etiã, si non modo curasset, verum non neglexisset, habiturus. Monumenta quæ reliquit dij boni qualia & quam multa sunt. Hic igitur tantus vir cum ægrotaret vel infœlicissimis medicis, vel omnino imperitis vtebatur, nouissime autem ex omnibus qui Papiæ degebant vnum penitus literarum expertem, sibi delegit inter tot præclaros viros, eumque solum, sub quo mortuus est. Improbabis consilium viri, at ego probo. Voluit videri, puto, vir sapientissimus mortis ac tamæ iacturæ medicinam non fuisse conscium, itaque aduocauit imperitum. Quis enim nouit an vitæ pigeret, vel quod pedum doloribus nimium grauaretur, vel quod se ad summum gloriæ peruenisse sentiret. Atque hæc de causa dicta sint. Quid tandem ad rem dices, vt tibi persuadeam de his nebulonibus minime oportere te esse sollicitum. Nam cum tria sint quæ ad medicum spectant, eruditio, gloria, & valetudo incolumis, nemo mortalium efficiet vnquam vt hæc tria simul assequatur. Nam & Galenus morbis pluribus correptus est, & gloriam sua ætate paruam est consecutus, palam enim est ex ipsius monumentis, tum in primo methodi, tum de præsagio ad posthumum, tum in libello de ordine suorum librorum

brorum, non fuisse illum inter præcipuos, sed multos Romæ eum fama antecessisse. Quanquam valeret Galenus non parum artibus Græcis, esseque præditus, & huic rei maxime intentus, nec quicquam illi magis ad studia profuit, quam quod primas partes cum obtinere se non posse videret, desperans ad scribendum legendumque se contulerit. Tuum igitur est horum trium vnum relinquere: atque id tui est arbitrij, omnia hæc retinere non potes. Quod igitur minus est vtile aut necessarium meo iudicio est, vt contentiones illas nebulonibus relinquamus, solidæ vero eruditioni insistamus. Quandoquidem iam tu multo spatio processeris in arte, calleásque linguas quæ non solum tibi ornamentum magnum, sed commodum ad egregia inuenta afferunt: tum vero & mathematicas. Desunt vero multa atque præclara quæ maximam vtilitatem humano generi afferre possunt, in his, si mihi auscultabis, non in contentionibus versaberis, tum tibi maiorem gloriam apud eruditos præcipue magisque perennem comparabis, Deóque si non fallor, gratus eris, hoc enim est talenta multa non abscondisse. Sed si hoc tibi consilium præbeo, quali mihi præstat vti? an ego in me probabo quæ in te reprehendam? absit. Itaque nisi tua causa esset, ab hoc munere libenter abstinerem. Sed amicitiæ non parum, officiis vero erga me tuis longe plus condonandum censeo. Mos tibi geratur. Sed video quid dices, Galenus & ipse multa aduersus contentiosos scripsit: Fuchsius etiam, tum alij. Sed Galeno nihil illa profuerunt, imo multa eius vtilia monumenta solum ob id interiere: ipse vero logici atros vocarus: nec forsan immerito, homo enim fuit, nullus homo labe caret. Quid Fuchsius egerit hac in parte non curo. Vnum est inclytorum virorum vitia non esse imitanda sed virtutes, vitia autem etiamsi in Deo (quod nefas est dicere, ille mihi qui solus ignoscere potest, quique animum meum nouit solus parcat) esse possent, virtutes non essent. Nulla enim maior est contrarietas quam virtutis & vitij. Quo fit vt etiam opus tuum quod mihi mittere velle dicis antequam typis excudatur, hoc solo nomine suspectum habeam: quasi gloriæ excellentis viri videaris inuidere, illud maius accedit quod si probauero, videbor quasi huius cœpti autor, à quo maxime non solum abhinc, sed plurimum natura abhorreo. & tamen scio pugnabis acerrime contra hominem, laudo vigilias tuas, ingenium & eruditionem suspicio, propositum contradicendi à natura mea valde est alienum, tum maxime de bonis literis benemerito. Considera mi Thaddæe, quam pauci nunc sint bonarum literarum studiosi, & longe pauciores qui faueant illis. Multum igitur debere nos fatemur Fuchsio, qui etiam præter eruditionem leporem addidit & breuitatem, vt viuentium scripta cum voluptate legi cœperint. Laudarem Manardum in hoc genere, nisi omnia vir ille miscuisset magno artis damno, hic vero non abhorret à recta medendi via in qua & methodum scripsit, at errauit in quibusdam, sit ita, quandoquidem nesciam nec in quibus nec quomodo accusetur à te. Quis est mortalium sine errore? ego patiar si quæ errata in posterioribus editionibus inueneris, nam in prioribus scio multa esse, libenter corrigi. Passus est se Petrus corrigi princeps apostolorum, ego obmitar veritati impedens? absit. Itaque mitius cum illo ages, atque ego, si modo ita vis vt inspiciam, quæcunque illius scripta sunt ad meliorem sensum traham.

Quod si ille non patietur, tuum fuisse inuentum sciet, non meum. Ego nihil nisi ad concordiam inter vos permiscebo. Mallem vt videat certamen ob veritatis inquisitionem, quam iurgium aut contentio aliqua. Speciem habeant auctarij cuiusdam ad rem literariam, nouitiæ, aut maledicentiæ, aut odij vel liuoris: quamquam ab hoc plurimum te abesse putem. Dices ille Maledixit Montuo, Auicennæ, Mesue, Brasauolo: iam dixi vitia clarorum virorum non esse imitanda sed virtutes. Habet linguam latinam satis politam, græcas literas callet, breuis est & minimè nugax, & clarus ac ordinatus, Galeni libros sæpius reuoluit, multam habet simplicium medicamentorum cognitionem, multa scripsit, docet libenter quæ nouit, laboriosus homo certè & eruditus. Eos ne imitaberis qui vestem ornatissimam ac pretiosam intuentes, nihil inspiciunt nisi maculam paruam, in eam solum omni relicto decore oculos coniiciunt? Deinde non sunt ingenia sua vt Italica. Germanus est, ferocius insurgit forsan quam par est, tu vis illum imitari in vno vitio? non, vis vlcisci, neque te, neque me læsit, nec forsan tua improbauit cum viderit, habet multos hostes à quibus se tueatur, Cornarium, Matthiolum, atque alios. Itaque spero multa & præclara de te, aneoque quam primum librum tuum videre, ego non emendabo, sed discam noua, omnes enim omnia sciunt, non vnus omnia, maiorque est mihi longe voluptas in discendo, quam in ostentatione. Quid enim ego potero in alia messe diutiusque à nobis excussa, referibam tamen quoniam ita vis quæ mihi quasi per transennam occurrent. Sed de his satis, ad rem reuertor. Scribis contendisse te cum Cigalino, ego hominem illum non noui, magisque inter medicos egregios, vt intelligo, quam illos qui eruditione inclaruerint, recensendum puto. Nam neque quicquam scripsit quod emiserit, nec professus est publicè, nec vertit quicquam, nec tamen quin id, aut ea omnia facere potuerit nego. Sed vt Philosophus ait, non coronantur in olympicis qui vincere potuerunt sed qui vicerunt: omittam igitur de sententia hominis mortui quicquam dicere, quoniam inuidiosum & absque proposito videretur. Claros viros quidam dum recenset odones numerat atque alios incognitos homines. Ego nostra tempestate Fuchsium, Cornarium & Brasauolum audeo ex scriptis claros nominare, quorum scripta plura passimque leguntur. Curtium nisi audissem non auderem his adnumerare. Montanum inter celebres esse aiunt, non nego, non tamen possum affirmare. Scripsisse quædam dicunt, si exibunt & probabuntur laude dignus est. Quod vidi vt ex vngue leonem, opusculum, ingenium

acre

acre & iudicium ostendit, eruditionem nullam, neque locus postulabat aut admittebat. Et hæc de medicis, nam in philosophia & aliis artibus multos fortasse quis proferet. Hæc volui sub esse quod nemo autoritate tui iudicis moueatur, deinde quod non probem quasi de litibus agatur & re pecuniaria, hæc iudicia committi viris nisi famosissimis, velut Regio medico Syluio, vel Pharnelio, vel erudito atque probato veluti ex tribus his quos nuper nominaui, aut qui vtranque gloriam sit assecutus, velut Vretsalio. Quæ enim temeritas est iudicium salutis humanæ vni viro penè ignoto committere? Sed fuerit ille eruditissimus, imò ne vni aliorum tantùm tale iudicium est committendum. At dicas, quid fiet, relinquatur indiscussum, præstat errare in parte quàm in omnibus, plurimi authoritate virorum plus mouentur, quam ratione. Itaque ne meam sententiam tanquam certam exposcas, sed vt testem in tanto negotio. Senatus super vnius pauperculi vita pluribus diebus disputat; quem sontem tamen esse constat, nos iudicium proferemus quo multi insontes & clari viri periclitabuntur?

Ergo quæstio talis est: An in omni morbo laterali oxymel conueniat? Primum præsuppono; quòd non in omnibus morbis acutis, tertio de victu in acutis, quia non diceret quibus dandum, & quibus non; & infrà sæpius, non dicit semper, & infrà adhuc docet quibus non conuenit, scilicet his qui erosionem habent in intestinis: ex quo colligo ibi secundum, scilicet quod oxymel non in omni morbo laterali conuenit: patet, quia non ei cui iungitur erosio intestinorum vt ibidem colligitur, hoc autem est ratione coniuncti. Tertium, neque in omni morbo laterali simplici, quia non in mortali, dicente Galeno, quòd quicquid scripsit Hippocrates, de seruandis scripsit, recordantibus nobis quòd deploratos curare non oportet secunda Aphor. Quartum neque semper, quia Hippocrates tertio de victu in acutis, prohibet cum nihil expuitur, hoc autem est, cum est initium morbi, & per totum fermè augmentum, ideo dicit, quod cum non sorbitione ptisanæ, sed solo potu vtuntur, oxymel non conuenit, Galenus non intelligit de ratione temporis, sed vitio atque errore eorum qui toto morbi tempore abstinebant à ptisana. hoc innixus fundamento quod in sequenti sectione dicat Hippocrates, quibus igitur toto morbi tempore oxymel conuenire existimauerit? Igitur Hippocrates videtur velle quod conueniat in omni tempore Sed non est ita, Galenúsque, fermata tanti viri authoritate, hic non intellexit Hippocratem. Hippocrates enim nobis insinuat quòd cum solo potu vtendum est, non conuenit oxymel, tum quia possit excitare tussim cum nihil expui possit, tum quia tormina, quæ postmodum comitantur, frigus extremorum, & virium imbecillitas. Vult ergo quòd in quibusdam morbis toto tempore conuenire possit vel ratione naturæ, vel ætatis, vel virium. Sed neque omne oxymel, & hoc est quintum: nam acre neque conuenit in difficili sputo cum virtus fuerit imbecillis maximè: nec melancholicis, quia effœruescere facit melancholiam acetum: nec mulieribus, quia veri dolorem prouocat, iuxta Hippocratis sententiam eo loco.

Quæsitum igitur hoc modo restringi debet: An in omni morbo laterali, salubri, simplici, oxymel moderatum, à tempore initij maturationis vsque in finem conueniat? Pro quo scire oportet primum naturam oxymelitis quod est temperatum, neque excalefacit, nec refrigerat, octauo artis curatiuæ. Secundò leuit ratione melius pectus ipsum, tertio de victu in acutis. Tertiò dissecat, vt ibidem docetur aceti scilicet ratione. an verò nutriat, & est quarta vtilitas, declaratum est à nobis in tertio contradicentium. In morbo igitur laterali cum componatur ex febre & abscessu, requiruntur quæ non calefaciant: nam mulsa calefaciet euidenter, vndecimo artis curatiuæ: oxymel autem non, vt dictum est. Hac igitur prima ratione conuenit. Secundò requiritur vt sputum possit facilè èduci, hoc autem simpliciter pendet ex lenitate partium pectoris, sed & hoc vt declaratum est præstat oxymel. Leuit enim pectus, igitur hac secunda ratione conuenit. Tertium de quo proprie dubitabat empiricus ille, vetus dicis, est verum dissecando semper prosit. Nam cum semper morbus lateralis à biliosa humore fiat, vt etiam Actius in octa. libro docet, non videtur hic huiusmodi lentus, quare neque dissectione indigere. Ex quo Cigalinus ille, vt dici solet, toto cœlo aberrare visus est, quod illud conuenire, vt dicis, in prima eius epistola, existimauit, quando lateralis morbus ex pituita oriatur: cum talis morbus minimè sit lateralis, sed laterali similis, quod etiam sentire visus est Auicenna. De vero igitur laterali morbo qui à biliosa sanguine fit, sermo fit, primum præsuppono quòd de salubri morbo laterali loquamur, vt dictum est, in quo sputum debet, inquit Hippocrates, esse admodum permixtum ex bile flaua, dicit Galenus & pituita secundo prognosticorum. Permixtio autem fit aut cum est lentoris maximi aût cum pituita excoquitur, quarta aphorismorum, sed & pituita per se lenta est, in hocque quasi ab humore crudo distinguitur. Galenus octauo de decretis, & sumptum est ex primo de humana natura, pituita omnium humorum est maximè viscida. Aduritur autem & à bile, vt dictum est, & à calore febris, & per se talis est, vt indigeat manifeste dissecantibus. Pus etiam optimum primo de differentiis febrium, nonne crassum & consistens esse debet: quod verò consistit lentum est necessario, & ob lentorem igitur. & ob crassitiem puris oxymel conuenit. Nec mirum ob id Erasistratum existimasse aut vocasse humorem crudum pus, scilicet quòd lentore & colore ac crassitie ei similis esset. Qui igitur citra affectum hæc cogitat, facilè intelligit, cum morbus lateralis sputum efficit & concoquitur, oxymellis vsum natura mediocris vtilem esse. Plura scripsissem de hoc, si per negotia liceret: sed in re tam perspicua maiore commentario opus non est. Vale, Mediolani IIII. Idus Augusti.

DE

DE VENENIS LIBRI TRES.

AD PIVM MEDICEM PONT. MAX. Eius nominis Quartum.

PRÆFATIO.

EXARAVERAM, Beatissime pater, iisdem fermè diebus tres libros de Venenis, quos cum salutares admodum humano generi existimarem, cui potius quàm tibi dedicarem? vt in altero magnitudinis amoris erga te mei, vt qui nihil maius dare potuissem, experimentum præbueram: in hoc ipso, fiduciæ in humanitate tua darem, qui nostra quamuis exigua non aspernaris. Vale igitur, & quicquid est, non pro ingenij mei, nec virium tenuitate, sed pro Maiestate tua, & benignitate, perpusillum hoc munus, ac tanquam accessionem metiare. Nonis Quintilibus, felicissimi tui Pontificatus Anno quarto: Bononiæ.

LIBER PRIMVS.

Qui est de essentia & causis illorum.

PROOEMIVM.

OMNES homines vno ex quatuor mortis generibus perire solent, aut enim naturali interitu finiuntur, natiuo absumpto humore: eámque mortem sine dolore fieri Aristoteles, & ex cessatione motus pulmonis tam siccati. Quod vt mitissimum est, ita rarissimum. Forsan Sophocles vnus in tam raro exemplo numeratur. Secundum est violentum, cum ferro, lapide, ruina, homo cadit: in quo plerumque, etsi compositio vitiari solet, nonnunquam tamen ex sola intemperie etiam mors accidit: vt in his qui in aquis suffocantur. Atque hic modus longè plures primo absumit, non tamen tam multos, vt plerique credunt: nam in magnis præliis, vbi collecta gens fuerit vndique, vix vnum è mille in vrbe desiderari videbis. Tertius multo plures perimit mortales, per morbos proprios vnicuique, & maximè qui per tempora euenire consueuerunt. Febres continuæ, hectica, dolores coli, laterales, fluores alui, renum & vesicæ cruciatus. Nec tamen hoc modo maxima mortalium pars occidit. Sed quarto potius genere, cum causa ignoto quodam modo perimit, tametsi causa ipsa nota sit. Etenim hoc primùm modo intereunt qui ex pestilenti febre, qui ex vera peste, qui morsibus aut ictibus venenatorum, qui veneno epoto, qui hausto lethiferi vaporis, qui philtris, veneficiis, fascinatione, qui vmbra prana planta, toxici, oleandri, pomorum

mortis, nucum, qui illito medicamento malo, qui vicinia serpentis, atrocis infecti, qui laterali morbo venenoso, nec vulgari, aut flore alui huiusmodi, aut excantati, aut vulnerati telo infecto, aut suffitu contactúve, aut enemate lethifero, vt legatarius à tonsore, moriuntur. Ob id, quid sit venenum videamus.

CAPVT PRIMVM.

Venenum quid sit, & quomodo à Iurisconsultis accipiatur.

VENENVM definiri solet, quòd sit illud quod corpus nostrum mutat, nec mutatur ab eo. Et addit Galenus, quod est contrarium naturæ nostræ substantiæ ratione. Et pòst declarat, quòd ista repugnantia est sicut ignis & aquæ, scilicet ob excellentem qualitatem calidi, frigidi, sicci, vel humidi. Et hoc est, quia Galenus existimat qualitates primas esse substantias rerũ naturalium. Et ideò sexto in sextum Epidemiorum, volens ponere differentiam inter Venenum & medicamentum purgans, tum alexipharmacum, quia etiam hæc occidunt, dicit: Non occidũt hæc nisi copiosius sumpta, venenum aut in parua quantitate occidit. Vocantur aut venena ibi ab Hippocrate, vt etiam Galenus exponit, malefica medicamenta. Hanc definitionem secutus est Princeps Secunda primi: sicut aliam in secundo libro, quæ est quòd Venenum est medicina quæ corrumpit temperaturam, non sola qualitate, sed naturæ proprietate. Hanc exponit in libro de Viribus cordis, hac sententia: Medicina quæ propriè Venenum appellatur, est quæ corrumpit spiritus per contrariam qualitatem quæ est in ea.

Sed verè hæ definitiones non sunt secundùm id quod nunc intelligi volumus: nunc non dico de illarum veritate. Prima enim præsupponit, quòd Venenum non patiatur à corpore nostro: at hoc falsum est, in agentibus enim quæ conueniunt in materiâ, dicit Philosophus primo de Generatione & corruptione, Omne agens à patiente aliquid patitur: igitur Venenum etiam patitur. Sed hoc non concludit in causâ, quia hic intelligimus perpati, id quod manifestè mutatur quoniam medicus artifex est, sensui innitens: & non negaret Venenum non pati, sed non pati iuxta sensum, & manifestè: quod verum est. Sed quid dicemus de modica quantitate? contrà an dicemus eam non pati à tanto calore, quantus est humanus? Et etiam, quia si operatur in nostrum corpus, prius actum recipit à calore? Etenim & hoc est ex concessis ab his qui definitionem ipsam scripserunt. Et experimentum docet, quod nil operantur nisi frigida quæ refrigerant corpus velut lapilli, nisi soluantur in partes minutissimas. Experimentum etiã docet quòd ipsa transit in feces, ideòque corrumpitur, quare etiam vehementer patitur. Præterea quod maius est, definitio hæc non est generalis omnibus Venenis: neque enim conuenit his quæ agunt ex manifesta qualitate, neque etiam pestilentibus febribus, vt quatumvis bona sit, nunc non conueniat proposito nostro.

Secunda quoque definitio non conuenit euphorbio, nec ci cutæ, nec istiusmodi, sed potius conueniret atræ bili. Scamonium quoque venenum esset, & cucumer anguinus, quod nemo dixit. Et ideo, vt comprehendamus omne venenum sub vna definitione, dicimus, quòd Venenum est quod aptum est nocere vehementer nobis occulta agendi ratione, tametsi causa nota esset. Velut canis rabidi morsus est cognitus, qua ratione nocet, vt vulnus efficit: non autem ea qua deducit hominem ad rabiem. At dices, opium, euphorbium, & vitrum non erunt venena? Respondeo, quòd vitrum sub hac definitione haud comprehenditur, licet hominem interficiat. Opium etiam interficit non ob frigiditatem, sed occulta quadam ratione, vt dicemus. Euphorbium quoque, non quia calidum est occidit, sed quia vrit: et forsan proprietatem habet aliquam occultam, per quam occidit. Neque enim piper dixero vnquam venenum esse, tametsi nimio calore occideret. Dico ergo, quòd si euphorbium non occidit quia calidum, ipsum venenum non esse: nec de hoc erit sermo in hoc libro. Dicemus tamen aliqua de vitro & calidis medicamentis, licet venena non sint, quia multos perimunt.

Venenum tamen à Iurisconsultis aliter accipitur, dicente Vlpiano: Mala medicamenta, & Venena veniunt quidem in hoc iudicium: sed Iudex in his interponere se non debet, boni enim & innocentis viri officio cum fungi oportet. Appellant autem non Venenum simpliciter, sed venenum malum, vt libro decimo octauo Iurisconsultus Caius. Sed & idem alibi ad legem duodecim Tabularum de verborum significatione ait: qui Venenum dicit, adiicere debet vtrum bonum esset, an malum, nam & medicamenta Venena sunt, quia eo nomine continetur omne quod adhibitum, naturam eius cui adhibitum est mutat. Cum id quod nos venenum appellamus, Græci φάρμακον dicant: apud quos tam medicamenta quàm quæ nocent, hoc nomine continentur, vnde additione nominis distinctio fit. Admonet & nos summus apud eos Poëtarum, Homerus sic dicens: φάρμακα πολλὰ μὲν ἐσθλὰ, μιαιγυίνα, πολλὰ δὲ λυγρὰ, in qua sententia Virgilius:

Ille malum virus serpentibus addidit atris.

Tum illud:

—Nec Assyrio fucatur lana veneno.

Inde de venenariis à Callistrato lata lex: Venenatij capite plectendi sunt: aut, si dignitatis respectu agi oportuerit, deportandi. Appellant ergo venena Iurisconsulti, quæcunque exhibita nocere plurimum possunt, non autem conferre. Ideo & vitrum & euphorbium apud illos venenum erit: seu etiam illitum id possit, seu tabefaciat, seu mentem

mentem moueat ſolum. Omnia hæc venena mala à Iuriſconſulto appellantur. Sed quid ſi amatorium poculum det non animo nocendi: inſanum autem reddat illum, non amatorem? Tunc videndum eſt, quo animo dederit: ſi enim vt ſolum amaretur, forſan non merebitur: verùm hæc ad Iuriſconſultos relegentur. Vnum ſat eſt definitionem hanc veneni, quæ vitrum & adamantis cuſpidem, ſi modò verum eſt, ſub ſe non comprehendit, non excuſare: quin qui vitrum dederit in cibo, veneficiis reus non ſit, quandoquidem in duobus collegiis ſacratum virginũ plures perierint ex vitri eſu, vnde qui illud dat, venenarius eſt: vitrum autem nullo modo venenum eſt, vt nunc venenum dicimus, quandoquidem in puluerem redactum, tutò bibatur ad exterendum lapides renum, & veſicæ etiam: quanquam veneficam vim ineſſe quidam exiſtiment. Similiter & quod infamiam mouet, venenum propulſo dubio eſt. An verò quod nullo modo perimere poteſt, abeſt tamen ab vſu hominum, & nocere ſolum poteſt, & eo animo datur, venenum ſit appellandum? velut, ſi quis alumen ſcitum ſeu plumæ in lecto ſpargat ad pruritum excitandum, aut vinum ex anguilla putrefacta ad odium vini inuitiendum, aut ſalem vino ad inebriandum, aut gentianam cibis ad abominationem illorum, aut ellebori albi parum in cœnæ fine ad vomitum excitandum, aut echinatus caſtanearum calyx adpeditus, aut ſcilla afficata latrinæ ſodalli, quæ pruritum & vriginem facit? Reſpondeo, quòd non, nam alterutro opus eſt: aut facto, aut voluntate quorum vtrumque cum deſit, puniri tanta pœna non debet. Venenum tamen eſſe poteſt, vt a nobis definitur, ſi vehementer noceat, etiamſi perimere non poſſit, vbi ratio qua nocet, incerta ſit. Venenum quoque ab Hippocrate ſexto Epidemiorum ſic deſcribitur: Maleficorum (ſupple auxilium) lac, allium, vinum feruefactum, acetum, ſal. Galenus ibi exponens, per maleficia, venena intelligit. Sed lac, vt videbimus, propriè venenis aduerſatur: reliqua venenoſis, cuiuſmodi plurimæ ſunt plantæ, quæ tamen prorſus non ſunt venenum. Per maleficia igitur, venena, venenatáque, & veneno participantia intelligit: cuiuſmodi primum ſunt multæ plantæ, lathyris, tithymalus, piriuſa, rhododendron, peplium, ſcammonium, ricinus, chamelæa, narciſſus, alipum, apios, calocynthis, rutha agreſtis, ſolanum, dryopteris, mercurialis, elleborus, coriandrum: & quæ vetuſtate deteriora fiunt, vt caſtoreum, nuces baccæ lauri: & quæ ſenio, vt lactuca, portulaca: & quæ ſemiputreſcunt omnia, caro, ouа, panis, lac: & quæ nimis acriâ, ſemen rubræ ſiliquæ indicæ, vel ſtaphiſagriæ, vel ſerpentariæ, vel vrticæ: & quæ frigidam concipiunt qualitatem, aſſa contecta, piſces frigidis, ſanguis bouis. Omnia igitur hæc ſub maleficorum nomine ab Hippocrate cum venenis comprehenſa ſunt.

CAPVT II.

Medico an liceat tractare de venenis, & quatenus, & quomodo cum principibus excuſare ſe debeat.

AN verò deceat medicũ cognoſcere docereque venena, docebat Gal. ſecundo de Antidotis: Licet quidem illa cognoſcere. Et ratio eſt, quia niſi cognoſceret, non poſſet ea deuitare, ſunt etiam venena vtilia ad compoſitiones ſalutares, vt Titi caro ſeu viperæ ad theriacam, opium ad philonia: euphorbiũ, cantharides, ad medicamenta peculiaria. ipſe per ſe ad hydropẽ, nappellus ad leprã. Exterius & ſpuma argenti, ærugo, tum pleraque metallica. Sed tradere compoſitionẽ venenorum ad interficiendũ homines, dicit, eſt hominis improbi, non medici. Adducit tamen multos egregios Poëtas, qui hoc ratione neſcio qua adorti ſunt: Orpheum theologum, Aratum, Heliodorum Athenienſem, & Horũ Mendeſium: eóque metuentes leges, ne plecterẽtur, & multitudinẽ, ne lapidibus obruerentur, iuraſſe in initus operũ ſe non præmio neque amicitia indictos de illis ſcripſiſſe: ſed ob id, vt poſſint curare, dicit Gal. hæc ratio inſulſa eſt: quia cognitis ſimplicibus, cognoſcuntur etiam compoſita, quo ad ſigna & medelas. Et certè non fuit propter id, quamuis forſan bono animo id agere ſe exiſtimarent. Verùm Gal. lib. de Medicamẽtis purgãtibus, dicit, quòd non licet docere medicamẽta vlla quæ interficiãt: & narrat ſortem illum ductũ ad ſupplicium vinctis oculis. Et dicebat in lib. de Cauſis procatarcticis, quòd nouerca miſit quẽdam empti venenum à medico, & dedit ſeruo qui propinauit priuigno, mortuus eſt ille: detectũ ſcelus, omnes quatuor dederẽt pœnas, nouerca, medicus, nuncius, & ſeruus ipſe. Tamen Gal. paſſim nominat plura venena, vt pote ſexto in ſextum Epidemiorũ, vbi meminit hydrargyri, ſpumæ argẽti, aconiti, leporis marini. Vbi notanda duo ſunt. Primũ, quod aliàs dixi, aconitũ aliud eſſe à napello, quanquam aconitum ſit acre venenum, vt in lib. de Simplicib. medicamentis ad Paternianum, vbi etiam deſcribitur illa planta. Alterũ eſt, quod Gal. teſtatur ſe compoſuiſſe librum de Medicamentis a proprietate operantibus, vbi multa venena docuit. Reſpondeo igitur, medicamenta ſimplicia, quæ ſunt incognita, non debent doceri, ex authoritate Gal. adducta in lib. de Medicamentis purgãtibus: quia homines non debent comedere herbas, quas non nouerint, & ideo malefaciunt iſti qui comedunt herbas miſtas, quas neſciunt quæ ſint: & quanquam non eſſent venenum exactum, ſunt tamen multæ venenoſæ, & quædã nocent iecori, & aliæ ventriculo, & aliæ renibus ac veſicæ, & omnes herbæ quæ faciunt lac, & ſunt calidæ, nocent valde iecori, & ideo licet non occidant ſtatim, vitam tamẽ efficiunt breuiorem, & morboſam totam. Et ſcio quendam nobilem Patauinum, qui cum ediſſet tortam ex herbis, quibus immiſta erat cicuta, pro petroſilio ab ancilla, (eſt enim valdè ſimilis ei) mortuus eſt ſequẽti nocte, ſed ſimplicia ſint cognita, debe-

mus tunc docere illa ad curationem faciliorem, quia omnino nota sunt, & similiter si sint venenosa, quamvis incognita, debet medicus docere: quia omnino inimicus non audebit vti his quæ omninò interficiunt, nisi in maxima quantitate: & tamen docendo homines abstinebunt etiam à pauca quantitate, quæ illis noceret. Secundùm præceptum est, medicus non debet docere aliquid quod augeat vim veneni: quia tunc fieret magis irrepabile & insanabile. Tertium, non debet medicus docere ea quæ abscondunt qualitates prauas veneni: illud enim est maximum. Quartum, non debet medicus docere præparationem veneni, vt fiat temporaneum: quia per hoc fit magis pernicioſum, & irreparabile, nam prius acquirit vires, & enecat hominem, quàm cognoscatur. Quintum medicus non debet scire neque discere præparationem vllam veneni, vt sit validius neque vt differat opus, neque vt occultetur. Præterea medicus non debet cognoscere venena exotica, nisi solo nomine, & viribus. Nam si cognouerit distinctè, poterit ex animi perturbatione propinare illa, aut excogitare aliquid subtilius in eis, vel ob affectum alicuius coniuncti aut amici docere eum, & ita esse in causa mortis alicuius. Venena autem notissima regionis, & medicamenta venenosa primùm perdiscere debet ac tenere, vt dici solet, in digitis: non solùm quòd iam omnibus nota sint absque eo & quòd turpe esset eum ignorare, quæ omnes norint, adeò vt eius ignorantia potius supina dici posset quàm cuiquam bono: sed etiam quòd sic plus esset commodi in auxiliis, quàm periculi in scientia. Et ideò debet scire ea diligenter, & signa, & damna & custodiam ab illis, & alexipharmaca tam communia quàm propria, adeò benè, vt doceat homines vsum venenorum ipsorum in perniciem nec posse abscondi, neque etiam quicquam profuturum ad necem, sed vel minimam posse inferre noxam. Præterea ad vtilitatem ægrotantium, vt dixi, & compositionem magnorum medicamentorum, in quæ plerumque solent ingredi venena mortifera. Præterea vt sciant homines vitare lathyrim, cicutam, ficus acerbos, fungos, anguillas, ranas, rutam mense Maij & Iunij, & absinthium post medium Maij, & siliquam arbuti fructum, ac palmarum mala insana, nuclei pini, mercurialis, caules, seminaria, ozimum, sisamum fenum græcum, succi omnes ex quibus constant intinctus: medullæ, cerebella, iuniperi fructus, chelidonia, & omne quod aluū mouet vehemēter: & omnis planta habens succum non viridem, ideò fraga mora etiam, & lactucæ, quæ iam semen produxerunt: & frumentum est ex magnis venenis, quod multipliciter perimat: & omnia putrida, semiputrida, corrupta.

Et scire ac docere, scribereque diuersa sunt. Quæcunque enim scire malum est, docere deterius est, scribere autem pessimum. At multa possumus docere amicum sapientem & probum, quæ scribere omninò nefarium est. Condiscere etiam plura licet, vbi de tua integritate confidere possis, quæ docere non licet nemo enim tam certus de alio esse potest, quod est de seipso. Porrò scire venena & qualia sint, atque integrè dignoscere, multis modis vtile est. Primum ad medicamentorum compositionem: secundùm, vt illa deuitare queas: tertium, vt certior sis quòd assumpserit æger: quartum, vt cognoscas quantum noscere possit: quintum, vt melius curare illa valeas: sextum, vt cum rationem tenes qua nocent, modum ex ea seruandi etiam inuenias. Itaq; refert multū, quibus moribus medicus præditus sit. Venenosa igitur omnia noscere decet medicū, venena autē vulgata, ea ratione quę dicta est.

Quomodo se debeat medicus excusare cum principibus (periculosum enim est cū petunt adeò vt Auenzoar, cùm interrogaretur ab Hali quodam tyranno, quid esset quo posset inimicum suum perimere? illeque se scire negasset, ob id in carcerem coniectus est, multisque incommodis affectus, biennio ibi permansit, quòd ille diceret factum conscium sui secreti palam est, quòd negare oportet se scire ideò etiam cauendum est ne te iactes: tum enim obnoxius eris periculo. Quòd si tes sit cum violento tyranno, dilatione sumpta pro compositione quāta sufficit ad filios amandandos, collectis charioribus rebus fugæ te dedas. Nam præter id quod sit cōmunis hominis artem contra præceptum Hippocratis tanto vitiare flagitio, etiam tibi exitium paulo post manifestè paras. Te enim duplici ex causa occidet: & vt conscium sceleris tollat, vt Solymus Turcarum princeps, cum Daiazetem patrem fraude sui medici Hebræi sustalisset: & quod tibi vt proditori non confidet, neq; amādare, aut alteri post habere audebit.

Difficultas maxima est in hoc, quòd necesse est medico cognoscere venena, & quæ circa ipsa sunt, modos, vim, speciem, qualitatem, si debet rectè curare. Etsi debet hæc scire, oportet vt doceatur ergo venena doceri oportet vt doceatur ergo venena doceri oportet. Sed si non doceantur, nulla erit ratio recta medendi. Et etiam quivis pharmacopola plus sciet medico; si doceatur publicè, plus erit iacturę in cognitione veneni, quàm in scientiâ alexipharmachorum, adeò vt sit vna via tantùm, velut etiam in cognitione philosophiæ, sicut dicebat Auerroës: Hæc non sunt, (inquit, de anima loquens, mundo Deo) reuelanda vulgò. Videmus eruditos philosophos bonos esse, quamvis nō credant ea quæ faciunt ad continendos animos in virtute: & hoc contingit, quoniam mens est perfecta: & quod perfectum est etiā in mortalium genere est, immune à vitiis. Deinde, quòd cognoscunt non esse vtilitatē, nec preciosa esse quæ per vitia parātur, adeò vt ex æquo contemnant præmia vitiorum & falsa promissa: hæc vt falsa, illa vt vilia. Et ideo non sunt hæc propalanda nisi subtilibus ingeniis in quo homo falli non potest, & probis: sed in hoc falli potest. Nam si subtiles rationes declarauēris, & illi intelligent quoniam erunt profundæ scientiæ, non erunt mali. Etsi non intelligent, obesse non poterunt: quinimo confundentur. ergo

priuatim

priuatim pauci, docendi sunt. Laude dignum multo minus censeo, qui acuunt ad venena inquirenda, velut Theophrastus partim docet, qui docet fieri posse: & vt ille qui phœnicia docuit medicamenta. Satis est intelligere finem, & quod consequi liceat, aut alios assecutos, belle enim introducti sumus. Deterius est potuisse, nec voluisse: quàm voluisse, nec potuisse. Verùm quis non aberrauit in hoc instituto? Et nos ob difficultatem, & quia proficere maximè ob angustiam temporis posse non videmus, sequemur morem aliorum. Sed si rectè tradenda esset hæc doctrina per symptomata, numeranda essent auxilia, non venena, nisi quæ casu occidunt, vt morsu aut ictu, hæc enim in hominis potestate non sunt: cætera priuatim. Nos autẽ parcè de omnibus, quòd nihil horũ tractauerimus: & ne plus docendo remedia noceamus quàm iuuemus, vt Hesychius cum Pharico, quid aliud egit quàm vt ad quærendum homines incitaret, Sed bona fortuna nunc periit venenum, cum ipsa compositione olim Ægyptiis nota. Sed ad feras commemorabimus elleborum, aut helenium, non illud odoratum, sed Heliconium elleborum, quo sagittæ imbutæ lethale vulnus afferunt ceruis ac aliis animalibus, quæ postmodum turò edi possunt, & ipsa venena tractari: alia pro amuletis appendi, quale illud de bufone siccato admirabile, ad indesinentem hæmorroidarum sanguinem. Quanquam breui postmodùm perierit amicus noster Iulianus Pontius, seu alia causa, dolore scilicet mortis filij: seu suppressis ex toto hæmorrhoidibus, seu venefica ipsius amuleti vi. Vtrum autem medicus debeat contra hostes patriæ vti veneno, declaratum est secundo Contradicentium.

CAPVT III.

Quæ sint cognoscenda de venenis.

QVæ igitur in venenis cognoscere principaliter oportet, hæc sunt: Primùm, quot sunt genera illorum, agendi modi ratione: velut, quòd alia quidem perimunt & calefaciunt, alia erodunt, alia putrefaciunt: tametsi ipsa proprietas qua perimunt, occulta sit, neque enim aliter, vt dixi, venena essent. Expedit autem scire, quomodo occulta ratione perimant: quamuis & id eis proprium sit, vt perimant occulta ratione, namque occultum dicitur, quòd vel sciri non potest, vel non facilè, vel quod aliud est ab his quæ vulgata sunt & pertrita: in quo genere nunc dicimus venena perimere occulta nobis ratione. Deinde quot ex rebus venena sumantur, velut animalibus, plantis, metallicis: & magis specialiter, quibus ex partibus eorum, aut omnino distinctè, quoniam quædam ipsa corruptione talia euadunt. An verò quod corrumpitur, magis sit venenum, an quod ex corrupto iam genitum est: præterea quot modis vnumquodque venenum dignoscatur, veluti substantia ipsa, scimus enim napellum & aconitum, leporemque marinum, venena esse solo rei genere: vel ab his quæ illi contigerunt, velut putredine, agitatione, vt qualitates augeantur. Ab effectibus, vt quæ debilitant, & vertiginem tracta mouent, vel muscis perimunt contactu vel spiritu. Tum verò colore ipso, seu generaliter, seu in ipso genere rei: vt colocynthis & agaricus niger, & castoreum album, similiter ex odore atque gustu, cum tamen quædam non minus haud tutum sit odorare, quàm prægustare. In lethiferis enim valde venenis, aut alterum, aut vtrumque non leuiter periculosum, imò nonnunquam lethiferum. Post agendum de prouidentia, ne ab eis attingamur. Et si contigerit vt in illa incidamus, custodiam adhibeamus ne omnino lædant. Post hæc agemus de signis assumpti veneni aut attacti, aut in nobis ipsis genitis: tũ generaliter, tum etiam vt singulas illorum species ex accidentibus & symptomatibus, tum etiam cõiecturis internoscere discamus. Atq; eadẽ erit ratio fascinorum, veneficiorum, philtrorum, præstigiarum, excantatorum, frigidorum, vmbrarum noxiarum, timorum, vt in nocturnis laruis quæque omnium sit ratio, atque hæc generaliter, tum per singulas species distinguedo. Demum de cura eorundem omnium tam speciali ac singillatim, quàm etiam generali: nec non cum alia accesserint, quæ oppositam ac contrariam curandi rationem expostulent, initium à generalissimis facientes.

CAPVT IV.

Quæ propria ratio agendi venenorum.

IGitur quid sit venenum, & quænam sint de illo cognoscenda, nuper hic docuimus: quæ verò ad illius agendi modum spectant, partim aliàs declarata sunt in nono Contradicentium, partim nunc explicabuntur. Inquirere autem id ratione experimentoque, tum antoritate, procliue omnibus id est: at traducere ad vnum omnia principium, prout aliàs docuimus, forsan à nemine hucúsque factitatum est. Accipiemus ergo definitionem, velut vnum principium superius expositum, scilicet: Venenum est, quod est aptum nocere vehementer nobis occulta agendi ratione, tametsi causa nota esset. Ex hac intelligere oportet, quónam pacto venenum occidat, deinde quomodo ad actum deducatur, demum qualiter trahatur à corde. Nisi enim venenum qualitatem mortiferam habeat, eaque ad actum deducatur, & ad cor ipsum perueniat, non occidet. Equidem Galenus de Venenis locupletẽ librũ cõscripsit, vt ex ipsius relatione sexto in sextũ Epidemiorũ, & eũ vidisse Razis fatetur trigesimoquinto Continentium. Et ideo si librum illum haberemus, forsan iuuaremur. At postquam

illum nobis vetustas subripuit, aut etiam in aliquo angulo latet. Refert enim Bessarion Cardinalis in Epistola ad Venetorũ Remp. ex ducentis viginti millibus librorum, qui ætate Plutarchi, vt ille recitat, in Apameæ bibliotheca inueniebantur, vix mille sua ætate supererant. Reliquos verisimle est in ædibus priuatis in thesauriſq; regũ supereſſe maiore ex parte. Omittam nunc quæ de proprietate dicta sunt secundo Contradicentium: quandoquidem de generali ratione agatur non speciali. Conciliator id solum è tribus attigit, quomodo à corde trahatur, cum illi sit inimicum, at nos prius, quomodo perimat, docebimus, multa enim trahuntur ad cor quàm celerrimè, quæ tamen nõ occidunt, etsi sint calida, sicca, frigida, & etiam corrupta. Veneni igitur generalis (omitto enim nunc quæ purgando, aut exulcerando, aut phlegmonem incerta parte excitando occidunt) proprium est, intimam dissoluere substantiam, calida enim, siccáve, aut quæuis alia è superficie in ima penetrant, minúsque calesiunt extrema quàm medium. Sed corruptio veneni ima attingit, non corticem: substantiam, non qualitatem solam. Declarauimus enim, quòd in febribus non pestilentibus soli ichores corrumpuntur, non humorum ipsa substantia: quo fit, vt omne venenum necessariò calidum sit, tametsi nihil minus sit quod obsit in eo veneno, quàm caliditas. Omne etiam venenum nisi sit erodens (tale enim non magis venenum dici debet quàm vitrum vel acus, neque enim omnia quæ perimunt, sunt venena: sicut neque omnia venena perimunt, alioqui frustra in lethale diuideremus venenum, atque non lethale) subtilem habet substantiam, atque id est adeò proprium, vt ausim fermè id dicere, omnem substantiam admodum subtilem esse venenum: aut saltem eiusmodi, vt iuncta cuicunque vel minimum malefico medicamento in venenum statim transeat. Sunt autem quædam quæ citò penetrant, ob substantiæ subtilitatem: alia verò ob humidum tenue adiunctum, alia demum ob similitudinem. His omnibus rationibus constat veneni natura, si vni eorum adieceris, quod noxium sit. Nam sunt vina antiqua, & aqua ardens, tenuia quidem: sed pinguia non sunt, nec noxia, addatur ergo & illud, vt sit pingue, non vt venenum sit, sed tanquam proprium speciei veneni, quod vehementius sit.

Quónam pacto verò ad cor trahantur: quidam existimarunt ex sententia Galeni, primo de Semine, vim illam quasi contagiosam, & materia carentem, duobus enim his modis illius dictum interpretari potest: sed primus verior, secundus magis ad Galêni mentem, quoniam dat exemplum de fulgore, qui per totum aërem tam subitò spargitur. Sed si sic esset, non corrumperet, nec nec adeò ageret in materiam. Videmus etiam, quòd partes propinquiores loco affecto magis afficiuntur, & humores, & reliqua. Deinde videmus corruptos humores ipsos in huiusmodi malis, & in venenis paulo magis materiatis, quàm sint aculei vel scorpionum vel crabronum: vtpote in morsibus, qui per saliuam lethales sunt, & in deuoratis corrumpi planè humores, & non æqualiter: vis autem materiaria etsi inæqualiter spargatur, non tamen magnum est discrimen inter partes, cuiusmodi est inter humores infectos. Sed sit quomodo vis, seu propagatione, vt ego reor, seu vi non materiaria, certum est diffundi venenum ex tam exiguo aculeo, sparsa qualitate in totum corpus: qua ratione etiam ad cor ipsum permeat. Et hæc est opinio Apponensis in suo libello de Venenis. Vt autem doceat hanc esse veram opinionem, quia prima videbatur dicere, quòd venenum trahitur à corde necessitate vacui, dum dilatantur arteriæ, sicut etiam aër: & videtur confirmari ex sententia Galeni secunda Aphorismorum, dum narrabat de muliere, quæ in balneo exoluebatur hausti vaporibus ex lignis vitiatis, ac venenosam habentibus qualitatem, succensis: nam vndequaque cum arteriæ hauirent hunc vaporem in ambitu corporis, ad cor deferebatur: atque ita in syncopim incidebat: Par, dicet hæc opinio, ratio erit in hausti per os, aut per vulnus, cum cor æqualiter ab omnibus partibus trahat. Tertia opinio est, quòd vtroque modo trahatur à corde & ipsum propria virtute permeet. Contra vtramque harum, quia conueniunt in hoc quòd trahatur à corde, adducit rationem: & est, quòd illud quod trahitur, vel est simile vel, contrarium, non simile, quia non interficeret: nec contrarium, quia solum illud trahitur à membro ægro, velut in hemitritæo, Prima Quarti, cor autem hic supponitur esse sanum. Et experimentum, quia cum quatuor homines venenum in cœna comedissent, vnus mortuus est breui, duo post longum morbum tandem euaserunt: vnus breui, & parua cum noxa liberatus est, qui erat calidi cordis. Quòd si venenum traheretur à corde, par erat illum qui cor habebat calidum, mori citius, etiam primò. Ad hoc, quia tertia opinio, cui videtur assentiri, est melior, dicendum esset, quod forsitan minus edit: aut edit plus de cibo, ob robur temperaturæ, quod non negat, & ob id facilius euasit. Cum ergo duplex sit attractio: Vna, naturalis pura, quæ duplex est, sine villorum auxilio, vt in iecore: & cum eo, vt in corde: Alia vacui necessitate, seu ob raritatem, quæ est animi vis, & in corde per arterias (omitto modo tertium genus, voluntariam, tanquam extra hoc propositum) venenum quidem peruenit ad cor natura sua, non se diffundit, vt dixi, altero duorum modorum: & trahitur à corde, vt aliàs etiam docui, attractione quæ fit per arterias raritatis causa, non autem naturali attractione: quia illa solùm per se attrahitur vtile, scilicet simile à sano membro, & contrarium ab ægro, & ita in hoc casu neutro modo venenum à corde trahi potest quare patet ad rationem, quòd non assumuntur omnia membra diuisionis, neque omnes modi quibus aliquid trahitur in corpore nostro ab aliquo membro.

Vltimum autem quæsitum difficilius videtur, à quo ad actum deducatur. Et non

habet

habet tantam difficultatem in morsibus & ictibus, quos quis diceret à calore animalis venenosi per dentes, aut aculeum infixo diffundere venenum: sed in denoratis aliud est, cum non adsit nisi calor naturalis hominis, qui non debet agere contra se. Hæc autem quæstio duo habet capita. Vnum generale: & ad hoc respondeo breuiter, quòd agentia naturalia agunt contra se per instrumentum commune: vtpote, Homo descendit ex alto, & occidit se inuitus: quia hoc agit per grauitatem, quæ est instrumentum commune. Et ideo per calorem etiam dissoluit pituitam in cerebro, quam melius esset permanere concretam, quia dissoluta quandoque perimit. Verum per propriam operationem nunquam agit per se contra seipsam, vt quia trahit semper simile & vtile, non contrarium: quandoque tamen plus trahit quàm oporteat: & hoc, vt dixi, ratione instrumenti, cum calor fuerit abundantior quàm debet. Et hoc modo renes faciunt diabëten, & perimunt hominem, & ex consequenti seipsos: sed, vt dixi, hoc contingit aut per accidens seu fortuitò, aut propter vim instrumenti validiorem quam oporteat, aut vtrunque. Alia verò quæstio est de venenis, quæ frigida illi vocant, de quibus seorsum suo loco agemus infrà.

CAPVT V.

Prima diuisio venenorum ex ratione ortus.

PRima igitur diuisio venenorum est ab ortu, id est modo quo originem ducit ad lædendum corpora nostra. Quædam enim primum oriuntur in nobis propriè, vt habetur sexto de Locis: alia autem non propriè in nobis oriuntur, sed eorum quædam à causis gignuntur necessariis: & sunt aër vel aqua, vt colligitur secundo de Humana natura. Quæ autem extrinsecus adueniunt, alia quidem intus in cauitates immittuntur ratiõi per enemata, plerumque per viam cibi potusve. Externa alia sunt, quorum quædam sine substantia sunt, vt excantationes & fascini. Atque horum quædam habent substãtiam aliquam, vt fascinatio, quæ intuitus radio fit: quæ verò substantiam non habent, aliam tamen subiectam aliquam habent materiam, & si ad amorem tendunt, philtra appellantur: sin ad maleficium, excantatio: si ad vtilitatem, præcantatio. Quæ verò materiam nullam subiectam habent, si speciem solùm demonstrent, præstigiæ vocantur: si immutauerint, deuotiones, vt M. Crasso tribunus plebis. Quæ verò substantiam habent, alia insensilem, vt odores: alia verò quæ sensili constant materia, sed tamen occulta, nisi quis mentem adhibeat, vt vnguenta, olea. At quæ manifesta constant substantia, alia quidem citra dolorem occidunt, velut quæ solo contactu necant: vt saliua canis rabidi, pestis contagiosa, dryinus serpens, atque alia multa. Quæ verò cum dolore nocent, alia ex hominibus, vt tela, sagittæ veneno infectæ: alia autem ex animalibus, quorum quædam dentibus, vt canes & serpentes: alia aculeis, vt crabrones & vespæ: alia cauda, vt scorpiones, animal quod venenatis vnguibus, nullum adhuc innotuit, nisi vi ipsa lacerando, vt leones & vrsi.

Singula verò horum occidunt qualitate manifesta, occulta tamen ratione, vt dixi: velut calida, sicca, erodentiáque, alia verò manifesto quidem effectu, occulta tamen causæ ratione: vt quæ putrefaciunt, quæ cogunt, quæ frigida alij appellant, cicuta, opium, hyosciamus, mandragora, solanum maniacum. Alia substantiæ ratione, vt obstruendo gypsum, spuma argenti: aut infrigidando, vt argentum viuum: aut singularem aliquam partem erodendo, quod in cantharidibus perspicuum est. Alia occulta etiam effectus ratione, vt quæ spiritus perimunt venena ärmeni, aconiti olim, nunc napelli atque similia, quorum tamen sensus est in materia ob accidentia. Alia omnino obscura ratione: vt fascinum, excantatio, deuotio. Summa igitur istorum modorum est decem, ex quibus constant compositi: nec est vt in re tam obscura eam desideres claritatem, quàm in aliis rationibus: quam tamen si habere velis, ex Dialectica expetenda erit.

Sunt etiam venena non propriè, quæ particulam corrumpendo perimunt: velut cantharides vesicam, lepus marinus non in hoc genere est: licet enim pulmonem petat, petit etiam cor. Quocirca duæ sunt dubitationes. Vna, quare pleraque venenorum cor petant: alia, cur aliqua certum membrum, vt cantharides, quæ vesicam, non ita alia membra exulcerant. Ac primæ quæstionis dubitatio facilis est admodum, dilatantur enim arteriæ versus cor, & ipsum vim habet attrahendi validissimam, seu per villos, quos habet durissimos & robustissimos: seu per calorem, qui in eo est potentissimus, vnde velut animalia quæ escam denorant & hanum, ob id vnà dico non solùm pisces, sed prudentiora longè lupos atque vulpes: ita cor, dum optimum trahit sanguinem, trahit & secum venenum, quo perit, maximè autem putredine contractum, vt non rectè dicant, qui censent venenum cor petere: sed trahitur à corde. Quæ verò perimunt, quoniam ventriculum erodunt, aut iecur: non ob id illa erodunt, quia ad ea membra sponte commigrent: sed hoc quidem in ventriculo sua grauitate retinetur, illud ad iecur pergit tãquam leuius, sed vlterius procedere non potest: crassum autem cum sit necessariò, retinetur in viis angustissimis, quas dicit Galenus adeò esse tenues inter cauam, & gibbam iecoris, vt non possint visu percipi, nec satis constat an ea loca peruia sint, quo fit vt ibi retenta erodant: vt in filio Hieronymi Bartolij apparuit, in quo & vẽtriculi imum crosum, & iecur in ambitu nigrum instar carbonis apparuit, vt etiam lingua erat: & præter id sicca, scabra & arida.

Cum verò sua subtilitate penetrat, vt cantharides, auida natura pellendi quod est noxium, detrudit recta via ad renes & vesicam: ideóque ibi erodit amplus attenuatum mẽbra illa, non quòd quicquam cum illis habeat constitutum plusquam cum aliis: nam & multa alia vriginem mouent, tametsi vesicam non possint erodere. Quòd verò alia in intestinis dolorem pariant, vt pisa & cucurbitæ, eadem est ratio, non enim è casulis coli exire possunt: & pisa quidem ob duriciem putrescunt, cucurbitæ ob frigiditatem dolores mouent. Iepus autem marinus, nescio quoties experimentum Galenus viderit: certè Dioscorides penè cantharidibus similem facit, huius proprietatis non meminit, sed qui meminerunt, vt Princeps, causam generalem ei tribuunt, velut quòd inflammatis spiritus membris difficultatẽ spirandi patiuntur, vnde facilè in sanguinis sputum per tussiculam decidunt. Non negarim tamen, postquam Galenus in libro de Medicamentis secundum genera, id affirmat, fieri posse, postquam hoc minimè proprium est, venenum membro propriũ inueniri posse, velut Herculeo lapidi, vt ad orientalem boream tanta circuli portione dirigatur.

CAPVT VI.

De Veneno Per Se genito.

VEnenum autem per se generati in corporibus haud dubium est, vt antea diximus Differunt ab his quæ vel aqua vel aëre generantur, sponte genita qui neque in pluribus, neque statim, neque ob generales causas generantur: propterea in quibusdam primum hæreditario iure, vt podagra & lapis in vesica, contingunt. Plurimæque sunt stirpes, quæ hoc vitio per multas ætates laborarunt, cũ enim calor humores non seruat, & eosdẽ corruptos, crudos ac calidos generat, in angustis viis putris humor generatur, nõ secus ac vermes qui in quibusdam plurimi, & ad adultam ætatem vsque, in aliis ne infantibus quidem innascuntur. Aliis autem ater humor, adeóque praué exustus, vt ueneni referat similitudinem, siquidem pessimi ex eo morbi fiunt, vt in eo Aphorismo sextæ Particulæ: In morbis mælancholicis, ad hæc periculosi decubitus, apoplexiam corporis vel conuulsionem vel furorem vel cæcitatem significant, & trigesima Problematum Aristoteles multi formes vires illi tribuit, sed hoc tamen non propriè aduenenũ spectat: verùm cùm computruerit ichor illius (nam ichores in febribus, non humores putrescunt, sexto Epidemiorum) facillimè in veneni qualitatem transeunt, in morbo præcipuè lethali. Idem continget in glasea, & cærulea, & viridi bile. Tertia causa, est corruptio ipsa ciborum, loci sordes: vt hi qui diu per mare nauigarunt, quique consueuerunt edere cibos corruptos & putridas aquas bibere, vnde orta est species illa morbi Indici adeò praua, & quæ longè deterior est morbo natiuo, qui ibi paululum differt à scabie: ita morbus hic accidit in biliosis, qui corruptis vescuntur cibis, & sordidè viuunt, nec se exercent. Quarta, est ex cibis vt secundo de Alimentis, vbi appellat febres malignas, quæ fiunt ex esu cucumerum: & in libro de Succorum bonitate & vitio: Inter fructus (inquit) censentur cucumeres quoque & pepones, & melopepones, quorum nulli succus bonus insit, eoquòd nisi aluum statim subeant. ibi corrumpantur, humoremque ex corruptela hac faciant, qui nõ longè à mortiferis venenis absit. In fructibus huiusmodi sola est cucurbita, quæ culpa vacet. Sed & leguminum crudorum nutrimentum, maximè immaturorum, proximum est veneno, quando cocta & matura nec probatum exhibeant.

Cæterùm generatio istorum reducitur ad naturam, calum, & victus rationem, victus ratio dicitur, curæ ex quibus venenũ in corpore generatur, & odium & ira, odium enim ex tristitia & ira compositum est: ira autem eadem exealefacit humores, vt febres accendat, vt primo de Tuenda sanitate, & de Causis morborum. Imò, dicebat in secundo de Humana natura & in libro de Exercitatione paruæ pilæ ad Opigenem, non minus (ne magis dicam) mouent corpus, vt morbos cieant, aut salutem animi, quã corporis affectus. Odium ergo, vt dixi, acerrime corrumpit humores si quid aliud, nam ira excalefacit, tristitia refrigerat, quarto de Causis pulsuum. Hoc ipso motus contrarij fiunt & in qualitate, & loci ratione: Vnde multi hoc ipso abditis morbi causis, vt putant, pereunt, Diuturna quoque vigilia humores corrumpit, cibique, vt dixi, mali seu specie ipsa, vt fungi, seu aduenticia qualitate: tum verò crapula, & ciborum ipsorum contraria natura, vt lac cum piscibus vel acidis, aut lac coagulatum cum radicula: sed neque hordei ptisana aut polenta cum oriza & lacte, nec pingue aliquid debet in æneo vase manere: corrumpitur enim, & æruginem vim imbuit. Et quæ torrentur in veru, & magis super prunas, à lignis prauis afficiuntur: vt sunt similacis, oleandri, buxi, ricini, & permistio multa ciborum, & maximè contrariarum qualitatum: vt mala insana cum saccharo, oua cum tritico: & exercitatio assidua, inde refrigeratio: quæ cùm perseuerant, generant humores pestilentes. & maximè, si vtatur multo vino nigro. Et vinum ipium potens cum fructibus horeis, cuiusmodi nominauimus. Et vesci maleficis herbis, multum facit ad generationem veneni: velut sunt, cicuta, hyoscyamus, papauer, eruca, cæpe, solanum, portulaca, & sunt pleræque grauem odorem habentes: & fungi maximè sunt ex illis, etiam saliti, & anguillæ.

Et generatur malus chimus in ventriculo, velut etiam ex potris, vnde prassina illa bilis: inde aduritur & corrumpitur in iecore, non tamen adeò, quin permisceatur sanguini, & trahatur ad venas: denùm aduenium causæ, quæ illos corrumpunt ex permistione, vel ex putredine, vel ex adustione, vel ex qualitatibus animi, vel ex repletione aut vigiliis, aut obstructione vel febre: & hoc est maximum, quia corrumpit,

rumpit, exurit, & habet secum obstructiones multas. Et dum quiescit in venis, persæpè vix sentitur: sed motus, aut quod sequitur ex motu, est causa vt sentiatur, morbum efficiat, & vt homo etiam pereat, & versari in locis humidis, & cloacis, & sentire prauos odores, & quiescere in locis conclusis, omnia hæc faciunt ad huiusmodi generationem. Et potestas horum humorum non solùm est ad generandos lethales morbos, sed etiam ad fascinationem, ad malas opiniones de diis, & circa mores, ad mala somnia, adcorrumpendum aerem. Et sicut habitare inter serpentes est malum, ita inter homines in quibus abundant corrupti humores & venenosi. Et horum quidam sunt cum putredine, & contagiosi: quidam sunt solùm venenosi, quia cum parua corruptione sunt valdè calidi atque tenues.

CAPVT VII.

De Putredine, & Corruptione.

CVm sit putredo interitus proprij caloris ob calorem externum, vt ait Aristoteles quarto Meteororum, idcoque dicit: Necesse est omnia quæ putrescunt, externo calore incalescere, & innato refrigerari, ac demum exiccari. Cùm igitur humidum necesse sit esse quod putrescat, aut aqueum illud erit, aut pingue solùm, aut cum tota substantia. Dico totam substantiam, quia in his quæ viuunt, aliud est quo nutriũtur quo conflant, ficco plurimo mistum. Est autẽ in vnoquoq; genere horum magna multitudo specierũ velut humorum sanguinis & humidorũ, quæ in substantiã corporis transmutãtur, nondum tamen sunt transmutata: cum verò putredo in quodam sit motu, non potest cessare, donec ad vltimum peruenerit, aut finiatur. Atque in quibusdam fit exhalatio humidi, in quibusdam non. Concipere autem quædam perfectam putredinem, quædam non: & non solum sicca, sed etiam planè pinguia, clarum est: siquidem oleum & farcimina rancent, nec putent. Quod igitur siccum est, cum putret, animal generat: inde in lapidibus & lignis nascuntur vermes, à quibus substantia integra exeditur, vocaturque quod supereſt caries. Cum enim intimum sit, nec possit exhalari necessariò calescit. In omni autem calore est anima, ideò animal vel blatta generatur. Si autem exhalat calor, refrigeratur, nec possunt conformari animalis partes, fitque caries, & in viuentibus marcor. In pinguibus valdè, vt oleo & adipe, quia terrea pars deest, nec perfectè putrescũt, non generatur animal siquidẽ animal mistũ est ex terrã & aquã, sicco & humido: ideò non generatur ex oleo, neque adipe: & tamen ex aceto, vrina, caseo; nam in aceto & vrina terrei aliquid, in caseo plurimum. Sed neque perfectè putrescunt, quia humida sunt: & quæ perfectè putrescunt, si pinguia sint, calent: at hæc incalescere non possunt, ob humidi abundantiam, quare ciusmodi rancida euadunt, non putida. Hæc autẽ & quæ sicca sunt, cùm non generant animal, corrumpi dicuntur, & corrupta, non autem putrida. Putridum dico, in quo quicquid est substantiæ, perfectè corrumpitur: corruptum autem, quod imperfectè putridum euasit, vel ob reluctantem siccitatem, quæ à calore non patitur: vel ob humidum copiosum, quod prohibet concalescere perfectè quod corrumpitur. Caseus ergo perfectè & putrescit, & carnes: quoniam plurimo pingui humido, & terreo abundant, quæ verò vltimo putrefacta sunt, non amplius putrent, quoniam motus finem accepit: nec putrida planè sunt vt septimo Contradicentium docuimus, sed animal aut plantam generant. Quæ enim aquea sunt, plantas generant, quoniam humido pingui, & concocto carent: quæ autem pinguia animal, non plantam: quoniam natura facit omnium præstantissimum eorum quæ facere potest, cùm autem vtrumque humidum mistum fuerit, at in fimo, & cœno & plantæ & animalia generantur, & similiter quæ sub diuo sunt generant plantas: quia non adeò incalescunt: & quoniam vi solis humidum pingue siccatur, vtpote iam concoctum, aqueum autem contra concoquitur: in opacis autem & contectis locis, & quæ sub terrâ sunt, sepulchris, cauernis, animalia. Si verò non pingue humidum, sed aqueum, corrumpitur & exhalat, adhæret & concrescit, fitque mucor, seu situs: vt in terra pluuia nuper madefacta, in pane atque huiusmodi. Vnde situs leuissimum genus est corruptionis, tum quia aqueum tantùm humidum putrescit, tum quia exhalat: ideò quæ mucent, sicciora euadunt. Ea igitur quæ corrumpuntur, quinque sunt generum: sicca parum humidi habentia, & quæ multo abũpant humido pingui aut aqueo, & humida pinguia & humida aquea, ex quibus plantæ generãtur: nonnunquã etiam animalia, quia à sole vel calore multo concoquitur aqua. Quintum verò genus est viuentium, in quibus partes partibus respondent, vt in mundo, & calor qui ineſt præter naturam, velut etiam in corporis operatur. Similiter corruptio quædam est, cùm exhalat quod corruptum est, aut cum retinetur. Quædam non perfectè putrescunt, vel quia nimis humida, vt oleum & pinguedo: vel quia exhalant vt panis & aqua. Poma etiam pleraque non putrescunt perfectè, quoniam frigida sunt, & nimis aquea, ideò non facilè animal gignũt, auellanæ autem putrescunt, quia generant. Quæcunque etiam perfectè putrescunt, animal, si pinguia: aut plantam, si aquea sint, generant. Salita autem & multis odoratis condita rancescunt, non putrescunt: quoniam humidum aqueum absumptum est. Illud enim facilius corrumpitur, & viam præbet corruptioni pinguium: quocirca pinguedo cocta, & caro in sole siccata, & halices in fumo, quamvis multum habeant pinguis humidi, non putrescunt: quæcunque autem putrescunt, & non perfectè, corrupta appellamus. Corrumpuntur autem quadrifariam res: vel quia humidum exiguum est, vt ossa & lapides, quæ nunquam

perfectè putrescunt: aut quia calor, qui est causa putredinis, est exiguus: nihil enim agit vltra propriã qualitatem. Quæ enim corrumpuntur ob vicinitatem semiputridæ rei, semiputrida solùm euadunt, vt in malis punicis, quæ prius exarescunt quàm putrescant, ideóque solùm corrumpuntur: vel quia humidum nimis abundet, vt de oleo dixi: vel quia pars quæ iam corrupta est, exhalat, vt in mucidis. Nec videtur, tametsi in mucidis exhalet, in rancidis retineatur, idem humidum esse in causâ: sed rancidorum pingue, mucidorum aqueum, vt in pane, vel pingui aqueum mistum, velut in caseo, mucescit enim, tametsi pingui abundet humido. Sed quæ profunda sunt, putrescunt: mucescunt, quæ in superficie, quapropter ab aëre mucor existit. In quibusdam autem fit separatio pinguis humidi in quibusdam verò totum putrescit. Etenim in fimo humidum in vnum confluit, & generantur ibi vermes: quod verò relinquitur siccum est, & exors praui odoris. Duplex igitur genus perfectæ putredinis. Si ergo in intimis, & longo tempore putredo fiat absque separatione, animalia magna & perfecta & viuacia generari solent, vt bufones cancri, serpentes: vt ille qui inuentus est in sepulchro in æde B. Simpliciani Mediolani. Vinum autem & lac non putrescunt perfectè, quia non possunt incalescere, sed modũ alium corruptionis induunt, & fiunt acida, vt sit diuersus modus à rancidis, quæ omnia fiunt amara. Erunt igitur quinque modi corruptionis: rancidum, mucidum, acidum: & duo quæ nomen non habent, nisi marcorem in siccis, velut lapidibus & ossibus: atque humidis, velut malis punicis. Et hi sunt inferiores tribus prioribus, quia saporem retinent minus malum, & odorem acidum, cum aliæ corruptiones malum retineant odorem: putredo verò etiam deteriorem, licet cariosa sit minus fœtida quam pinguis. Manifestum est enim, quòd sunt duæ tantùm species putredinis: cariosa in siccis, & fœtida in humidis. Sunt autem omnia putrida, amara etiam: sed sicca sunt amariora, humida verò acria: quia sunt calidiora. An verò aër possit putrescere, visum est in Contradictionibus.

Nunc verò ad corpora humana reuertor, quæ iuxta similitudinem in diuersis partibus putredinem & corruptionem sentiunt; nam iuxta caput canescunt capilli, velut in situ, humidum enim ab aëre refrigeratur, & non admodùm pingue est: quod verò in corde non putrescit ob abundantiam, sed fit velut rancidum, & ita cùm ex sanguine fit bilis, rancescit enim. Et cùm feces putrescunt, quia constant humido aqueo pauco, & multo pingui, & sunt reconditæ, & breui putrescunt, generantur animalia, scilicet vermes, & est putredo absoluta. Et sanguis cùm corrumpitur leuiter, & similiter chilus trãsit in acidum saporem & ossa cum sentiunt teredinem, corrumpuntur, & non perfectè, vt dixi, putrescunt. Et ichores cùm putrescunt, præparant sanguinem ad putredinem: non tamen generant animalia, quia non sunt pingue humidum. Ideò generatio talium ostendit humidum pingue putrescere, quamobrem & febrem esse pestilentem, & non generantur plantæ: quia vt dixi, putredo huiusmodi fit in penitioribus partibus corporis, non in loco aëri exposito. Putredinis igitur & corruptionis differentiæ & causæ multiplices sunt, & à magnitudine, & à natura eius quod putrescit, & ab exhalatione atque retentione. Commune est his quæ putrescunt & corrumpuntur, mutare odorem, colorem, saporem, & omnia in deterius, ad primam naturam non simpliciter: sorba enim meliora sunt corrupta, & anguium quorundam stercus bene olet, cùm ipsi angues non ita: propterea quæ nobis bene olent, & placent, corrupta malè olent & displicent: quæ verò displicent, & grauiter olent, alia fiunt meliora, alia deteriora, & eorum quæ placent, proprium est horriditas, vnde alius est sapor lactis acidi, alius eius quod natura tale est, vt oxalis. Quæcunque autem à calido sicco corrũpuntur, minus putrescunt, quia magis exhalant: quæ verò ab humido, magis putrescunt: minus enim exhalant. Ergo si siccitas maior sit caliditate, non putrescunt: videtur ergo putredo esse calidi proprij, non humidi exhalatio: necesse tamen est putrefacta siccari, quia calor consumit etiam humidum. Sed quomodo calor à calore dissoluitur, si humidum manet? quoniam humidum illud liquescit, ac ob id exhalat innatum humidũ. Quæcunque igitur putrescunt, rariora euadunt. Estque alius vtriusque caloris modus, vt hominis ac leonis: videntur enim formæ diuersæ, & animæ, sunt enim instrumenta animarum: & vt lupus leporem exedit, ita calor calorem: quodque vni naturale est, alteri putridum: sed non simpliciter, sed cùm impeditus nihil generat. Dicimus & ova ab ignis calore corrumpi, sed non in hoc significato, est enim hic corruptio, via ad putredinem, non qualiscunque rei interitus. Quæ autem verè putrescunt, superfluum habent humidum, & substantiam minimè solidam: vndecimo de Simplicibus medicamentis, quãquam & ipsa ossa sanie prauа corrosa quandoque putrescant, tertio de Fracturis. In vniuersum, putredo è calido fit & humido, vt habetur quarto Methodi, & tertio de Medicamentis secundum genera. Caliditatis autem causæ ponuntur in libro de Causis morborum, vicinia motus, & putredo. Putredo igitur est causa caloris, in eo in quo est: calor autem externus, est causa putredinis.

CAPVT VIII.

De Natura corruptorum.

SVnt corruptorum hæc propria, vt sint à naturali statu aliena, & horribilia, nam calefacta, refrigerata, siccata, licet mutent saporem & odorem, nihil tamẽ retinent horribile. Sed & dum manducantur, quæ generare animal nata sunt, stridենt sub dentibus: quæ autẽ plantam, sunt terrea in humido: vt

quæ

quæ animal, humida terreaque. In plantis enim omnibus humidum, vt dixi, crudum est, & à terreo vincitur: contrà in animalibus. Quare in omni animalis generatione est aliquid terrei: ideoque vermes in imo aquæ generantur, non in medio. Proprium quoque est corrupti cuiuslibet, corrumpere: omnis enim caloris humidi actio propria est, & cum anima coniuncta. Est enim triplex calor. Igneus, qui siccus est, & corrumpit: nihil autem generat, quia solùm separat humidum à sicco, etsi misceat tenue à crasso. Humidus autē calor vbi terreum & crudum superat, generat plantam: vbi verò concoctum humidum & igneum loco terrei (dico autem terreum, assatum) animal generat. Quapropter omne quod corrumpit, habetque exuperantem calorem, seu quod corruptum est, corrumpit etiam plus iusto seipsum, donec aut dissoluatur, aut planè vincatur à forma propria: & tunc fit alimentum, velut vitellus oui in pulli generatione: & quatenus corrumpit, etiā proxima vitiat. Sicut ergo candens ferrum, est ferrum & ignis, quoniam vtranque formam habet, sed imperfectam, vt quædam partes tenues prorsus sint ignis, aliæ crassæ prorsus ferrum, sed calefactum tamen: vt sit calor in his tanquam in materia, non in forma, nam repugnat, formam vtramque esse: sed est veluti calor ignis in manu, & magis cùm sit iam igneum ferrum: et calor in manu non est, nisi in eo quod est præparatum, nec vincit: quædam autem partes sunt ex æquo ferrum & ignis, ita etiam de putridis. Materiam enim totam inuasit putredo: formam autem non totam, sed tenues quidem partes obtinuit, quæ prorsus putridæ sunt, crassas non, mediæ sub vtraque forma fermè sunt ex æquo: vnde non tutum est cohabitare cum corruptis, & multo minus vesci illis: nec linteis aut vestibus vti, quæ corruptione imbutæ sint, seu aliorum fuerint qui corruptionem patiantur: seu sordidæ sint, seu diu gestatæ sint ab eodem: maximè si corpus immundum fuerit, sudauerit-que in eis, tum puluere fœdatæ sint, & madefactę aqua vel liquore aliquo. Satis constat mediam ex duobus esse naturam, cum semicorrupta est pars mediocris substantiæ: velut in pomo, & dulci diluto aqua, quod minus dulce insipidumque redditur: est enim in quantitate diuisio, compositumque, ita etiam in gradibus & formis, licet impartibiles videantur. Omitto nunc disputationem de substantia, an suscipiat gradus & magnitudinem. Redeamus ad sensilia. Lac aqua dilutum, quomodo mistum sit, declaratum est aliàs: nunc satis sit ostendisse, substantiam aliquam inesse ad generationem animalis, velut fœtum: in quo cum sit transitus à semine ad animal, dicemus vt in Theognosto, esse quidem tandem animam & formam & substantiam, sed ex potentia ad actum peruenit: velut infans potestatem habet ambulandi, nec variatur, nisi vt ad actum perfectum aut perfectiorem deuenit, atque hæc perspicua sunt iuxta nostra principia, quæ sunt facillima. Peripateticis autem infinita relinquitur dubitatio circa ea quæ inutilia sunt, vt retardentur in cognitione magis vtilium. Verùm quod difficilius est, cùm vel ob siccum vel ob frigidum impeditur generatio, fitque sola corruptio. Frigidum enim est priuatio, & priuatio non est animæ neque sedes neque via neque vt instrumentū, quare oportet in hoc constituere formas plures, & aggregatum. Cùm enim calor præter naturam impeditur, separat: & ideo plures formas generat simpliciores, velut terram, aquam, vaporem. Cogitandum est igitur (atque id solum ex tanta dubitatione restat) quonam modo calor præter naturam corrumpat, ac simul generet aliud? nam id fit, vel quoniam intercedit aliqua alia operatio, veluti separatio: vel quia anima, cuius calor est instrumentum, corrumpit vt generet, at hæc altiora sunt quàm vt quæsito conueniant. Satis est, corruptum omne aut ad generationem tendere, esseque partim in potentia, partim in actu sub forma seminis: dico autem semen ab animali aut à calore formatum. Indicat enim non esse semen, nisi ab anima, quoniam est etiam in his quæ non gignuntur à simili, quocirca forma materia carens præcedit materiam: & est, vt diceba Plato, prius anima quàm animatum aut instrumenta, non enim quia homo est, ideo rationalem habet animam: sed quia anima rationalis est, ideo sibi aptum fabricauit corpus: velut in quercus ligno turrho scarabeo simile animal efformatū industriè. Aut si non ad generationem tendat, acerum fieri, & vt ita dicam, materiam quasi lutosam atque cœnosam. Porrò corruptio eo deterior, quo ad formas inimicas naturæ tendit. Sic ergo pediculi generantur, fœda omnia & horribilia, nauseamque cientia, colores etiā trahunt tetros, liuidum, fuscum, viridem, album sine splendore: cum autem splendent, putredinis efficacioris indiciū habent. Fiunt quoque, vt dixi, leuiora & rariora quæ putrescunt.

CAPVT IX.

De Veneno contracto ab aëre & aqua, & causis & differentiis eius.

FEbres pestilētes fiunt, aqua vel aëre corruptis. Aer corrumpitur ob siderum dispositionem, aut vētos, aut aquas, aut casum, vt in strage hominum, in abundantia locustarum mortuarum, in copia reptilium, & quod ad sidera attinet, Ptolemæus hoc refert maximè in eclipses luminarium: et hoc, cum loco dominantur maleficæ. Et cùm hæc scriberem, facta est eclipsis Solis vigesima Iunij, & luna fuit in nodo australi, & fuit in octaua parte Cancri: & Iupiter ac Saturnus fuerunt occidentales in ipso Cancro, et proculdubiò non est bona. Sed alij referunt in magnas coniunctiones, & vtrique dicunt verum. Nam vidimus ex coitu Saturni & Iouis in Cancro, anno 1504. inchoatam febrem pestilentem cum maculis, pulicum maculis similibus: quæ, vt ait Fracastoreus,

satis

satis bonus obseruator talium, erat morbus antea totum endemius Cypro & vicinis insulis, vt anno 1505. sæuierit in Italiâ, Et ex alio congressu eorundem cum aliis omnibus planetis, anno 1524. per totum orbem, adeò anno 1528. inualuere, vt memotia illius anni multis sæculis sit celebranda. Cm verò congressus fuerit in signo piscium patet trigonum aqueum totum esse huiusmodi morbis corruptionis obnoxium. Ab anno autem 1544. in Scorpione conuersa est ad dissidia potius legis, ex quibus euersa est tota Gallia. Modò præsenti anno transit hæc magna coniunctio ad trigonum igneũ, signumque leonis. Est igitur eclipsis hæc ex his quæ pertinent ad morbos pestilentes in propriis locis. Et anno 1484. ostendit aduentum pestis Indicæ, quæ subsecuta est generalis, & inuisa nostro toti orbi. At ex ventis Austri, non ob id quod humidi sint, aut quia transeant per Arabiam (nam semper exitiales essent) quanquam non negauerim, cùm calidi sint & humidi, calore non cœlesti, & humido non concocto, labefactare corpora nostra, esse graues, & febribus accendendis ob putredinem aptos. Sed propriè sunt pestiferi, cùm magna multitudo locustarum mortuarum, quod ibi frequenter accidit, aërem corruperit: aut serpentum, aut cùm transeunt super quædam stagna aquarum putridarum, & in quibus animalia venenosa & mõstrosæ malignitatis degunt. Et quòd non sit fabula, constat pestem illam Galeni tempore ortam, quæ fermè tertiam totius humani generis partem absumpsit, initium duxisse ab arcula aurea in templo Apollinis Seleuciæ vrbis prouinciæ Babyloniæ consecrata, quam milites Auidij Cassij ob auaritiam aperuerunt, existimantes pretiosum aliquid in ea contineri. Itaque flantibus his ventis, & in huiusmodi constitutionibus latêre securius est, cùm scire non possimus quales habeant qualitates, alioqui semper noxij, vt de fungis inter cibos diximus, hoc autem genus celeriter agit.

Tertius modus est ex aquarum corruptione. Aliquando aquæ sunt pestiferæ, non aër, cum salutares venti spirant: corrupta tamen est non grauiter vbique aquarum natura, quandoque aquæ aërem inficiunt, & aquæ ipsæ sunt bonæ, sicut contingit in vrbibus quæ sunt apud stagna & paludes, quæ tamẽ communi vsu bibunt aquas cisternarum, aut fluminis alicuius qui alluit vrbem: vt si id agant Mantua, Rauenna, Pisæ: nam hæ habent corruptum aërem ob paludes adiacentes. Quòd si vtrumque adsit, tunc redduntur morbosissimæ. Et de his propriè agit Hippocrates in libro de Aëre & aquis, ibi: Quæcũque igitur aquæ palustres.

Quartus modus est ex casibus, sepulchris cloacis, aquis stantibus, cadaueribus in strage, cementis putrefactis, erucarum abundantia, obsunt etiam bombyces, latrinæ: in Anglia ac Belgica sordes illæ ex zetho, & impura viuendi ratio: & vbi sunt lanionum tabernæ, ob viscera illa animalium putrefacta: & acerui caulium putridorum, & herbarum prauarum, neque enim vbi multa cicuta, appollinaris, mandragora, buxus, nuces iuglandes, & napellus, atque aliæ herbæ malè olentes oriuntur, crediderim aërem posse esse salubrem: imò dico, nec innoxium. In huiusmodi ergo putrilagine vaporum aut aquæ, oriuntur pestilentes febres, cum maculis præcipuè similibus pulicum morsibus, quas dico esse contagiosas, & non contagiosas: contagiosas quidem, quia sunt ex humore putrido: sed omne putridum, vt est demonstratum contagiosum est: igitur omnes febres quæ sunt ex aëre, sunt contagiosæ. Dico modò non esse contagiosas: nam si adeò essent contagiosæ, vt ex conuersatione astantes efficerentur, vltra id quòd contingit ex aëre, oporteret validam esse putredinem: sed valida putredo in aëre vel eius vaporibus statim interficeret; igitur huiusmodi pestilentes febres statim interficerent. Ergo tales febres sunt omnes contagiosæ: nemo tamen inficitur ex conuersatione cum talibus ægrotantibus, sicut vrina nostra cum effunditur est calida, in balneo tamen neminem calefacit: quia homines sunt calidiores quàm pro vrinæ ratione. Fallit regula in his casibus. Primus, cum febris iam inualuerit, vapor ille ob caliditatem magis imprimit, quàm vapor aëris: & etiam est pinguior, & densior: ideò qui versantur cum his ægris, afficiuntur malè, qui alioqui degerent sani. Secundus est, cum in corpore fuerint humores mali corrumpuntur humores magis quàm pro natura aëris. Et ita plurimi moriuntur in vna domo, vt vidi Mediolani de quinque, cum tamen in aliis domibus omnes fermè euaderent: verisimile est enim fuisse vnum ex illis adeò putridis humoribus vt alios infecerit, & ita illi periêre maiore morbo quàm qui ex aëre fiebat. Tertius est quod multi pereunt ob timorem, & cogitationem: qui si non viderent illos mori, non solùm non morerentur, sed nec ægrotarent. Ex hoc patet, quòd non potest esse febris contagiosa ex aëre, nisi in pestilentia lethalissima: quia si vehemens sit febris pestilens, ex aëre non fiet contagiosa, nisi quia sit vehementior quàm constitutio: sed constitutio occidit intra quartam diem: adiecto ergo contagio in quanto tempore occidet? Et si occidat intra 24. horas, palam est quod erit lethalissima.

Galenus, vt aliàs dixi, non videtur vim hanc contagij ob hoc magnificisse: nam aliam quæ fit sine aëris vitio, vt dixi, non agnouit. Propterea in primo de Differentiis febrium dixit: Consuetndo expitantium fœdum odorem, vt in tabidis ac pestilentibus, non est tuta. Et addit: Quinimò magna ex parte febris pestilens incipit ex aëris circunstantis inspiratione, à putrida euaporatione infesti. Ergo huiusmodi febres si ex vaporibus incipiant, primum corrumpuntur illi humores: quia licet sint densiores, sunt tamen quietiores & humidiores, inde primum accenduntur spiritus, & fit ephemera: & ex ea concalescunt humores corrupti, & fit febris primò putrida in ichoribus postmodum in ipsis humoribus, & ita fiunt tres febres. Et si calor sit magnus, humores corrupti

cum

cum ichoribus, & illorum impetu ac tenuitate adiuti fluunt in aliquam particulam, & inde fiunt anginæ, phrenitides, morbi laterales, pulmoniæ, atque huiusmodi: & moriuntur ob duplicem causam. Prima, quia abscessus ille tum ob dolorem, tum quia, vt ostendi in Arte medendi parua, associat sibi febrem peculiarem sui generis, debilitat vires: tum quia, vt dicebat Galenus decimo Artis medendi, in abscessibus internis, iecoris præcipuè, & ventriculi, vna salus est in robore virium, quoniam nutrire illos non licet, quod etiã repetit in vndecimo & duodecimo, at pestilens febris, vt videbitur infrà, cibum & nutritionem requirit ideoque talia lethalia sunt, si superuenerint.

Magnitudinẽ autem potentiæ corruptionis aëris declarant spiritus illi tum antiquitùs celebrati, Plutonius in Phrygia iuxta Hierapolin, & nostra ætate etiã iuxta Agnani paludem inter Neapolim & Puteolos celebratum illud Virgilij: Hic specus horrendum, & sæui spiracula Ditis, Monstrantur, ruptoque ingens Acheronte vorago Pestiferas aperit fauces.—

Amsanctum vocauit vetustas, id est vndique sanctum ac deuotum, in bonam enim ac malam partem ex æquo accipitur. Neque tamẽ aër generaliter ob motum ita corrumpi potest, & maximè media via torrida, vt totum genus hominum sanguineorumque animalium corrumpi possit. An verò putrescere possit, dictum est vndecimo Contradictorium. Ex aqua autem aut communibus cibis fiunt morbi etiam communes, iuxta illud secundi Epidemiorum: In Aeno ex assiduo leguminum esu, fœminæ & masculi crurum impotentes facti sunt, ac permanserunt. Sed & his qui eruo vescebantur, genua dolebant. Ad hoc etiam genus reducitur, quæ ex fame contingit pestis, tum quia in illa humores aduruntur, tum quia homines edunt agrestes herbas. Et dicebat circa hoc Auenzoar, quod etiam aliàs recitaui, homines in fame eruisse ossa à sepulchris (quod nescio an credam) & extractis medullis deuorasse illas, confestimque interiisse. Corrumpunt igitur cibi mali omnes humores, sicut venenum, & iecur inficiunt, & venenum illud ad cor præreptat, & interficit: non tamen adeò celeriter, vt aër, nam aër potest interficere in momento, cibi autem in hora vna vel duabus. Et in aëre non corrumpitur color corporis: & si euadunt, quod rarò accidit, remanent sanitati illi remanent oblæsi toto tempore vitæ suæ. Et de hoc agemus infrà. Et morbus qui propriè relinquitur, est regius morbus, vt dicemus.

Aër autem in genere quadrifariam corrumpit spiritum nostrum, & interficit. Primus modus est frequens, cum fuerit plenus malis vaporibus corruptis, ex quibus afficit spiritus cordis & cerebri. Secundus est, cum ipse est motu priuatus, & ideo non purgat cor neque cerebrum: atque id contingit, cũ fuerit ob longam quietem concretus, & factus crassior. Tertius est, cum fuerit calidus immodicè, aut frigidus, sed etiam siccus atque humidus. In omni casu corrumpit spiritus & vitam, & parit simule quiddam pesti: & non est pestis vera, nec contagio vlla participat. Quartus, cum est corruptus aut putridus omnino, & hic est deterior omnibus, & contagiosus modo dicto superius, quemadmodum etiam qui à vaporibus corruptis infectus est.

Plura de his aliàs dixi in libris de Subtilitate, tum alibi: sed nunc quæ opportuna sunt huic loco, & ad ipsum reseruata, adiicere decreui. Vtrum res casu an consilio constent & naturales & humanæ, alibi disputatum est: atque summa eorum fuit, consilio regi omnia, sed casum esse in materia. Verùm an casus ille etiam subiiciatur consilio, dubium cum magis esset, determinatum est, quasi sub consilio generali esse. Itaque aërem & aquã putrescere, & consilio quidem necessarium est, quoniam eorum natura talis est, & casu, vt hoc vel illo tempore contingat. Cæterùm quæcunque transmutantur, trifariam transmutantur: vel à vi cœlesti ad finem rectum omnia dirigente, vt cum ex semine & sanguine fit animal: vel à vi caloris, vt cum per raritatem aut densitatem ex aqua fit aër: aut cum marcescit, putrescit, corrumpitur, vt in præsenti narratione propositum est. Est autem hic calor, cum desinit vterque primogenius: cœlestis, qui generat: & ab eo violentus, qui exurit: putrescere enim quicquam ab altero eorum non potest. Corrumpuntur ideo minuta animalia, & ab humana natura, non aliena, vt oues, sues, in aquarum & aëris putredine. Et loca ob id non perspirata, & silentia magis, quam perflata & excelsa: & quæ nec calida sunt, nec frigida vehementer, & humida, quam sicca. Et aëris pestilentia duplex est, unius regionis, & totius continentis: aquæ autem nunquam est generalis. Et aquæ tardius occidit, & difficilius sanatur quàm aëris. Et aëris forsan nunquam à memoria hominum visa est: quæ verò est à vaporibus, serpit, & breui temporis spacio ex regione in regionem, vt in peste sub Antonino, philosopho appellato, Imperatore, & anno Domini, M C C C X X X I X. Quòd si ita est, à plurimo vapore, & maximè fœdo, maxima fiet pestis, plurimus autem vapor ab humido loco, vt in stagnis, & cum multum pluit: et à maximo calore, vt cum sol prope nos est, & post longas pluuias, nullæ sunt nebulæ, nullus decidit imber, plurimaque putredo generatur: velut cum nullis ventis perflatur aër. Atque hæc fermè est sententia Aristotelis. Quòd si ad has tres causas accesserit quicquam quod putredinem possit exacuere, fit violentissima, velut serpentes, locustæ, cadauera, herbæ maleficæ. Ferunt, nescio an credam, aliquando serpentem in Tyberis latitantem ripa Romæ excitasse pestem, idque dum Gregorij ætate Difficile hoc est, quoniam pusillus efficere non potest, magnus veneno lethali caret. At in magnis siccitatibus contingunt huiusmodi, ex hausta à sole terra, cum turbulentus quasi aër est. Itaque valles perlæpè peste laborant, dum montium cacumina sunt saluberrima: sed si eò serpat, nunquam licet diuturna ob ventos, violentissima et acutissima, vt dicitur, esse solet. Perimit & inuadit non vno modo:

alia

alia cum tussi, alia cum sanguinis modici sputo: quædam cum sternutamento, quædam cum dolore, abscessu, fluxu alui, vermibus, cordis palpitatione, insania, milleque aliis modis, sic nonnulli sunt qui fame conficiuntur, alij siti, alij sudoribus, alij absque manifesta causa concidentibus viribus.

Sunt qui in dæmonas & iras deûm retulere. Primum, quod non contingant strages sine Dei prouidentia, qui eiusmodi etiã per signa antea ostendere videatur: inde etiam, quod persæpe solui videantur sacrificiis potius quàm humana ope. Pestilentiã Dauidis ætate Hierosolymis sedauit angelus, gladium vaginæ intrudens. Romæ Aesculapij simulachrum, cum serpente è Græcia auectum. Exaudiuntur voces inconditæ in triuiis: omnes religio tenet eo tempore. At ego nigram bilem eo tempore in hominum corporibus abundare scio, quæ huiusmodi ostenta demonstret: at etsi antea appareant, huiusmodi clades sequi consentaneum est, & in longa fame. Diuinam itaque vltionem suo loco sino: sed cum euadere viros improbos, perire pauperes, timidos & intemperatos, tum mali habitus videam, tametsi alioqui pios, cogor existimare, plerunque hæc, vt reliqua, à naturalibus causis proficisci. Verùm hæc ita gubernante Deo, vt in eadem incidant tempora, in quibus iudicio diuino ob impietatẽ plectantur improbi. Cæterùm acutiores fiunt in posterũ, quàm iam ducentis annis, quoniam magna coniunctio ignea signa peragratur: vt verò in parte horum elementorum vitiũ accidit, non iam pestis appellatur, sed venenum.

CAPVT X.

De Febribus variis, ex corruptione eorundem.

ERgo ex horum corruptione fiunt varij morbi, atque omnes pestilentes, non tamen omnes pernicioſi, hoc enim infrà declarabitur, vbi autem fit hæc putredo? Galenus sentire videtur, quod in corde: adducitque duas rationes. Prima, vrina in his est bona, igitur iecur & venenosum genus affectum non est: cum ergo breui intereat æger, necesse est vt cor afficiatur, quod etiam sensit Princeps prima Quarti. Secunda, pulsus parum recedunt a naturali statu, cum tamen æger tendat ad mortem, & cum febriant contenta, aut substantia cordis est calidior. Ergo si contenta sunt calidiora, cor est tanto frigidius: aut si contenta sunt frigidiora, cor est tanto calidius, igitur febris hæc per essentiam est in corde. Hunc oppugnat Fracastorius in opere de Contagio: & adducit duas rationes. Prima est, si putredo esset in corde, statim occideret, cum multi ad septimam diem euadant, longè plures ad quartam, aliqui vltra septimam, & ex his quidam etiam sanentur. Secunda, si hectica aliqui interirent breui, omnis hectica esset insanabilis & breuis. Respondeo, quòd illa putredo licet ratione subiecti occupet totum cor non tamen est perfecta & extrema, diffluntur etiam partes; ideo, vt ostensum est, possunt non solùm superuiuere aliquot diebus, sed etiam sanari. Ad aliam: hectica illa non est hectica, ratione caliditatis & siccitatis in subiecto solido, sed subiectum est solidum, qualitas autem putredo: ideo vna est insanabilis, & citò perimit, vt suprà ostensum est, alia autem diuturnus est morbus, & etiam sanabilis. Ideóque in hectica pestilenti idem est morbus cum subiecto, scilicet substantia corrupta: in hectica alia, calor & siccitas non sunt substantiæ, sed qualitates. Est etiam febris alia in spiritibus ephemera putrida, quæ occidit intra 24. horas & est frequens in Anglia, & Gallia Belgica: vt febris pestilens non species sit, sed genus: & sub ea, quemadmodum sub alio genere, tres sint species, quæ in solidis, quæ in humoribus, & quæ in spiritibus. Et propriè in hac somnus vt minus est necessarius ob breuitatem, ita est pernicioſiſſimus. Solet in hac febre sentiri dolor in parte aliqua corporis, qui est quasi quidam fluxus ex spirituum corruptione. Sunt quoque ex putridis his quæ in humoribus, aliæ quæ maculas secum habent, aliæ autem sine illis.

Porrò cum putredo in humoribus accenditur, & per se occidit, solet pestilens ab omnibus appellari: sed sunt quæ occidunt cum alui fluore, aut laterali morbo, aut angina, & similibus, & has vocant fluores alui pestilentes, aut morbos laterales, aut anginas. Est tertium genus, cum vsque adeò latitat vis pestifera, vt tanquam morbo speciei causa mortis tribuatur: atque eo magis, si plures sanentur; quemadmodum tertio Epidemiorum in constitutione pestilenti. Erat autem constitutio febrium ardentium hoc modo; Ab initio soporoſi, anxij, horridi; febris acuta, non valde siticuloſi, non deliri. De naribus parum stillauit. Exacerbationes pleriſque diebus paribus. Circa exacerbationes oblitio, exolutio, & vocis priuatio. Extremitates manuum & pedum semper his frigidiores, præsertim circa exacerbationes; & rursus tardè ac non bene recalescebant, rursúmque intelligebant & loquebantur; detinebat etiam ipsos sopor continuus, non somniculoſus, aut vigiliæ cum doloribus. Plurimis horum alui turbulentæ, secessibus crudis, tenuibus, multis: vrinæ multæ, tenues; nihil neque iudicatorij neque boni habentes, nec verò aliud aliquod iudicatorium ita habentibus fiebat; neque enim sanguis bene erumpebat, neque alius aliquis consuetus abscessus iudicatorius fiebat, Moriebatúrque vnuſquiſque prout contigit erroneo modo, plerumque circa iudicationes; quidam verò diu voce priuati, multi sudantes. Et his quidem qui pernicioſè habebant, hæc accidebant; consimilia verò etiam phreniticis. Sine siti autem hi erant, Neque quiſquam phreniticus insaniuit, velut ex aliis, sed alia quadam mala ac lenta in somnum delatione grauiter peribant. Hos ergo morbos vulgus non putat esse pestilentes; sufficit tamen Hippocrati, ad hoc declarandum connumerasse eos in

constitu

constitutione ipsa. Nam Hippocrates inscripsit ea m pestilentem constitutionem Moriebantur autem huiusmodi ægri ex corruptione partis tenuioris humorum non perfecta, quia erat in ichoribus magna ex parte, & cum exhalatione: nam febres illæ erant compositæ ex ardentibus validis & leuiter pestilentibus: & erant abscessus cerebri fermè in omnibus. Quamvis Galenus locum exponens, non meminerit abscessuum, sed voluerit collectionem esse crudorum succorum. Contingunt & in huiusmodi febribus vermes, licet cum putredo calorem coniunctum non habet, illos non generet. Propterea dicit Galenus tertia Aphorismorum: In puerulis vermes non generantur, quia calor non viget. Sed quomodo calor vigere non potest vigente putredine? Respondeo, quòd hoc contingit, quia materia est in cauitate magna, ideò plus exhalat quàm accendatur. Alius modus, cum putredo fit in longo tempore, potest esse magna, & calor paruus.

CAPVT XI.

Secunda Diuisio Veneni, in contagiosum, & proprium.

MOrbus contagiosus ex putredine fit, atque ea duplici, vt dictum est: in pingui, tum aqueo humido. Et qui in pingui contagiosus est euidenter, dicitque. At in aqueo contagiosus est; quia tamen quod aqueum est, non valdè putrescere potest (exhalat enim) & tenue cum sit, ideoque hærere parum potest, ob id putredo in aqueo qualis omnium communium febrium, tametsi contagiosa sit, minime tamen talis dicitur omnem autem putredinem contagiosam, & quanto vehementior sit, eo magis etiam esse contagiosam: & omne etiam contagiosum, putridum esse, hac demonstratione accipe. Putridum enim est, in quo natiuus calor ab externo corrupto humido prò. prio exhalat, vt suprà visum est ex Philosopho. At omnis calor cum motu est (declaratum enim est ibi, quod quæ iam putruerunt, & finem motus accepere, non amplius putrent) vbi ergo magnus calor, ibi motus vehemens: etenim calor, in his inferioribus vel à motu est, vt à Cœlo: vel cum motu, vt naturalis, igneusque tum putridus. Vbi igitur putredo vehemens, at in omni motu est hoc proprium, producere sibi simile: ignis ignem, aqua humectat: putridum igitur vehementi motu cum habeat calorem alienum, quod pulsat putrefacit: & eo magis, quo vehementius, densius, plurimumque fuerit quod secernitur: hoc autem in humido pingui, quia plurimus vapor segregatur, & densus, & maximè putret, quoniam parum exhalat, vt etiam apud ignem. Quod etiam vidit Galenus primo de Simplicibus medicamentis. Quo fit, vt quæ putrent maximè, etsi pinguia sint, maximè sint contagiosa. Secundo loco, quæ non adeò putrent sunt tamen pinguia, atque huiusmodi sunt vt in elephantiasi. Indica lue: velut primi exemplum est febris pestilens. Tertio loco, sunt valdè putrida & aquea, cuiusdi in impetigine & vitiligine (nam in ipsora lepra, scabie, aliquid etiam tenuis pinguis commistum est) non enim stare crustas faceret: nam tosta in sartagine, ex pinguibus crustas manifestè faciunt, si aqua sola adhibeatur: etiamsi triduo torreretur, crustas non faceret. Plus ergo facit materiæ natura ac genus, vt quod pingue sit ob densitatem & quia plurimum secernitur, & quia magis hæret, & quàm putredinis magnitudo, in aqueo humido. Ob id ergo in febribus verè pestiferis, valdèque pestiferis, nihil secernitur præter vaporem ipsum: quæ autem secernuntur, sunt iuxta magnitudinem febris coniunctæ communis, quæ in ichoribus accensa est cum pestilenti. Inde colliquatio non vnius caloris aut febris signum est, sed vehementis febris communis, in ichoribus coniunctæ cum pestilenti. Non ergo fiunt febres quæ colliquent citra pestiferam qualitatem & putredinem, neque citra vehementem calorem altetius febris communis: quocirca in pessima putredine & febri pestilenti nec sudor nec aliqua secretio apparet. Omnis igitur pestilens febris contagiosa est. Sed & si contagiosa sit, febris putrida vt sit necesse est: nam calor simplex non potest hærere nisi substantiam habeat annexam: at febris simplex non potest substantiam humoris dissoluere, nec inhalitum digerere, quare nec contagiosa esse: in omni enim contagione necesse est tam diu substantiam substantiæ misceri, donec eam corrumpat: idcirco contagiosum est solùm, quod putridum est. Tria igitur hæc, pestilens, contagiosum, putridumque conuertuntur, vt non sit vnum absque alio inuenire. Cum verè sermo demonstatiuus, vt Auerroës dicebat primo & quarto Physicorum, doceat, dissoluatque omnes difficultates ac dubitationes, quæ circa tractationem contingere possunt: idcirco quæ iam diximus, reliqua de contagio declarabimus.

CAPVT XII.

Quæstiones & Problemata de contagio.

ERgo nil mirum primò est, si etiam in areis, nedum linteis, pestis semina per multos annos, non solùm menses, & phthoës & similiũ seruentur: vapores enim illi ex humido pingui constant, & concreti, vt apparet experimento in ipsum conuertũtur: ideò etiamsi oleo quopiam odorato tabula inungatur, per multos menses odorem seruabit: & si valdè pingue sit, etiam in annos. Eadem igitur ratio & de peste, cæterisque contagiosis illuuiis. Diutius etiam hæc quàm odores: quoniam pestis, vt declaratũ est fundata est in substantia calida & humida, & odor calida, & sicca: hic etiam plerumque in tenui, illa in crassa: quocirca

odor celerius quam contagiosus vapor soluitur. Vnumquodque autem genus suam originem non minus quàm insectorum seruat: ideóque hic vapor propagatur in oues, non homines: in boues, non oues; in pulmones alius, vt tabidorũ: in cutim, vt scabiei: in oculos, vt ophthalmicorum & lippitudinum, diuersa enim sunt, & è genere pestilentium, vt tertio Aphorismorum dicemus, & de hoc infra. De his ergo quæ rariora sunt substantia, quod duriora non inficiant: tum etiam de propriis vnicuique membro, causam docuisse difficile non est. At verò cur gratia exempli, vapor ex boue oues non inficiat, tenerioris substantiæ: ex corde non inficiat neque oculos, neque pulmones, neque cutim: quanquam ad vulgatam illam sympathiam recurrere liceret. Respondeo, quod vapores cordis, vt habent inæqualem (exempli gratia) proportionem in calore ad substantiam pulmonis, cum proportione putredinis ad eandem substantiam: & ideo cum ex proportione cordis ad cor sequatur putredo, igitur ex proportione cordis ad pulmonem non sequetur. Et ita de aliis, demonstrauimus enim alibi in hoc Opere, quod putredo non agit nisi ratione caloris sibi coniuncti. Ita videmus, quòd malum macianum adhærens malo maciano corrupto, celerius putrescit quam si cotoneo: quamvis substantia cotonei densior sit quàm mali maciani. Ex hoc sequitur, quod non omne contagium est lethiferum, vtpote lippitudo & scabies: & hoc ob duas causas. Prima, quia membrum quod suscipit, non est vitæ necessarium: secunda, quia modus ac mensura putredinis non est tanta, vt possit deducere ad mortem. Et si contagiosus morbus in proprio subiecto non potest perimere, quanto minus in alieno? Sed & hac ratione neque sub ardore feruidissimæ æstatis, nec sub profunda hyeme propagatur pestis, calor enim ille immensus dissoluit fomentum putredinis, & absumit humidum pingue: & frigus aere hyemis, prohibet dissolui substantiam putridam, & eleuari vapores, ideo his temporibus non propagatur pestis. Et similiter si febris sit valde ardens, consumit putredinis subiectum. Ex hoc etiam patet, cur pleraque venena ebibita non sint contagiosa (nam occidunt sine putredine, vt visum est) sed solum quod putridum est, est contagiosum: ergo venena non sunt contagiosa. Quæ verò venena dicuntur à Galeno putrefacientia, non rectè appellantur: sed corrumpunt solum, quia in his exhalat humidum, atque ob id non sunt contagiosa: longo tamen temporis tactu, & prope mortem quædam fiunt contagiosa, quia non difflantur, refrigerato calore. In morbis autem quia adest maior putredo, & maximè malè olentium serpentum, vt de dryino, propagatur, & fit contagiosum. Ex quo patet, cur multi morbi Epidemij non sint contagiosi, quia sunt citra putredinem: qui autem sunt ex putredine vaporum, necessario sunt contagiosi, vt prima Problematum, non tamen valde contagiosi: quia si essent valde contagiosi, esset magna putredo in vaporibus, sed vapores valde putridi statim occiderent. Ergo sola pestis valde exitialis ex aëre, est manifestè contagiosa: reliqua genera sunt contagiosa, sed non valde. Animal quoque mortuum refrigeratum non potest esse contagiosum, nisi ratione pellis aut vestimentorum, quia refrigeratum nihil exhalat: partes tamen illæ pingues si incalescant, exitium afferunt. Quæcunque igitur corpora calida sunt & humida & immunda, vt etiam dicebat Galenus primo de Differentiis febrium, sunt parata putredini, ideóque contagio: vt contrà, frigida, sicca, munda. Itaque senes magis sunt remoti à contagio, quàm iuuenes: & iuuenes pueris, & masculi fœminis. At dices: si contagium est cum putredine, & putredo facit febrem, & omnis morbus pestilens est contagiosus, erit omnis morbus pestilens cum febre: at hoc negare videtur Hippocrates, tertio Epidemiorum. Respondeo, quod ibidem declarat de quibus intellexerit, cum dixit: Aluus biliosa, pinguis, tenuis, aquosa, atque ipse morbus multis erupit citra febrem, & in febre. Tormina cum doloribus maligniæ item reuolutiones: multorum quæ in corpore inerant, suppressáque erant, exitus: quæ autem exibant, dolores non soluebant, multæque erant corporis partes affectæ. Quibus ergo putredo viget aut in extremis corporis partibus, & à corde remotis, aut in cauitatibus internis, magis, vt ventriculo intestinisque, quæ parùm ad venas attinent: aut si, dum fit, putredo statim euacuatur: non est necesse consequi febrem, & tamen morbus poterit esse non solùm pestilens, sed etiam lethalis. In elephantiasi etiam, quamuis non extat humor, & sit in venis, & sit pestilens & lethalis, non tamen adest febris: quia est corruptio, & non perfecta putredo. Sequitur etiam, elephantiasim non esse carcinoma vniuersale, etsi hoc dicat Paulus Aegineta, & Princeps; nam carcinoma contagiosum non est, elephantiasis autem ex maximè contagiosis est; nihil igitur elephantiasi cum carcinomate: sed potius elephantiasi Indica lues est persimilis, & vtraque tamen febre perexpè caret, quoniam fit separatio, & ideo refrigeratio, atque ob id perfecta putredo absolui nequit. Sequitur etiam febrem contagiosam esse minoris putredinis, quàm factam ex aëre; nam licet nunquam contagiosa sit, vt dixi, quia vtraque cum putredine: quia tamen quæ est ab aëre vel vaporibus, est parum contagiosa, erit etiam parùm putrido ex humore, sed quæ ex maiore putredine est, seu buboniã, non est multum calida, nec cuidens; tum quia siccitas est lima caloris, & febris putrida est à calore humido, ergo non multùm acuto. Item, quia si calor esset magnus, consumeret humidum; ergo non fieret magna putredo. Ob hoc febres omnes contagiosæ, specie omnes sunt valde mites, quandoque tamen accidit, vt febris contagiosa sit etiam ardentissima; & hoc est, quoniam ab initio ichores etiam accenduntur; & ideo apparent vrinæ turbidæ, & fiunt abscessus fluente materia. Sed sunt duæ febres. Febris

etiam

etiam maculosa magis affligit nobiles & diuites, quoniam iungitur febri ex ichore biliolo: potentes autem ob cibos odoratos & calidos, & vina potentia, curas, libidinem luxum, ona, carduos, farcimina, plus generant biblis, ideò magis subiciuntur febri maculosæ: illa verò alia magis fit ob contagium, quo facilius prehenduntur pauperes ob immunditiem, loca occupata, & reliqua incommoda. Sunt etiam ex contagiosis hæreditarij, & non hæreditarij, & ex hæreditariis contagiosi, & non contagiosi: contagiosi breues, vt pestilentes, non possunt esse hæreditarij. Homo enim prope mortem constitutus, quomodo potest generare: nec etiam fortuiti, qui adueniunt ex constitutione, quia non possunt vitiare membra generationis. At longi etiam confirmati vitiant semen, ideò sunt hæreditarij: sed quia aliqui ex his debilitantur, generant dispositionem sibi dissimilem, vt pediculi, lendes. Sed cum fuerint validi, generant similem prorsus morbum. Hæreditarij autem omnes putridi, contagiosi sunt, propterea podraga contagiosa non est; fit enim à cruditate, vt demonstraui in libello de Dentibus. Ex hoc patet, quòd podagræ duo sunt genera, cum putredine, quod est difficillimum, non enim potest finiri nisi sedata inflammatione, vt dicebat Hippocrates sexta Aphorismorum: sed non potest sedari inflammatio, cum est cum putredine, nisi concocta materia: igitur hoc genus podagræ propè est insanabile. Vtrum verò morsus & ictus venenosorum sint contagiosi, dictum est quòd sic in aliquibus, vt in dryinos: sed & in cane rabido, qui rabidi fiunt homines mordendo rabidos etiam efficiunt, vt affirmat Dioscorides in sexto, & Princeps in Quarto: vbi docet, quòd non solùm canes sed mustelæ, vulpes & muli rabiem morsi contrahunt: sed & lupi, & equi, & alia etiam non tamen scio animal quod occidat præter canem & lupum, quia sunt eiusdem speciei, vt declarauí aliàs.

Quomodo autem simile à simili generetur & augeatur, quemadmodum de fimo columbino dixit Galenus libro de Causis morborum, & repetit in primo de Differentiis febrium, licet euarient inter se exempla illa: in hoc tamen conueniunt, quòd ex calido accendebatur, & citra aliam causam aut antiperistasim. Dico igitur, quòd vt visum est superius ex Philosopho: Putredo fit à calore externo: ergo quod putrescit, incalescit. Verùm vbi causa permanet, actio omnis intenditur. Et sit *a* ignis, qui in vna hora accendat *b* lapidem, dico quòd in secunda hora accendat plusquam *c*, quia in prima hora calefecit etiam *c*. igitur *c* minus resistet in secunda hora, quàm *b* in prima: igitur ex Aristotele quarto Physicorum, citius quàm in hora accendetur *c*, & in vna hora plus quam *c*. In motu etiam (omitto experimentum clarum de naui quæ vix mouetur à vento in initio, & post eodem à vento celerrimè mouetur) fit vt *a* moueatur ex *b* in *c* in hora, dico quòd in alia hora mouebitur plusquam ex *c* in *d*.

Nam cùm iacimus lapidem, vis illa deperditur sensim, & tamen motor abest: quanto magis si *a* mouetur ex *b* in *c* per singula momenta, retinet aliquid prioris vis? seu sit in moto *a*, seu in aëre circunstante, nihil enim potest subito desinere, vt neque oriri & fieri, si igitur supra vim relictam motus ex *b* in *c* accedat tanta vis, quanta fuit ab initio in *a*, *a* mouebitur celerius, & maiore cum vi: quod est propositum. Ex hoc patet vnum parergon, sed tamen notatu dignum: cur omnis motus naturalis sit velocior in fine quàm in principio. Moueatur ergo *a* ex *b* in *i*, & quoniam quod mouetur, & quod mouet, est idē semper, augebitur vis motrix, igitur a semper velocius mouebitur. Cùm igitur quod putrescit, incalescat ab externo calore, vt visum est: & calor rarum faciat, vt ex raritate fiat motus: necesse est vt ad vnguem, quemadmodum in igne calor, flāma & motus perpetuò incalescat in putredine, licet obscurius: & hoc modo causa non deficiat, aut partes calidiores exhalent: aut fomes, quod est humidum, absumatur. In omni igitur febre, qualiscunque sit, innatum est incrementum per se: licet aut per euacuationem educto fomite, aut apertis meatibus, & diffiato spiritu, aut per frigiditatem supeuenientem, possit contrarium contingere, & extingui etiam; vt sæpè accidit. Ex hoc possunt deduci multa corollaria valdè vtilia vtpote quod omnimodo trāspiratio & quies sint procuranda in febribus: rursus, quòd extinctio semel calore, totius febris decursus abrumpitur, & huiusmodi: vtpote quod omnis febricitas est in aperto vitæ discrimine.

Sed illud iure merito admiratione dignum, cur canis rabidi morsus, postquam patiens iam in rubiem deuenerit, efficiat vt alios mordeat; & qui morsi sunt, & ipsi rabiosi fiant. Et qui ederint reliquias cibi, vel potus biberint, rabie corripiantur: nec quicquā melius in hoc, quam quod vbi iam laborare cœperint, statim desinunt edere & bibere, in aliis morsibus ictibusque non ita? An quoniam canis magis similis est homini serpentibus, ideo rabies contagiosus est morbus, cùm quasi pestis quædam sit. Simile enim à simili, per similes affectus & substantias, generatur.

CAPVT XIII.

De Quinque Partibus nostri corporis, quibus maximè contagium communicatur.

PRopagantur autem maximè contagia quinque modis, communi scilicet per aërem attractum, non solùm per os, sed per oscula arteriarum, diffusa in ambitu totius

corporis: vt nono Methodi, & primo de Differentiis febrium. Et hic est celerrimus, eoque modo communicantur omnes morbi, cordis, pulmonis, pectoris, & cerebri. Sed cordis minus quàm cerebri, & cerebri minus quàm pectoris, aut æqualiter: pulmonis autem maximè, quia primus occurrit aëri. Et licet videantur morbi cordis magis contagiosi quàm cerebri, contingit hoc per accidens ob pulmones, qui facilè afficiuntur, cum his affectis etiam cor facilè patiatur, sic ergo phthisis cõmunicatur. Secundus est per concubitum, quo morbi diuturni qui totum corpus occupant, cum putredine communicantur, vt elephantiasis, & lues Indica, ob seminis retentionem. Febris enim licet sit morbus communis toti corpori, non tamen causa est communis, sed pars ichoris, tantum corrupta est: & corruptio illa est potius ignea quàm putredo. Tertius est ex communi cibo, ac magis potu, quo morbi qui saliuam inficiunt, communicantur: phthoës, iterum aphthæ, tusses, ac huiusmodi. Quartus, per contactum, & per lintea vestésque infectas, quo omnes morbi cutis inficiunt sanos: vt elephantiasis, lepra, scabies, pediculi, lues Indica, & quam vocamus capitis tineam: impetigo etiam, sed minus, quia est ab humore frigidiore & sicciore. Quintus est, cùm per radios contagium propagatur, vt in ophthalmia & lippitudine: neque enim sunt prorsus idem, nam constat huiusmodi morbos ex fixo intuitu communicari, & ideo Fracastoreus credit eos propagari per radios; nam si propagarentur per vapores, nil obesset fixus ille intuitus; sed non est verum: radij enim cùm sint immateriarij, non possunt esse causa per se morbi: at hic videmus quòd sunt morbi causæ per se, quia idem fit à suo simili, & lippitudo à lippitudine, & sicca à sicca. Igitur generatio horum morborum fit à vaporibus, non à radiis. Causa autem quod magis propagetur ex intuitu fixo, est quoniam oculos magis aperimus, ideóque etiam magis excipiunt vapores.

Modus autem ille, consensus ex fœdis linteis cùm carnes tanguntur, est valde communis omnibus, nam pestilentes & phthisij morbi, & elephantiasis, & Indica lues, & scabies, & lepra, & morbi ex contacta hominem inficientes, & lippitudo, si quis oculũ fricet linteo lippientis, aut pectat aut caput pectine laborantis tineæ, & breuiter omnibus modis præterquàm tertio, inficitur per lintea. Pestis autem omnibus modis, vt quæ putredinem secum habeat maximam, & calorem tenuem communicatur. Itaque dormire in lecto, in quo laborans peste dormierit, non solùm maximum affert periculum: sed etiam in Indica lue, si non lintea lixiuio de more integrè fuerint expurgata. Tot igitur modis homo cum homine participat. Verùm in huiusmodi plerique morbi contagiosi pluribus quàm vno modo communicantur, nam lues Indica & edendo, bibendo, dormiendo, non solùm concubitu ex vno in alium transmigrat. Et tabes & pleraque alia, vt tutissimum sit non versari cum huiusmodi viris; quod & Moses prouidit in Leuitico. At contagium ex Venere, vt magis hæret, ita non tam facilè concipitur, vt ñ proluatur locus ad aliquot horas, non communicet; leuis enim est putredo. Quæ verò facillimè concipitur, & cito perimit, & cito sanatur. Hæc igitur quatuor in vnum conueniunt: communicari, augeri, perdere atque sanari. At certissimè inficiunt, quæ materiam præbent, & intus ingrediuntur, velut quæ concubitu & quæ saliua contagium afferunt; non ita quæ spiritu, aut inspiciendo, aut linteis & sordibus externa propagantur. Omnibus autem commune est, non communicari à robustis corporibus, densis, multo exercitio assuetis, mundis, ac temperatè viuentibus. Et si naturarum sit dispar ratio, vt raro inter homines & aues, aut canes aut equos. Ea ratione à senibus omnes ætates contagio afficiuntur, & infantes ab omnibus ætatibus; vt contra infantes alias vix attingunt, nisi propinquitate sanguinis (hæc enim plurimum potest) & senes à nullis. Sic à masculis fœminæ, à fœminis non ita masculi afficiuntur. Iuuat & regio, & tempus anni, & constitutio, si pestilens fuerit, aut non; si æstas vel hyems, aut contra autumnus vel ver, facilius enim communicantur & graui tépore & humido; & magis in vallibus quàm planicie, magisque in hac quàm montibus; & si quis sordidè viuat. Et timidi, dum imaginantur, facilius corripiuntur quàm fortes, & de rebus altioribus cogitantes. Et quædam horum inficiunt humores primùm, alia spiritus, alia membra, sed ràro.

CAPVT XIV.

De Febre bubonia, & in quibus rebus potissimè communicetur.

FEbris bubones consequens pestíferos, duplex est; alia quidem, quæ bubones propriè sequitur; alia, quæ carbunculos, cuius memorabimur infra. At bubones huiusmodi tum cum in omnibus partibus corporis fieri soleant, maximè tamen, inquit Princeps, subalis, post aures, & in inguinibus. Et qui sub alis, peiores sunt omnibus; pam cor laborare principaliter indicant; deinde qui post aures, quos vocamus parotides, & fiunt à cerebro; qui vero in inguinibus, à iecore, & plures ab his liberantur, quàm ab aliis; & si non liberentur, serius pereunt. Et fiunt bubones in omnibus etiam aliis partibus. Mater enim mea dum esset puella, passa est bubonem prælongum in mento; quo exacto euasit; & mansit cicatrix cana, donec vixit. Mundo Buzachareno apparuit anthrax sub genu dextro, & obiit in quarta die. Et apparent in pluribus locis, simul cum materia fuerit

fuerit multa : & ob id ſecurius eſt, quod eſt vnum & procul à membris principalibus, magnum & rubrum, aut nigrum vel album, non viride vel cæruleum, aut luridum. Nam cum ſit vnum, non ſignificat tantùm materiæ, vt non potuerit euinci à natura, ſed coacta ſit eam ſpargere: & quoniam eſt procul à membro principali, ſignificat vim illius validam. Et licet magnitudo ſignificet multitudinem materiæ contentæ, eſt tamen ſecurius magnum ob id, quoniam ſignificat nil eſſe relictum, quod non tranſmiſſum ſit à natura ad locum, & maximè cùm ceſſauerit cum hoc febris. Et colores albi ſunt ſuppuratæ materiæ, & rubri ſanguinis puri, aut cum bile minus mala miſti: & niger, finem actionis & exuſtionis: qui cùm ſit in extremo corporis, non ſignificat niſi pranitatem vlceris, & non periculum, at luridus & viridis & cæruleus, ſymptomaticam fuiſſe expulſionem ſcilicet, vigente maximè materiæ prauitate, & adhuc veneni qualitate dominante.

Communicatur autem morbus hic omnibus modis, atque ſtatim ac periculoſiſſimè ſpiritu ipſo. Sed & commercio, cuius etiam meminit Ariſtoteles prima Problematum: vnde demitor Galenum, qui tanto pòſt floruit, nec videtur huiuſmodi peſtem plenè agnouiſſe, vt in primo de Differentiis febrium. Verba Philoſophi hæc ſunt: Cur morbus peſtilens ſolus ex omnibus vitiis eos afficiat, præcipuè qui ad laborantes eo morbo propè acceſſerint. Quanquam cum dè hoc in conſilio de Conſtitutione temporum egerim, nunc ſatis ſit modò contagij enumeraare. Primus ergò eſt ex aëre circumſtante, non ſolùm qui per os trahitur, ſed, vt dixi, per arterias in ambitu totius corporis: ideo non ſufficit continere ſpiritum, nec quod plurimi faciunt, ori apponere ſpongiam aceto imbutam: nam aër totus eſt, qui laborat: & totum corpus eſt, quod haurit illum vndequaque. Secundo loco ſunt pelles, pòſt pluma & laneæ veſtes: quarto loco lineæ ac lintea, quibus ſuccedunt canes, feles, equi ob pilos, pòſt coria, inde ligna: lateres etiam ac metalla, inter quæ minimè ferrum. Aues vix contrahunt contagium, licet pluma integantur, ob illarum caliditatem ac ſiccitatem vehementem. De equis ac bobus exemplum non inuenio, quòd per hæc animalia contractum ſit contagium: vbi tamen ſtatim, poſtquam incaluerint, ac infectis pannis quis inſederit, exiſtimo contagium haud dubiè inferre poſſe: vbi refrixerint, non: quoniam calore & antipathia ſoluitur venenoſus vapor. Audiui tamen à fide dignis, magnæ peſtis tempore, quæ fuit anno ſalutis M. CCCC. LXXV. equos, qui corpora & veſtes mortuorum ex peſte deferrent, bubones contraxiſſe; ſed qui eos non vltra læderent, quàm pro tumoris magnitudine, vt nullus febricitarit, nedum perierit.

Sed quæ tanta vis huic morbo peculiaris? Audiſtis nil eſſe quod agat, niſi medio caloris ac motus, vterque enim penetrat in intima, vterque innatum diſſoluit robur, dum corpus rarius redditur. Propterea hoc intereſt inter motum exteriorem & interiorem: quoniam interior quidem diſſoluit compagem, & accendit: exterior, reſoluto humido ſuperfluo denſat ac temperat. Exteriorem voco, qui fit per externa membra, crura, pedes, manus, brachia, manifeſtum eſt enim, eo tempore quieſcere interiora, nec incaleſcere, ſed potius reuocato interiore humido toto exinaniri, refrigerarique. Quòd ſi quis eò procedat exercendo hominem, vt etiam interiora incaleſcant, deteriorem illius efficiet conditionem: nec ſolùm rarefaciet membra illa, ſed etiam ad abſceſſus præparabit: quos ſi effugerint ob mundum corpus, aut quia frigus calori ſuccedat, nihilominus imbecilliora quàm prius eſſent, euadent. Dices: Cur igitur extrema membra confirmantur, euadunt craſſiora & denſiora, interiora non ita? at de hoc primo de Sanitate tuenda dictum eſt: nunc ſatis ſit nos eò referre, vnde ſermonem deduximus, ſcilicet calorem & compagem diſſolui à motu caloreque interno, cui cùm qualitas putreſcens immiſta fuerit, intrò penetrabit, dico in ſubſtantiam ſanguinis, atque ſpirituum hauſto vapore per externa oſcula arteriarum, quæ ſunt in cute; vnde ſanguis totus primùm efferueſcere incipit, & venenum ad cor porrigit; febriſque inuadit primùm quidem, vt par eſt, ephemera; deinde paulo pòſt etiam putrida, continenti ſimilis, quòd ſi maxima fiat concuſſio, & interioris phlegmonis initium, concutitur iecur, & vt alias dictum eſt, rigor magnus exoritur, qui tamen non poſtea redit; ſed omnibus euerſis viribus, adeo iecur afficitur, vt ex conſenſu ventriculus, qui & ſenſum habet & motum euerſionis, quibus iecur deſtitutum eſt, ad ſimilitudinem facultatis quæ in cerebro eſt, & ſentit & mouet, cùm ibi ſolùm actus ſit, non anima, neque vis animæ; & velut nouacula, quæ tondet, cùm in ea tantùm ſit actus eius potentiæ & artis & rationis quæ in anima eſt, fit nauſea in ventriculo, & cibi abominatio grandis, quod vitium eſt iecoris, non ventriculi, vt optimè ſenſit Galenus primo in tertium de Morbis vulgaribus. Inde ſæuiente fluctuatione, ardentibuſque ichoribus, vnà cum humoribus, dum ſpiritus extinguitur, vis animæ naturalis ac vitalis nullam quietem habent, ſed perpetuas patiuntur vigilias, abſceſſus crudus plerunque vrget, inſurgit natura, quæ mauult ſub ſpe aliqua pugnare, quàm inulta & indefenſa prorſus periclitari; & vt cæcus in tenebris aliquid propellit materiæ, efficitque carbunculos atque bubones.

CAPVT XV.

De Veneno à morsu, ictu, vulnere.

DVbium est, cur morsus aculeis sint magis venenati? Et respondeo, quòd aculei sunt ficci, & ideo non possunt continere vires, sicut dentes: & ideo nō possunt tantam noxam inferre, quia dentes sunt imbuti spuma, & halitu oris, qui ex corde & cerebro prouenit. Circa quod tria notanda sunt. Primū, quod ponitur à Principe sexta Quarti, & est ex Galeno: Punctura scorpionis (dico idem de aliis, tum morsibus) si sit super arteriam, facit syncopim persæpe. Dico longè deterius est, si super neruos: quia sunt exangues, & dolent valde, & principium eorum non est adeò validum, aut calidum, vt cor: vt docui superius ex Galeno, sexto de Vsu partium. Secundum est, quòd de tarantula araneæ genere aliàs à nobis dictum est, habent enim aculeata omnia etiam in eadē specie diuersas vires. Est aculeus pastinacæ venenosus, & draconis piscis, & scorpionis & araneorū, & crabronū, & hæc omnia magis nocēt diebus canicularibus, quàm alio tempore: tū quod magis sint efferata, & corpora hominum ficciora & imbecilliora. Tertium est, quòd aculei sunt vel in lingua, dicebat Philosophus quarto de Historia animalium, vt in muscis & culicibus ac pulicibus: aut in aluo, vt apibus, quia dicit quarto de Partibus animalium: Formicis ac vespis dentes sunt, aut in cauda, vt scorpionibus: his enim in aluo frustra ad tutelā datus esset, cum alis careant. Sicut vespis, si extrà cauda promineret, grauaret volantes: si extra & sine cauda, facilè corrumperetur. Sed cui vsui, cum offendant tantùm, non se tuta reddant ob hæc? Quis enim scorpium lapide vel fuste non atterat, aut pede magis ob odium, quàm id mirat ob periculum? Sed hæc alibi, nam apes, vespas, crabrones deuitamus ob id, præsertim multitudinem. Sunt & animalia forsan quæ aculeum scorpionis timent. omnes præterea serpentum morsus grauiores sunt, vt Celsus ait, cum ieiuni sunt: atque ideo longè magis, cum oua incubant: & si ieiunus sit, qui læditur.

Obseruandum est diligenter, quod dicitur à Rasi trigesimoquinto Continentis, quòd si læsio sit in arteria, facilè perimit, & incidit patiens in syncopem: & si in vena, putrescent humores ac membrum, & ideo fiet viride: & in neruo conuelletur, aut etiā comitiali morbo corripietur. Et si extra hæc loca, nec è regione principalium (nam supra cor, aut neruos, vel musculos temporum, quandoque illico occīdit: & supra fecur corrumpit habitum ipsius corporis) detrimentum erit longè minus, ac serius mouetur, si sit pernicioſum. Ostensum est autem planè in vndecimo Paralipomenon, rabidi canis morsum non per venas, neque arterias propagari, sed sensim per neruos ipsos prorepere. Atque ideo talia occīdunt per vulnus: neque, vt dixi, per quodcunque vulnus, sed vbi neruus ipse lædatur: aliàs periculosiora sunt, quæ in venas inciderint: in quo casu si sistas, retinetur vis lethalis in corpore: si nimium effluat ob imbecillitatem, periculum est ne pereat. Quod ergo diffunditur venenum, aliud quidem statim vagatur: vt scorpij, & pastinacæ, & draconis marini aculei; qui omnes tamen magis per neruearn feruntur substantiam, quàm per venas & arterias. Atque id verisimile planè est. Siquidem Galenus, & rectè, primo de Locis affectis vult, vim illam qua sentimus, à cerebro, vt solis lumen diffundi ac permeare statim per neruos ipsos, atque ad extrema vsque, vnde etiam ab extremis ipsis statim ad ipsum principium remeat. Atque idem de veneno ipso dicendum est; receptum enim per cauitates ipsorum neruorum solita vi naturæ eorum, transgreditur ad prima principia, maximéque cerebrum; quod etiam in simplicibus punctionibus ferro vel aeu vel spina duriore factis, sentimus: tametsi veneno vacent. Non negauerim alia esse venena, quæ aliter inficiendo sanguinem prodeunt. Quorum omnium est statim inficere ipsum iecur, & morbum regium procreare: sicut quæ petunt cor, syncopim, sudores frigidos, palpitationem cordis atque liuorem vnguium & extremorum. Tum ergo videtur triplex ratio veneni, tripléxque symptoma seum morbus: quod per neruos perreptat, & cerebrum petit, efficitque conuulsiones: quod per venas pulsatiles, petitque cor faciens syncopim, & ea quæ dicta sunt, atque horum vtrunque celeriter perimit: & quod morbum regium creat, aut etiam albam pituitam, quæ quasi è regione morbi regij constituta est, petitque iecur, & serius perimit. At quædam violentissimorum medicaminum duo aut tria horum faciunt, vt celerrimè & nulla cum spe auxilij perimant, velut napellus, & quæ his sunt similia: vnde omnium malorum origo. Quæ verò sensim præreptant, nihil horum faciunt symptomatum, donec eò peruenerint, vt afficiant membrum principale, & ideo temporanea sunt: quæ enim de his medicamentis etiam epotis dicuntur, & cùm eò peruenerint, idem agunt quod præsentanea. Sed cùm præsentanea fermè sint omnia lethalia & immedicabilia, cùm tamen totum fermè corpus sit integrum, & auxilia cordi ac cerebro transmittat: quanto magis erunt immedicabilia, quæcunque iam temporis progressu contaminarunt totum corpus, præsidiáque sustulerunt? Ob id omnia talia, vbi cœperint esse venena, statim interficiunt. Nec hydrophoni, qui à cane rabido morbi originem ducunt, vltra quartum superuiuere possunt: atque ita temporanea venena omnia quæ ad principalia tendunt, vt quæ putrefaciunt, quæ insaniæ quoduis genus lethale gignunt, quæ per syncopim aut cordis palpitationem occidunt, paucis in diebus, postquam hęc symptomata genuerint,

rint ; occîdunt , cum vi morbi ſoleant diu durare , aut ſaltem non adeò citò perimere: vt hoc ſignum ſit veneni ſatis certum. Quæ verò temporanea redduntur , quia particulam aliquam erodant aut inflamment, velut etiam quæ tabem inducunt , & citius morbos ipſos producunt , & ſymptomata peculiaria morbo gignunt, & ſeipſa detegunt, & ſerius tandem occidunt.

Sunt præterea ictuum & morſuum ac vulnerum duo genera vniuerſim. Primum, cùm ſimplex qualitas eſt in cauſa : ſecundùm , cum materia. Et vterque modus duplex eſt : cùm venenum propriè eſt vt in aculeis, ac dentibus leonis, & in telo præparato : & eſt,cùm non eſt maleficum vulnus, niſi ob formam , velut in enſibus limatis, & dentibus piſcium:& hic modus propriè non eſt venenum , velut nec de ſagittis quæ auelli nequeunt , & quæ lacerant. At ſi veneni ſubſtantia adſit , duplex, vt dixi, etiam modus conſurgit. Vnus , cùm eſt res tenuis velut in dentibus viperarum , & canis rabidi, vbi dens eſt illitus ſaliua venenoſa : & in feris occidendis: vt de elleboro apud Hiſpanos, pro conficiendis ceruis in venatione, affirmat Ioannes Langius. Sed mirum, quòd de hoc Amatus Luſitanus nihil dicat, & præſertim quòd elleborum Hiſpanica lingua vocat Verdegambre : Langius autem Pedegambro, vel Yſambro. Vtcumque ſit, ex eorum genere eſt , & cauſa diuerſitatis nominum eſt , quod Amatus poſuit nomen commune Hiſpanicum : Langius Luſitanorum & Galliæ vicinorum incolarum , quos Nauarrenſes appellamus. Sed mittamus hæc, etenim pro exemplo , digno tamen, aſcripta ſunt. Quædam tela incluſam habent veneni ſubſtantiam , vt id quo occiſus eſt Sigeus Galleranus : in ſagitta enim foramen erat , atque in eo venenum , quod tamen parum nocuiſſe crediderim ; nam profundo vulnere periit potius quàm veneno : nam venenum illud corpulentum facile extrahitur , & parum operatur. Credo id illum ferriſſe deteriore cauſa , quàm prodita. Ergo talia venena multiplicia eſſe poſſunt, ſed artificium in huiuſmodi à natura vincitur. Paucis enim illa rerum omnium magiſtra finem ſuum aſſequitur : diximus tamen plus poſſe artem in huiuſmodi , quàm naturam. Sed aliud eſt quod communiter fit, ab eo quod fieri poteſt. Ferunt enim, Turcas veneficia habere præſentanea , quæ ſolo attactu eadem die interimant ; idque frequens eſt apud illos : ſed tamen ſolùm mandante Principe, quanto celerius nociturum, inditum vulneri ? De his verò venenis quæ per venas & ſanguinem quacunque vulneris ratione præreptant , dubitatio longè maior eſt, quomodo poſſint tam celeriter inficere totum corpus: cum enim vis illa materiaria ſit , & ſanguis perpetuò fluctuet, neceſſe eſt aut ſtatim æqualiter diffundi, aut ſenſim quamvis celeriter. Quòd ſi ſtatim id fiat , cum ſubiectum non conſtet , & vis illa putrefaciat , difficile eſt intellectu conſequi quomodo procul eandem vim retineat , nec magis agat in propinquam materiam quàm remotam : velut calor, frigus , amarum , aſperum, atque huiuſmodi. Quòd ſi per partes ſucceſſio fiat , corrumpetur longè magis propinquior ſanguis remoto. At id non ſemper verum eſt : quinimò ſi vulnus ſit in pede , oculi magis quàm crura colorem regij morbi induunt. Neutra igitur harum opinionum vera mihi videtur , ſed quemadmodum, ſi qui populo mulctam indicere velit, primùm cogitur eam prætori ſignificare: ille autem onus eius ciuibus diſtribuit : ita ſi venenum debet propagari , neceſſe eſt vt membrum principale, id eſt iecur pro venis inficiat , ex eo poſtmodum in vniuerſum corpus illud expandit. Quapropter neque regius morbus abſque iecore , nec ſyncopis abſque corde, nec conuulſio abſque cerebro affecto fieri poteſt. Cur autem ? Omitto, quod in promptu eſſet, quòd hi affectus ſint principalibus non ortis , aut aliis peculiares hoc enim verum eſt : ſed adhuc relinquitur dubitatio , cur iecur prius afficiatur (exempli gratia) quàm crura ; cum illa ſint pedi quàm iecur magis propinqua. Equidem id contingit ob plures cauſas. Prima eſt : quoniam non quieſcunt , donec eò peruenerint quæ autem mouentur , minus imprimunt. Præterea ſit duplex motus , attractionis & acceſſus:attrahunt enim omnia membra principalia ad ſe vehementer , quoniam ea eſt. Prima functio:cerebrum,vt ſentiat : cor, vt viuat , iecur vt nutriatur. Exemplum appareat in teſtibus , qui quamvis inferiores cæteris principalibus , adeò in omnibus per ſuperfluæ veneris occaſionem attrahunt , vt corpus contabeſcat. Alia eſt ratio , quòd licet omnis humor generetur in ſuo principio vel propè , corrumpatur autem vbique : attamen corruptio omnium humorum etiam in loco principali neceſſariò fit:ob id ſeu venena non prius corrumpant humores quàm ad principale virus illorum membrum peruenerit , ſeu corrumpant , non poſſunt omnes humores ab alio quàm principio corrumpi.

CAPVT XVI.

De Veneno illito , aut ex contactu, odore , & vmbra.

INcipiamus quidem à manifeſtiſſimis , & fabularum oppugnatione, more veterum. Eſſe enim vires quaſdam tum magnas , in his quæ illinuntur , apertum eſt : ex his præcipuè quæ ex argenti viui inunctione accidunt de quibus eleganter Fracaſtoreus in Syphilo ait:

Sic fatur, ſimul argenti ter fonte ſalubri
Perfundit, ter virgineis dat flumina palmis
Membra ſuper iuuenem toto ter corpore luſtrat.
Manantem exuuias turpes , & labe maligna
Exuuias arimi , peſtemque ſub amne relictam.

Placuit quantum in nobis est, hominem laboribus & ingenij felicitate dignum, immortalitate donare, etsi suis scriptis illustris etiam sit: verùm rem hanc non iam vt Poëta auxit, sed maior est dicto ipsa res. Constat enim ossa ipsa eiici, atque carnes, vincula, lacertos, membranas, cutim, tanquam exuuias serpentes, si igitur tantùm potest vnguentum ad salutem, cur non erit præsentaneum etiam aliquid aliud ad interitum? De vmbrâ satis aliàs dictum, arboris pomorum mortis quàm noxia sit, & de rhododendro similiter in insula Sardiniæ, vt expertum se ait Conciliator, adeò vt etiam aqua quæ sub vmbra eius transeat. Et de his Plinius dabat vnam regulam pulchram, dicens: Omnis arboris, cuius folia adeò sunt densa vt vmbram opacam reddant, vmbra noxia est: vt iuglandis, pineæ & piceæ & si aqua non pernia est, vt etiam in his, stilla insalubris est. Nemo stupidus adeò sit, qui existimet vmbram ipsam huiusmodi esse quæ sola est etiam carentia lucis: sed vapores ex arbore profluentes. Quàm leuiter & occultè quis feriatur, animaduertet qui colocynthidam fregerit, præsertim paulò vetustiorem: si enim aperto id ore agat, intelliget quantum sit amara, etiam si non degustarit. Eadem erit ratio & in odoribus rectè que agunt Principes, qui nil admouent naribus, nisi acceptum ab his à quibus etiam cibos potusque assumere sibi posse videntur. Ostendunt specus naturales, & in quibus reconditum fuit triticum foueæ, quàtum halitùs possint.

Iam verò eousque processerunt, vt etiam solo visu quædam noxia esse credant. Plinius in octauo libro, meminit basilisci ac catablepæ, quæ referunt visu solo, auditu vocis, transitu quoque propè homines interficere; quin etiam Galenus in libro de Theriaca ad Pisonem illius meminit, vitiũque suarum, atque ipsum sic describit: Serpens parumper flauus, tres eminentias habens in capite, quòd etiam mortuum solo contactu hominem occidit, viuum verò & visu solo & voce. Inde subiicit de dryide, quod maximè in quercubus latitet, sic vocatum: quòd si quis ipsum calcet, excoriantur illi pedes: & qui curare ægrotantem aggredietur, & ipsi pedes itidem non solùm sed & manus excoriantur. Et si quis serpentem illum occidere nitatur, omnia benè olentia, fœtida (contracto scilicet spiritu olido) videbuntur. Et Aëtius similiter additque de dryino, quòd frequens est iuxta Hellespontum, obesus, duorum cubitorum, cum maximus est: quamvis armatus, valdè fœtidus, vt odore solo se prodat, ob idque facile deuitetur ab hominibus. De basilisco autem, quòd omnes serpentes illius cõgressum fugiant, nec audent ad pabula ire, vel aquas, adeò exitialis est: vnde ille id præsentiens, vbi eis occurrerit sponte se retrahit, quamvis famelicus, vt etiam ob hoc nonunquam famevel siti pereat. Tantùm nugarum ille scripsit. Sed & Princeps, sexta tertij, tanquam illum vidisset, eum descripsit, dicens: quod est duorum palmorum, acuti capitis valdè, oculorumque rubentium: & quod abundat in Nubia, & terra Turcarum: quæ tamen tantum abest à Nubia, quantum Italia à Sarmatis. Et vt in miraculo certare omnes videantur præter dicta ab aliis addit: Quod si lancea tangatur, (hóc autem est & in quibusdam aliis verum) qui tetigerit, perit. Et si animal iuxta ipsum transeat, obstupescit, inde moritur. Et quod plantæ omnes in illius circuitu pereunt: hæc tolerabilia: sed quòd si auis volet supra illius foueam concidit, maius est fide. Addit & ille suum socium vt Græci dryidem, Itali catablepam: sic Princeps armenum parum inferiorem basilisco viribus. At esse nugas, ostendit primò Galenus, qui decimo de Simplicibus medicamentis, negat se vnquam tale animal vidisse: nec ego vidi, nec alium qui viderit audiui: sicut contingit in rebus aliis admirandis, dico de basilisco pro serpente, non prodigioso illo galli gallinacei filio. Neque enim primò verisimile est, naturam procreasse genus animalis adeò omnibus exitiale (nam de monstro illo cum in genus non redigatur, esse potest: Ea enim licentia quasi naturæ est, non norma) vt abeo reliqua omnia deleri possint. Deinde, si videndo & audiendo illius vocem homo moritur, quis vidisse aut audiuisse referre potest? Præterea Dioscorides ex Erasistrato cum dixisset, quòd est bestia, quæ rarò sese offert oculis hominum: proponit effigiem morsus eius dicens. Quòd plaga est aurei coloris, & quòd curatur castoreo epoto pondere drachmarum trium: Quare constat, non adeò esse lethiferum animal, cuius etiam vulnus curam admittat. Eadem etiam à Paulo confirmantur, quæ à Dioscoride relata sunt. Sed & illud mirum, quòd Rasis experimentorum curiosissimus indagator, & qui in Africa habitauit huius tanti miraculi non meminerit. Quocirca cum Matthiolo ipso, qui exponens Dioscoridem, hanc vt fabulosam historiam irridet, dicens: Cum tam paruum sit hoc animal, & eius spiritus ac præsentia tam exitialis, quis adeò (vt referunt) tam minutim considerare potuit, aut ausus est? Basiliscum serpentem esse scio exiguum, quique in ambitu suæ latebræ plantas enecet & propè etiam aërem inficiat adeò vt quæ illi appropinquant animalia, velut specubus mortiferis pereant, non ex visu aut auditu illius. At de basilisco ex ouo galli gallinacei, imago illa lapidea Mediolani in porta templi extra posita B. Mariæ ad portam: & onum illud galli in Saccensi oppido discissum anno M. D. X X I V. fidem faciunt, cum tota maiestate naturæ tale aliquid generari posse, viribusque admirandis; cui suum etiam alexipharmacum, & ἀντιπαθὲς suus, & ἀντίδοτον, & exitiale malum ac in promptu paratum esse existimo. At vi occulta aliqua etiam solo contactu occidere, exemplo remoræ & torpedinis, & tot aliorum, intelligere possumus.

Cæterùm haustæ arteriis alia quidem ad cerebrum feruntur statimque perimunt: & magis olfactu ipso, quod cerebrũ sit exarmatum

tum,& aliquanto ſerius ad cor ipſum delata. Cuius rei non aliud manifeſtius dedero indicium, quàm peſtem ipſam, quæ attactis veſtibus enecat tam citò homines. Omnia huiuſmodi venena eſſe ex putrefacientium genere, veriſimile eſt, aut ex his quæcogunt. Nam aſpides ex hoc eſſe genere veriſimile eſt, qui ſine dolore mortem afferunt, vt Dioſcorides ibidem recitat, & fama publica eſt. Omnium ergo fermè eadem ratio ac ſimilis vis: quæ verò peſſima in hoc genere, ſunt indita veſtibus, & interulis maximè.

Quæ autem nocent multùm contrectata, vt corni & ſanguinalis virgulta, nam reuocant rabiem curatam validioribus auxiliis: & Matthiolus ſæpè hoc experimento comperiſſe ait. Hoc plus eſt, quàm vt illitum ſit aut contactu, aut vmbra. Nam calefacto ligno, ſimulque membris ipſis vehemens fit attractio per oſcula venarum atque arteriarum, vnde exitiale venenum contrahitur. Cur verò reuocare poſſit, & quomodo extinctum venenum, dubium eſt, nam ſi non prorſus extinctum erat, cur non repullulabat per ſe? ſi extinctum, quomodo rediuiuum factum eſt? Vnica igitur ratio aſſignari poteſt, extinctum: ſed velut ignis in carbonibus, quibus prorſus extinctis, ſiccitatem relinquit, vt facile rurſus ardeant: ita veneno ſemina relicta, ad actum ſimilitudine virium reduci poſſunt: ipſa verò membra ſiccata, facilius ad perniciem agunt patientem; eſt autem ſeminis vis in atra bile. Nam etſi non reuocata ſit rabies patri meo, quòd huiuſmodi plantarum & vmbram deuitaret: attamè fatebatur à morſu canis illius rabidi nunquam, vt antea, perfectè mente conquieuiſſe. Animæ leonum virus graue eſt, inquit Plinius: vrſi autem peſtilens, ſic vbi angues iacent, & præcipuè dryini & aſpides: & ſub denſis cicutæ vmbris, & apollinari atque mandragora: magis etiam ſub napelli plantis.

Porrò odor nullus occidere poteſt, nam ſenſilia perturbare poſſunt ſenſum, euertere non poſſunt, aut corrumpere: quæ autem ſenſilibus coniuncta ſunt, id facere poſſunt, ignis corrumpit tactus inſtrumentum, ſolis lux obcæcat: odores praui, propter vapores qui eis iuncti ſunt putridos, homines ſtatim enecare poſſunt. Cauere debent hæc, qui timendi cauſam habent: ſed ea ars non eſt, quoniam artifici nimis exitialis eſſet, aliter non vſque nunc latuiſſet: tanta eſt perfidia quorundam, auiditas multorum, ſtultitia ſcribentium. Quidam venenum nunc prodidit, extiale ſanè non parum: nec ſcio toto illo volumine, quod non exiguum eſt, tantum boni contineatur, quantum mali in eo medicamento. Peruerſa hominum iudicia, & anxia nimis cura. Summæ ſapientiæ eſt ſcribere auxilia, non prodere deleteria, in quibus quandoque nocuit vel ſciuiſſe, quod fieri poſſet. odore noxia tanto celerius occidunt, quanto illita efficacius: contactus vtriſque inferior, quo etiam vmbra: minimè, vt dictum eſt, viſus.

Cum verò in venenis tot ſint differentiæ communes, palàm eſt & in eiſdem eſſe, ſed non adeò manifeſtè, nam temporanea ex vmbra nucis ſæpe vidimus in ruſticorũ pueris, qui ſub illa dormierunt: ſic & vnguenta, & ſuffitus. De contactu eadem ratio ſuadet, non tamen videre hucuſque contigit. In eo multum refert, qua parte tangas. Prope arterias non leue periculum, & vbi nerui temporum deteguntur, & è regione cordis. Longè magis ex illitu. Quidam produnt hæc, vt legantur ab improbis malefaciendi cauſa: boni, vt cauere norint: curioſi, vt delectentur. Ita improbum eum tabellionem Poggij imitantur, qui duo ſcripta fecit. Vnũ, quo qui creditor non erat, peteret: alterum, quo qui nil debebat, tanquam ſoluiſſet, abſolueretur, atque ex vtroque pecunias exegit, nos autem ea arte hæc conſtruximus, vt in quibus modum proderemus, res ipſa ignota eſſet: cum res nota eſſet, modum occuleremus. Maioris artis, non conſtantiæ ſolùm, poſſe inter tanta, quòd nos impetrauimus: non poſſe, etiamſi velimus, ſcire.

CAPVT XVII.

De Veneficio, faſcino, præſtigiis.

FAſcinum eſſe receptum etiam ab antiquis, conſtat. Calcagninus recitat ex veteſto authore verba apud Ciceronem: Ne pelliciunto alienas ſegetes excantando. Et apud Virgilium.

---Vix oſſibus hærent
Neſcio quis teneros oculus mihi faſcinat agnos.

Baptiſta Pius ſuper verba illa Sidonij Apollinaris, in epiſtola ad Domitium: Niſi quid tu faſcinum verere, quòniam iactabat concordiam cum ſuis domeſticis: aut potius, quòd Romanorum more, nomina in vocales definentia, faſcinum afferrent: vt olim Beneuento, vnde mutatum in Beneuentum, hic autem Abitaci. Nam creditum eſt, nomen ficularum cannearum obfuiſſe M. Craſſo in Parthos eunti. Vtcunque, veteres magico ſuſurramine in hominis caput ex locuto paricidali lingua reddebant, ex pingui & bene habito exſuccum, macerrimum atque ſtrigoſum. Hæc eſt illius ſententia potius quàm verba.

Sunt autem faſcini propriè tres principales ſpecies: quæ à metu oritur, mala timẽdo, atq; imaginando. Cuius curatio eſt: confirmare mentẽ. Ex alienis verbis, & huic occuramus bene ominando: vnde mos veterum. Quòd ſi aliud non eſſet, depulſo timore, effugata ſuperſtitione, corde atque animo confirmato, cuncta melius cedunt. Alia quæ à modo agendi, tractandi, percutiendi, Intentius reſpiciendi. Intentius reſpiciendo terrentur pueri, vt quandoque in comitialem morbũ incidant, quod maleficæ mulieres norunt: & maximè vetulæ, & ſtrabis oculis, ac torui: inde opinio nata ſtrigarum. Et certè offendunt, tabeſcunt enim ex comitiali morbo, vt aliàs declaraui. Et idem accidit ex felium aſpectu, intentè enim inſpiciunt, ac lucẽtibus

tibus oculis, vnde infantes territi fascinantur, & inde moriuntur. Ex eo nata fabula de lamiis, verti lamias in feles: quòd hoc animal, non secus ac maleficæ mulieres, intuitu infantes perdant. Quid verò id mirum? cum sæpe accidat, viros etiam fortes alia cogitantes, ex felium aspicientium oculis terreri. Simili modo in manus despuendo, seu telo quenquam ferire velis, seu puerum flagris cædere, seu quadrupedem saxo percutere, longè acerbior fiet ictus, & plaga magis vrit: contrà, si post ictum despuas credunt leuari dolorem: non sanis comperta causa, cum acerbitatis non obscura sit, scilicet firmiter apprehendendi, vt enim qui pede innituntur rei stabili, grauiter feriunt: qui inconstanti, parum efficaciter: ita si despuat, augebitur visictus, qualiscunque sit. Similiter morsus animalium fascinat plantas, vt arescant. Et idem possunt hominis dentes ob saliuam & antipathiam. Ita stringere plantam vinculo, fascino aduersatur.

Quæ verò fiunt imaginibus, suffosiue sub limine quibusdam rebus, tum præsegminibus capillorum & vnguium, aut huiusmodi, ad veneficia pertinent. Meminit in lusu suo Apuleius: nescio an irridere, an docere, an scire se videri huiusmodi cuperet. Sanè talium aliqua sunt exempla altioris cuiuspiam tractationis potius, quàm præsentis. Sic putant arceri à concubitu eos qui in cubiculo sunt, si sigillum quod vocant Salomonis, gladij acie in hostio nunquam amoto gladio describatur, veróque nomine vocato, vbi responderit, quod ob suspicionem facilè accidere potest, qualiscunque enim timor in Venere non legitima, facilè penem deiicit. Sunt præter hæc excantationes, quæ per verba tantùm fiunt, sed non sacræ: deuotiones autem etiam sacrificiis indigent, & sacris carminibus. Præstigias admisit Plinius, dum de Nerone loquitur.

Mirum forsan videri poterit, huiusmodi omnia ignota fuisse medicis pariter atque philosophis, vel neglecta. Si neglecta, cur non & à me contemnuntur? si ignota, vnde mihi tanta accessio? Sed nos dicimus, hoc visum fuisse Alzarabio, dum de comitiali morbo ageret, in Primo libro eius partis quam Practicam vocauit: nec Princeps id contempsit, vndè Prima tertij, dum dixi: Et quibusdam medicorum visum est, quòd melancholia contingat à dæmonio? sed nos non curamus, cum naturalem scientiam docemus, si id contingat à dæmonio, vel sine eo: postquam perspicuum est hoc morbos, si fiunt, à melancholia primùm fieri, seu post modũ illius melancholiæ dæmon causa sit, seu non. At ô generose vir (nam quãdoque bonus dormitat Homerus) si curatio morbi, est causæ ablatio, vt inquit Galenus in libro de Optima secta ad Thrasybulum: & causa melancholiæ dæmon sit, quomodo manente dæmone sanabimus affectum, cuius causam extingnere non possumus?

Aetius libro sexto, omnino putat horum nihil esse, sed opinionem dæmonum: propterea tres opiniones de huiusmodi habentur. Vna, quæ negat omnes præstigias ac veneficia, nisi epota sint, aut vulneri iniecta: cuius sententiæ videntur fuisse Græci omnes, ac ex Arabibus etiam plerique medici. Secunda, quæ philtra & venefica ac deuotiones admittit, sed sine dæmonum præsentia: quæ cum verior sit, paucos tamen habet defensores: cum qui hanc magiam fatẽtur, Platonici sint, mirum in modum addicti dæmonum confessioni. Tertia ergo illorum est, in qua etiam Apuleius fuit, neque medicus neque philosophus, haud forsan sanæ mentis vir. Verùm cum videamus quotidie multa horum exempla, & maximè in lectis tot formas varias, quæ non negarim ab ipsis venditoribus plumarum immitti, vt pondus augeatur: alias etiã cogi sudoribus, mictu puerorum confici, nihilo minus tabescentibus illis qui in eis cubant, & incerta causa & exitu, non habeo tam quod in medium afferam, quàm quod negem. Deuotum scimus ex historiis, à Tribuno M. Crassum, & periisse cum filio & toto exercitu. Deuotum Gasparem Vicomercatum, nobilem patricium, & obiisse. Multos etiam alios malè ob id periisse. At quod nos tueri potest, id esse debet, quòd hæc curare alterius sit opus quã medici. Magia pereunt, magia curantur. Plura de his alibi scripsimus. Amentia Plinij, & auaritia medicorũ, hæc ars amissa est. Nõ malè vertit quòd venefica, sed quòd benefica, nam quid attinebat Plinio negare, quod nesciret? Aegyptiorum commenta non recipio: Idcirco medica ars vana est, quoniam tot fabulas in ea scripserit Cælius, Aurelianus, Octauianus, Horatianus: & quod turpius est, fœmina Hildegardis. An astrologia vera non est, quia Cauticus eam fœdauerit, Pici maledicant, et plura proferantur mendacia quàm oracula? Duæ magiæ creduntur partes, diuinatrix atque operatrix. Operatrix alia, quæ ad medicinam pertinet, laudabilis, quacunque naturæ vi procedat: venefica omnino abominanda, & θαυματικὴ, id est admirabilium operum effectrix: et παιγνια seu pægnia, ludicra. Diuinatrícis partes aliàs, vt dictum est, naturales sunt septẽ: Astrologia, Physiognomia, Naturalis, quæ per consequentia fit, vt ranarum & reptilium multitudo, pestẽ, & maximè quæ per fluxum ventris grassatur, nunciat. Et signa in galla, quæ abundantiam aut sterilitatem nunciant. In hoc genere præcipua etiam sunt terræmotus, maris æstus, siccitates, fulgurum casus, monstrosi partus, alia alia non visa. Ἱστορούμενα quæ per ætatem fit & visa in illo; est autem duplex, quæ ex illius constitutione alia prædicat, vt vbertatem, pestem: atque decens veris ipsam constitutionem. Prior rursus diuiditur in eam quæ per naturalem statum significat ventos, nubes, solis cadentis aut lunæ surgentis, aut stellarum colores niues, grandines, fulgura, tonitura: alia, quæ per raro visa ac miraculis similia, cometas, irides, halonas, parelias, duplices lunas, multiplices soles, caumata, faces, lampades, cadentes stellas, aut die splendentes, vortices, acies armatas, animalium imagines, aut diuorum cruces, aliaque huiusmodi. Quinto loco est somniorum interpretatio. Atque hæ pure naturales sunt: cæteræque duæ chiromantia

tia & metopoſcopia ſuperſtitioni, quàm naturali ſapientiæ proximiores. Superſtitioſæ ſunt, ſed non æqualiter, ſed magis quæ à nobis fiunt quàm quæ à natura, vt geomantia ſuperſtitioſa, minimè pyromantia, medio modo hydromantia. Hæ autem deductæ ab elementis vulgaribus, ſenſui notiſſimis: geomantia à terra, per puncta: pyromantia, per ignem ardentibus, maximè lauri foliis: hydromantia concuſſa aqua per circulos perſimiles geomantiæ, id eſt ſuperſtitioſæ admodùm. Alphitomantia, per farinam: & aleuromantia per triticum, farinamque: tiromantia, per caſei hiatus foraminа formam: eſt tagalomantia, ſors ex alea in pictas figuras, apud fœminas in vſu: Axinomantia, per ſecures, Homero cognita. Magis naturales ſunt, tripudium ſoliſtimũ, è pullorum cibatione: coſcinomantia, per forcipem & cribrum: ſternomantia, à pectoris habitudine: ptormomantia, à ſternutamentis: capnomantia, à fumo: aeromantia, à figuris nebularum: catoptromantia, cum puero ad ſpeculum, xeſtomantia, quæ fit per vrceum aqua plenum, in quo videntur pueri videre imagines. Hæ ambæ, & lecanomantia, næcyomantia, pſychomantia, ſciomantiæque nefariæ & ſuperſtitioſæ habentur, à naturali ratione longius abſcedentes, velut & ſortium qualiumcunque Virgilianarum, Præneſtinarum, lexicomantiæ, vanitas manifeſta. Securiores & ad naturã accedentes, aruſpicina, per exta, & cum aues inſolitæ inſolito loco videntur: & botanomantia, per verbenas. Propè diuina eſt, quam Deus immittit vocem. Sed engaſtrimythi non videntur ad diuinationem pertinere, verùm potius ad naturæ miraculum.

Vt verò ad veneficia & præſtigias, ac talia deueniam, non aliàs melius ludens Lucianus enarrat, vbi Bachis Melitam admonet, vide etiam quæ Cælius Calcagninus ſcripſit. Ferè autem imaginibus, præſeminibus, telis, aſtrorum obſeruationibus ac venenis, vnde nomen habent, conſtant.

CAPVT XVIII.

De Veneno epoto.

VEneni epoti ratio, differt à veneno quod ex morſu aut punctione aduenit, iudicio eſt, quòd quæ intus aſſumpta perimunt, exterius admota non idem agunt, neque enim auripigmentum album, neque argentum viuum ſublimatum, nec gypſum, admota vlceribus hominem interficiunt, tametſi vehementer diſcrucient dolore. Sed neque contraria ratione, ſerpentis aut viperæ ſaliua in potu data interficiunt. Hæc, inquam, Galenus, quæ omnino falſa ſunt: neque contendere cum illo propoſitum eſt, ſed docere veritatem. ille, vt aliquis eſſe videretur:

Admiranda canit, ſed non credẽda, poëta:

Quòd enim quæ intus aſſumuntur, non ſemper exterius admota perimant, præter experimentum, etiam ratio ipſa ſuader, quoniam minorem vim habent: quòd verò venenorum, quæ exterius admota perimant, vllum interius non occidat, aſſumptum nondum inueni. Napellus, aconitum, cantharides, & quæ exterius admota occidunt, ſerpentis virus, intus aſſumpta omnia occidunt, ac celerius. Narrat Matthiolus de ruſtico, qui cum morſum aſpidis ſugeret, repentè mortuus corruit in terram. De ſpuma canis rabidi, ac huiuſmodi, ipſi qui negant, vellem potius vt periculum facerent, quàm ego qui id credo. Quòd ſi quæ infrà ſcribuntur ex Galeno & Celſo, quis obiiciat: habebit etiam eregionè poſitum quid reſpondeat. Quod aliqua exterius perimant, non vt venena, ſed vt dolorem intolerabilem mouentia, qui cum vulneris noxa perimat, id ſanè crediderim. At mirum planè eſſet, ſi vera eſſent quæ ille refert, ex tanta materia vnam aut alteram inueniri plantã, aut aliud quippiam, quæ venenum non eſſet, & telo affricata perimeret. huiuſmodi ſunt paradoxa viri illius, planè ſpecie pulchra, re ipſa nihil veri continentia. Neque nunc vſque inuentum, nec in poſterum vſque in æternum quicquam inuenire licebit, quod interius aſſumptum non perimat, vulneribus ad motum perimat tanquam venenum. nam vt ὁ Δυνηγὸς fateor eſſe & λυτηρὰ, velut ſcillam, cæpas, allia, quæ vulnera efficiunt ſæuiora: ita nego quicquam horum venenum eſſe, aut venenatam ei ineſſe qualitatem: nec opus eſſe vt corpus ob id curemus, ſed vulnus tantùm, niſi ob immodicum dolorem fluxionis periculum adſit.

Venenorum autem ebibitorum ratio huiuſmodi eſt, quædam interimunt, quia calida ſunt: alia, quia ſicca: alia, quia erodunt: alia putrefaciunt, alia quod qualitatẽ habeãt per ſe contrariam humanæ naturæ, vel quoniam tabefaciant. Sed ratione ſingula membra diſtinguere oportet. Quæcunque igitur deuorantur & occidunt, ſeu tum ſeu multo pòſt id agunt, vel quoniam ſubſtantia ipſa noxia eſt, velut terra, lapis; atque in hoc genere ſunt argentum viuum & gypſum, aliáque huiuſmodi, at natura ſeu qualitate, atque hæc adiuncta ſubſtantiæ erodens facit: ſi verò ſubſtantiæ eſt, non autem cum illa agit, proprietas eſt. Separata autem calida quidem exurit, & eo magis calida & ſicca: frigida verò dolores mouet, & paulatim extinguit; calida & humida putrefacit: ſed & humida, frigida & ſicca, & ſicca ſola tabefaciunt. Iam ergo ſeptem venenorum genera eſſe conſtat, nec pauciora eſſe poſſe ſimplicia, neque plura.

Eadem quoque ratio erit in externis venenis, de quibus eadem manet dubitatio, quæ de his quæ per os ſumuntur, ſcilicet an dentur venena frigida. Morſum enim aſpidis cicutæ ſucco, quod ad ſymptomata attinet, ſimilem eſſe dixerunt Dioſcorides cæterique. Et Princeps, dum de ſcorpionum veneno agit, & reptilium maris, in ſexta Quarti. Verùm de venenis quæ bibuntur, oſtendemus paulo poſt, frigidum nullum eorum eſſe: alterum igitur duorum eſſe neceſſe eſt, vel nullum ictum, nec morſum eſſe frigidũ ex venenatis animalibus: aut nõ eſſe ſimilia.

similia. Sed certè stupor qui ex torpedine contingit, non est à frigore, vt neque opij: quare nec aspidis. Refrigeratio enim quæ contingit post morsum non est, quoniam venenum frigidum sit, sed quia spiritus absumit. Quæcunque igitur venena calorem temperatum habent, pro frigidis habentur, quoniam sine caloris sensu perimunt. At non est ita, sed omnia calida sunt: verùm quia calor non percipitur ex eis, & per resolutionem etiam patientes frigore afficiuntur, ideo frigida esse creduntur. At si talia essent, dolorem magnum afferrent: at nón afferrunt, sed leuem ac dulcem: quomodo ergo frigiditate occidunt?

Epotum ergo venenum si qualitate sua occidat, quia calidũ vel frigidũ sit, vel erodens, statim ventriculum vexat; at si proprietate aliqua, aut quia calidum sit & huminum, non statim neque in ventriculo, verùm velut & reliqua omnia cum primùm effundi cœperit calor (contingit autem post quartam horam, & vsque ad sextam) iam sanguinem permeat, & iecur afficit. Indicium vero est, hoc tempore primùm venenũ ad iecur permeare, quod podagrici, quorum es, dum ventriculus vacuus est: & maior, dum calor cõtrahitur ad vẽtriculum eodẽ fermè tempore: & tum demùm ad duodecimã vsque horam, aut propè ingraueſcente morbo laborãt. Post hæc à iecore ad cor per cauam, & exinde per totum corpus fermè eodem momento per venas & arterias. Quod verò statim ventriculum dolore afficit, aut nausea, consensu neruorum sexti paris, etiam statim cor & cerebrum afficit. Quodque exitiale valde est, cor statim per se inuadit, vt vinum.

CAPVT XIX.

De Veneno calido.

VEnenum calidum percipitur plerunque sapore acri: vt si sit euphorbium & siliqua Inda rubra antequam matureſcat, & chalcanthi oleum, & pleraque olea ex his. Et aqua ardens sæpius destillata & æstum mouet in ventriculo, & ardorem, & sitim, & post hæc excoriat linguam & guttur: & mouet dysenteriam & dolores in ventriculo & intestinis, & febrem excitat, & regium morbum: & hoc modo deiecta vi appetendi, & doloribus ad vigilias, febre fluxúque interimit. Et persæpe talia excitant singultum, & est malum, & scinachiam, & est peius. Et ex eo genere sunt anacardi & thapsia. Verùm anacardi parum Græcis cogniti fuêre. Est etiam his proprium, mentem mouere, & resolutionem membrorum parere, continent hi fructus, qui dum sunt recentes, sanguini assimilantur, & formam quasi cordis animalis referunt: mel rubrum, quod vetustate niger, acre valde; & in medio candidum nucleum cortice tenui obductum. Oritur hæc planta in Sicilia iuxta loca illa quæ ardent, & in Ætna monte, fit medicamentum ex eo, quod memoriæ prodesse multum creditur.

Verùm illud sciendum, quod elaborata igne omnia venena calida sunt, & quanto magis, modò non diffluant, diffluunt autem aqua, & quæ ex eius natura sunt. Sicca verò in naturam ignis transeunt: & aromata magis, & metallica & lapides, & cerealia & legumina. Sulphur autem dum in oleum transit, astringentem recipit saporem primùm, inde se exhibet odore & gustu feruidum. Quocirca videtur quiddam tertium inter gustum & olfactum, quo feruida percipiuntur: cum tenuis substantia ita gustum afficit, vt non sit acris; sed in halitum tota soluatur, capútque petat. Calidissimæ animalium partes, fel & coagulum; plantarum semina, succi, radices: metallicorum, quæcunque per adustionem fiunt in terreo siccо, vt calx & auripigmentum: licet non ardeant. Petroleum namque, sulphur & bitumen ardent, quia humido pingui abundant, non quia sint calidissima. At nitrum ardet, quia siccum: sed nec ipsum pingui caret humido, sed tenui.

Præterea in hoc genere reponi videntur, quæcunq; vehementius purgant, vnde iocus ille falsus Neronis, largius purgandi amitam: tũ præcipuè, si corrupta sint: colocynthis igitur nigra, & agaricus niger & elleborus albus nigrescens, & condisi similiter, seu herba lanaria nigra, & lac tithymalorum: vel rancida, vt castoreum & anacardi, mel quoniam pinguia sunt: & quouis modo corrupta, elleborus niger, scilla, cyclamen, eleterium, & chamelea & thapsia, fiunt magis venenosa. Et quid mirum? cum nuces rancidæ venenum sint. Euphorbium autem & herba lanaria purgant, vt Dioscorides docet libro secundo. Omnia igitur vehementer calida ex plantis purgant, mouent sternutamenta: & si corrumpantur, in aere venenum euadunt.

CAPVT XX.

An detur venenum frigidum.

QVod maxima in controuersia positũ est, illud est, scilicet an detur venenum frigidum, quale esse dicunt opium, hyoscyamum, cicutam, mandragoram, solanum, coriandri succum. Conciliator in libro de Venenis narrat, pharmacopolam æstate cùm sitiret, nocte hausisse vrceolum hydrargirij, cùm manè mortuus esse inuentus, dissecto corpore, apparuit quod erat: sanguinem quoque in corde coagulatum, tũ ipsum cor, ideóque frigidum videtur. Et de hoc scripsit differentiam, sicut etiam de cicuta. Est aliud argumentum, quia ipsum est frigidum actu, & non lædit nisi pondere, vt Dioscorides libro quinto refert, vbi dicit Matthiolus, quòd mulieres dant scrupulum difficulter patientibus, & non offenduntur: & Brasauolus dabat infantibus desperatis morbo vermium, & liberabantur. Præterea libro sexto, cum declarasset detrimenta spumæ argenti, dicit quòd eadem operatur hydrargyrium sed spuma argenti est frigida, et

damna

damna quæ affert sunt frigoris: igitur & argentum viuum frigidum est. Matthiolus ibidem censet frigidum esse & humidum, vnde ob id putrefacit sanguinem. indicium sumit à fœtore illorum qui eo inunguntur. Et licet quis dicere posset, quòd fœtet illis ob materias morbi Indici: diceret Matthiolus, & vere, quod etiam in aliis idem faceret, licet non tantum. Illud quoque maximum est, quòd omne metallum est frigidum & humidum, plumbum, ferrũ, forsan de aëre dubium esset: sed æs vstum est, igitur & argentum viuum, quod sulphuris non est particeps, offendit etiam neruos & cerebrum manifestè, & facit contractiones, tremores, syderationes, qui omnes sunt effectus frigoris, similiter de cicuta nihil est vulgatius, cum mortem inferat cum torpore & sine dolore, vt apparet apud Platonẽ de morte Socratis, qui extinctus fuit veneno è succo cicutæ. Præterea illud venenum est frigidum, quod vt occidat, vt frigidius sit, eligit: ideo dico de humido. sed cicutam dicit Theophrastus, vt efficeret venenum quod sine dolore occideret, elegẽbat Thraisyas, natam Susis pręgelido & opaco loco. Simili ratione, quòd cum aqua tantum tu sim darent detracto cortice id indicat frigidum fuisse: venenum & humidum. nã calidum & siccum ab aqua temperatum redditum fuisset. Dioscorides quoque & Galenus de Simplicibus medicamẽtis, in tertio ordine in frigidantium illam collocarunt. Serapio quoque in libro de Simplicibus medicamentis, & Princeps secundo Canonis, ponit frigidam in tertio ordine vsque ad quartum. Præterea multa sunt alia venena frigida, de quibus non est dubiũ: mandragora, hyoscyamum, opium, solanum, spuma argenti, & huiusmodi: igitur dant venenum frigidum. De opio præcipue cuius antidotum est piper vt secundo de Antidotis & piper etiam cum castoreo. velut apud Paulum, & principem sexta Quarti. Si ergo alexipharmacum est temperamentum contrarium veneno, vt infrà videbitur: & etiam non Contradicentium liquet opium esse frigidum temperamento, sed etiam valde frigidum. At res non sic se habet: neque enim generaliter concedi venenum frigidum potest: neque dum singula inspeximus, vllum illorum frigidum aut ratione deducta ex principiis, aut ex sensibus inuenimus. Ergo primum omne venenum quod adstringit sanguinem, atque congelat, ob id illud agit, quòd vis eius totum penetrat sanguinem: sed hoc est opus caloris, non frigoris: quia frigus, vt rectè dicit Princeps primo Primi, nõ ingreditur opera naturæ. Igitur omne venenum quod congelat, & stupidum reddit hominem, calidum est. Ratio etiam quæ adducta est, eisdem modis probat opium esse calidum, quibus probat esse frigidum, nam si piper, aut piper cum castoreo, alexipharmacum est eius ex locis adductis: & clarè ex quinto de Simplicibus medicamentis, esse opiũ in extremo caliditatis, cum alexipharmacum sit natura medium inter naturam hominis & veneni. Et ad hoc facit experimentum adductum in Contradictione, de qua dixi superius. Has duas rationes parum valere velim, prima ex communibus est: secunda, vt dixi, in contrarium transferri potest, ad proprias ergo & euidentes deueniamus. Prima est sumpta à gustu, omnia huiusmodi quæ frigida esse dicuntur, acria sunt, aut amara valde: sed sapores acres omnium sunt calidissimi, teste Galen. quarto de Simplicibus medicamentis: amarus etiam sapor à calido est, vt ibidem testatur. Ostendo autem, quòd talia omnia sint acria vel amara. De opio quod sit valde amarum, constat sensu ipso: de cicuta quòd sit acris, fatetur Apponensis, & manifestè inquit. Sed & Auerroes & Constantinus calidũ in tertio ordine esse dixerũt. De solano cum valde cieat vrinam, octauo de Simplicibus medicamentis, quis audeat frigidum dicere. Demiror, cum tenuium partiũ illud esse dicat, ac vtile iecori, renibus, vesicæ, quomodo frigidum ausus sit pronunciare? Sed hoc solo falso argumento deceptus est, quòd somnifera omnia frigida esse putant: sed non quia frigida, somnifera, sed quia calorem naturalem corrumpunt. Omnia etiam venena huiusmodi, præ ertim solanum, hyoscyamum, morion, amentiam & insaniam gignunt, teste Dioscoride: sed & cicuta ipsa seu eius succus: at hoc non est frigidorum medicamentorum, sed potius calidorum, quæ in furorem agunt; tum quia nihil manifestè frigidorum hoc facit, velut lactuca, portulaca, endiuia, plantago, thus, thamnum, cucumeres, citruli, pepones, quos vocant angurias. Omnia enim hæc cum frigidissima sint, neque insaniam mouent, neque stuporem, neque somnum.

Quin etiam cum talia refrigerent palàm, dolores moueant acerbissimos, vix calescant in ventriculo, sitim extingnant: odorata bene sunt, atque recreant hominem, quorum nihil est in his somniferis; sed omnia grauiter olent, fastidium mouent, & vndique naturæ humanæ ingrata & insuauia. Et postquam à dolore quis conualuerit, cucurbitarum, cucumerum frigiditas manifestè, & cruditas relinquitur in ventriculo & intestinis: at ex huiusmodi medicamentis stupor mẽtis, tarditas, obliuio, somni desiderium, quod vocant semisomnum, soporem, ἀνάβρωσιν Græci dicunt, tantum autem abest vt dolorem inferant, vt etiam illum tollant, & contra dolores adhibeantur. Quapropter nullum horum frigidum censeri debet, nec vllum frigidum medicamentum somniferum esse, ita vt violentum somnum inducat. Quæcunque etiam coagula, calida sunt in tertio, & exsiccant; sunt etiam sicca, vt apud Galenum decimo de Simplicibus medicamentis, & apud Principem secundo Canonis: hæc verò manifestè cogunt sanguinem, vt coagula lac; constat igitur ea istiusmodi calida esse, nõ frigida. Quod siquis pertinaciter Galẽno hærere velit, fateatur oportet duas esse substantias; alteram quidem calidam & tenuem quæ sanguinẽ dissoluunt: alteram crudam & frigidam quæ illum cogunt. Nã vt habetur primo Meteororũ Aqua calida celerius cõgelatur quã frigida, quia ratior est.

Præterea odores omnes calidi sunt, & à calido, Aristoteles in libro de Sensu & Sensili, & expresè Galenus quarto de Simplicibus medicamentis. Et probat hac ratione; Quæ odorata sunt, aut multum vaporum

aut tenues reddunt vapores, qui ad cerebrum pertingere possint: sed si vel multum vel tenuem vaporem emittant, calida sint necesse est: igitur omnia odorata calida. Quæ enim inodorata sunt, parum temittunt, & crassum vaporem ob frigiditatem: at mandragora, hyoscyamus, & opium, ac talia non solum olent, sed graviter olent: igitur talia omnia calida sunt. At quia hoc enim ad dignoscendam venenorum substantiam facit, graviter olent, & male, à crudo humido id fieri necesse est.

Modus ergo quo talia venena interficiunt, & sommum etiam inferunt cum stupore & amentia, est, quod talia medicamenta tenui caliditate penetrant sanguinis & spirituum substantiam, eamque corrumpunt: ideoque heberantur omnes sensus, & sanguis à motu cessat & coagulatur: ideoq, etiam reliquum spirituum extinguitur, vnde postmodum sequitur mors. Et si euadant, transeunt in malum habitum, extinctis spiritibus, vt non deficiant à concoctione, sed corruptos generent humores.

Sed de argento viuo Aggregator posuit ipsum calidum cum dixit, Quod corrodit quicquid est obuium. Galenus autem videtur ipsum numerare inter venena, quæ tota substantia agunt: & videtur etiam sententia illius non solum calidum esse, sed etiam tenuium partium. Vnde decimo Artis curandi: Nullum exquisite frigidum potest esse, tenuium partium. hydrargyrium est tenuissimarum partium: igitur non potest esse frigidum. Argumentum tenet à positiuo quod negat simpliciter, ad superlatiuum, quod negat illud. Vt si dicamus in prima figura: Omne tenue est non exquisite frigidum, seu particeps caliditatis: & conuertatur, Omne tenuissimum est calidum: inde subiungamus minorem, hydrargyrum est tenuissimum substantia, igitur est calidum. Deductio prima habetur ex Dialectica nostra. Si enim tenuitas est ab aliquo calore necessario, summa tenuitas est ab excellenti calore, aut saltem superante. Præterea vel tu vis loqui de hydrargyrio, vt extra corpus, & sic est frigidum in actu: sed piper etiam æstatis tempore, aut dum est de luctum ad actum in corpore nostro, & ita impellit materias multas: hoc autem est opus caloris: igitur hydrargyrium calidum est. Dico ergo ipsum esse proximum temperamento, nec occidere vt calidum, vel frigidum, nisi sit destillatum: nam cum destillatur, vel sali ammoniaco, vel chalcantho solet copulari: vnde tum societate, tum destillatione, vt in aqua separationis experimentum docet, calidissimum & siccissimum euadit. Opus autem illud quod agit in scabie, non solum in Indica lue, fit ab eo tanquam calido & humido, & ideo segregante, & putrefaciente, & abominabili naturæ nostræ: cuius indicium est, quod omnia metallica (ni forsan aurum excipiatur) etiam sulphuris olenm tam iucundum sapore, & odoris expers, si rite fiat, vomitum facere mouent. Vnde qui hyeme inunguntur, si differatur os pulsio, manifestum periculum vitæ afferunt.

CAPVT XXI.

De veneno à substantia.

VEnenum quod substantia perimit: aliud quidem ventriculum proprie afficit, ex quo genere sunt, sanguis omnis crudus animalis, multis prædita fibris, quo ex genere est taurinus maximè, hic enim eporus, nihil triste habet: verùm ob fibras concrescit in ventriculo, magnáque mole cor frigiditate sua vexat, & suffocat pulmones. Celebris est hic morte duorum, vt fertur, insignium virorum, Coriolani, Themistoclisque quorum vterque exul, ne vel patriam consilio euertere, vel fidem frangere cogerentur, mortem elegit celerem, & quasi fortuitam, quamuis in ipsa, vt par est, multum discrucientur. Aliud est, quod certè lentum est magis, velut gypsum hoc enim refrigerat & obstruit venas, quæ à iecore ad intestina feruntur, vnde primum tabes gignitur, & cacochxia, inde fluxus epaticus longus, & hydrops flatuosa seu sicca generantur, ex qua tandem pereunt. Nam ex fluxu assiduo, dum postea retinentur quæ eiici consueuerant, calor naturalis opprimitur & qui præter naturã est, augetur: vnde flatus materia & causa efficiens inturnorem redacto ventre, omnem functionem illius impedit atque occidit. Sæpè autem in robustis hoc malum propellitur: in aliis, cum venæ latæ admodum fuerint, ad renes, vtráque transit venenum, cuius etiam quandoque portio defertur ad pulmones: atq; hinc lapides, illinc tabes gignitur, priore deterior, scilicet siccato pulmone. Referunt, Græcos perfidos huiusmodi veneno totum Christianorum exercitum, qui cõtra Turcas ibat, in illorum auxilium sustuliſſe, vt è centum millibus hominum pauci superstites euaserint, vix eorum numerum, quos superfuisse dicunt, referre audeo. Atque ea fuit gratia, vnde etiam nunc meritas luere posteri pœnas videntur.

Tertium genus veneni, quod à substantia est pernicio um, (cum natura omnia frigida sint, quæ ipsa substantia nocent) est, quod substantia & forma potius nocet, quod non est propriè venenum: velut vitrũ, & ferrum, & æs, incidunt enim ac secant etiam ventriculum & intestina, & huiusmodi noxa non transit ad iecur: plurimùm tamen periculi est à forma quæ diuidit, & acutam habet cuspidem, vnde pessimum est vitrum: inde crystallus, gemmæque omnes nec video quid præcipuum habeat adamas, neque enim duricie illa indigemus ad sectionem ventriculi, vel intestinorum.

Quartum genus propriè non dicitur à tota substantia perimere, sed potius à proprietate, quæ totam substantiam sequitur: cuiusmodi erit id de quo infrà dicemus. Nunc verò de ipsa substantia agitur, non quidem vt pura est (& enim nullam habet opus) sed vt expers est omnium qualitatum primarum, & à primis ortarum, nam magnitudo, & forma, & corpus, insunt substantiæ sine qualitatis

qualitatis ratione: leuitas autem & grauitas nō. licet enim sint quasi formæ elementorū, Secundo de Anima dicebat Auerroes: caliditas tamen & frigiditas sunt quasi formæ & ipsæ elementorum, vt à nobis est demonstratum, ideo de his non ago. Vel si libet grauitatem huiusmodi, causam mortis constituere, vt in argento viuo, non erit sine manifesta frigiditate. Relinquuntur igitur quatuor genera iuxta hoc veneni, à tota substantia. Primum enim ad magnitudinem refertur, tametsi quidam signa proponant, tanquam proprietate quadam interimat: non tamen video, quod si non congeletur, detractis scilicet fibris (ob has enim solum cogitur, teste Philosopho) quod interimant. Secundum, ad corporeitatem, quatenus eam retinet nam alia quæ non sunt ex hoc genere, dissoluuntur. Tertium vero ad formam. Hucusque proprie a substantia venenum sumptum dicitur. Relinquitur quod a frigida qualitate, ideſt a densitate, at quia de hoc sermo non habebitur inferius, quod enim frigidum a Galeno dicitur, alterius est generis, vel omnino a putredine, vel saltem ex calido frigidoque mistum. Omnium autem venenorum proprie a substantia dictorum minus noxium est, quod a corporeitate interimit, & minus etiam quam quod à grauitate. Idque solum, vbi curatum etiam fuerit, vestigium nullum noxæ relinquit in corpore: vt contra maxime, quod a forma & a frigiditate: quod vero a magnitudine, quasi medium est. Verum omnibus venenis a substantia accidit, cum non magna fuerint, vt tabefaciant. Inest autem hoc magis vni quam alteri, scilicet secundo generi: propterea de tabefaciente statim dicendum est.

CAPVT XXII.

De Veneno Tabefaciente.

IAm vero quod nullum sit proprium genus veneni tabefacientis, demonstratum est: sed & quod omne venenum, cum sensim hominem ad perniciem egerit, ex tabefacientium sit genere, declaratum est. Non solum ergo quod a substantia perimit, sed & quod putrefacit aut erodit, aut caliditate colliquat, aut proprietate destruit, tabefacit: sed & quod est, velut opium atque cicuta, vt iam (ni fallor) nouem sint genera. Additur & decimum, quod siccat: at hoc omnibus magis proprie tabefacere dicitur, cum tamen nec illud proprie tabefaciat, exiccat enim in vniuersum, quod siccat: & quod obstruit, magis proprie tabefacere hominem dicimus. Quæ autem refrigerant, dolores mouent: tabes autem propria sine dolore est, quæ stuporem inducunt & sensuum hebetudinem, & alia quæ non sunt propria tabidorum, imo potius malum habitum & albam pituitam, quam tabem. Quæ excalefaciunt, vix longo tempore absque corpus esse sinunt. Quæ autem erodunt, & quæ diuidunt membra, dolores mouent: quæ putrefaciunt, & quæ a proprietate interimunt, cachoexias potius quam tabes efficiunt. Magnitudo illa vix diu sine aliis symptomatibus esse potest, quin dura dolorem efficiunt, at mollia dissoluuntur: inueniuntur tamen dura lenia, lenia quæ sola tabefaciunt, quale in bobus ouum tandem, & si, vt dixi, omne venenum cum lente admodum egerit, tabefacere possit, tria tamen proprie dicuntur tabida, quod obstruit, quod siccat, quod leue corpus ac lene, sed durum & magnum, præcipue rotundum gignit. His quartum additur, cum genitus fuerit abscessus aliquis durus, maxime in cordis tunicas primum vt narrabat Galenus, gallo quem dissecuit, accidisse: & etiam de aqua contenta in eadem, vt de simio qui cōtabuit. Hæc enim eadem homini accidere posse affirmat. Post est pulmo si quid horum ei accidat: inde de ventriculo, nam in iecore, quōduis horum accidat, ad aquam potius intercutem spectat quam ad tabem: Ergo si ista per se accidere possunt, cur non etiam ex malo medicamento, tametsi ad hoc ipsum non exhibito? esset enim perquam difficile talia nisi experimento forruito consequi.

Ergo primi generis venenum iam duplici modo tabem efficit. Primum, cum obstruit vias quæ sunt ad iecur, & tunc ventris fluxum necessario gignit, qualis est epaticus: seu a melæo sanguinolentus scilicet: itaque corpore non nutrito, palam est necessario tabem consequi. Huiusmodi morbum non proprie tabem, sed ventris fluxum potius appellabant. Secundus modus est, cum obstructio acciderit in viis quæ sunt à venis ad membra, vnde proprie atrophia gignitur. Et siccitas est proprie causa atrophiæ, dum membra consumunt proprium nutrimentum: aut si sit in iecore, consumit alimentum totius corporis. Et proprie siccitas cordis est causa illius: quia vt exemplo apparuit, etiam ratio id ostendit: totus sanguis qui in venis est, à calore sanguinis arterialis male temperatur. Et tertium genus efficit, vt homo non concoquat: & cum chilus non fuerit bonus, non generatur ex eo bonus sanguis, & corrumpitur nutrimentum corporis. Et hoc si moderato cibo omnino vtantur, aliter in duos morbos simul incidunt: atrophiam scilicet, atque albam pituitam. Et quandoque generatur lapis in vesica fellis, sicut apparuit in cadauere Papiæ dissecto: & tunc accidit sanies insanabilis ex eo, cum atrophia. Et gignitur atrophia ex lapide in vesica magno: sed hæc est cum cruciatu. Atque fit ex cordis affectu, vel membrorum ei necessariorum, exiccant corpus, ob id quod sanguis venarum non pulsantium non nutrit, nisi vt ad actum deducitur à sanguine arteriarum, vt demonstratum est à nobis in septimo Cōtradicentium. Illi autem abscessus, qui sunt in ventriculo, idem operantur, quod moles illa leuis, de qua dixi. Sunt autem tria genera in huiusmodi, scirrhus, tuberculum crudum, & aqua, quibus potest addi intemperies frigida, sicut in senibus ex defectu caloris naturalis, quæ coctionem impedit, dolorem tamen non generat. Est & quintus mo-

dus. cum sanguis adeo terreus sit, vt nutrire membra non possit, velut in melancholicis: aut iusto calidior velut in morbo regio laborantibus. Et tabes omnis mala est, vtpote quæ sit via ad senium & ad mortem: sed quæ est cum lepra & scabie, est deterior. Et est status infelicium, nam præter id quod corpus non nutritur, humorum adest magna prauitas. Sed scabies cum bono habitu, est ex his quæ hominem perducunt incolumem ad longam senectutem, natura se exonerante per eam viam à corruptis humoribus. Et venena præsentanea, cum quis eis occurrerit, nec perfecte illa potuerit superare, aut in cura non perseuerit, vel transeunt ad tabem, vel ad morbum regium, vel albam pituitam, vel scabiem, & sordida vlcera, & hoc est minus malum: & maximum est alba pituita, & deterior quam tabes: nisi fuerit cum tussi, & difficultate spirandi.

CAPVT XXIII.

De Veneno putrefaciente.

QVæcunque venena putrefaciunt, etiam phlegmonas excitare, aut erysipelata solent, iuxta propriam naturam ac vim, nempe violenta celerrime & magno cum æstu: temporanea autem serius, & magis putrida, atque id in mollioribus partibus atque sanguineis: qua ratione maxime in pulmonibus, sunt enim molles atque sanguine multo & calidiore præditi. Porro cum omnis putredo contagiosa sit, vt demonstratum est, omne huiusmodi venenum etiam contagiosum erit. Inde etiam putrefactis pulmonibus tabes fiunt, & sanguinis sputa: iecore autem morbi regij ac febres, tum vero hydropes. Manifestum est autem, quod omnia talia calida erunt, quoniam à calido externo fit omnis putredo. Sed si contagiosum est in ipso homine, atque ad mortem perducit, quærendum est iure merito, cur quemadmodum & in Indica lue, non serpit ad alios homines, cum validior morbus sit, magisque exacta putredo? Vnde illud admiratione dignum, quonam pacto in eodem homine aliquid, & non leui cum impetu serpere potest, & tamen in alium hominem migrare non potest? huiusmodi dubitationes minime leues sunt, in quibus ratio vnum docere videtur, aliud ostendere experimentum. Quod si negare velimus esse putredinem, quæritur rursus, quomodo contagiosa sit, ac serpat ex vna parte vlcerati iecoris, in vniuersum corpus? Hæc proposuisse velim, vt intelligerent homines, Galenum multa prodidisse obscurius, ac etiã quæ defendi non possunt. Putat enim ille, arsenicum, leporem marinum, hydrargyrum, fel & saliuam, venenatorum, quæ quinto libro de Simplicibus medicamentis commemorat, putrefacere, vt existimo: tametsi aperte id non confiteatur. Quamobrem omne venenum propagari necesse est, si lethale esse debet. Omnia quoque propagantur vt lumen ipsum & homines, tum ignis: nec tamen quisquam adeo ineptus est, vt omne venenum quod producitur, contagiosum esse dicat: aut si contagiosum esse velit, audeat rursus affirmare, omne venenum contagiosum putrefacere. Quod ergo dicimus putrefacere, corrumpere dicemus: atque ita non erit necesse, vt omne venenum huiusmodi olida faciat, ac valde fœtida excrementa: neque rursus, vt ex vno in alium serpat hominem. Ergo cum vocauit Galenus putrefactiẽs medicamentum, communi id ratione intellexit, id est, quod corrumperet substantiam hominis, humores siquidem atque membra. Ergo illud rursus dubitatione dignum, cur si venenum ex hominis parte in partem serpit, cur non ex homine in hominem? diximus enim antea, contagium fieri calore. Omnis enim productio à calore fit, sed alia à naturali: vt, homo hominem generat, hæc autem generatio multis & exquisitis indiget, generatio autem ignis, & putrefactio, non multis indiget, quoniam informis est. Quodcunque igitur putridum est, vt Indica lues, etiam in aliud subiectum transit: generatio autem non ita. Sic scorpionis venenum in eodem homine serpit, & vsque ad cor, & vsque ad cerebrum, & viperæ, & aspidis, & argenti sublimati seu destillati, ipsumque hominem interficit, & breui: ex vno tamen homine in alium progredi, haud visum est. Sed & corrumpit manifeste vnumquodque horum, & excrementa, & vrinas, & sudores & sanguinem, & corporis partes, si ita contigerit, vt aliqua excidat, non tamen putrefacit. Innatum est ergo omne id in quo calor est prõgredi ac ampliari, multiplicarique in eodem subiecto: quod tamen putridum non est, non potest in aliud commigrare. Sed & huius, quemadmodum aliorum nostrorum dogmatum, causa est manifesta, quoniam antipathia hæc cum sympathia minime coniuncta est, neque enim scorpius aut vipera eandem habent cum homine substantiam, multoque minus arsenicum, aut hydrargyrum: quo fit, vt putredinem efficere nequeant. Liquet etiam, maiorem fieri corruptionem à vipera quam à scorpione: & à scorpione, quam napello: & napello, quam arsenico, sunt enim hæc remotiora à natura, atque substantia humana. Vnde etiam aliqua serpunt, & propiora sunt putredini exactæ, velut dryini, quod anguis sit multum habens sanguinis: atque eo magis canis rabidi, est enim canis naturæ humanæ quam anguis propior, aeque ita de aliis. Putrefaciunt ergo maxime febres buboniæ, quoniam inter hominem & hominem sunt, ideoque celerrime perimunt, quod ad putredinis naturam attinet (alia enim proprietate deteriora sunt) & maxime propagantur, & excrementa habent maxime, rursus fœtida: aëris autem corruptio ad putredinem maxime accedit, propter eam quam nactus est in nobis familiaritatem. Ergo ex animalibus & sanguineis medicamenta, quæ putrefaciunt, sumantur iuxta antipathiam.

CAPVT

CAPVT XXIV.

De Veneno erodente.

ERodens autem est duplex, ob id, vel quòd ob acredinem erodit, vt cauchalis, pityocampe, salamandra: & quòd ob substantiam quæ putrefacit, corrumpit, velut ex rubeta & marino lepore. Vtrumque etiam bifariam contingit, velut in sensu præditis corporibus, velut ventriculo & iecore. Sed secundi generis nullus est sensus neque in ventriculo, neque in iecore, vt sint tria membra seu genera erodentis veneni: quod acredine sua erodit membra sensu prædita, quod erodit membra non sensu prædita, quod putredine veloci erodit. Porro membra sensu non prædita, nisi in ambiente circum tunica sunt, quæcunque parenchymate constant, sed non ex neruea substantia; velut pulmo, iecur, renes, & cerebrum. In his maximè sine sensu grassantur erodentia venena, ex quo genere etiam est lues Indica. Sed non est venenum erodens? non intendo litem de nominibus, modo intelligas, bifariam excidere partes membrorum & sensilium, absque sensu, & cum sensu & quomodo, & cur. Est autem hoc in his admirabile, quod erosio verè putrefacit, & venenum erodens verius dicitur putrefacere: quàm quod dicitur putrefacere. Etenim in erosionibus solent membrorum partes excidere malè olentes. Quæ igitur venena valde putrefaciunt, eadem erodunt, & verè inquam putrefaciunt. Vnde & in tertio Epidemiorum meminit Hippocrates huiusmodi putredinis, qua membra quasi erosa excidebant: cuiusmodi etiam in ignibus sacris, & in sphacelis cernitur. At cum his quæ erodunt, alia sint talia substantia, vt ærugo, arsenicum: alia vi, vt lepus marinus, atque cantharides: quicunque vi sola talia sunt, huiusmodi propagantur, reliqua non ita, sed ibi solum erodunt, vbi corpora eorum adhærent. Oportet autem huiusmodi hærere. Hærent autem propria sordicie, & pondere ipso. Hæc autem longè deteriora, & plerumque lentiora: nam facilius est qualitatem frangere, quàm corpus veneni educere. At facilè vtrumque euitatur, quòd illud à quo erosio fit, acre necessariò est: quòd putrefacit, malè olet, neque enim fieri potest, vt magna fiat corruptio ab eo medicamento, quod putredinem magnam potestate non contineat; nec potest continere, nisi id etiam malè oleat; at quod acre est, acriora habet, piper Indicum & commune: quod etiam amarum est, amatiora, gentianam & aloen veneni expertia; at ærugo acris est, & amara valde: hoc autem in nullo alio medicamento dispari inueniri potest, nisi in hoc ipso, aut sibi simili; nam si amarum est, terreum est: si acre, igneum: si ergo acre & amarum, igneum & terreum, igitur & erodens. Talia ergo sunt quæ erodunt medicamenta, velut & alia: sed quæ vi sola interimunt, gustum nullum excellentem habent: lepus tamen marinus, vt dixi, ex tertio genere est, erodit enim, quoniam putrefacit. Scripsimus & de hoc alias consilium, cuius exemplum in Hispanias delatum est, sed omnia illa tamen his fermè libris continentur. Hæc volui adiecisse, vt intelligant homines; si vnquam in illud inciderint, nostrum quidem esse, sed compendium. Vt ad rem ergo redeam, & inter erodentia quod à figura agit, reponi potest & vitrum; nullum autem est genus veneni, quod non maximè fallax sit, sed hoc præcipuè. Nos verò ita rem obscurauimus, vt ad auxilium, quantum oportet, sufficeret; ad rei intellectum plurimi eo longius abfuturi sint ab eorum inuentione, quo propiores se existimabunt. Verùm quod notissimum est, hoc genus est quod vulgus etiam nouit materiarium; ex argento viuo destillato, arsenico, ærugine, aqua separationis, atque huiusmodi. Vtrumque autem piper nigrum scilicet & rubrum ex India in venenum non transeunt; quoniam cum terrea eorum substantia pauca sit ac tenuis, à vi membrorum superatur antequam vrant. Vrunt ergo solum quæ terrea substantia crassiore sunt: quocirca quæ præsentanea sunt, vesicas excitant, inde erodunt intolerando ventriculi dolore; cætera quæ sunt temporanea, adhærent membris, & sensim exiguóque cum dolore idem efficiunt; difficiliusque ob id, vt minus intellecta, sanantur. Est etiam aliud discrimen in temporaneis, quod quædam illorum escharam suscitant, quoniam crassiora sunt, siccantque plus quàm erodant; quod exemplum habes in humore scabiem faciente, simul enim partes aliquas liquefacit erodendo, & escharam gignit. Fit autem eschara humido illo iam colliquato exusto, exemplo ab igne deducto, vt quinto Methodi. tenui enim humido euanescente, quod terreum est cogitur in vnum, idque videre licet in his quæ oleo frixa, vt pisces, diutius excoquuntur. Quapropter escharas gignunt misy, sory & chalcitis, vt nono de Simplicibus medicamentis. Est etiam aliud escharæ genus, cum cutis antequã dissoluatur aduritur nec soluitur in his crassis, quæ à capitello & gallico sapone excitantur. Quæ etiam ibi, inquit Galenus, tenuiora sunt substantia, minus mordicant, atque circa experimenta & propiores causas vir hic fuit admirabilis. Cæterùm & erosio ipsa maximè fit in molliioribus corporibus, atque idcirco magis in pulmonibus, & minimè in senibus. In vesica etiam facilè fit, & magnos infert dolores. Hoc quidem, quia magno est prædita sensu; illud, quod vrinæ habeat societatem rei acris, & in vesica diuturnam habeat moram. Qua vi autem cantharides magis quàm piper exulcerent, cum tamen piper acrius sit, ac magis terreum: causa est substantiæ diuersitas, in cantharide quidem terrea & crassa, in pipere verò terrea atque tenuis, ita vt à calore natiuo prius dissipari possit, quàm partes internas adurere incipiant.

CAPVT XXV.

De Veneno ab occulta qualitate, & quænam sint hæc.

VTrum hæc venefica & diuersa qualitas occulta detur, dubitatione dignum est. Nam si homini venefica est, contraria est; & si contraria substantia substantiæ contraria erit, at substantiæ nihil est contrarium, vt inquit Aristoteles in Prædicamentis. Præterea si occulta qualitas venenum est, erit illa qualitas, aut forma; si qualitas, non potest esse occulta; si forma, non est occulta qualitas, nec proprietas aliqua. At contrarium primo videtur ex hoc decerni, quoniam Galenus illam esse fatetur, vt sexto in sextum Epidemiorum; & nos secundo & vndecimo Contradicentium eam tractauimus quæstionem, quam vt legas hortor. Aliud est argumentum ab experimento. Cicuta, vt autor est Theophrastus, & aspis ille somniferus, vt Dioscorides affirmat, occidunt sine vllo doloris sensu; at hoc non potest contingere citra occultam & propriam qualitatem deleteriam; nam quæ mutant, vt contraria in qualitate, & repentè dolorem excitant, vt Galenus fatetur libro de Symptomatum causis. At huiusmodi non excitant dolorem, igitur non sunt contraria in qualitate. Sed neque in substantia, tum quia substantiæ nihil est contrarium, vt dictum est, tum quia substantia non agit. Videmus ergo non solùm apud Platonem, Socratem sine dolore extinctum: sed etiam id docet ex Thrascia Dioscorides, dicens, quòd breui extingueret hominem, & sine consensu doloris. Idem refert Plutarchus de Cleopatra, & vt dixi, refertur à Dioscoride. Oportet igitur vim inesse occultam rebus illis, quæ extinguant spiritus. Sed adhuc dubium est, quænam sit hæc vis, nam si est vt in opio, erit vis frigida, aut quæ putrefacit: si putrefacit, non est vis occulta; nam omne putridum putrefacit. Quærendū est etiam, si putrefacit quod non est putridum, quænam sit illa vis? Sin autem sit frigiditas, multo minus est qualitas occulta. Aut ergo virus serpentis erit putredo, & hoc non: quia nullum animal constat calido putrido, licet ab illo possit generari: aut simile non à simili generabitur. Præterea esset serpens febris pestilens, & omnes morsi à serpente laborarent pestilenti febre: nam putredinem semper febris, & necessariò consequitur, vbi inualuerit: inualescit autem, si hominem occidit, & celeriter. Dioscorides videtur ad frigus retrahere vim aspidis, dicens: Congelatur sanguis celeriter in venis, & ex vulnere modicum nigri sanguinis exit. Sed si ex frigiditate esset hæc congelatio, sentiret patiens frigus in maxima corporis parte, tum maximè quòd conuulsionis signa appareant: congelatur aut ab extinctione spirituum sanguis, vt superius docui. Nam de opio quis dubitare potest, cum dicat Dioscorides, vehementem pruritum excitare: tum etiam calere. Vnde ergo illi frigus? Propterea aliud dicendum est de plantis, alud de animalibus: in plantis causa mortis est putredo, opio scilicet, cicuta, mādragora; & licet sequatur frigus, contingit ob extinctionem calotis naturalis. At in animalibus, cum vt dicemus, sympathia sit, dum communicant in substantia, & contraria sunt in qualitate: antipathia, dum contraria sunt in substā ia, conueniunt in qualitate: fiet serpens contrarius homini per antipathiam secundi generis, ceruo autem primi. Constat ergo primùm, quod cum vbi proprietas & occulta qualitas occidens, ibi antipathia; at non inter plantam & hominem antipathia, nec sympathia: igitur contrarietas nulla in occulta qualitate aut proprietate. Neque enim homo & planta conueniunt in primo genere, at serpens & ceruus conueniunt in genere: & dissident in prima differentia ratione essentiæ, ideo antipathiam habent. Est ergo antipathia duplex, serpentis ad ceruum, ob substantiam: & ad hominem, ob substantiam & qualitatem: & ideo serpens vincit hominem, & ceruus serpentem. Nam serpens est in vltimo ordine siccitatis, & ceruus similiter: & cerui natura est robustior, quia sanguinea: igitur ceruus vincit serpentem; at serpens cum conueniat cum homine in genere, & discrepet in prima differentia, habet antipathiā: & cum sit in extremo siccus serpens, homo non, ideo licet serpens occidat pari antipathia, facilius tamen serpens hominem occidit quàm homo serpētem, quamvis aliquando occidat. Et eadem ratio est in plantis ac metallis inter se. Sed videndum modò, quomodo etiam caro viperæ sympathiam habeat cum homine, aut etiam antipathiam, videtur enim vtrunque verum. Nam caro mortua non est caro, quia tum actu habuit antipathiam: vbi ad actum per hominem deducatur, antipathiam assumit, & liberat à veno. Et hoc est ac si viueret, iuxta rationem proprietatis.

His propositis, dico quòd hæc occulta proprietas in similibus non est aliud quàm perfectum ad imperfectum, vir ad puerum, & vir ad mulierem, & Herculeus lapis ad ferrum, & est sympathia. Deinde in contrariis erit, cum principia sunt incommutabilia inuicem, sunt enim similia & dissimilia in substantia, & eorum actio est per qualitatem, quæ seu sit similis, seu dissimilis, nil refert. Dices, cur asinus non habet antipathiam cum homine? quia nimis similis. Cuncta ergo animalia exanguia antipathiam habent cum homine, sed non cum vulpe: quia homo est in extremo latitudinis sanguineorum animalium; nullum enim animal plus habet sanguinis homine. Et etiam quia homo est in quarto genere mistionis refractorum elementorum: demum quia est mollioris substantiæ, non tamen est quoduis exangue animal illi venenum ob imbecillitatem, vtpote muscarum & vermium, sed tamen operantur operationes medias. Ratio autem quæ demonstrat hoc, præter id quod consentit omni experimento, est hæc: Omne agens naturale agit medio qualitatis, quam habet, assimilādo sibi patiens, sed in valde distantib.

idem

idem est assimilare passum, & destruere præcedentē formam: igitur omne agens naturale, agit destruendo formam in principiis à sua dissidentem. Verùm animalia omnia habent calorem suum actu: igitur omne animal destruit aliud animal quod dissidet in principio: & non destruit ita plantam, quia non est similitudo cum ea in principiis, cum animal sit tertij ordinis refractorum, et planta secundi: & ideo non recipitur calor ille animalis in planta, vt in alio animali. Et hæc similitudo in materia cum contrarietate in principiis, vocatur Proprietas occulta, ex quo patet, quòd omnis occulta proprietas est comparatiua: ideo magnes trahit ferrum, nā recipitur ratione similitudinis, non carnem.

Remanet solum modo vna dubitatio non leuis, quæ est: quòd videntur etiam aliqua venena ab occulta proprietate enecantia in plantis, velut de hali cacabo cum scorpione, vt dicemus inferius. Propterea dicendum, quod huiusmodi communicant in materia. insecta enim se habent ad plantas, vt sanguinea ad insecta: sed sanguinea habent antipathiam cum insectis: igitur & insecta cum plantis. Ex hoc patet, quòd insecta cum insectis, & plantæ cum plantis & huiusmodi habent sympathiam.

Sed rursus dices: At ex hoc sequentur duo absurda. Vnum, quod planta non poterit habere antipathiam cum planta, quod falsum est, nam vitem oderunt olea, ficus. caules. Alterum, quòd inter diuersa non poterit esse sympathia, at elleborum eodem loco album refert scorpiones mortuos ad vitam restituere, atque hæc iam manifesta ex dictis esse videntur. Respondeo ad primum, quòd antipathia propriè est, vt dictum est: sed & in plantarum genere est discrimen, velut animalium: vinosæ, vt vitis: & oleosæ, vt oliua, & ita etiam ficus, neque enim è genere pomorum est, aut nucum. Vitis præterea est in plantarum genere, vt homo in animalium, obtinens principatum: & vt animalia sanguinea ad hominem, ita mala, & maximè punica, ad vitem, sympathiam enim habent. Caules verò herbæ sunt, sed caules principatum quidem obtinent, vt in fabulis: cum ergo duo habent principatum in suo genere, & iam communicant in materia (sunt enim plantæ, & ambo robusta sunt) agunt inuicem vehementer, igitur si similia sunt, sympathiam necessariò habent: si dissimilia, antipathiam. Quæ enim in materia communicant, & vitam habent, habent & sympathiam vel antipathiam: sed quatuor obstant ne detegatur. Primum est, si vnum fuerit validum, alterum imbecille, vt dixi de musca & homine, & idem dico de glyceriza & quercu, nam etsi vna succum habeat dulcem, alia amarum, non tamen apparet antipathia. Secundum, cum discrimē similitudinis & dissimilitudinis leue fuerit, tunc enim latet, vt inter pleraſque arbores: & hoc in genere & specie, in genere quidē, vt inter salsum & vinosum, dulce & amarum, acre & pingue: in specie, cum excelluerint vel fuerint pauci succi, & exigua fuerit qualitas. Tertium, cum natura soli non potest pati ambas plantas, quæ tamen sympathiam habent tunc, nec vna aliam potest fouere ob soli naturam: nec destruit, cum sint similes. Quartum, cùm qualitatibus primis fuerint contrariæ, & natura valde similes, tunc non facile deprehenditur sub qua differentia contineantur. Vitis ergo & brassica detegūtur in antipathia, ob sapores genere valde contrarios, scilicet salsum & vinosum. Ad secundum dico, quod inter elleborum & scorpionem est antipathia, sed non simpliciter, verum contraria in qualitate ad radicem halicacabi: illa enim frigida vehementer, ellebori calida & sicca valde: & ideo sopito scorpione (nam non credendum est, quòd mortuo prorsus, cum ellebori vis contraria sit natura halicacabi radici) fit alexipharmacum illi, & restituit ad vitam. Et si dicas: Cur non omnes radices calidæ & siccæ? Dico, quòd radix ellebori, præter temperamentum, vim habet propriam ad cerebrū & neruos peculiarem, qua potest stimulare, & etiā confouere principium animalis. Præterea dico, eo quòd plures aliæ radices id possunt, sed non sunt adeò vulgatæ vt elleborus. Et ideo causa erroris principalis, & quòd tam diu latuerit natura sympathiæ & antipathiæ, est, quòd putarent eam esse vim absolutam quandam, cùm sit solum comparatiua. Secundò, quia crediderunt esse vnius ad vnum, vt Herculei lapidis ad ferrum, cum sit vnius ad plura, & generis itidem persæpè totius ad totum aliud genus. Tertiò, quòd crediderunt esse vnam causam tantū, cum sint plures. Quartò, quòd existimauerint antipathiam & sympathiam esse à qualitatibus, vel perfici opus eorum sine illis: quorum vtrunque falsum est. Quartò & vltimò, quod leues sympathias & antipathias nō animaduertunt, quia ignorant illud principium, quòd inter duo quæcunque vita prædita, & genere communicantia, alterum eorum necessariò semper intercedat, nam hoc superius est demonstratum.

CAPVT XXVI.

De Tertia diuisione veneni in præsentaneum & temporaneum, & de causa eius.

ET venenorum quidem temporanea alia sunt, quæ post longum tempus interimunt, aut tabefaciunt saltem: alia autem statim, id est ipsa die, vel post vnū vel duos, aut pauculos dies, neque enim quæ post tres aut quatuor dies nocent, solemus temporanea appellare, tametsi magis temporanea sint quàm præsentanea. Dubitari igitur solet, an dentur huiusmodi venena, nam si non nocent, nec nocebunt, inquam, nec venena erunt: si nocent, statim ergo cum nocent, temporanea dici non poterunt. Experimentum tamē illud maximè ostendit in hos quos canis rabidus mordit: quorum quidam sanato vlcere non solùm per plures dies, sed etiā menses & annos quiescunt sine noxa: inde

ſubitò rabie deprehenſi, nullóque præſidio adiuti moriuntur. Galenus tertio de Simplicibus medicamentis, quæ putrefaciunt medicamenta, huiuſmodi eſſe cenſet, vt dum ſanguinem corrumpunt, ad quandam vſque metã non ſentiantur prorſus: licet vbi poſtmodùm proceſſerint, ineuitabilem mortem afferant. Alium ibidem tetigit modum in erodentibus, quæ cum terrea ſint, adhærent viſceribus, atque interim minimè ſentiuntur: tandem hominem ad mortem tamẽ deducunt. Talia videtur intellexiſſe Princeps ſexta Quarti, cum dixit: Et omne quidem quod interficit cum permutatione temperaturæ, aut putrefaciendo, aut aduentu ad membrum aliquod, poteſt effectum ſuum poſt tempus producere. Licet quod putrefacit, quanto diutius in corpore manet, eo effectum deteriorem producat. In quibus verbis tertiam præter eroſionem & putredinem, ſcilicet intemperiem, Princeps ſuper aſſignatas à Galeno adiicere viſus eſt. Petrus Cartarienſis in ſua quæſtione de Venenis, conatur tribus rationibus oſtendere, non ſolùm dari venena temporanea (nã hoc experimento per ſe notum eſt) ſed ad certum definita tempus. Eſt igitur prima ratio huiuſmodi ſumpta ex autoritate Principis prima Tertij cum dixit de morbo loquens comitiali: Et cauſa eius quandoque eſt ſanguis, aut humor retentus in membro, qui propter obſtructionem extincto calore natiuo putrefit, & vapor ex eo aſcendit per circuitus temporum. Secunda ratio: Omnium eorum quæ à natura & in natura fiunt, finis ex initio pendet. Et eſt ſententia Ariſtotelis quarto de Generatione animalium. Igitur venenum aſſumptum cum naturalibus viribus agat, præſtitutum habet finem. Tertia ratio: Mors aduenit conſumpto ac ſiccato humido: ſed humidum à medicamentõ venenoſo poteſt habita ratione ad hominẽ exiccari certa ratione vt pro dimidio, aut pro decem annis: igitur poſſumus deducere hominem ad definitum vitæ tempus per venenum. Iſtæ rationes declaratæ ſunt à nobis vberius in primo de Fato. Et certè quod ad concluſionem attinet, non eſt dubitandum, etſi illæ non prorſus concluderent: verum difficultas eſt, vtrum iſtud poſſit ſciri. Et ad hæc adducit rationes quaſdam, ſed parum conſtantes: ego autẽ duas ſatis euidentes oſtendam, quarum prima eſt: Circuitus inſunt omnibus affectibus naturalibus vt clarum eſt ex his quæ ab Hippocrate in medicina ſunt demonſtrata, & ex his quæ ab Ariſtotele prodita ſunt: ſed nihil nobis eſt naturaliter ignotũ (nam non eſſet animus noſter potentia omnia quæ ſciri poſſunt) Sicut enim criſes & tempora criſium cognoſcimus prædictione mirabili, ita & in cæteris, ſed lucrum fecit excoli medicinam, non ita alias artes diuinandi. Et ſicut ſunt res quædam abditæ ſenſibus noſtris, quæ tamen cognoſci poſſunt: ita & rationes earundẽ licet occultæ videantur, abditis tamen modis ac regulis innoteſcunt. Alia eſt ab autoritate, ſiquidem Theophraſti nono de Hiſtoria plantarum, qui inquit, de aconito loquens: Componi autem ita ferunt, vt certis occidere temporibus poſſit, videlicet bimeſtri, trimeſtri, ſemeſtri, anno completo, nonnullum etiã biennio. Peſſimè illos de vita diſcedere volunt, qui plurimũ temporis reſiſtere poſſunt, paulatim enim tabeſcat corpus, & languore diutino pereat eſt neceſſe: facillimè illos, qui confeſtim obeunt. Remedium nuſquam eſſe compertum, ſed falſo dici quoddã aliud illi reſiſtere

Et licet Galeno videatur in libro de Theriaca ad Piſonem, quod venenum in his qui vulnerantur, per ſanguinem permeet, adeò vt ſi ſanguini non miſceatur, nec etiam occidat: & dabat exemplum de Helenio, quo infectæ ſagittæ occidunt homines & ceruos, cum tamen ille liber Galeni haud dubiè non ſit, in quo fateatur anphiſibenæ duo eſſe capita, fœminam viperam abſcindere caput maſculo, & in quo tam turpiter Piſoni adulatur: ideo illius ſententia poſthabita, dico quòd, vt docui in vndecimo Paralipomenon, venenum canis rabidi fertur per neruos ad cerebrum, & non per venas. Et cum putredinis ſemina egerit, propagatur aſcendendo verſus cerebrum: & ita ratione loci, temperantiæ & malitiæ veneni, ecleriter aut tardè mortem affert. Cum verò magnitudo quæuis qualitatis ſit duplex, ratione ſubiecti & gradus, vt dulce, dulcius, dulciſſimum: vt mora, ficus, mel: & paries candidus exigua parte, dimidia totus: venena autem iuxta vtranque rationem cum putrida fuerint, propagantur: & cum exceſſerint, morbos mouent: cum verò adhuc magis inualuerint, perimant in incremento iuxta ſubiecti quantitatem, nulla eſt difficultas: de gradu autem non leuis eſt dubitatio. Multis id probantibus, quòd nihil poſſit ſeipſum vltra metas, niſi caſu, euehere, vt obſtructionem faciendo, aut febrem excitando, aut mora putredinem augendo: vtrum verò corrupto ſanguine, licet non perfectè neutro horum modorum, an latêre poſſit. Si quidẽ latêre non poteſt, nullum erit venenũ temporaneum. Equidem difficillimum videtur latêre poſſe, quin vires imbecilliores ſentiantur ſpiritibus paucioribus factis, aut ægrotantibus, corpus enim itidem imbecillius euadere neceſſe eſt. At latitare noxam ante rabiem, ante febres peſtilentes, imò etiam in elephantiaſi inchoante per annos exiſtimo, quòd cor validiſſimum natura ſit maximè in trahendo, ſexto de Vſu, inde non ſolùm trahit, ſed ſecernit, vt quarta Aphoriſmorum Galenus: quo fit, vt in fame rarò vel ipſum vel iecur conſumpta aut gracilia inueniantur, quicquid boni in toto corpore eſt attrahentibus, vt in libro de Tabe, ob hæc ipſa latitare venenum temporaneum poſſe crediderim. Porrò & ſimilem piſanæ, candidioremque ſanguinem & viridem me vidiſſe, & aliàs ſcripſiſſe memini: album bis, ſimilem ſucco betarum ſemel: quem veriſimile eſt diu affectum veneno cũ multo antea hauſiſſet, tum verò paucis ante diebus ſolum ægrotabat. Porrò lapis in ventriculo res rara, & in veſica adeò frequens, exempla ſunt veneni & ipſa temporanei.

Verum ergo certum præſtituere tempus conueniat,

conueniat, non facilè dixerim, postquam iidem morbi in his diutius, in aliis minus durant, iuxta robur corporum: itaque in huiusmodi longè maior erit diuersitas, non solùm roboris virium ratione, sed temperaturæ, compositionis, ætatis, consuetudinisque: cum alia statim hos enecent, alios serò ac vix. Adde discrimen à quantitate, eorum enim duodecim qui ballarate venenum sumpserunt (fuitque singulare exemplum) quod & aliàs retulimus, cum vnus tantum euaserit, quia ex torta lactea non ederat, quidam post quindecim dies obiere, quidam post mensem: quidam cum Romam iussent, vt veneficum persequerentur, vix post tres menses, cum iam in patriam redissent, obierunt. Quis ergo audeat præfinire tempus in incerto, in quo nec quæ ingrediuntur quæ potentia sint scire possumus, cum in eodem medicamento experimentũ ostenderit quanta varietas successus fuerit. Omnes tamen insanabiles fuere, & medicus ipse miser obiit: & omnes eodem morbo febricula quadam, quam escharæ cruttæque in capite, velut in Indica lue antecedebant. Cætera nescio symptomata qualia fuerint, cum essem valde puer vix vndecim, vt reor, annos natus. Ergo temporanea venena dari, & quæ omnino perimant, nisi certa ratione auxilia sint adhibita, certisque terminis inclusa temporum, haudquaquam dubium est: at definita ad diem, stultum & fabulæ propius censendum est. Pleraque autẽ tabifica in annum proferuntur, adeo serius, quo fuerint temperatiora. Nam tabes, vt Galenus docet, scilicet phthoë, terminum habet, vt intra annum perimat. Forsan & natura aliqua huiusmodi sunt & lapides, & partes animalium, & similia collo suspensa; neque enim fide caret. Et ego ita esse, certis rationibus existimo.

CAPVT XXVII.

De Quarta diuisione veneni, in lethalem & non lethalem.

ET rursus venenorum quædam sunt quæ perimunt omnino: alia non omnino perimunt, sed nocent; nec perimunt, nisi casu quodam, cum tabem aut putredinem ad extremum deduxerint. Et quæ longo post tempore etiam perimunt, vt elephantiasis & lues Indica, non tamen dicuntur temporanea duobus ex causis. Prima, quia plerique cadunt ex his, vt ex temporaneis vicissim plerique pereunt. Et in temporaneis licet mors differatur vt in illis, tamen nec adeo diu; & differtur non solùm mors, verum & sensus læsionis: in hoc verò læsio non differtur. Neque elephantiasis coloris grauitatem, vultus fœditatem, grauitatem corporis, pustulas differt; sed cum his longo post tempore occidit. Ergo lethiferum dicitur venenum, quod cor extinguit. Primum enim & vltimum est, quod moritur: quoniam solo eo mortuo moritur animal, quinto de Locis. Bifariam autem contingit mori animal: extinctis spiritibus, non corrupto corde, vt in his qui venis incisis moriuntur, velut Senecæ & Lucano contingit: vel cum cor ipsum patitur; nam & detrahi potest, inquit Galenus, animali clamante post, atque ambulante, an vtroque modo, quod verisimilius est. Videtur autem quæstio Soritica, de qua in Paralipomenis actum est. Sed non occidentium quædam sunt etiam pestifera & contagiosa, cuiusmodi lippitudo, tametsi enim putredine constent, non tamen occidunt loci ratione. Sic scabies, & huiusmodi. Contrà alia quæ perimunt, & pestifera sunt, quædam in toto corpore sedem habent, quædam autem in vno solo membro: vt peripneumoniæ, morbi laterales, phrenitides, anginæ, quæ ex putrido humore generantur. Pestiferum ego nunc non appello, vt Galenus, quod commune est, & ex maiori parte perimit: sed quod est commune, à putredine ortum habens, & contagiosum. Et similiter lethiferum, quod non necessario perimit, sed quod plerunque. Et sunt venena quæ non omnino perimunt, sed ad debilitandum tantum; cuiusmodi vsam ferunt Olympiadem erga priuignum Aridæum, vt regno esset inutilis, proli generandæ non esset inutilis: & quod ad amorem facit, quo Cleopatra creditur Antonium affeciisse: & quod ad insaniam, quo Cæsonia iam ferunt cõiugem Caligulam euertisse. Et nostra ætate vidimus iuuenem sic affectum per sex menses, & euasit, & tesciuit veneni compositionem, quam palàm referebat, nescio an verè. Vt sint in vniuersum quatuor genera venenorum non lethalium; Amatorium, manicum, contagiosum ad metam, & quod debilitat. Sed hoc est ex genere verè manici, vt sint tantum tria. Aridæus enim mente non constabat. Venena ergo quæ perimunt, vim suam proferunt: hæc autem continent, & non lædunt membra vitæ necessaria, scilicet cor, neque iecur. Vnde sciendum, quod cor & iecur cum male afficiuntur, perpetuò semper efficium breuiorem vitam; at cum afficitur cerebrum, non ita; multi enim cum nota insaniæ, vel obliuiosi facti, viuunt ad extremam senectam; sed si læsio magna sit, tunc celerius in cerebro quàm iecore perducit ad mortem, & certius: de corde autem non certius, nihil enim ad mortem certius læsione cordis, sed celerius persæpè, neque enim morbus vllus est, qui adeò celeriter occidat vt appoplexia, quæ est morbus cerebri. Post tria principalia, sunt duo quæ inseruiunt: pulmo & ventriculus. Post est vesica, inde renes. Reliquorum nullum est necessarium vitæ, nisi accipiamus septum transuersum pro membro. Si igitur necessariorum aliquod magnum detrimentum accipiat ex veneno, venenum illud lethale est: Si verò non sit vitæ necessarium, vel non sit tanta læsio, non est lethale. Dubitatione igitur dignum est, vnde limes, cur enim putredo non plane corrumpit, cum motum habeat, & motus ex demonstratione habita superius. Dico quod repugnante calore naturali reprimitur; & quod illa demonstratio

ſtratio oſtendit in his quæ non viuunt corporibus, aut continuè fiunt debiliora. Ex quo patet, quod morbus natura non lethalis, ſi ſit ex putredine, ſemper in ſenio, niſi prorſus ſanetur, lethalis euadit, vt lues Indica, & elephantiaſis; & eodem modo, ſed non tam neceſſariò ex mala victus ratione. Ideo multos vidi ſenes ex lue Indica perire, qui antea morbum illum pertuliſſent.

CAPVT XXVIII.

De Quintâ diuiſione veneni, materiæ ratione.

MAteriæ autem ratione alia quidem ex metallicis, alia ex animalibus, alia ex plantis, alia arte, & alia putredine: & rurſus alia natura, alia caſu, alia arte. Ars plus poteſt cum natura, quàm quicquid natura per ſe poſſit. Dixi aliàs ex Ioanne Leone, vendi in Nubia venenum, quod grani pondere decem homines perimit, hominem autem ſtatim. Natura per ſe plus poteſt quàm ars: ſed iuncta, plus eſt in arte quàm in natura: velut etiam in muſica. Mediocri voce præditus, cum artis excellentia præſtantior eſt: quàm mediocri arte, naturæ autem excellentia. Quocirca dubitatur, an ignis acuat, an debilitet venena? Videtur autem quòd debilitet, quandoquidem ſubſtantiam illorum corrumpat: ex qua pendent omnes proprietates rei. Et experimento etiam id deprehenditur, quandoquidem auripigmentum crudum interficit, coctum non ita. In oppoſitum Tranquillus in Nerone: Locuſtas coxit iterum venenum, & ita hœdum poſt quinque horas occidit. Inde coxit ac recoxit, donec porcellum ſubitò exanimauit. Ergo dicendum, ab igne ſemper extingui venenum: minus tamen venenoſum, citius perſæpe interimit ob ſubſtantiæ tenuitatem. An verò putredinis ſit putredo, an non, cinis enim non comburitur, carbo ſæpius: & cinis ſæpius vritur, ſed non ignescit.

Quæ autem ex animalibus, alia ſunt quaſi actiones, vt morſus & ictus: alia tranſeunt in materiam, vt fel & ſaliua, quæ ſunt excrementa: & caro & ſanguis, vt partes: & quædam nocent intus magis, vt cicuta: quædam extrà, vt ſaliua viperarum & aſpidum: quædam vtroque modo, vt argentum viuum, & ſimilia. Ex plantis deſumuntur folia, ſemina, radices, ſucci & mel: ex metallicis autem, ipſa tota. Singula autem recenſebimus inferius. Omnium efficaciſſima ſunt in animalibus fel & pinguedo: præſentiſſima autem, ſaliua & ſpiritus. Et ex plantis ſucci, inde ſemina, pòſt radices, vltima ſunt folia. Quædam tranſeunt in venenum caſu, vt lac quod coagulo iam miſtum eſt, vt affirmat Dioſcorides, nam vt epotum fuerit, concreſcit in ventriculo, & ſuffocat.

Venena præterea ratione deprehenduntur, vt ſerpentes, qui putruerunt iam, & fungi: & ſi venenum veneno additum eſt. quæ ex locis aridis, plus quàm ex humidis, exceptis paucis: & ex montibus, quàm planicie: & locis calidis, quàm frigidis. Et adulti, nuper natis ac paruis. Et vngula, & cornu, & color viridis, ſplendens & cæruleus, & varius, & in oculis ruber. Et motus vehemens, & cum ſaltu, & ſimilis motui caudæ lacertæ validæ, nuper abſciſæ, declarant venenum eſſe pernicioſius. Et locus proprius, quidam enim ſerpentes in ſepulchris inuenti, mortem attulerunt præſentaneam. Et quomodo non, cum tamd u tuleriut t- tum illum odorem? neceſſe igitur eſt, vt fuerit natura eorum valde contraria naturæ humanæ. Et os, pili, vngues, ſtercus, non ſunt materia veneni, niſi rariſſimè. Et vnde ignis manifeſtè prodit, non eſt venenum. Et nullum animal ſanguineum, & rari piſces perfectæ formiæ: ſed nec pluma, nec ſquamma. Et flores plantarum venenatarum, nec venenati omnino ſunt, nec à veneni qual- ate immunes.

LIBER SECVNDVS.
De Venenis.

CAPVT I.

De Signis generalibus veneni, dum eſt præſens, dum deuoratur, dum iam aſſumptum eſt congeniti: de prognoſticis.

VEnena deprehenduntur colore, natura, ſapore, odore, effectu, & coniectura rationali. Sapore quidem omnia fermè amara aut acria ſunt, etiamſi miſtum alium habeant ſaporem. Referunt tamen, Colchoicum ſolum eſſe guſtu iucundum: huius meminit Dioſcorides. Porrò ſigna veneni ex odore, ſi genitum ſit, in ventriculo ſunt: quoniam lutum quandoque olet, aut virus aut piſces, atq; innumera alia, quorum numerum recenſere vix queas: velut tertio de Symptomatum cauſis, velut eſt odor ouorum, allij, caſeique, corruptorum. Extra autem ſunt praui odores noti, ſtercus, alla fœtida, caro putris. Videntur enim hæc tria eſſe omnium peſſimi, ac grauiſſimè olentis, odoris: in ſpecie autem videntur totidem eſſe mali odores quot boni,

nam bonos in tertio de Rerum varietate explicauimus. Circa colores autem viridis & est & pallida putredo, vt tertio Prorrhitici. Veri tamen colores sunt fuscus, luridus, ferrugineus & albus, non candidus, nec splendens. Verùm in viuentibus colores splendidi sunt deteriores, vt in fungis ac serpentibus; est etiam color non splendidus, quocunque splendido colore deterior. Ex saporibus acres pernicioſi sunt: sed si cum tenui substantia iungantur, vrinas proliciunt: si cum crassa & terrea, erodunt interiora: vnde patet non esse erodentia verè venena, aut non sal em quæ putrefaciant. Quod ad tactum attinet, putredo comes est caeteris actis, mordacis: secundo de Differentiis febrium. Ideo dicebat Galenus primo in tertium Epidemiorum, quod febris acuta est comes putridi humoris. Qualis autem sit hæc, dicebat quarta Aphorismorum, quod ea est acuta & inflammans. Quamuis, vt in secundo Contradicentium, Galenus sibi ipsi videatur aduersari. Natura notissimum est, serpentes, scorpios, araneas, fungos, leporem marinum aconitum, napellum, auripigmentum, argentum viuum, cæteráque huiusmodi venena esse: vt etiam rabidi canis spumam, tum quæcunque cognita sunt: effectu verò, quod muscæ gallinæque pereunt, tum canes ac reliqua animalia. Et si homines ex eodem perierint, & si gustata sequitur inflatio linguæ labiorum, gutturis morsus, nausea, palpitatio cordis: & si odorata sequitur vertigo, dolor capitis, suffocatio. Quamvis neminem talia odorare suaserim. Coniectura verò, quod ad illa muscæ non accedunt, neque aliud vllum animal: & vbi tractaueris, horror quidam sequitur. Aut si computruit diu sub terra, & magis in sepulchro: aut si in illa egit vehementer ignis: aut si iuxta ea coiuere aut adnati sint serpentes, aut si ea deuorauerint.

Dum verò deuoratur, guttur lædit omne fermè venenum, & gulam quasi iuxta fauces astringit, & antea saporem præfert tetrum aut odorem. & vt dixi, pruritum, aut æstum, aut inflationem parit in partibus oris, aut sub dentibus: dum mandatur, stridet; deuoratum autem iam, perturbationem aut nauseam excitat. Quod si etiam dolorem excitat in ventriculo vehementem, aut palpitationem in corde, pernicioſissimum etiam est, & præsentaneum, necesse est autem vt in coctione, vel si tale sit, postquam adeo naturæ humanæ aduersatur, etiam ante coctionem contingere aliquid huiusmodi. Tertium, fœtus olidi & mali saporis atque odoris, qui non solum venenum esse produnt, sed quale sit. Quartum, sunt vomitus, aut saltem nausea perseuerans, cordis palpitatio, dolor ventriculi tum intestinorum, fluxus ventris, frigus extremorum, liuor vnguium, conuulsio, syncopis, sudor frigidus. Vomitus autem etiam quæ sit substantia veneni, prodit, tum sapore, odore, si sit ater. Et si illum subsequitur dolor viscerum, sitis, ardor, æstus, singultus, inquies, anxietas. Caueat tamen, ne ob errorem ista contingant: velut si crudus adhuc cibum sumpsit, aut si se nimium ingurgitauerit, si varios cibos deuorauerit, velut olera cruda, lac simul & legumina; & præcipue varijs condita modis, ex aqua, iure, tosta super prunas, frixa; tum male affectus, & semilanguens antè: & si graueolentia sumpsit, allia, cæpas, caules, porros; tum agrestia olera, fructus, & hos semiputres, præsertim pepones, cucumeres, mora. Et si fermentia vel frigida, calida, tepida: si aquam multam, crudam, præcipuè ex lacuna, palude, stagno, turbidam: aut in qua animalia quæ pedes habeant multos, vt ranæ, testudines, cancri, & quod his peius est, salamandræ viuant. Et lac corruptum per se, & pisces frigidi, quandoque veneni symptomata referunt, hoc in me expertus sum, dum essem iuuenis; illud, alij fide digni. Commune est omnibus, à vomitu sœui omne malum. Temporaneorum autem signa sunt præcipuè ex lingua, quod iecore, palmone & ventriculo ex æquo fermè afficiatur; at horum vnum aut plura sumpto veneno affici necesse est. Quæ enim pulmonem vitiant, tussim siccam, aridit atem, sitim, inde tabem adducunt, & sanguinis sputum, & per vapores atque saliuam lingua contaminatur. Quæ verò ventriculum, ad nauseam, dolores, inflationem, fluxum alui, aut stigmenta: & eorum consensus cum lingua est, & per tunicam, & per salium. Et ego agnoui virũ qui vxorem reliquit, & ab ea e separauit, & dedit ei venenum, quo facta est ydropica, & superuixit paucis annis, fortasse sex aut septem: & ego curaui eam, sed sanare non potui. Iecur autem per venas corrumpit colorem linguæ, & perducit ad lentas febres, & facit morbum similem naturali. Et ego vidi Hieronymum Bertolium ita laborasse, quasi esset amphimerina: sed quia eo peruenit vt lingua esset fuligine omni nigrior, & adeo aspera ac arida. vt appositio orichalco non posset auelli, ideo existimaui esse venenum. Eoque dissecto, apparuit ventriculi imum quasi excoriatum, & iecoris superficies tota quasi conuexa nigerrima. Omnibus inest sitis inextinguibilis: sed aliis magna, aliis parua; imò fermè nulla, & vix vlli colori linguæ proportione respondent. Ergo cum talis sit, tam præceps variáque natura venenorum, ad summum peruenisset, nec prohiberi posset: sed lege naturæ vniuersali cùm ad id peruenerit, subiacet legibus humanis, atque retunditur, deciditque vna tota moles multis constructa annis, vt omnia per circulum in idem redeant; quæ norma communis est etiam immortalibus, vt finita infinitis, atque ideò parua magnis coæquarentur. Alter ab hac pernicie nihil immune esset; cautum per hoc plebi, vnus homo multis millibus maior, multa millia vnum non possunt æquare hominem. Sed hos numen regit; minima cuius pars accendere solet totum orbem. Sed nonquid malum à numine? aut non fieri potest? vt in libris *dicemus*?

Signa verò ingeniti in corpore declarabũtur exemplo hysfericarum: in quarum vtris generatur venenum frigidum, & describuntur sexto de Locis. Cum igitur illius tres sint species, Ingrima, Acre, quæ est vehementissima, amittunt pulsum, & omnem respi-

rationem

rationem, dixit Galenus: ac refrigerantur toto corpore, nisi quòd medio, id est, circa ventrem & pectus, exiguum relinquitur, & solet ad dignoscendum an spiret apponi lana, gossipium (ipse dixit lanam: sed hoc est leuius) eregione narium, & vreeus aquæ super os ventriculi: & si aliquid supereſt ſpirationis, mouentur hæc, aliter non. Signum quartum est, quòd amittunt motum, quintum, amissio sensus: nihilominus etiam cum his euadunt. Secunda mitior species, dicit, est. cùm manet sensus, & ægrè spirant: mouentur tamen, & pulsus est paruus. Tertia, cùm etiam mouent crura, adeo vt sint quinque signa, si quis rectè consideret. Sextum signum, quod effectus ostendit, nec ibi meminit, sed tertio Prorrhitici, vbi dicit Hippocrates: Conuulsiones in hysterícis sine febre faciles sunt, vt Dorcadi, & id experimentum docet: Est autem, vt in priore auctoritate, duplex causa, retentio seminis: & est deterior, dicit: & mensium: vtrorumque tamen in naturam veneni transeuntium. Cuius indicio est exemplum, quod dat de phalangij ictu, inde etiam scorpij: Princeps vigesima prima Tertij, ponit differentiam inter hystericam passionem & syncopim primò, & dicit, quòd hysterica passio est grauior, quia illam syncopis antecedit. Est discrimen in hoc, quòd in syncopi manet respiratio, & sensus aboletur: quanquam in hysterica passione, valida etiam, sensus pereat ab attonito morbo, quia manet sensus in hysterica affectione plerunque, & non adest stertor, & non refrigeratur corpus. In comitialis differentia plurimum laborat, sed non potuit emendare librum. Sed differentia est facilis, nam extrema hysterica affectio non habet conuulsionem secum iunctam, vt comitialis: & non extrema habet sensum, igitur differunt. nam dum redeunt hystericæ, recordantur omnium eorum quæ viderunt. Vnde illud notandum, quod dicit ibi, Spuma in hysterica est signum salutis, in aliis præfocationibus lethale: vt secunda Aphorismorum. A lethargo distinguitur febre. A venenis frigidis, dico, quòd tribus maximè distinguitur: quia non sudat, nec habet liuorem vnguium, & extremitatum, & syncopis, ac deliquium animi, sunt longiora, nam hæc si adsint in venenatis, moriuntur. Sunt etiam in venenatis aut vomitus, aut ictus, aut dolor internus. Aliorum autem signa referemus ex Conciliatore. Gypsum dealbat labia, dentes, gingiuas, linguam, difficultatem spirandi facit, dolorem in ventriculo, aluum sistit.

Cerussa verò vomitum albũ efficit, dentes tamen nigros, dolorem ventris quasi expondere, sanguinem egerit, & patitur tineſmonem.

Plumbum vstum efficit labia, linguam, dentes plumbei coloris, anhelitum impedit: vox illius obtusa est, suffocatus moritur.

Argenti autem spuma vomitum magnum cit, & altum astringit: adeò vt naturæ ordo perturbetur, vrinam retinet, & quandoque intestina exulcerat. Eadem penè argentum vtum efficit.

Squamma æris dolores in ventriculo & intestinis efficit (pungit enim illa) & vomitum aut alui fluxum excitat. Idem facit squamma chalybis.

Vitri autem schidia dolores acutissimos in ventriculo & intestinis: inde patietur similia abscessibus locorum prædictorum, sanguinem emittunt vomitu vel abscessu, & breui moriuntur.

Rubigo exsiccat paulatim corpus cum modica punctione, & est venenum temporaneum: ærugo autem præfocat vehementer, & erodit ventriculum & intestina, & dolores excitat in eis: & perducit ad vlcera, & deiectionem sanguinis, & saniei.

Herculeus lapis perturbat mentem, & melancholicos efficit. Idem fermè lapis lazuli dictus: sed & hic nauseam mouet, & ventriculum subuertit.

Cinnabaris vel minium, omnia rubra efficiunt: astringunt ventrem, & vomitum mouent, & efficiunt spirandi etiam difficultatem.

Arsenicum vomitum mouet magis quàm argentum sublimatum, stringit ventrem, erodit ventriculum, & facit sitim & æstum, exsiccat corpus & iuncturas. Et eadem facit arsenicum citrinum seu croceum, sed vehementius. Argentum autem sublimatum omnia hæc vehementius præterquam in vomitu, quo cæteris est fermè par: ardet, sitim mouet, omnia excoriat, exsiccat linguam, vt expuere non possit, inde etiam syncopim facit. Et cum effectum produxerint omnia hæc, excitant febres prauas.

A qua separationis erodit intestina & vẽtriculum, & quæ sunt illi consequentia efficit: acris est & astringens, linguam, os & guttur albis vesicis replet.

Opium reddit odorem in vomitu, somnum & hebetudinem sensuum facit, & mẽtis stuporem. Idem faciunt mandragoræ succus, radix, poma sed & amentiam addunt, & ruborem oculorum & faciei. Sensus eodem modo perturbant, & stupidos reddunt, coriandri succus, Item apollinaris herbæ semen: sed & magis membrorum motum impedit. Cicuta verò eadem fermè facit, vertiginem excitat, strangulat vehementer, & conuellit. Eadem in phyllij semine, sed motum impedit magis, quasi exsolutis viribus, & exhalante natiuo calore: eadem in succo carpasi, papaueréque cornuto: opio enim similia. Taurinus sanguis præfocat, & impedit cibum ne deuorari possit: & in gingiuis fistula eius cernuntur, lingua rubra. Eadem fermè in lacte, cui coagulum fuit permistum, sed rubri loco candidum adscribe, pernecant breui conuulsiones mouendo, sed magis taurinus sanguis, quia magis concretescit.

Fungi mouent dolores in ventriculo & intestinis, vrinam supprimunt & strangulant, ac præfocant: naribus verò admoti, nonnunquam etiam occidunt. Strangulat & cyclaminis succus, & mulci.

Apium risus è ranunculi genere est, sed densioribus germinibus: mentem mouet, & conuulsiones, vnde dictum est risus, quòd

morientibus

morientibus os in mortem ridentium ducatur.

Cucumeri asinini succus, scammonium, guttur excoriant, & intestina & diarrhœam ac dysenteriam mouent: sitim, febrem, cordis defectum & syncopim: sed magis scammonium. Et eadem ad vnguem facit succus chameleæ & thymeleæ: tum verò ricinorum & lathyridis & tithymalorum omnium: sed ricinorum & lathyridis vomitum vehementius mouent. Ellebori autem vtriusque & vtriusque sesamoidis, tum pepli succus fermè eadem potest: sed elleboro maior vis, atque item notior, strangulat magis quàm præcedentium, & magis conuulsiones mouet: in reliquis conuenit cum superioribus; vomitu album magis, per inferna nigrum educit: quantóque facilius plura educunt, tanto minus periculi est ne cõuellantur: si tamen à multa purgatione conuellantur, lethale est. Colocynthis autem solitaria aut nigra dysenteriam, vomitum, æstum, dolores maximos in ventriculo, adeò vt nonnunquam breui perimat.

Euphorbio fit inflammatio in ventriculo, & guttur vritur, & morsus, & singultus, & fluxus ventris. & anacardi, maximè, eorum mel idem facit. Sed vt non soluunt ventrem, ita eius loco amentiam procreant: castoreum verò nigrum, fœtens, phrenitidis symptomata mouet, deinde strangulat, & ipsa die quándoque interficit. Conditi verò seu radicula assiduum mouet vomitum, & excalefacit. Vitis albæ & nigræ succus superpurgat, vertiginem & amentiam facit, suffocátque, cornua autem & succus oleandri, quæ notissima sunt, mentem mouent, rugitum faciunt in ventre, & syncopim faciunt. Cornua verò bedeguar, id est spinæ albæ, quæ cornua quædam ferunt, & in montibus nascitur, cuius meminit Dioscorides libro tertio, deglutiendi impedimentum afferunt, quoniam plurimum astringunt: sic cornua spicæ Celticæ (sunt autem nota cuique) mouent tormina & nauseam. Semen quoque ari, & speciem eius, dentium stridorem facit, gutturis punctionem, & æstum.

Ficus Pharaonis in Sardinia nascuntur, teste Conciliatore: febres tot mouent, quot quis fructus ederit; præterea lassitudinem mouet, & imaginantur ægri se esse hydropicos. Nux autem vomica appellata, vomitum vehementem cum virium dissolutione efficit: ita & nuces vtræque rancidæ, & lauri baccæ rancidæ eadem efficiunt, quod vomica nux: sed maiorem pariunt abominationem cibi, & minus educunt vomitu, & ob id non adeò vires dissoluunt. Semen autem vrticæ vrit guttur, linguam, ventriculum, vesicam.

Napellus est princeps venenorum nostra ætate præsentaneorum: ideò assumptum linguam inflat, cordis defectum & syncopim statim parit, corpus totum denigrat, venter intumescit, oculos conuellit, strangulat & interficit. Aconitum autem princeps venenorum temporaneorum antiquo tempore, vertiginem mouet, & lachrymas, & spirandi difficultatem, & peditus multos emittere cogit, dulce est & astringens, leuiter gustu.

Lepus marinus proximus huic est, strangurian facit, dolores ac tormina in ventre, vomitum bilis, & intermistum sanguine, odorem piscis corrupti, dum editur, refert: sudorem exprimit etiam fœtidum: & abominantur qui eum sumpserint, omne genus piscium. Rubeta morbum regium, & albam pituitam nigram facit, anhelitum fœtidum facit, suffocat, singultum excitat, & nonnunquam gonorrhœam. Fel autem viperæ, & fel leopardi, & extremitas caudæ cerui eadem efficiunt quæ napellus: sed sunt debiliora. Fel tamen viperæ forsan est validius etiam illo.

Lacertarum corpora, & sanguis menstruus, & æluri cerebrum, amentiam gignunt: & videntur lunatici, ac præstrigiati, sed cerebrum æluri facit vigilias, & sanguis menstruus corrumpit sanguinem, & generat amorem heroicum.

Caro stellionis in vino corrupta, efficit vinum venenosum, & generat dolores in ventriculo vehementes, & dicunt, quòd ova bubonis occidunt in vna hora: sed credo quod alharbe sit aliud; nam Princeps comparat animal hoc stellioni, & forsan est buso: quia dicunt quod est animal venenosum: & forsan est salamandra, nam promittit se dicturum inferius, & nominat nisi hæc duo, nec post, cum loquitur de morsu serpentum, nominat illud.

Cantharides faciunt difficultatem meiendi & fit mictus sanguinis, & æstus, & dolor in ventriculo, & abscessus in partibus ventris cum tumore simili hydropsi, & ardor. Eadem ferè salamandra & staphisagria, sed staphisagria minior, est salamandra autem magis perniciosa.

De morsibus autem canis rabidi, & serpentum, loquar specialiter in locis suis.

Signa autem prognostica sumuntur tum ex causis, tum ex symptomatibus, tum ex propriis differentiis ipsius morbi, velut tabes omnis mala atque periculosa est; sed insanabilis prorsus, si sputum malum omnino fuerit, aut copiosum valde, aut collapsis viribus febris vel leuis societur, aut etiam si febris per se valida fuerit. Contrà, si sputum paucũ, non fœtidum, exigua febris, corpus quadratum ac robustæ vires, insanabilis prorsus non est. Dolor autem ventriculi magnus, at si statim mutatio coloris adueniat, aut cordis palpitatio vel vertigo, lethalia sunt: quoniam indicant membrum principale vehementer esse affectum: verùm vertiginem oportet manere, & stabilem esse. Spuma autem ad os cõuulsio, oculorum rubor, pessima sunt: sed propiora morti, syncopis, sudor frigidus & strãgulatio. Ex certis autem signis, & quæ non sunt vulgaria, sed multo antè significant mortem quàm aduenial, est tumor ventris, & inflatio; quæ si non aduenial inclinante morbo, mortis certum est indicium: nam si sensim ventriculus & iecur ad flatuosam hydropem deueniant, nil mirum: difficulter tamen sanantur, & longo post tempore. At ad illam statim peruenire, præsertim stante febre; quæ flatus dissoluere solet, quid aliud est quàm tantam euersionem in vitæ fundamento esse factam: vt quod

pro nutrimento esse debet, in flatum transeat? Deteriora autem sunt hæc signa ex veneno quàm ex morbo, cum venenum iam fuerit propagatum: ante autem cum sit spes curationis, per vomitum atque purgationem validam, non est adeò periculosum. Ratio autem, cur post periculosius sit venenum quàm morbus, est, quoniam iam morbo assueuit natura, non medicamento. Præterea materia morbi symptomatis causa est, quia mouetur, & aliquando expellitur: at in veneno hoc non contingit. Ex aduerso signa decubitus in membrum ignobile viribus auctis, aut si ad cutim per modum scabiei, & generaliter cum totus morbus in vnum se confert, nec exitialem affectum, hoc est salutis signum. Et vomitus, & alui purgatio copiosa, cum non fuerint propria symptomata veneni, sunt signum salutis. Præterea singulorum venenorum vim, & hominum naturam ac qualitatem considerare oportet, ipsius quoque morbi proprias differentias: velut difficultas intestinorum ab ab atra bile, lethalis est, vt dicit Hippocrates quarta Aphorismorum: at cruenta sine febre, sine dolore, salutaris. Quæcũque autem signa talia, velut sanguinis puri excretio, vel multitudo humoris synceri, fermè non mali, aut valde mali, nequeunt circa medium consistere, sed mortem aut salutem propè esse denunciant. Et conuulsio partis anterioris, velut in morbis, & præcipuè pupillæ oculi, deterior est quàm posterioris. Et cum lingua tumescit in omni veneno sicco, & morbo similiter, exitiale est. Et casus pulsus est generale signum mortis, & propinquæ: sed magis in venenis, cùm perseuerauerit. Et signa quæcunque contraria, vt propriè linguæ magnitudo, & fluxus ventris simul, sunt indicia veneni assumpti; nam secus, fluxus partes superiore extenuat.

CAPVT II.

De Signis veneni assumpti iuxta species suas, & etiam temporanei.

TEmporanei veneni peculiaria signa sunt. Fastidium in ventriculo, sitis quędã assidua, licet leuis: molestia cuius causam non percipit, & quæ tamen somni quietem corrumpit: color faciei & vnguium liuens: & lingua nigrescit aut fœdatur: Et cùm plus prosunt alexipharmăca, quæ præparationes, venæ sectio atque purgationes, iam est ex eis. Et generaliter consumptio corporis præter rationem, & malus habitus, indicant venenum temporaneum; malum habitum autem dixi duplicem, albam pituitam, & regium morbum. Præter rationem autem dico, si quis robusto corpore, sanisque parentibus natus, nec intemperatè viuat, nec molestia animi opprimatur, nec percussus fuerit in membro vllo vitæ necessario.

Contagiosi veneni signa sunt: cùm plures ex eadem domo ægrotant paulo pòst: aut si qui ægrum tractant, malè afficiuntur: aut cùm sensim serpit ex vna parte ad aliam. Primi quidem generis sunt velut pestis vtraque, secundi autem, vt qui morsi sunt à dryino; nam & qui curant, afficiuntur. Tertij autem generis velut elephantiasis, scabies, atque huiusmodi, neque enim dubium est, cùm serpant ex membro in membrum, esse ex genere contagiosorum. Et quia omnes hi cum putredine sunt, commune est omnibus illis fœtor, sordicies, atque huiusmodi.

Præsentanei autem veneni indicia sunt: vehementia symptomatum, & numerus, & cùm perseuerant: & maximè, cùm sunt coniuncta cum caliditate vehementi. Et ideo liquet, quod cùm opium & cicuta sint præsentanea, quod sunt etiam, vt dixi, calida: quæ verò non appetunt membra principalia, sunt temporanea plerunque; nam quædam sunt adeò violenta, vt cãtharides, vt breui mortem casu quasi inferant. Quæ igitur in summa superficie corporis serpunt, & in membris extremis, omnia sunt ex temporaneorum genere. Et quoniam quibusdam forsan videri posset, quòd nõ lethalia idem essent, quòd temporanea & præsentanea lethalia, atque ita tertia diuisio cum quarta coincidere: dico quod sunt diuersa, quia lethale diuiditur in temporaneum & præsens, non omne enim venenum temporaneum est lethale. Propo-



natur venenorum tota latitudo *a b*, & secetur bifariam in *c*, vt *b c* lethale sit, *a c* autem non lethale. Et in *d*, vt *a d* sit temporaneum, *b d* præsens. Quia ergo palàm est quod temporaneorum quoddam est lethale, vt ca-

nis

nis rabidi morsus: quoddam non, vt scabies: constat quòd omne præsens est lethale. Lethale igitur diuiditur in temporaneum, & præsens. Pars enim ad sub lethali est, non tamen sub præsenti. Quòd si quis obiiciat, esse venenum nõ lethale, & tamen præsens, quia semper nocet: & statim, nec tamen lethiferum est, velut vrtica & thapsia exterius, echini castanearum intus: propriè autem bulbus vomitorius, & lauri baccæ. Respondeo, quòd talia nullo modo sunt è veneni genere; atque hæc simplex est solutio. Sed si dicat, hæc esse ex venenorum genere, vt quicquid maleficæ qualitatis particeps sit, ac venenatæ, sub veneno contineatur: tunc oritur difficultas generalis, quomodo singulum membrorum vtriusque diuisionis bifariam diuidi possit, velut temporaneum in lethale, atque non lethale, & præsens itidem: & rursus lethale, & non lethale, in temporaneum & præsens: & tunc res circulo describetur. In recta autem, necesse erit vno membro in medio constituto alterum ad extrema diuidere. Igitur, vt ad rem redeam, non lethalia temporanea sunt velut amor & præstigiæ, quæ ad insaniam potius quã ad mortem perducunt. Omnium igitur talium proprium est, nec principalia membra multum lædere, neq; vitæ necessariam aliquam operationem aut valde vtilem impedire, velut somnum, cibum, mictum. Materiæ verò ratione scire primùm oportet, Aëtium multa ex innumeris per singula genera connumerasse; ex morsu animalium, serpentium omnia genera: ex his quæ pungunt scorpiones, phalangia; & omnia quæ aculeum dimittunt, vespæ, crabrones, apes; inde vulnera omnia venenata, quæ suo loco describemus. Desumitur etiam venenum in potu, ad vulnera inficienda ex cantharidibus, lepre stis, pityocampis, salamandra, tubera, lepore marino, vermibus rutæ innatis, hirudinibus, felle & saliua omnium serpentum, cauda cerui; ex felle leopardi, ex cerebro æluri, ex omni colluuie non sanguineorum animalium; ex putredine medullæ, & partium sanguineorum animalium. Ex seminibus autem, hyoscyamo, cicutæ, coriandro, psyllio. Ex succis, opio, cicutæ, carpasi, thapsiæ, aconiti, elaterio. Ex radicibus, napelli, mandragoræ, aconiti, Colchici, ixiæ. Ex plantis ipsis, fungis, taxo, oleandro, sardonio, apio, solano furioso, papauere cornuto, ruta syluestri. Ex familiaribus, mel Heracleoticum, Ponti vbe Heraclea factum. Ex metallicis, gypsum, argentum viuum, sandaracha, auripigmentum, cerussa, calx, arsenicum, spuma argenti. Ex artificio factis, aqua separationis, & olim Pharicum.

Omnium autem cognitio sic habetur: Quæcunque vi ignis facta sunt, acuta & feruida omnino sunt: quæ verò ex animalibus, omnia fœtida, horrida sapore, corrupta, nauseam mouentia. Quæ ex metallis, vomitum cient, stridunt sub dentibus, & strangulant. Quæ ex plantis non vnius & eiusdem generis sunt, sed omnia tamen tetri odoris, aut amara, & horribilis saporis: aut si omnino vtraque nota careant, nauseam mouent. Quæcunque præterea febrem post aliquos dies excitant, & pustulas, aut sanguinis corrupti sputum, valde pernicioſa sunt, & ex genere eorum quæ putrefaciunt. Narrat Aetius, si quis sphragidem cum iuniperi fructu componat in melle, sumptum medicamentum innoxium esse, nec quicquam mouere: at vbi venenum quis supra sumpserit, vomitum insuper commoueri. Atque id optimum, si verum & persimile claui nostræ: quàm si quis seræ ignarus tractandi includat, extrahi non potest, ita auxilium hoc detegit, & curat simul: diuinum prope, cuicunque contigerit, nam idem euenire assumpto pezae affirmant.

Ergo cùm sint morbi qui venenum sequuntur maximè, & præcipui, guttur is strangulatio, linguæ inflatio, dolor ventriculi & intestinorum, vomitus, difficultas spirandi, difficultas intestinorum, vrigo vrinæ, palpitatio cordis, sudor frigidus cum ardore interiore, syncopis. Post hæc etiam symptomata, pulsus amissio, linguæ nigricies, liuor vnguium: Et si morbis vis addere conuulsionem & distentionem, non aberrabis, & singula ex his à propria etiam causa sequi possint propterea considerandum est primò, si aduehiant sensim, non sunt ex veneno: si confertim, sunt. Et si adueniat sine causa vlla, sunt ex veneno plerunque: & si ex mala victus ratione, non est adeò suspicandum. Tertium, quod est potentius omnibus, cùm coniunguntur in coniuncta, est venenum: velut; si dysenteria cum spirandi difficultate, & vomitus cum liuore vnguium; & tumor linguæ, cum vrigine vrinæ. Et si sint sequentia, non est indicium, difficultas intestinorum ex materia flaua post icterum, vel ex nigra post lienis tumorem; & difficultas intestinorum post diarrhœam, & tumor linguæ post strangulationem.

Singula igitur sic distinguemus: veneni signa sunt, primùm strangulatio cum ardore, vel cum sapore & odore graui: vomitus ostendens materiam veneni, vel vehementissimus post cibum; & qui ex vomitu non sedatur, cùm ante cibum nausea non teneretur, & ardor in ipso vomitu, cùm bilis nullum appareat signum. Linguæ inflatio, cum ariditate & siti, nulla præcedente destillatione. Dolor ventriculi cum siti & ardore, & qui exitu flatus non alleniatur: & non est tendens, sed arrodens & pungens. Difficultas spirandi cum ardore, & sine destillatione. Difficultas intestinorum sine febre, & cum dolore magno, & in qua exit aqueus primò cruor, ne humor vllus, maximè biliosus: & cùm non sentitur caliditas in exitu, sed intus punctio manet: & cùm à lacte statim iuuatur. Et vrigo vrinæ cum sanguine, vel cum impedimento meiendi statim superueniente, nec tamen breui cessat, cordis palpitatio in non consueto, cum pulsu malo: & statim à cibo cum nausea vel multo post, sed sine ea & qui sit cum vnguium liuore aut sudore frigido, aut syncopi, est ex veneno. Et sudor frigidus cum ardore interiore sine febre, semper est certum signum veneni; & præsertim si adsit dolor vehementissimus in

inteſtinis, vel nullus. Syncopis verò cùm non præceſſerint alia ſigna, non ex veneno, niſi ex odore vel aëre. Sed vbi ſyncopis aduenerit ſine febre ac dolore, eſt ſignum veneni. In eodem ordine eſt pulſus amiſſio cum imbecillitate maxima, aliter erit ex obſtructione. Et linguæ nigricies quantò magis per ſe fuerit, tantò magis ſignificat venenum. Et cùm facta fuerit ſenſim, & homo moleſtiam ſentit quaſi incerti generis, tunc ſignificat venenũ temporaneũ, & in eodem caſu eſt liuor vnguium magnus, qui in dies augetur, aut tendit ad nigriciem. Et cùm poſt vomitum ſequitur conuulſio aut diſtentio, & non adſunt ſigna repletionis magnæ, tunc eſt ſignum veneni. Et ſigna mala cuiuſque, ſunt ſigna illorum morborum poſita ab autoribus: & malum regimen in morbis, maximè exhibitio vini nigri præbet ſuſpicionem veneni ſæpe, & non eſt venenum. Alij etiam illitu argenti viui aut ſublimati ad curandam ſcabiem, vel luem Indicam, eodem modo decipiũtur, eadem enim fermè, quòd ad ſigna attinet, efficit illitum venenum, quæ & interius ſumptum.

CAPVT III.

De ſignis Venenorum & ſpecierum, & potentiæ illorum.

CAndida omnia venena, ſi ſplendorem habent, nec ſint perſpicua, calidiſſima ſunt: velut calx, argentum viuum deſtillatum, & quod vocant arſenicum. Quæ verò aut ſplendore carent, vt ceruſa & gypſum: aut perſpicua ſunt, licet ſplendida, vt nix, alabaſtrũ, lapis ſpecularis, & vitrum (quanquam vitrum natura, ſed figura non occidat) frigida ſunt: hoc enim demonſtratum eſt à nobis in libro de Coloribus & gemmis. Nam primi generis terrea ſunt, & ignea, quia terra nõ ſplendet, aquea autem perſpicua ſunt: ærea non ſunt venena, calidiſſima igitur ſunt. Quæ verò in ſecundo genere terrea, quæ in tertio etiam aquea: palàm igitur eſt, omnia talia eſſe frigida, quæ cum occidunt, aut ſubſtantiæ ratione id agunt, aut ob immoderantiam frigiditatis. Palàm igitur eſt, Galenum in his quæ à prioribus nõ accepit, inuẽtione caruiſſe. Exiſtimauit enim colore tẽperiem nõ poſſe deprehendi: argumento ſumpto, quòd alba quędam calidiſſima ſint, alia frigidiſſima, ſed non animaduertit, frigida eſſe vel perſpicua, vel non ſplendida: calida verò vtrunque expoſcere, & quod ſplendeant, & quòd non ſint perſpicua. De lapide autem ſpeculari, cuius materia tranſit in gypſum, Plinius diffusè egit: & agnouiſſe viſus eſt id genus, quod ſilici adnaſcitur in Bononienſi agro, nec aliud deſideratur niſi vſus, nam pulchra res & ęterna ſui natura: verùm neq; ad feneſtras, neque ad ſpecula vtilis, quod ſcindatur facillimè in laminas tenuiſſimas, ideóque tum ob tenuitatem etiam ab aura frangitur, neque enim tanta latitudo cum tam tenui corpore diu perſiſtere poteſt. Diuiditur etiã fiſſura recta, & ſecundum lineam admodum rectam frangitur abſq; vllo labore, dicas regula factum, quod caſu accidit. Perſpicuus eſt, non propriè ſpecularis, niſi à tergo aliquid opacum ponatur. Habeo ego plurima fruſta, quod craſſum eſt, ſatis durum eſt, multíſque corticibus conſtat. Vilis eſt ob immenſam copiam: & vt dixi, ignotum illius vſu. Si deradas, puluis adeò tenuis excidit, vt collyrij vice fungi poſſit, eſt enim omnino leuiſſimus, ac etiam candidus. Cum verò nullus puluis perſpicuus eſſe poſſit: nec mirum, ſi nec hic ipſe. Ipſe lapis in aqua merſus ſplendidior euadit, & magis perſpicuus, vt vitrum, multíque lapides candidi, & ex alabaſtri genere omnes. Ratio eſt, quòd nitor nitori additur, & perſpicuitas adiuuat perſpicuitatem, & ſplendor ac lux penetrat in id quod iam perſpicuum eſt. Aqua autem natura ſua ſplendet, nitet & perſpicua eſt. Puluis qui ex eo deciditur, gypſum eſt, idque optimum: vt Plinius paulo pòſt teſtatur. Vt verò ſciamus cur ſplendeat lapis hic coactus, dum puluis eſt, candidus ſit: vt omnium quæ ſplendent, cryſtalli, vitri: intelligere oportet, cur nullus puluis poſſit eſſe perſpicuus. Pulueres enim albi, vt viſum eſt in libro de Coloribus & gemmis, ob aërem ſunt candidi: qui ſi plurimus in eis contineatur, non ſolum albi ſunt, ſed etiam lucent in nocte, velut nix & calx: quæ autem aërem ſolum ob puluerem recipiunt, id eſt inter illius partes, nocte neque lucent, neque alba videntur. Qui ergo pulueres non ſunt, ex materia perſpicua terrei ſunt: ob id neque perſpicui, cum in puluerem redacti ſunt, qui verò è cryſtallo, vitro, lapide ſpeculari, ſale purgato, perſpicui ſunt: quoniam aquea cõgelata ſubſtantia conſtant, vt in glacie videmus, quæ eſt aqua coacta, at cum in puluerem vertũtur, plurimo adueniente aëre dealbantur neceſſariò: at nullũ album poteſt eſſe perſpicuum, vt ibi eſt demonſtratum.

Ex odore autem, qui grauis eſt, venenum oſtẽdit, quod putrefacit ac cogit: velut opiũ, mãdragora, ſolanum, apollinaris, cicuta: omnium enim acutus eſt odor, tum grauis ac fœdus, non tamen valde fœtet. Quæ verò putridum exhalant odorem, deteriora ſunt, corrumpunt enim non ſolùm ſpiritus, ſed & humores: & ex genere ſunt contagioſorum. Quæ verò odore ſuffocant, lethaliſſima ſunt, & quæ pernecare ſtatim poſſint, naturæ humanæ aduerſiſſima, nec tutum fuerit talia experiri, vt nec quæ plurimum aërem & prauum ſpirant odorem, talia enim calida ſunt, ac putrefaciunt: corrumpúntque non ſolùm ſpiritus & humores, ſed etiam membra. At verò quæ odore carent, omnino frigida ſunt: vt ceruſa, gypſum, gypio enim refert Plinius extinctum C. Proculeium Auguſti familiarem, cuius hiſtoria legitur. Similiter & caſu corrupta ſunt: & ex contagioſorum genere, quæ admota naribus vomitum mouent.

Sapores autem acres, non fœtidi, caliditatis indicia ſunt: fœtidi autem, etiam putredinis: at amari & horribiles, ac quaſi incerti, putrefacientium venenorum ſunt indicia, & fel quidem viperæ acuti & amariſſimi ſaporis. Et vt quædam ſunt venena guſtu iucunda, velut ſuperius de Colchico diximus ita multa ſunt dulcia, velut aconitum: quod erat, vt dicit Dioſcorides, dulce, atque

aſtringentis

astringentis saporis. Dorycnium quoque lactis refert imaginem, vt ille refert. Mel autem Heracleoticum dulce est, sed & alienum refert saporem; at poma mandragoræ & ipsa dulcia sunt, odorisque iucundi; velut Sardonicum apium, reliquo apio non tam simile forma est, quam etiam gustu atque odore. Pharicum autem, de quo etiam diximus, sapore & odore non iniucundum fuit, nempe simile agresti (vt refert Dioscorides) nardo: vt videatur natura nos voluisse etiam fallere, nedum vim inferre.

Licet & ex forma, quæcunque dura sunt valde & in aciem præacutam finiunt, loco veneni habenda sunt; vt adamas & vitrum. Sed vitrum magis, quoniam maiora & longiora habet frusta & schidia: ita & crystallus, aliæque gemmæ. Terrea, vt gypsum, splendore ac stridore sub dentibus deprehenduntur, tum pondere: & quòd difficulter primùm è ventriculo excernitur, & tardè, & laborem illi infert & frigus; nam frigidum venenum & nos esse concedimus, quodcunque terreum, saporis expers, sed non vt mandragora; vt opium, vt hyoscyamus. Ergo his quinque notis gypsum, quod difficillimum est, deprehenditur: quæ fermè & in silice trito, & marmore, & vitro animaduertenda sunt; sed gypsum vt efficit candidius, ita lucidas aliquas retinet partes, silex efficit nigrum. Pondus ergo & in his, & stridor, & quod non facile deiicitur, & ventriculum refrigerat; sed & nigricies aut splendor necessariò adiunt; nam quæ valde candida sunt, vt demonstratum est, vbi lumen transmiserint, nitent aliquantulum. Dices, cerussa non huiusmodi, sed grauis admodum, & dentes dealbat manifestè. Diligentem & accuratum esse oportet huiusmodi, cum de vita agatur. Similiter si conieceris loco mota vitium aliquod contraxisse putredinis: & maxime si tũ natura talia sint, velut dictum est de fungis, cucumeribus, peponibus & melopeponibus. Sunt qui tubera falsò adnumerent, neq; enim à corruptis, modò odor & sapor ferri possit, magni mali quicquam succedere vidi, multo minus è recentibus & integris. Ergo in carnibus & medullis maximè putredinem vereberis. Sed quid si quis viperæ carnes casu vel dolo iuri incoxerit cum aliis carnibus? primùm quidem, cum fugere oporteat sapores odoresq; tetros, in omnibus, tum maximè in iuribus, vino, aqua, lacte, quod eorum quantitas magna soleat sumi: tum verò quod in iure ob suauitatem, in lacte ob dulcedinem, in vino ob iucunditatem latère soleant. Itaq, vbi primùm aliquid sũpseris, ex iure illo, nausea excitatur; neque fieri potest vt si parum coquatur sanguinis, & virus vestigium non appareat: sin autem multum, sapor horridus, & odor quidam insuauis; cum ergo vel minimũ vestigium senseris, abstinere oportet. Nec, vt dixi, credas Galenõ, quod huiusmodi sumpta per os venenum non sint, sed non adeò acre; quia non pars illorum pelor incocta est, dentes, os, fel. Fel quidem amaritudinem excitat intolerandam, os & dentes primùm se forma produnt, deinde coctione vim amittunt, & parua quantitas in multo iure dissipatur. At magis hæc venena esse etiam intus quàm extrà, ostendit experimentum, cum ex carnibus innoxiarum viperarum (si modo viperæ sunt quæ in aqua degunt, & veneno carent) homines depilantur, & glabri euadunt. Summa igitur diligentia cauendum est, ne carnes aut pisces, sed hos minus: deterrimæ autem sunt cochleæ, & ranæ magis morticinæ, ni coquantur cum cibis, nedum vt in cibo sumantur. Accidit enim illis idem quod de cucumeribus Galenus dicebat, secundo de Alimentis: vt etsi tum non occidant, imò ne obesse videantur, habitum tamen corrumpant: & ad vnam duarum, vt dixi, principalium affectionum deducant, scilicet albam pituitam vel nigram, & morbum regium, flauum aut nigrum, quæ sunt matres omnium aliorum morborum.

Ex operationibus vero distingues: quæcunque sumpta exurunt linguam & ventriculum, calidissima sunt: quæ vero astringunt guttur, venena mala & perniciosa, qualia napellus, & quæ putrefaciunt. Quæ nauseam mouent, putrefaciunt, aut è metallicorum genere sunt, omnis enim metallicus puluis vomitum commouet, aut saltem excitat nauseam: quæ autem dolores in ventriculo sunt è genere erodentium & elaboratorum, ideoque pessima plerunque esse solent. Quæ linguam & dentes dealbant, frigida, & ex metallicorum genere. Quæ malum odorem faciunt oris; corrupta & putrida, & pernicioſa valde: quæ odorem referunt, ex his sunt quæ stuporem inducunt; vt opium, apollinaris, mandragora. Quæ regium morbum, etiam in mensa quandoque præsentanea sunt. Quæ cordis palpitationem, proprietate & antipathia aduersantur, ideoque statim occidunt, Eadem fermè de extrinsecus aduenientibus.

CAPVT IV.

Signa morsus & ictus venenati, vbi de cane rabido.

ICtuum, morsus, vulnerum venenatorum eadem pene sunt indicia, nisi quod vulnera non se produnt, nisi propriis signis. Primùm igitur inspicere oportet, an vlceris vestigium adsit, & an sentiatur punctio intus cum quadam distentione, tum liuor labiorũ & loci. Et si tumor durus, rubens, & inflammatio; aut si cum his inflammationis loco frigus sentiatur, & horror, & labium friget & tremit, & sequitur vomitus, & mutatio coloris totius corporis. & molestia quædam intus, omnia hæc punctionis venenosæ signa sunt. Sed si accidat palpitatio cordis & syncopis præter hæc, signum est pernicioſissimi veneni. Et si animal sit ex genere serpentiũ, aut eorum quæ ex ouis propagantur insectorum, quodcunque contingat symptoma maius quàm pro natura vulneris, animal ipsum indicat esse venenatum. Et nullũ animal pedibus duobus aut quatuor præditum, hucusque in nostro orbe inuentum est, quod morsu lethum afferat, nec vllum animal ex putredine gentium. & maximè quod paruum sit, aut quod serpenti aut ranæ terrestri non

assimiletur. Et iure quidem: esset enim vita humana, quæ secus miserrima est, etiam longè miserior, sed neque vllius, quòd sciam, piscis: aculei tamen pastinacæ & draconis, & aranei & leporis marini caro venenata sunt. Et si ex morsu vel ictu animalis natura venenosi aut dubij vulnus virescit, statim animal est venenatum. Quòd si animal tale non sit venenato cibo vtum, constat aut rabie efferatum esse. Sus enim cum bufones edat, & lucius pisces & vulpes, si dum in ventriculo adhuc cibus ille est, aliquem momorderint, lethale venenum vulneri inferunt. Idem de ciconia & pauone. Et spuma ex ore profluens, veneni indicium est, & perniciosi, vt suprà vidimus.

Porrò signa morsus canis aut alterius animalis rabidi, sumūtur ex tribus: ex cane ipso, qui vulnus intulit: ex qualitate vulneris, & symptomatibus. Signa canis rabidi (per quæ intelligemus de vulpe, lupo, mustela, mulo, equo, cercopytheco) sumuntur ex natura, ratione victus & actionib. Natura quidē, hirsuti, nō magni, qui parum latrant, senescentes, colore ferrugineo & varij, qui quasi obliquè ambulant, pilo crasso, & in dorso è regione pedum anteriorum hispido, ac quasi diuulso, qui parum blandiuntur, & paucis facilè corripiūtur: & si è genere sint canum rabidorum, & si caput est macilentum & quadratum, & in motibus præceps, nec libenter ingreditur aquas. Contrà blandi, pingues, tenui, molli, longo & flexo pilo, senes, iuuenculiue, qui in aquis sponte proluunt, albi vel rubri: vel si dentibus, dum lactarent, primus caudæ nodus præcisus sit, rarò admodum, vel nunquam rabie corripiuntur, victus ratione, ex longa fame aut siti, aut eduliis calidis aut putridis, ex aquis corruptis: & in magnis caloribus per æstatem fit rabidus, & etiam succedente autumno: & in magnis frigoribus per hyemem, & succedente vere: & cum prouocatur ad iram assiduè: & cum fit scabiosus, inde sanatur, non mutato malo victu. Et ideo venatici canes maximè corripiuntur rabie, ob hoc, & quoniam in vinculis detinentur. Ex actionibus, cū iam corripiuntur, primùm leuiter abhorrent aquam, postmodum etiam omnem cibū & aquam fugiunt: pòst demittunt caudam, inde aggrediuntur externos, & mordent, & alios canes: pòst discedunt è domo, & obliquè feruntur currentes, & mordent omnes obuios, præter dominum: & tunc spuma iuxta os abundat, nec obseruant viam aliquam. Et præcipuum signum illorum est, nullam edere vocem, etiamti grauiter percutiantur. Et eius oculi rubri sunt, & torue inspicit: & linguam exerit, os apertum, materia mucosa è naribus fluit, & contorquetur in latus quasi esset lignum obliquum, manétque in ea forma, nec quiescit, & aures demittit. Et si modò latret, vox eius est rauca. Et canes fugiunt ab eo: sed si euadere non possint, blandiuntur, donec euadant. Et sunt sexdecim signa.

A vulnere imbuatur sorde illa panis, & cani offeratur: si rabidus est, quamuis famelicus, non gustat illum. Et si nucis ponticæ nucleus supponatur per diem naturalem, inde offeratur gallinæ, non comedit: quòd si per os eius iniicias, moritur. Ex his autem symptomatibus quæ sequuntur, vigilat, tristatur sine causa, videt somnia mala: apparent nonnunquam formæ canum, præcipuè patienti, in vrina Et fugit lumen, & societatem, & terretur sine causa, & vox eius est rauca, & extrema quasi conuelluntur: & sitit, & lingua est arida, & patitur inquietem magnam, & rubet facies. Cum verò iam corripitur, odit aquam vel tanquam fœdam, & quæ ei nauseam commouet: vel quia imaginem canis mordentis in ea videt, inde etiam cibum omnem: pòst latrat, & mordet. Inde strangulatur, syncopi arripitur, frigidum sudat, ac moritur. Et si à theriacis & auxiliis sanguinem mingit, optimum est signum, & euadit. Et rarius in rabiem deueniunt, ex quorum vulnere multum sanguinis fluxerit, nam veneni magnam partem cum sanguine fluere, est necessarium.

CAPVT V.

Signa animalium venenatorum.

ET venenata quidem animalia sunt vel ex genere noto, vt vipera, armenus: aut ignoto, vt quæ ex putredine generantur. Constat enim infinita esse vermium genera: quorum quædam sunt venenata, vt vermes qui in tuta generantur: & quædam non, vt qui ex fimo, & sub terra vermes geniti. Et quædam sunt ex notis, sed natura non venenatis, sed casu, vt in præcedenti capite, cane, lupo, vulpe, mustela, equo, mulo. Et Italia nō est ferax generum, sunt autem præcipua tria: phalāgium, scorpio, & aspis. Proprium aspidis est, quòd cum coniuge viuat, diligúntque se adeò inuicem, vt, si Plinio credendum sit, alter alterius necem persequatur etiam in ciuitates & conuentus hominum. Oculi huic animali à lateribus sunt, vt ægrè prospicere possit: præsertim, quòd parum videat, sed auditu præstat, quocirca mirum illud quòd referant, cum excantatur, aurem vnam terræ affigere, alteram cauda occludere, ita miraculum ex miraculo confingunt. Quis enim credat verbis excantari serpentem, qui procul absit, cum præsens etiam nihil intelligat, sed fugiat, aut vlcisci conetur? Et nos cogimur nugas narrare. Sed breuis est: & apice caudæ, quasi vngue: dentes interius habet inflexos, vt cibum continere possit: sed duos habet prælongos exterius prominentes, cauos, quibus virus illud ejaculatur, vt hominem intra tres horas pleruńque, nonnunquam etiam celerius conficiat. Colos cineritius multus. Et alij alia sunt longitudine, velut & species: dipsas, cenchris, hæmorrhois, prester, sæps, hypnalis: atque aliæ quæ à Solino narrantur. Vario modo perimunt: vnde & nomē celebrant, hypnalis morte Cleopatræ reginæ Ægyptiorum, quæ somno interimit: dipsas, siti: hæmorrhois, quòd morsis vndequaque fluat sanguis: cenchris à similitudine morsus, vt milium: cerastes, qui latet in puluere insidiosus & dryinus, quasi quercinus. Meminit & Olaus Magnus in historia

historia Getarum, & descriptione Borealis regionis: quo fit, vt autores nomine aspidis non vnum genus serpentis, sed omnia fermè exitialia comprehendisse videantur: sub vipera autem mitiora. Illud vtinam obseruassent, an aspis è viperarum sit genere: id est, vt ex ouo in ventre concepto fœtum vitalé excludat, quod illi proprium est Princeps serpentum vnum facit genus aspidum solum, octauo de Historia animalium cuius morsui inquit non est auxilium: quod etiam magis est præsentaneum, eo quo vescitur improbis cibis: quod omnibus generale est morsibus adeo vt Ludouicus Vertomanus in sua Historia referat, tyrannum quendam, qui cum veneno vesci solitus esset, cum vellet noxios occidere, mandebat nescio quid inde spuebat in damnatum: quo sputo ille breui conficiebatur. Refert ergo Aristoteles, aspides propriè in Africa inueniri. Ex eorum corporibus venenum illud (quod tum notissimum fuisse credendum est) exitiale confici, quod corpora putrefaceret. Ita vt sentiat caloris ingentis hoc animal esse: nonnunquam tamen, vt dixi, in Italia inuenitur, furit caniculæ diebus, cum & canes in rabiem feruntur. Et sibilus indicium est in serpentibus, torusque aspectus, & incessus cum impetu erecto capite, indicia sunt magni veneni.

Proximus, sed longè dispar forma, vehementia veneni est scorpius: qui & ipse rarò in Italia exitialis est, deterior regione & tempore calido ac squalido, vt reliqua omnia venenata. Et qui nodos septem habet in cauda: nam plerisque tantum lex. Feruntur aliquando per aëra flatibus, nescio an vlli pennigeri. At in aculeo ictus uis, referuntque fundi candidum venenum. Notissimum animal, & quod pereat raphano, reuiuiscat elleboro albo, tradidit Plinius rursum: Sicut aspides torpescere halicacabi radice mirum in modum, velut mta, maximè aceto aspersa omnia venenatorum genera. Et si imponatur, languescunt; vnde fraus circulatorum.

Phalangium aranei genus exitiale quod Arabes tutelam, nostri tarantulam vocant: Plinius breuiter eum describit, paruum, acutum, varium, assultim ingrediens; hoc somnum profundum excitat, & vocatur Rutela vespalis, id est, vespæ similis, vt habetur à Principe sexta Quarti. Sed Rasis distinxit rutelam vespalem à tarantula, cuius morsus interficit breui. Et fiunt symptomata ex eius morsu pessima: dolor ventriculi, retentio fecum, stranguria, frigus, tremor, vigiliæ, lachrymæ, regius morbus, vomitus, & secessus aquosi. sudor frigidus, genitalium inflatio, iunturarum contractio similis conuulsioni. Et mors statim post hæc, & à principio breui. Et quod mirum est, sicut de cane rabido diximus, in excrementis vtriusque apparet simile relæ aranearum. Sed vt dixi, ex ratione etiam curandi apparet temporibus nostris, quod tarantula earum inducit; venenata autem ignota ex colore dignoscuntur, & forma; nam serpentium habentium oculos, nullum est rutum. Et cum motus est cum impetu, & magnitudo, quanto minor in perfecto animali; & pellem habente duram, eò deterior. Et similiter odor spiritus, spuma & motus incerti, sunt signa veneni ex casu.

CAPVT VI.

Signa vulnerum venenatorum.

VT vulnera non latére possunt: ita signa, venenata quòd sint, cognoscere difficillimum est. Magnum huius argumentum est, doloris vehementia; vnde Galenus sexto in sextum Epidemiorum inquit: Dolores ex venenis maligni; liuor præterea labiorum vulneris, & putredo & odor grauis, propria etiam indicium præbent. Et si exugantur, inuantur plus quàm ex medicamentis: & anxietas, & cordis palpitatio, sunt ex eis quæ docent vulneri venenum inditum esse, & telum venenatum. Vulgatum fama est, telo exposito aëri sub diuo, aut ense, quo quis percussus est, vulneratum torqueri grauiter: tanquam non satis sit, potuisse lædi nobis videntibus, aut saltem præsentibus. Et contrà esse vnguentum, quo si telum aut ensis, cum quibus vulnus illatum est, illinatur, non secus leuari ægrum, quàm si ipsi vulneri salutare imponatur medicamentum, & vt fidem faciant, rei descriptionem etiam addunt; constat autem thure, croco, myrrha, bdellio, moscho, humana pinguedine, aut saltem osse, sarcocola, aloë, centaurio, seu eius succo, lachryma abietis seu laricis, gummi eleni, styrace, pæoniæ radice, panacis succo, pice liquida, iride Illyrica, verbena, betonica, cocco, brassica rubra, ozimo, vlmi foliis, lachryma sycomori, sorde balnei, vino, melle, sale; nec telum aut ensem detersisse oportet. Sunt qui dicant, quatuordecim tantum constare medicamentis. Itaque hæc ad signa potius quàm curationem pertinent, cum etiam absentem afficere liceat.

Est etiam genus veneni, ferrum desquammatum & rude: & si ferrum sagittæ erui nequeat; omnia enim ad non consuetam curandi rationem pertinent, illa siquidem intus relicta, dolores excitat intolerandos; quamobrem & abscessus & vigilias efficit. Dignoscuntur huiusmodi ex doloris acerbitate, & caro fit liuida. Præterea si sagitta extrahi nequit, aut duriori corpori affixa est, aut alata est. Extrahi posse referunt, duobus indicibus digitis apprehensa illa, cum forcipibus ferreis non cedat: & si cesserit maximo cum dolore, hoc modo nullo prorsus. Dubitandum igitur, an verum, & an liceat. Quæ sympathia fiunt, non verborum vi, in dæmonas referre præiudicium est. Nam si herculeo laride, carne renarum, radice arundinis, resina laricis, lacertis, limacibus, narcisso, diptamo, siluro pisce, bulbo, aristolochia rotunda, sinapi, conficitur emplastrum, quod sagittas reliquaque extrahat; cur non eadem vis hominis digitis inesse potest? vt qui sub quouis temperamento, & substantiæ similitudine esse

possit, vt demonstratum est à nobis in Naturalibus? At emplastrum vt ad actum deducatur, spacio aliquot horarum indiget, nec motum habet: at digiti hominis actu vim suam retinent, cum partes sint viuentis: & motum præterea habent coniunctum, vnde statim dexteritatis etiam auxilio telum vel sagittam prorsus sine dolore eruere possunt, hoc autem vni, non alij, & sine fraude aut conceptis verbis concessa esse oportet. Vt contra quibusdam chirurgicis manus sunt pro napelli aut aconiti radice, qui quotquot curauerint, inficiunt quasi lethali veneno, perduntque, contrà aliis, etsi non ad extractionem telorum sufficiant, admodùm salutares.

Quod autem venenum per vulnus inditũ est, maiorem longè vim obtinet quàm epotum, modò venenum sit, multiplici ratione adeò vt exigua quantitas in telo sufficiat exhibita, in potu eadem quantitas ne noceat quidem vt sentiatur. Primùm, quia quod in vulnere est, iam in ægri corpore est, quod languet dolore, vulnere, sanguinis effluxione, abscessu aliquo: præterea timore, tristitia, ira, affectus est animus, horum nullum inest ei qui bibit, præsertim cum ignoret. Ob id medici cauere debent, vt quanquam auxilia exhibeant ad venena, ne ægro id significent, nisi magna necessitas cogat. Præterea venenum illud in ventriculo coquitur, cibis temperatur, iterum coquitur in iecore, retinetur societate reliqui alimenti ita debilitatum & imminutum, cum pars permeat ad intestina, cum fecibus ad cor peruenit: in vulnere statim per eleuationem assiduam alterhatã, nec medio horæ spacio ad cor permeat. Indicio sunt vulnerata animalia, quæ statim concidunt, nam si post duos aut tres dies conficerentur, quis esset vsus talium medicamentorum? Præterea venenũ in ventriculo diuiditur propter amplitudinem spacij, colligitur autem in venis vel arteriis: quamobrem vt longè efficacius sit oportet. Multum autem refert diuersitas corporum in hoc, velut diuersitas inter hominem & ceruum, ceruo in telo elleborus est venenum, ob siccitatis immoderantiam: homini non ita. Sed & venena quæ ad neruos præreptant, efficaciora multo sunt ex vulnere, quàm ebibita: velut canis rabidi virus. Parati ergo ex vulnere venenato magnæ noxæ sunt, qui plenum habent corpus prauis humoribus tumidi, imbecillia habentes membra principalia: cum locus minimè carnosus, sed in articulis, & iuxta capita musculorum, cum paucus fluxerit sanguis, & vulnus profundum, vitiatur autem etiam in feris, venenato vulnere occisis, tota caro circa vulnus: etiamsi venenum illud homini venenum non sit.

CAPVT VII.

Signa affectorum veneficio, & fascinatorum.

FAscini indicia sunt, color malus, oculi tristes, & demissi cum lachrymis, aut nimiũ sicci, suspiria, cor triste, vigiliq; insomnia mala, macies in toto corpore. Et hyacinthus rubens, & coralius, in fascino impallescunt, nitorémque amittunt. Et si annulum digito immiseris ex asini vngula, fitque latior post aliquot dies, fascino vel veneficio affectus est.

Præstigiati vana loquuntur, vaniora imaginantur, extra mentem sunt, oculos habent lucidos: &, vt cogitantium intentè, vigilant, macent & gracilescunt in dies, floridus calor euanescit.

Deuotos curæ magnæ exagitant, semperque timore & audacia aguntur, tristes & iracundi, consilij inopes. Deos aspernantur, & superstitione tamen laborant, nihil infelicius hoc hominum genere, quod etiam nocturnis terroribus agitari solet, in omnibus rebus suæ miseriæ imaginem atq; experimentum vident: crudeles, amari, sibiipsis parum fidentes, odiosi etiã suis. Horum plerosque, tametsi Epicureos, larvæ tamen & monstra nocturna exagitant: id fit seu per atrum humorem concepto cacodæmone, seu per deuotionem eiecta è sede mente ac ratione.

Excantati sunt, quos multi dæmonio laborare credunt: quanquam non negarim aliquos dæmonio laborare: Sunt qui narrent mirabilia, & nomina dæmonum referant. Et de scientiis disputant, & linguis loquuntur, quas nunquam didicerunt. Ex hoc genere sunt, qui pactis certis dæmonibus se deuouerunt: & videntur conuiuia celebrare. Horum intuitus toruus: hanc dæmonum adorationem magni faciunt, ac quasi mussant, seu ob metum legum, seu veneration em, seu vanitatem. Veneficio etiam contabescunt quidam: & quale sit, & in quo differat à fascino, superius dictum est: commune tamen vtrique est, vt dixi, tabescere. Vnde si miexim annulo incluseris, excidatque annulus sponte ex digito, veneficium est: sed si digiti fiant crassiores, & boni habitus, fascinatio non est, sed timor solùm.

Porrò omnibus commune est mentiri: atque hæc omnia in mendacio & errore posita sunt. Quidam verè mentiuntur, quidam falso vera se dicere existimant, fascinatis solùm morbus est in corpore, ab initio cum processerit, etiam ad animam vsque præreptat. Atque eadem ex morbis contingunt. Sed si ex causa exteriore, quasi repentè in hæc mala decidunt: sin autem ex morbo sensim, cumque statim & sine causa mores in deteriùs mutantur, veneficij indicium est. Alias sæpè docuimus, creditum à Cæsonia id factum in Caligula esse, non tam dolo quàm necessitate, cum in cunctos quanto

esset

essent chariores, desæuiret acerbius: id ergo excogitatum pro tutela. Itaque & philtra ostendunt amoris maiora incendia, vesti in M. Antonio erga Cleopatram: & nostra ætate creditur in Solimano Turcarum principe, ab vxore vocata Rubra. Sed frigidos declarat euentus. At qui natura sunt tales, ad nullas arrigunt: qui casu, non ad vllam, præter vnam: qui maleficio, ad omnes, præter vnam. Nam maleficium prohibet, ne ad illã possit accedere, sicut metus, & cogitatio & abominatio, vix autẽ maleficio vni patebit aditus: quia si antea non poterat, maleficio potens fieri non potest, neque ad illam. Frigidis quibusdam penis non arrigitur, quibusdã arrigitur: sed cum tractatur, paululum elanguescit: aliis vsque ad opus perdurat sed immitti non potest, præsertim si magnus sit, arcta vulua: aliis, quod rarò contingit, semen non effluit: pluribus, antequam immittatur, effluit. Contingit hic affectus maximè his qui ingenio plurimum valent, studiosis literarum, pictoribus & sculptoribus egregiis: & qui plurimo tempore à concubitu abstinuere. Qui autem à gonorrhea proficiscitur, aut illi coniunctus est, morbus est, non veneficium. Magna res est concubitus, quod ad conseruationem generis sit: ideóque multis modis à natura illius appetitus ornatus. Et vbi finis nullus est ad metam, ibi nec est inuenire terminum voluptatis. Et in concubitu ipso voluptas, est in illecebris, dũ exercetur. Est, dum absolnitur: est in meditatione, est in memoria. Et dolor & voluptas in patiente delectant, seu pudeat, seu vltrò se offerat, paria fermè sunt. Ipsa forma, quæstus, modus, tẽtigo, seminis effusio, omnia ex æquo iucunda, iuuat occurrentem vltro videre, iuuat occursum declinantem, iuuat è rimula aspicere: vbique est quod præferas; nudam, ornatam, semicomptam, omnia libidinis stimulos accendunt. Si in domo sit, gaudes commodo, gaudes ludis: si extra, gaudes furto. Si humilis sit conditionis, quod omnia tibi liceant: si nobilis, quòd diligaris ab illa. Si publica sit res, quod cũcti tuæ felicitatis participes sint: si occulta, quòd plus habeas quàm existiment. Nil mirũ est igitur, si ob hoc ipsum maria terræque perturbentur: & in ipso tot fascini, philtra, veneficia, tot affectus, & corporis atque animæ passiones sint constitutæ.

CAPVT VIII.

Signa latitantis in rebus veneni, aut veneficij.

HÆc eadem sunt sex signa, quæ superius dicta sunt: natura, coniectura, experimentum, color, sapor & odor. Et natura quidem deprehensi sunt in medicinis homines admouisse venenum, quia arsenicum delcenderat. Et ego quidem interrogatus sum aliquando à principe, qui nunc obiit, an venenum vllum posset vino admiscerit & ego dixi, me nescire, & ipse dixit ridens, quòd adamas non poterat admisceri illi. Et ego transiui in aliud propositum: ipse tamen plurima nouerat in hac causa, sed credo tentasse illum me. Ergo, vt ad rem redeam, arsenicum descendit in his quæ bibuntur ad imum, & candidum est; idem agit sublimatum, quod vocant argentum viuum, & album est, & lucet: sed soluitur. Indicium est ergo à pondere etiam, & à gustu. Ita à gustu & odore rubetæ & salamandræ & viperæ etiam vino mersæ se produnt. Et in huiusmodi venenis pinguibus neque color neque claritas constat: & telam splendidam, varij coloris, cum vel modicum quieuerint, in superficie obducunt: vt deprehendere talia facile sit, nisi ignauis, & ad omnia conniuentibus, adeò vt sublimato argento nil deterius sit. Sed & illud quantum amittit de colore, eo acriorem succum reddit, cui immistus est: ideò ab acribus valde cauendum, & in mensis principum maiora mala, latitante veneno in aromatum abundantia.

Coniectura grauis est omnis animalis, quod sponte periit, caro: aut enim repentè mortuum est, atque id nisi à vitro necatum; sed & sic contabescit, veneno periisse suspicandum est, ideóque pernicioſum edere. Narrat enim Amatus, filiam Aribæ tabefactam ad mortem, quòd carnem gustasset gallinæ arsenico enectæ. Longè ergo tutius eduntur carnes occisi telo animalis, licet infecto, quàm intus sumpto. Quanquam & sic enecti, vulneris carnem latè præscindi antea suaserim, nec sanguinem degustari: at verò si longo morbo periit animal, contabuisse & semiputrem carnem esse necesse est. Quid ergo boni inesse potest? imò quid tutum? Ideo statuit, antiquitas, & rectè: non solum abstinendum ab huiusmodi animalibus, quæ sine manifesta causa perière, sed etiam occisorum spectanda viscera, ideò non solùm quadrupedum, sed etiam pullorum exta inspiciebant: & cum iecur totius corporis hac in parte, quæ ad sanitatem & morbum attinet, fons esset, illud præcipuè inspiciebant. Sed cum vilescceret hoc negocium, & opinionem nimiæ molliciei apud plebem ipsorum potentium etiam vsque ad seditionis periculum pareret, velo religionis obtenderunt, dicentes etiam futura prædici ex hoc posse. Quod seu dæmoniorum auxilio, seu casu contigerit, fidem habuit multis ex euentibus: quanquam & in pluribus, velut & in aliis fucus subest, fefellerit. Adiumarunt rem edictis cum pœna, religionis autoritate, dolis, ambiguis responsis, rumoribus, ita difficile fuit falsa deprehendere, mansit tamen malus fructus superstitio, siquidem aruspicium & obseruatio iecinoris, ab optima planta, scilicet carnium animalium salubritate aut morbo, ortus. Est aliud coniecturæ genus, cùm, vt dixi, optima & multo aromate condita, ac saccaro, in mensa, & sub fine conuiuij, cum iam saporis cognitio in lingua ob ciborum multitudinem ac varietatem obtusa est, tibi offeruntur, præcipuè speciatim. Itaque ferculam ex optimo orichalco Germanico, quod vt aurum splendet, habeto sociatam

gladiis

gladiis auratis: vt lateat quantum fieri potest, cautio: atque attinge offam interim quasi oblitus, aut audiendo, aut sermoni operam dabis; namque interim rubiginem contrahet. Quòd si eueniat, noli tentare fortunam secundo, sed totus sermoni incumbens, ac ex industria incalescens finito, nil degustando, conuiuium absolui: tum eum qui apposuit, obserua to. Reliqua extra hanc artem. Experimento propè alio, muscas, si quæ sunt, obseruato: & ab eisdem abstine, quibus & illæ: leue est, sed tamen aliquibus profuit, vt referunt. Cerasti dicunt quatuor adesse cornicula, certum est vngulam quarundam aspidum caudæ inesse, quæ inclusa auro pro gemma, creditur sudore prodere venenum. Creditum est de myexi, de monocerotis cornu. Vas è porcellana, quam dixi esse myrrhinum antiquorum, vel etiam ex electro natiuo, non factitio, vt superius dixi. Sed hæc omnia aliquid sunt: generaliter tamen vera esse nequeunt. Color sanè plurimorum ex his venenorum præsentia vitiatur: atque vtinam non etiam ex aliis. Esset enim quorundam certum argumentum. Debes præterea facies inspicere inferentium, dici enim solet:

At quam difficile est crimen non prodere vultu.

Obserua insolitas blanditias & sermones incertos, nec cohærentes, atque abstine: tum verò & mutuos aspectus, nutus, nictationes adminitios, & in cibis ipsis colorum varietatem. Varia hæc videbuntur quibusdam, sed in magnis sceleribus difficile est omnino se continere: Et exigua inuersione omnia pereunt.

CAPVT IX.

Signa morborum pestilentium.

Signa autem febris pestilentis cuiusque propria ac generalia sunt eria. Primum est, fœtor exeuntium intolerandus, quia resecantur ex re putrida, vt dictum est: & hoc in calidis morbis: in frigidis autem dum egeruntur solùm, & sunt pingues, sanguineæ & nigræ. Secundum est, quòd sit quieta exterius, cum sæuissimis tamen symptomatibus, & cum pernicie plurimorum, causæ iam dictæ sunt. Tertium, quod maximè pertinet ad contagium: vt scias primum distinguere genus à secundo, id est quod fit ex consuetudine solum, ab eo quod fit ex aëre, quod est, cum videris post vnius mortem alterum ægrotare, atque deinceps inter familiares, & eos qui visitauerunt, in alios verò distantes nonnunc est ex contagio primi generis. similiter, si adsint bubones, tertium est, si mors sit valde præceps, ita quod videantur bene se habere, & læti sedent in lecto: inde intra duas vel tres horas moriuntur, & vnumquodque eorum est certum signum pestis contractæ ex tactu. Per contrarium singulorum ostenditur, quid sit morbus communis ex aëre: scilicet si semper crescat, si sit sine bubonibus, in locis glandosis, & inuadat in pluribus locis diuersis simul, & etiam qui inter se non conuenerunt. Sed huius signa sic Galenus tradidit: Color corporis inæqualis, partim vt in erysipelate, partim vt in herpete, spiritus fœtens, calor exterius circa pectus. Dico non magnus, sed mordax: qualis in hecticis, quem neque ipsi sentiunt: & tamen non possunt ferre vestes, neque integumenta vlla, hoc enim in sexto Epidemiorum docuit. Vrinæ autem sanorum vrinis similes, aut sine contentis aut turbidæ: aut cum contento colore simili telæ araneæ, ac in modum cumuli lanæ coactæ. A balneo etiam sitiunt non parùm, cibumque respuunt: cùm reliqui ægri soleant ab illo minus laborare siti, & cibum appetere: tum verò oculos habent flammeos, & calidos. Pulsus plerunque sano similis. Fernelius autem dicit expertum esse, quod & nos experti sumus, immoderatam vigiliam atque perennem. Nostro autem tempore maculæ per totum corpus, maximè in dorsi parte superiore, & humeris, & quandoque circa renes vestigiis morsus pulicum similes apparêre solent, atque hæ rubræ, purpureæ, nigræ, fuscæ: sed omnium pessimæ nigræ. vidi citreas, alij referunt etiam virides se vidisse.

Et præter pestilentem febré puram sunt in numero alij morbi, qui communes sunt, & lethales, maximeque dicti. A membris pectoris peripneumoniæ morbi laterales, sanguinis sputa, febres sudorificæ, vt in Anglia dictū est a cerebro, cynanche seu anginę, phrenitides insaniæ: à iecore morbi regij, atque dysenteriæ, tum carbunculi praui. Omnium horum præter propria signa vniuscuiusque morbi quandoque communia quæ sunt multitudo languétium, & mors maioris partis, & propria etiam signa pestilentis febris iam dicta. adest quartum genus signorum, proprium vnicuique generi, ideoque definiri non potest. Nam in Anglico sudore adest punctio non grauis, in quadam parte corporis non determinata. Sic in peste illa MCCCXLVI. præter bubones aderat sputum sanguinis: & in ea Constantinopoli, cædi ab alio: & genera interitus propria, atque similia. Cùm ergo vltra morbi propria signa signum aliud adest, quod omnibus conuenit, ac si esset pathognomicum, tunc morbus est pestilens. verùm certò scitur, cum ad mortem tendunt patientes: aliter erit epidemius, ex intentione Hippocratis. nam ego pestilentem dicam ex corruptione aeris aut aquæ, licet non tanta sit vt interimat languentes. quo in genere collocauit Princeps variolas & morbillos, cum peste. Signa autem communia illorum atque illarum sunt, efferuescentis sanguinis, velut spirandi difficultas, tubor faciei & oculorum, dolor capitis cum grauedine, tussis, febris valida, dolor dorsi, oscitatio & pandiculatio, & tremor pedis, dolor in pectore vocis raucedo, lachrymæ, inquies, & æstus magnus. Et signa lethalia sunt, cùm aduenit anginа vel diarrhœa cum aliquo malo symptomate: & huiusmodi morbi rarò interficiunt, quia sunt generales toti humano generi: pauciſſimique euadunt ex his qui

ad

ad ætatem deueniunt perfectam, quin vtroque morbo ex his corripiantur, quia fiunt ex duobus excrementis sanguinis crassi, ac tenuis à principio generationis. Et aliquando corripiunt hominem plus quàm semel & bis.

Et scias quòd omnis febris quæ ab initio detegit naturam venenosam, est minus mala ea quæ post aliquot dies: non solùm quòd medicus in curatione non errat, sed quia genus veneni est minus prauum, & habet ortum quasi ab externa causa. Et quanto plus distulerit, eo peius

CAPVT X.

Signa aëris & aquæ corruptorum.

ELementa hæc multis modis corrupta dignoscuntur: ratione propria, non propria, signis propiis, ab effectu, signis communibus, casibus: aqua autem etiam sensu. Ratione propria ex dictis Aristotelis prima Problematum, cum scilicet aer plenus est vaporibus inde tota illa constitutionum pestilentium series descripta in libro de Prouidentia, ex temporum anni constitutione. Non propria sumitur ex astris, & hæc est triplex, alia quidem per luminarium defectus, cùm malefice præfuerint: & si etiã color malus fuerit, vt secundo Quadripartiti, qui modus est communis cometis ac stellis fortuitis, cùm magnæ fuerint, diuque perdurauerint. Et ideo fuscus, & niger color, & plumbeus pestem portendunt. Tertia coniunctio Saturni & Iouis in signis aëreis: vt in ea quæ fuit causa pestis ante descriptę, quæ inchoauit anno M. CCC. XLVI. cùm eodẽ anno fuisset coniunctio in Aquario, vt refert Matthæus Villanus: non tamẽ potuit permanere in vna regione plusquam quinque mensibus, & occidit tertiam partem humani generis. Et post has sunt coniunctiones Saturni & Martis, præsente Sole aut Luna in eisdem signis, maximè Libra & Aquario, nocet etiam Scorpius. Signa autem propria sunt, quod panis expositus vesperi aëri mucescit in vna nocte, caro in die vna corrumpitur: aër ipse puluerulentus videtur, vt princeps prima Quarti, & in hyeme maximè; & nebulæ graues sine pluuia in æstate. Et in die magnus calor, in nocte frigus, quoniam corpora humana non illam ferunt mutationẽ. Et vrbes quæ sunt obnoxiæ huic mutationi, sunt etiam obnoxiæ pestilentiæ: vt Roma olim cum vix vnus aut duo anni possent continuare sine peste, nunc mutato situ, beneficio Pontificum, tametsi obnoxia sit eisdem rationibus pestilentiæ, multo tamen minus ac rarius quàm antiquo tempore. Ab effectu autem, quoniam homines videntur suffocari, vigilant nocte, lassitudinem sentiunt, pecudes moriuntur & sues: Et apparent in hominibus lippitudines multæ & melancholiæ, & mulieres abortiunt. Et parientes & abortientes moriuntur, si fœtus sit magnus: & apparent scabies, & pueruli multi pereunt & apparẽt febres continæ multæ: & mors auicularum, & fuga earum ex regione, & fuga etiam murium. Ex communibus autem signis sunt, ranarum multitudo, & magis serpentium. Et crũcarum, & limaciarum, & reptilium & talium: velut etiam locustarum multitudo, quarum vita penuriam parit, mors corrumpit aërem. Et casus multiplex est: primùm, si contingant in autumno ignes. Et faces & flammæ & nebulæ puluerulentæ ante solem & lunam & sidera maiora: canem & Pleiadas & Hyadas & Orionis cingulum quæ pluribus diebus appareant. Et in aëre quasi profundi specus sine nebulis. Et tristitia hominum, & timor, & nouæ superstitiones, & partus fœdi. In secundo genere sunt clades magnæ, terræmotus, ventorum exhalatio malefica, inundationes, & hoc præcipuè, nam cum siccantur corrumpitur omnino aer: ideo in Aegypto hoc est frequens. Et sepulchra antiqua aperta: & pluuiæ multæ, quibus magnus succedit æstus, & penuria magna, cui succedit abundantia magna. Tertii casus sunt, multitudo hominum atque improbitas, sed hoc altius esset repetendum Quòd ad præsentia attinet, dubium non est multitudinem hominum exhauriri peste aliqua aut penuria aut sensim, cum pauciores nascantur quàm moriantur: contraria enim ratione creuerunt. Præterea ortus plurium infantium, & præsertim puellarum, & vno partu, signum est pestis: natura quasi præoccupante defectum futurum humani generis.

Verùm casus admirabiles sunt, voces, strepitus, somnia, aliaque terribilia signa. Quidam audiunt currus cuerti ante domum maximo cum strepitu, ac si tabularum magna moles simul caderet: alii vident funeream celebrari pompam. De his autem alias dictum est. Dubitare tamen contingit, an talia vera sint, & an vera saltem, qui dicunt, dicere se credant? an omnia conficta à nasutis & improbis: quibus non satis est malefacere, nisi etiam irrideant bene sentientes de pietate. Sed neque, quod alias disputatum est, quærere hîc propositum est sed si modò admittantur, quomodo naturalia esse possint? Difficillimum est de his tractarę: tum quia in principiis homines dissident, nec quicquam incertius: deinde quòd tenuia sint huiusmodi principia, Vt nec ex illis propositum deducere liceat. Demum, quia in experimentis est magna dubitatio. Plures, vt dixi, causa irridendi alios talia confingunt: alij simplicitate aberrant. Sed rei veritas est, quod his temporibus tum ob aeris corruptionem, tum ob mẽtum maximum, tum ob tristitiam charissimorum amissorum abundat ater humor, qui refert has imagines & strepitus, & somnia vana: constat enim, quod in Paralipomenis discussum est, humorem illum atrum dæmonis naturam sapere. Ergo non omnino falsa sunt huiusmodi: sed videntur, audiuntur, vt ab his qui se imaginantur principes, aut damnatos ad mortem. Et tales sunt medij inter insanos & dormientes. Causa ergo est, quòd homo in vigilia non sentit, nisi à magno sensili: quoniam spiritus

est

est in perpetuo motu, & dum dormit, sentit alias affectiones: quoniam spiritus quiescit. Et quies est causa facilitatis sentiendi, vt motus impedit: & ideò ater humor cum sit frigidus & siccus, sistit spiritus, & ideo facit vt recipiat impressiones, quæ sunt à cœlo, vel ab anima, vel à dæmone nobis coniuncto, vel ab ordine vniuersi, seu fato. Videtur ergo, quod ibi dictum est, potius referendum ad modum operationis quàm ad principium prægnoscendi futura; nam humor ater est principium solum recipiendi species illas, non autem præ dicendi: imò quantum est ex sui natura, est causa potiùs erroris; propterea insani & homines sanæ mentis, pestilentiæ tempore vident & dicunt multa falsa. Quòd si cui possit stabiliri spiritus absque illo humore, vt contingit in his qui pacato sunt animo, & boni, sine perturbationibus, & quorum cogitationes sunt fixæ in Deo & vitis, necesse est vt præuideant multa, & omnia vera, & hæc est summa felicitas humana. Humor igitur ater, est causa sentiendi absque sensibilibus; non autem prædicendi futura vera; & ideò cùm tales prædictiones, visiones, strepitusque apparent, signum sunt corruptionis aëris, aut aquarum.

Est etiam ratio peculiaris in corruptione aquarum maximè: quia primùm cum corumpuntur, sentitur odor in eis, & sapor malus & fœdus: sicut ego sensi anno MDLXII. mense Iulij, Papiæ in puteo meo & aliorum: & tamen non est secuta pestis vlla, & tamen cum corrumpuntur valde, hoc euenire necesse est. Et signum huius est, mors piscium in fluminibus, & plantarum in æstate, cum annus non sit siccus. Et contingit corruptio diuersa, adeò vt aliquæ moueant præfocationem, aliquæ febres, diarrhœas, intestinorum difficultates, colores colicos. Et non est pestilens corruptio, vt dixi, nisi cum morbi interficiunt. Et similiter vt mors mundorum animalium, & piscium, & bonarum plantarum, & vtilium hominibus, est indicium corruptionis aquæ: ita generatio immundorum, ranarum, vermium, erucarum, asilorum, muscarum, multipedarum, araneorum, & ignotorum insectorum, tum serpentium, est indicium eiusdem corruptionis. Et eadem est ratio in aëre, cum corrumpitur. Et oculis videtur offuscatio, & in aqua quasi puluis sparsus, & quædam pinguedo in superficie: & dum bibitur, sentitur humidum adhærens palato, & videntur colores in ea, vireſcit enim, fusca fit, flaua. Et animalia, maximè boues, & post equi non attingunt, nisi ex magna siti, & quasi prælibant: inde abstinent. Et conferunt se ad aquas fluuiorum currentium; nam tales rarò, vel nunquam corrumpuntur. Et similiter in aëre sentitur odor quidam sine causa, & lingua fit siticulosa, & homines abominantur cibos. Et fit lingua quasi cœnosa quadam illuuie fœda & turpis. Et ex aqua & aëre corruptis generantur herbæ venenosæ: maximè cicuta, hyoscyamus, nappellus, tithymalorum genera, & si non prorsus venenatæ, saltem tetri & mali odoris, vt cotula vocata fœtida, vrtica agrestis, atque huiusmodi. Et similiter generatio plurima fungorum, & pernicioſorum: & aëris prauitas detegitur in nocte & crepusculis. Et si quis melius degat in cubiculo concluso, quàm perflato. Et corrumpitur aër in vallibus, & locis quietis, & aqua, vbi non est profunda, sed iuxta terræ superficiem.

CAPVT XI.

Signa pestilentiæ buboniæ:

BVboniæ pestis ac contagiosissimæ signa, sunt eadem quæ etiam in omnibus pestilentibus communia, sed præcipua bubones. Inter quos qui sub alis sunt, omnium sunt pessimi: inde, qui sub mento, vel parotides: vltimo, qui in inguinib. sunt, atque in his obseruare oportet, an alleuietur ex his morbus. Et parui sunt deteriores magnis: & nigri, fusci, liuidi, cærulei, virides, sunt valde mali. Et naturales colores sunt, albus & ruber, post quos est pallidus: reliqui mali sed non pessimi. Adest palpitatio cordis assidua, & dolor capitis cum sensuum interiorum stupore, & nausea quam vomitus non sedat: etsi, vt dictum est, plures ex eadem domo pereant, aut saltem febre simili laborent. Hypochondria tenduntur, & tumet venter. Et aluus demittit fœtida, nigra, cruda, colliquata, aut pluribus ex coloribus mista: aut quæ non vnum retinent colorem, sed variantur, pinguia. Et cum adest, dolor capitis est vehementissimus. Et hoc, quia si vires constant, causa est validissima, & si non constant, non omnino sentit. Et adsunt, vt dixi, in signis morborũ pestilentium signa propria quædam vnicuique generi. Et mors, quæ accidit passim, non permittit dubitare de re, cum iam bubones apparuerint. Sed dubitatio est antea quàm prodeant; tunc ergo oportet considerare omnia quæ superius dicta sunt; nam in hac sunt vehementiora, vt dixi: quia cum in hac non adsit alia causa constans quàm morbi, & tamen celerrimè interficiat, necesse est vt omnia symptomata sint longè validiora quàm in illa.

Signa autem mortis sunt fermè eadem quæ in venis generaliter, sed loco doloris ventriculi magni adest nausea, & abominatio cibi magna: & tumor in ventre, non declinante morbo est, vt in venenis: sed loco spumæ ad os adest vrina aut turbida valde, ac fœtens. Nec adest mutatio coloris statim, vt in venenis, verum eius loco mentis alienatio. Reliqua quinque sunt vt in venenis, cordis palpitatio, oculorum rubor & conuulsio: sed hæc minus in peste quàm venenis, syncopis, sudor frigidus, & strangulatio.

Signa salutis in huiusmodi morbis nulla sunt, sed exitus rei demonstrat: maximum tamen est, si quis bubonem emittat satis magnum, & febris remittatur, & cibum appetat. Et signa etiam lethalia non sunt adeò

certa.

certa, vt in aliis morbis: quia sunt quasi pathognomica ob febris vehementiam, & putredinis magnitudinem. Et crisis in his affert celerem mortem, etiamsi bona videatur: quæ tamen est cum anthrace, & disrumpitur, vt mihi accidit per stuporem, statim liberat. Et quæ non est adeò secura, est cum morbus permutatur per crisim validam in anthracem, & vires non debilitantur. Tertia est, cum in crisi solùm anthrax exit: at quæ per stuporem fiunt, vomitum, lethales sunt: quæ verò per alui profluuium, meliores, his meliores per vrinas, cum tamen plerique pereant ex omnibus, velut etiam ex ea quæ per sanguinem narium. Et liuores nigri circa faciem, & vbique: tum verò vestigia, vt in flagellatis in dorso, omnia lethalia sunt. Et sunt in ea anthraces, & sunt minus mali, pòst bubones pallidi: his deteriores sunt abscessus similes colore prunæ, & forma piscibus.

CAPVT XII.

Signa Mortui ex peste.

HI qui ex peste vera & contagiosa moriuntur, carbunculos aut bubones habent, iuxta ea quæ diximus in præcedenti capite: & caro pendula aurium nigra efficitur, & nasus similiter à lateribus iuxta partem latiorem: & quandoque emittunt vestigia nigra solum, absque vllo tumore, & hoc non accidit ex varietate naturæ morbi, sed quia transmutationem præuenit illius maxima violentia. Et cum plures sic moriuntur, est pestis ex aëre maligna, & buboniæ similis. Et cum celeriter valde mortuus est, nec apparent signa veneni, nec abscessus interioris, est pestis: & maximè cum plures sic pereunt, & pestis valde malæ. Nam cum morbus citò perimit, aut ob abscessum interiorem, aut ob venenum exhibitum, aut genitum, aut contractum ex contagio, id agit: sed sublato abscessu interno, & veneno exhibito, necesse est vt sit vehemens & putridus, ideo contagiosus: quare ex buboniæ pestis genere.

CAPVT XIII.

Signa Mortui ex veneno.

GAlenus non in hac parte quàm aliis diligentior, signa posuit mortui ex veneno, mortem repentinam, cum bono regimine antea vteretur, corpus liuidum, aut varium, aut nigrum, præcipuè dorsum, sub hoc etiam repentè mori intelligas, syncopim pati frequentem, extrema refrigerari, & frigidum sudare totum corpus, aut faciem solam cum ceruice, vnguium liuor, & conuulsio: præterea nausea perpetua, & dolor in ventriculo erodens, vngues nigri post mortem, qui facilè auelluntur: & capilli qui sponte decidunt, adeò vt aliquibus integri manipuli auellerentur, nullo labore aut nixu, atque id signum ex quarto signo Galeni pendet, cum dixit; Quòd caro diffluit, auc malè olet, hæc enim accidunt, cùm venenum putrefecerit carnes: secus, non id potest. Ideo hæc signa quæ à Galeno posita sunt, meliora fuissent, si dum homo ægrotaret, præscripsisset, in mortuis enim parum vtilia sunt, nisi ad litem intendendam forsan pro hæreditate. Et mirum est, quòd nec vllus eorum qui Galenum sequuti sunt, ea posuit. Nisi dicamus in specialibus quæ Princeps sexta Quarti posuit, etiam generalia, & aliquid plus contineri. Quanquam contingat veneni signa exhibiti cognoscere: & quale sit tamen nescire.

CAPVT XIV.

Alexipharmaca Quæ sint, & eorum cognitio.

ALexipharmaca dicuntur propriè, & ex vi nominis, quæ epotis malis medicamentis aduersantur, ἀλέξω, arceo, & auxilior. Alexiteria autem, seu ἀλεξητήρια, quæ obstant, auxiliantur, ab illis præseruant cum θηρίον serpens sit. Galenus quinto de Simplicibus medicamentis (omissa hac exigua differentia) alexipharmacorum tria genera ponit: quæ contraria sunt qualitate, vt castoreum opio: quæ caliditate ipsum venenum distrahunt: & quæ ipsum attrahunt & euacuant, attrahunt autem substantiæ similitudine, quæ dicit media esse substantia inter humanam naturam, & veneni. Dico ergo, quod inuenitur quartum genus, quod resistit generaliter etiam venenis, & vocatur bezahar apud Arabes, cum sine adiectione profertur: & cum refertur ad venenum certum, dicitur Bezahar eius, vt napelli moschus, sexta Quarti. Galenus ergo commune alexipharmacun non nouit, scilicet cerui lachrymam: sed neque smaragdum, vt resistit omnibus venenis, spiritum vitalem & animalem confirmando: igitur bezahar Arabum non idem est, quod alexipharmacum Græcorum. Idem Galenus videtur alexipharmaca propriè credidisse medicamenta, quæ exhibentur intus, & sunt contraria natura, velut castoreum opio: at alexiteria, quæ extrà applicantur & trahunt vel substantiæ similitudine, vel ob calorem, tenuemque substantiam: quæ verò intus exhibita proprietate naturæ venenis resistant, velut dixi de smaragdo, & infrà vbi numerabantur alexipharmaca, non videtur Galenus agnouisse, aut libri illi eius ad nos non peruenèrc. Vnde nunc duplex labor in singulis, rem scilicet docendi, & ostendendi an illud Galenus cognouit. Et si dicimus quòd cognouit, quamuis non cognouerit, tamen silent: sed si negemus, oportet integras scribere Iliadas quasi nefas sit dicere, Galenum pauca ignorasse: cùm Aristoteles dicat, maximam

partem eorum quæ scimus, esse minimam illorũ quæ ignoramus. Et certe quotusquisque non infinita ignorat, pauciſſima nouit? Sed vitium hoc est temporis, imò anariciæ medicorum, imò peccatorum noſtrorum pœna grauis. Plurima ignorauit Galenus præstantiſſima auxilia, manna, rabarbarum, horum inquam vsum solum: tamarindos autem, & cassiam nigram, & multa alia, & longè plura in dies: sicut è diuerso balsamum nouit, & cinamonum, & amomum, quæ nos ignoramus. Ignorauit Indicam luẽ, pestem buboniam, curam veram pestilentis febris, veram naturam vini: quædam notatu digna in anatomia, velut pylori situm, at si quis hæc conferat cum tot illius pulchris antiquorum inuentis, quæ eousque perduraruntnos quidem imperitos & stultos esse ostendet. Imperitos siquidem, qui pauciora plures, & tot librorum auxilio sciamus, quàm ille norit: stultos, quòd adeò anxij simus pro falsis opinionibus, & indignà laude vnius hominis: qui quantumuis præclarus fuerit, non tamen pro deo habendus est. Horum autem quædam vt simplicia, alia vt composita sunt. Simplicium autem quædam, vt etiam innunnt. Referunt æryngij radicem attactu occidere salamandram, seu in aqua sit, seu extra. Sed vt ad rem redeam, celebrantur inter generalia alexipharmaca, sordes oculorum cerui virosi odoris, quas seruant venatores in Sicilia, vt ait Scribonius Largus. Sed in regionibus calidioribus, & maximè in Africa concrescunt in lapidem: & hic est qui ab Arabibus Bezahar dicitur, & eum cognouit Auenzoar etiam. Est & Pezar lapis, qui ex India aduehitur: pro quo ne sæpius idem repetam, vide quæ à nobis scripta sunt, tum ab Amato in secundum Dioscoridis. Smaragdus autem & mus napelli, pro herba quam putant esse zeduariam noſtram, sunt longè inferiora his. Generaliter autem omnia aduata venenis potentiſſimis, non casu, sed natura & semper, & partes ipsorum venenorum, & excrementa, cum non occidunt, nec etsariò sunt optima alexipharmaca: si sint ex plantis aut metallicis: aut alexiteria, si ex animalibus. Causam differentiæ horum aliàs attulimus.

LIBER TERTIVS.
De Cura venenorum.

CAPVT I.

Custodia à venenis.

OPORTET eum qui se vult custodire à venenis, fidiſſimos habere famulos & ancillas: & magis pueros quàm iuuenes, & iuuenes quàm senes, nisi sint spectatæ iam fidei, & nobiles genere. Et ob id Principes, licet huic periculo sint maximè obnoxij, ob nobilitatem eorum quorum opera vtuntur, rarò periclitantur. Quamuis referant Alexandrum Magnum à Cassandro affectum veneno, sed iussu patris: & ob id etiam quanto paucioribus miniſtris vtetur, eo securius deget. Seneca cùm timeret à Nerone de veneno, nullius opera in cibis vtebatur. Habeat præterea vestes, & maximè interulas plures sub clauibus bene siccas: & dum lauantur & siccantur, quempiam è suis fidis apponat: & dum conduntur, spargat eas ruta & scordio siccis: & dum induere vult, multa flamma siccet, & odore ac fumo belzoi eas imbuat, quod & ad gratia mfacit. Tertium est, vt deuitet conuiuia omnia, neminem patiatur versari in coquina, in vinaria cella, iuxta cubiculum, iuxta mensam, nisi è propriis familiaribus, quibus fidit. Sciat familiares suos vbi diu versentur cum aliquibus, & longos ferant sermones, cum quibus id agant. Triſtes & cogitabundos, & verba cum risu præter solitum tecum miscentes, amanda. præterea luſoribus minus fidas quàm furibus, vtrique enim proditores: sed luſores aliquanto audaciores, & repentinæ perfidiæ. Nullum cibum peculiarem edas ex consuetudine: nec solus, sed omnia on nes: nullum locum certum in mensa, quibus duobus Principes priuatis viris sunt inferiores, quod etsi præguſtent, qui vinum & cibos exhibent, parum est ei si non sit qui præguſtet, hominem vnum plus occidere, qui ea est audacia, vt decreuerit occidere Principem. Si dolus sit in miniſtro ipso, mille sunt fallendi modi, potest præmunitus accedere, parum est quod sumit dum præguſtat: alia ex parte sumere potest. Propterea ceremoniæ potius, quàm cautionis loco habenda est hæc institutio. Loci mutatione panis, quod ingens est periculum, euitabis.

His quæ tractantur plures oculos præponere oportet: sed nullas manus, aut quàm paucas, vt dixi. Cornua ceraſtes sudare præsente veneno referunt. Sed & electrum: at electrum metallum id est, est & electrum myrrhinum, seu id dicamus porcelanam: ita ex metallo ad lapidem, imò figulinum opus transiata est hæc vis. Aurichalcum etiam vt aliàs dixi, ne pauperibus suum præsidium denegetur, miro modo ab omnibus venenis metallicis mutatur: sed & ab aliis potentibus, præsertim si calidum sit cui immergitur: eligi debet valde splendidum & purum. Et nisi etiam ab omnibus succis acribus aut aci lis vitiaretur, rem absolutam vndequaque haberemus. Sunt & qui catulos meliteos,

melitos, feles, aues, maximè psittacos, quod sint pamphagi, horum gratia alant. Rursus eum qui velit huiusmodi pericula deuitare, oportet vt abstineat à ferculis valde mistis, tortis, farciminibus emphractis, intinctibus, botellis atque iuribus, quale est nigrum Laconicum de herbis; tum verò à vehementer odoratis: dulcibus quoque, atque actibus, in huiusmodi enim solent abscondi exitialia venena.

Tum verò in edendo summam adhibere oportet diligentiam, vt de nulla alia re cogites, & cùm primum cibum in os mittis, odorem explora, nam extra vt malè oleat, non est facientis, sed perdentis venenum. Quòd si quod naturæ inimicum contineat sordidum putridúmve, diuque lingua ac dentibus tractueris, abominaberis bucceam: eadem quasi hæreat, impedimentum afferet gutturi, vt per gulam demitti non possit, quod si sapor aliquis acris sentiatur, reiectetur velut tensiles stridere sub dentibus, nihil enim huiusmodi ne vel helluones deuorare solent. Maior est fallacia in potu: & ideo etiam maior adhibenda cautio, non igitur hauries vnquã potum, sed primum prægustabis & exsuges. Legatus Solimani principis, dum potum à Barbarollà classis præfecto, & Iuliæ Cæsareæ in Mauritania tyranno exhibitum explorat, pitissátque, vitam seruauit & amicitiam adeptus est illius, tum grandia munera expressit ab eo metu patrati sceleris. Qui à veneno timent, ouis vescuntur: sed ibi periculum maius, vbi maiorem putas esse securitatem; nam & in ouis abdi venenum facillimè potest, hauritúrque eo magis improuidè, quò difficilius existimatur posse immitti. Dicere solebat Carolus, quod & alias recitaui, non nisi gulosos veneno confici posse; nam sola confidentia latère potest venenum. Ideóque nec famelici, nec sitibundi ad mensam, maximè alienam, accedemus.

Vitare decet fungos, & quæcunque sunt similia venenatis, vt anguillas & ranas: non solùm quòd & ipsa venenosa esse possint, sed quòd malefici sub ea occasione venenum exhibeant: quemadmodum & ægris Princeps Istonij & Bonromeus antistes veneno sublati sunt fungis denoratis: duo patricij mihi noti, dum ranas edissent, nullus, vt puto, ex his vi ranarum fungorúmve; nota historia de Claudio Cæsare. Nec apium, quod simile sit apio risus, nec petrosilium paruum cicutæ persimile. Bimoniæ ignotas herbas miscent; cauere oportet ἑτεροῖον prudentem habeas, qui è fitula, non phiala aquam, è communi cirnea vinum. Creditur Ludouicũ Belzoiosium Barbianum è principibus nostræ ciuitatis potisse aqua è phiala sumpta: eique porrecta gladium appositum deterge. Acie gladij si quid dent, altera parte edito, aut non edito. Sic pro constanti habetur, Franciscum Sfortiam secundum veneno debilitatum, vt postmodum sterilis euaserit, & parum superuixerit.

Securitatem autem ab animalibus præstant educata, quæ illa edunt, ciconiæ, pauones, aluri, mustelæ. Quæ allicium & detegunt, vt ignis. Quæ odore ingenti fugant, styrax, asa, serapinum, pix, cedria, asphaltum. Et quæ sapore acri, allium, serpentaria, seu aron. Et quæ proprietate illis aduersantur, cornua cerui, folia cupressi, pini, iuniperi, mali punici, arbos tota & vmbra fraxini, trifolium, alphalicum, ruta: vt contrà, saluia eos densitate foliorum allicit. Fugant & quæ illis venena sunt, auripigmentum omne, raphanus seu radicula, & elleborus. Sub hædera tutò & libenter iacent, nec vllibi frequentius: sed fœniculum credo fouendi visus gratia diligunt, reliquæ plantæ quasi sunt indifferentes. Sed si sub mortifera planta anguis lateat, lethalissimum venenum habere solet; nam plerunque pigra animalia iisdem sub plantis latitant, quibus vescuntur.

CAPVT II.

Ea quæ nos defendunt à noxa venenorum.

EA quæ nos à venenorum noxa defendunt, alia sunt alexipharmaca: vnde illud ostendit exemplum Mithridatis regis, quod adeò sua Mithridatica compositione profecit, vt cum vellet seipsum veneno perimere, non potuerit. Et de Agrippina, quam filius Nero venenis illis adeò exquisitis tentare non est ausus, quod sentiret antidotis præmunitam, vt inquit Suetonius. Neque existimandum est, curam hanc ac solicitudinem oportere esse infinitam, sed habitus corporis in contrarium transit, vt non malè Martialis dicat ludens:

Profecit pro Mithridates fatè veneno,
Toxica ne possent sana nocere sibi:
Sic tu canisti cœnando tam male semper,
Ne posses vnquam Cinna perire fame.

Quanquam hoc ad vsum potius venenorum ille ceruerit, quàm antidotorum. Venenum etiam veneno alexipharmacum, vt mẽstrui sanguinis, viperarum caro, & multorum venenorum, vt infrà dicemus, cantharides. Lac præterea, butyrum, ruta, oleum, theriaca præcipuè, allium etiam, hebetant vim omnium venenorum, si quis huiusmodi assiduè vtatur: verum tamen theriaca vitam breuiat. Sunt & amuleta quæ collo appensa ebetant venenum, velut ferunt de achata lapide; pezar etiam gestatum, & smaragdum & lachrymam cerui aduersus venena plurimum prodesse crediderim (habet enim rationem:) sed & coralium, & quæcunque mutantur, quia mutant.

Et ex familiaribus auxiliis quæ venenis omnibus resistunt, si cum illis edantur, aut paulo ante: sed in eadem cœna, aut etiam paulo post, vt diebus sequentibus antequam sentiatur, sunt radiculæ, folia cum oleo & sale. Vulgatum est de theriaca illa Mithridatis minore, scilicet quæ ex nuce plurima & ficubus, ruta modo co, & salis grano constat, quod præsũpta cibos tutos à venenis præstet: quod vi compositionis potius quàm singulorum natura accidit. Sed & nuces porticæ,

& rutam orientalem,& ficus itidem eligere oporteret.

Inter præcipua quæ vim venenorum frangunt, muſtela etiam à Galeno numeratur: credo potius impoſita, quàm in cibo ſumpta: ab Auenzoar ſmaragdus: antithora etiam,cui perſimilis eſt thora: ſed venenum hoc,deſcribitúrque à Matthæo Syluatico his penè verbis: Duæ herbæ vnà orientes foliis fermè violarum, ſed rotundioribus modicè inciſis,flore cyclaminis:ſed antithoræ ſubruber magis, thoræ violaceus. Videtur Geſnerus eas agnouiſſe, qui & tractatum de eis edidit. Exiſtimant quidam thoram napellum eſſe:antithoram,zedoariam, ſeu napellum Moyſis,alium eſſe dicens ab animali.Et poſt inquit:Zedoaria melior eſt quæ cum napello creſcit, cuius vicinitas vires napelli debilitat.Et eſt theriaca non ſolum illius,ſed etiam viperæ, & omnium aliorum venenoſorum. Sed ſi eſt antithora zedoaria, erit thora napellus: at non eſt,verùm ſexta Quarti dubitauit,an geduar, & bis mus buha ſint idem aut diuerſæ.Sed & mus napelli,& napellinæ muſcæ, viſæ ſunt à Matthiolo Senenſi: & omnia hæc debilitant,vt dixi, venena,quia ſunt ex venenorum imperfectorum natura, ideóque etiam alexipharmaca. Sed & pezar meminit Amatus libro ſecundo in Dioſcoridem,ponítque illius duo genera, nos vnum tantùm vidimus: ſatis eſt & ipſum frangere vim omnis veneni. Sed dubium eſt de alexipharmacis generalibus,quoniam ſi media ſunt natura inter humanam & venenum, cum venena ſint diuerſa: igitur non poterit eſſe vnum generale alexipharmacum. Præterea ſi alexipharmaca ſunt media inter naturam humanam & venenum, non erit cura venenorum per contrarium: quod eſt contra regulam generalem. Reſpondeo, quòd alexipharmacum generale nullum poteſt dari ſecundum mentem Galeni:ſed dantur medicamenta quæ roborant vires omnes,& excitant vomitum cuiuſcunque rei noxiæ:non tamen ſunt alexipharmaca iuxta principale ſignificatum, & ſunt duodecim. Dico Galeni aduerſus peſtem,bolus armenus: theriaca generaliſſima,vt apud eundem de Theriaca, ad Piſonem: & de illius vſu,ad Pamphilum. Quatuor Principis,zeduaria,mus napelli, & ſphragis, & medicamen compoſitum ex ſemine ſancto, quod eſt abſinthium Ægyptium,& radice ac foliis aſſæ fœtidæ: & deſcribitur poſt illa.Et tria ſunt Auenzoar:ſmaragdus, lachryma oculi in ceruis,& ſtercus columbinum, ſed hoc ſolùm ad peſtem. Et adducit rationem Galeni:Eſt enim quodammodo ſimile putrido humori ex peſte corrupto. Tria Italorum, pezar Amati, muſcæ napelli, & oleum ſcorpionum Matthioli.

Cæterùm quæ prohibent veneni impreſſionem, ſunt: eſus lactucarum multarum cum butyro: atque hoc circulatores vtuntur. Verùm omnis venenorum conſideratio circa tria verſatur genera: cuſtodiam, defenſionem, & curam. De cura proximè agendum eſt, cuius ſeptem ſunt præcepta iam non dubia: quorum ſex in ſequenti capite, ſeptimum in vltimo huius libri declarabimus. Quinq; verò dubia,an cibus plurimùm nutriens dandus,ſecundò vinum? an calidus aër conueniat? Et ſi non poteſt venenum educi via qua ingreſſum eſt corpus,an venæ ſectione,quod per vulnus eſt impreſſum: an medicamento, quod per os educendum ſit: demùm an ſomnus conueniat, cum ſomnus omnes euacuationes retineat, præter ſudorem,ſecunda Primi.Dicemus autem nunc.

CAPVT III.

De cura venenorum generali.

COmmunis omnium venenorum intentio eſt,reuocare per eam viam qua corpus noſtrum eſt ingreſſum: veluti ſi aſſumptum fuit per os, vomitus: ſi per clyſterem, clyſter alius educens: ſi ex ictu aut morſu, vulnere vt, exſugendo, ob id ergo vomitum facilem efficere vtiliſſimum eſt: adeò vt nihil ſit ſecurius,ac præſtantius. Mouere etiam vomitum per ea quæ & redundantia eum cieunt,& quæ proprietate. Redundantia, vt oleum,lac,lixiuium,butyrum, natura, elleborus albus,flos geniſtæ ſeu ſparti,anethum, & nux illa quam metel vocant,quæ vomica eſt verè. Ego autem floribus geniſtæ,anethóque,thlaſpi etiam,aut ſtaphiſagria, ſpumeóq; papauere,ſi eius copia detur,libentius vtar. Commoda quoque in his quærere oportet,quæ præcipuè quatuor ſunt, vt facilia ſint: vnde elleboro quod per ſe venenum fermè eſt,vix vtar: rarò etiam ſtaphiſagria. Secundum, vt venenum eradicet,vnde oxymel vtiliter additur: tum verò lixiuium lacti præſtat. Tertium, vt veneno aduerſetur: cum verò pulueres omnes etiam ex ſaccharo vomitum cieant, commodiſſimus erit lapis pezar atq; ſmaragdus. Quartum,vt ſubſtantia hebetet, vt pinguia omnia, oleum, butyrum,lac.Quanto igitur detergendo lixiuium præſtat,& oleum hebetando,ac facilem prouocando vomitum,tanto hæc multitudine ob facilitatem. Manifeſtum eſt autem,quod & multa ex his permiſcere licebit, vt lacti oxymel ac theriacam.Princeps ſexta Quarti, butyrum cum aqua lacti præponit, videtur enim magis poſſe hebetare vim veneni,tum vomitum ciere. Oportet autem tamdiu in vomendo perſeuerare,quoad vſq; nec ſapor, nec odor,nec morſus,nec nauſea,nec anxietas ſentiatur,quæ ſunt quinque indicia propria reliquiarum veneni. Quòd ſi vomitus difficilis ſit, aut non potuerit exquiſitè purgari per ipſum,tunc medicamento valido, ſi non vltrà gibba iecoris penetrarit, purgandus eſt. Et eſt regula Principis, adeò vt iuuent clyſteria & medicamenta quæ purgant vtrinque,velut thlaſpi,elleborus,& ſimilia. Iuuat & per ſe multum,duos à pollice primo digitos gutturi immittere.

Sed ſi morſus ſit, aut ictus,exſugere vulnus oportet. Et qui exſugit, non habeat vlcus in ore, nec in gingiuis,aliter maximo in periculo verſaretur, cum ſecus ſit ſecurus: Vnde Celſus: Venena animalium exſugere loco calido & ægro procliui decet; nam non

ſunt

sunt venena, nisi gingiuæ aut palatum exulceratum sit: vnde Psillis nihil præcipuũ, præter audaciam, colubra enim tutò estur, ictus eius occidit. Ex quo colligitur, venenum id ab animalibus prætenue esse, quod in ventriculum vacuum receptum prius absumitur, quàm permeet; contrà autipigmentum crassum, adeò vt nunquam permeare exterius infusum venas possit, intus attenuatur & occidit. Quòd verò etiam morsus eorum non noceat, contingit, quia medicamento dentes serpentum obstupuerunt; vnde patet, literam Principis in 6. Quarti. Et non habeat dentes corrosos, debere emẽdari: Et non habeat vlcus in ore. Præstat autẽ vt oleo rosaceo vel violaceo colluat antea os, post autẽ vino odorato: quanquam neget Celsus vllis esse periculum, modò sanæ sint oris partes. Quòd si dicas, superius contradictum fuisse apertè huic opinioni: Dico, in contradictionibus responsum esse: si verò non adsit qui exsugat, secundum locum obtinet cucurbitula, maximè lata, cum multo igne: etsi etiam incidatur locus minutim, non erit abs re. Tertio loco sunt quæ super imponuntur ex similibus, vt gallinaceus pullus, & hœdinæ aut ouillæ carnis nuper iugulatorum frustũ, vt calor ille naturalis attrahere non solùm venenum, sed vim illius enervare possit. Similiter vniuscuiuscunque caro multum prodest ictui suo, vel morsui superpositа, cum & sympathiæ ratione trahat, & vim veneni molliat: quod vt Galenus dicebat, alexipharmaca natura sint media inter hominis ac veneni naturam. Sic viperæ caro, viperarum morsibus, & iecur rabidi canis, canis rabidi morsui, eiusdem præcipuè: & scorpius, scorpij ictui, atque eadem ratione. Quarto loco sunt emplastra ex attrahentibus vehementer, velut radice arũd nis, carne ranarum arborearum, limaciarúmve, silorique piscis, tũ lacertarum, & pleræque bulbosæ radices, tum sinapis, aristolochia, dip amúsque Cretensis, anagallis, ac similia: Quintum ac sextum locum obtinent, imo primum vi, sed hotenda sunt, incisio carnis ad os ipsum vsq; tum quæ exurunt ex candenti igne, aut Bruta pice liquata & superinfusa. Consulit autem Celsus, vt calidus semper locus foueatur, quod venena pleraque frigefacere soleant. Quanto magis quæ aculeo potius quàm morsu perimunt; sunt enim huiusce modi exanguia. An quia vis veneni omnis sit, natiuum extinguere calorem. Sed & iubet, vt si bibant atque euomant, assiduè ius anserinum, hœdinum aut ouillum, quanquam venenum exterius aduenerit, repelli tum motu, tum vi venenum ad exteriora, putat.

Secundum præsidium est ex alexipharmacis communibus, tum intus tum extrà. Extrà quidem est oleum Matthioli, nostrúmque huiusmodi. Respondeo, olei expressi è semine iuniperi & napi libram vnam, ruræ montanæ, hypericonis iam semen concipiẽtis, singulorum manu quantum bis potest capi: contundantur, & per decem dies in ardenti sole cum oleo exponantur, inde expressis, ruta & hypericone denno tantundem atque tantundem: tertio addatur eadem ratione, post viuaces scorpij, magnique in eo numero centum extinguantur. His addantur olei è floribus verbasci & sambuci facti in sole, singulorum vnciæ duæ, croci orientalis vnciæ dimidium. Quod si theriacam optimam habes, adde: si sole vti non potes, balneum Mariæ decem dierum loco per vnum diem adhibebis. Intus autem recipe seminum iuniperi, napi, rutæ, smaragdi orientalis (magna enim est copia) boli armeni vulgaris: sed tamen quem vocant orientalem. diptami Cretensis scordij, singulorum drachmam: cobis ex epore derato scrupulum, excipe mombasio & melle simul eatenus feruentibus, donec despumari possint.

Tertium est, vt homo mulo exenterato, capite prominente, statim dum adhuc feruet, sic inseratur, vt tandiu in eo iaceat donec liberetur à vi veneni; quod si vnus nõ sufficit, alter iterum exenteretur. Atque hoc modo constat Valentinum Borgiam, Pontificis Alexandri sexti maximi filium, solum hoc præsidio euasisse, multisque annis egregia facta, aut potius scelera admisse, cum patet aliquot omnes qui ex eo vino medicato biberant, obiisse.

Porro victus ratio odoratis optimisque eduliis, & cor confirmantibus constat, iuribusque præcipuè cum succo mali medici coctis; constat enim malum medicum adeo venenis aduersari, vt Athenæus referat, vt etiã infrà citabimus locum ex Theopompo Chio historiarũ scriptore, Clearchum Heracleotã Ponti tyrannũ; qu. multos cicuta necauerat, vbi resciuere vim citrij, illo prægustato, neminem è domo solitum discedere qui eum non assumeret, ibi etiam aduersus omnes ictus serpentum illum extolit. Verùm quod de aconiti alexipharmaco, quo ille potius quàm cicuta in primere ciues suos solebat, potius ad meam quàm ad citrium est referẽdum: videturque locus ille quoquo modo quibusdam verbis necessariis mancus. Sed ad rem reuertor. Lac in potu ac cibo esse præstantissimum, præter rationem, & auctoritatem Dioscoridis lib. 2. quam refert Princeps in secundo Canons, qui referunt illud conuenire omnibus venenis fermè: vt ardentibus, quòd extinguat: erodentibus quod mitiget eorum vim: frigidis ab his appellatis, velut hyoscyamo, adeo vt eos rationi restituat. Illu l ego apertissi na experientia didici, cum ægrotarent quinque filij Euangelistæ Syrtiri, mercatoris Mediolanensis, obsidentque in manibus duorum medicorum, quos vulgus clarissimos existimabat: hos vero etiã pro deploratis, reliquissent, existimantibus illis febrem esse pestilentem, cum tamen nullus alius tota vrbe eo genere febris correptus diceretur, intellexi esse venenũ omnib. propinatum; ideóque omnes pauí lacte, ille fuit cibus potúsque: adeóque fortuna me iuuit, vt omnes seruati fuerint: cum tamen puella inter cæteros esset, vt reor, parum trimatu maior, quam intrà mediam noctem expiraturam putabant, cum esset tum hora vespertina. Reor ex his quæ nunc coniector, fuisse argentum viuum distillatum.

Verum verò à veneni contagio somnus sit vtilis, hinc solùm dubitatione dignum est. Princeps sexta Quarti, inquit: Et oportet vt

vt non dormiat omnino, & non dimittat: imò oportet vt euigilare ipsum faciant prorsus, rideantque, & clament in circuitu eius. Et causa huius est triplex. prima, quia tales indigent auxiliis. Et vomitu etiam, quæ in somno adesse non possunt. Secunda, quia oportet vt cognoscamus detrimenta illius: sed ista latent magis in somno, ideo præteribit tempus auxilij. Tertia, quæ est euidentior, est, quòd interim venenũ trahetur super membra principalia, & interficiet: quæ causa cum sit communis etiam ictibus, morsibus, febribus pestilentibus, palàm est in nullo veneni genere conuenire somnum, donec extinctum fuerit venenum, & in declinatione. Et quando morbus est breuis valde, tunc facile est, & purum præsidium, vt in Anglico sudore: quia finitur plerunque intra 24. horas. Deterior autem hora somni est, cum venenum adhuc est in ventriculo, post cum fuerit in venis mesaræi & intestinis: post cum fuerit vltra iecur. Cum autem fuerit iam in corde, vel propè, necessarium erit, si virtus sit imbecillis, vt permittatur dormire: sed si vires non exigunt, melius est vt vigilet vsque ad morbi inclinationem. Frictiones etiam ab initio sunt malæ, donec venenum fuerit citra cauam partem iecoris & ante. pòst autem sunt maximè vtiles ad reuocandam materiam ad partes externas. Et quod dixi de somno, idem fermè iudicium erit de potu vini. Verùm vinum potest vltra somni occasionem competere trifariam. Primùm in casu, vt sit materia vomitus. Secundùm, vt dentur cum illo alexipharmaca potentia. Tertiò, vt obruat vim veneni per se, vt de cicuta. Nota est historia illorum, qui cum furtum fecissent, timerentque deprehendi, secum cicutæ venenum attulerant, vasque vini, quo id mali sanabatur. Quintum præsidium est, vt quàm diligentissimis rationibus natura veneni propria, vt illi occurrere possimus per sua alexipharmaca. Quæ tamen nota sunt à libris, tum ratione dicta: sunt enim media natura inter venenum & naturam hominis, vt aduertamus propriæ illorum actioni. Nappellus corpetit, lepus marinus & cantharides exulcerant: aconitum tabefacit: rugo erodit, sanguis menstruus putrefacit. Sextum, quod non contemnendum est, autoritatibus rationéque id docentibus, est valida vrinæ prouocatio, sed solùm hac in parte non generalis, cum adhuc venenum est citra gibba iecoris: nam & in morsu canis rabidi cantharides exhibent, & in aliis venenis: & cum venenum est in venis, quo alio præsidio melius aut efficacius auerti poterit à principalibus membris, quàm vehementi medicamento, quod illud ad vrinæ vias auocet; etiam si cantharides biberit, erithrodano & glicyrriza curabitur. Censet autem Galenus, attractionem ad exteriora in omnibus venenis vtilem esse: inter ea verò quæ intus pro antidoto exhibentur, prætulit quod ex tanguinibus constat, secundo de Antidotis.

CAPVT IV.

Cura veneni calidi.

ILlud vt certum statuere debemus, vniuscuiusque veneni, modò non citò perimat, esse curam, atque ideò omnium temporaneorum. Sed tria maximè obstant, quo minus omnes curari possint. Primum, quod nesciamus veneni qualitatem: secundum, quod temporanea antequam innotescant, iam totum homines corpus deprauarunt. Tertium, quod violentia sua homines perimant, velut & vulnera grauia, & ictus: velut illud quod argẽto viuo & aqua separationis constat, sed non nisi vi exhiberi potest. Datum fuit, vt audiui, in vinculis posito ac damnato, vt experirẽtur medicamentum circulatoris, quod ille frustra iactabat; statim enim miser illo cum medicamento perijt. Ergo veneni citra per contraria fieri solet, sed mediocria primum facultate, actu verò etiam tepida, ne cogitantes extinguere incendium cogamus, vt quandoque contingit, dum ignem ex oleo vel bitumine accensum aqua conamur restinguere. Itaque exhibemus aquam lactis, & vinum granatorum, & succum citruli, & cucumeris, & endiuiæ: & refrigerare cor & iecur cum santhalis, & caphura, & rosis, ac violis. Et potus ac cibus sint iura pinguia, & cum ptisanæ hordeaceæ cremore, & succo pomorum acidorum. Et omnia sint frigida, tam actu quàm potentia: adeò vt exterius aliquando necesse sit adhibere aquam nuis Et sapa spissa, & butyrum, & decoctio dactylorum, sunt valde bona. Et calidorum venenorum generaliter exustio interiorum, & ardor, & inflammatio sunt symptomata: sed peculiariter pleraque ex his lethifera, diarrhœam & dysenteriam generant: vnde astringentibus indigent, & cibis quod nutriant, & temperent vim medicamenti Et aer si frigidissimus & humidus, & in vomitu adhibeatur lac aut ptisana frequens: & a purgatione per inferna abstineatur, & somnus magis conuenit quàm in aliis: & quiescat omnino. Et cum peruenerit ad ventris fluxum, theriaca aut Mithridatum vtile erit. Et testudinis sanguis, & ciconiæ, & anatis videntur esse vtilia in huiusmodi affectionibus, quando exstant potus quàm aluum mouent: aliter ius illorum pingue. Et balneum in hoc casu multum iuua: multis modis. & somnum conciliat, qui solum his generibus venenorum conueniens est: sed & pleraque calida venena purgant vehementius, curáque est per eadem fermè, quibus calida venena curantur. Quiete, somno loco frigido, balneis dulcis aquæ astringentibus, confirmantibus vires, nutrimentis mollibus, pinguibus iuribus, lacte. Et debent exhiberi quæ substantia constent, nec adeò diffluant. Et ab initio etiam, quæ vomitu interficiunt, velut elleborus albus, vomitu curanda sunt; sed vomitus debet esse cum pinguibus; vomitus enim non tam ventriculum labefactat, & ventris fluxus intestina, quantum voluntas irrita vomendi.

vomendi. Et cum euacuatum fuerit totum venenum fermè, tunc iuuant intus & extrà succus cotoneorum, & malorum bene olentium: vt sunt, appiana, & succus pyrorum moschum redolentium. Et est mirum, quòd odor moschi in pyris sit antiquus, & moschus ipse sit res incognita antiquis Græcis ac Plinio. Et confert etiam vinum malorum punicorum, & ribes, etsi incognitus antiquis fructus: velut & vua crispina, & omnibus his vis inest omphacij, conferuntque non parum ventriculo. Et in his (non in calidissimis medicamentis) confert mithridatum plus quàm etiam theriaca. Et differentia inter mithridatum & theriacam est in tribus. Primum, in his quæ ingrediuntur, quorum numerum inferius explicabimus: sunt enim longè plura in theriaca. Secundum, quòd in theriaca ingrediuntur pastilli ex carne viperæ: in mithridato non. Tertium, quod & theriaca confert longè plus venenis serpentum. Verùm dico, quòd mithridati compositionem non habemus, quoniam Andromachus senior vnam posuit, aliam Antipater & Cleophantes, tertiam Damocrates, vt secundo de Antidotis. Intererat & Galeni docere, quænam fuisset Attali & Mithridatis regis: at hoc cum non fecerit, suspectam omnem compositionem reddidit. Quidam præferunt descriptionem Andromachi ob viri authoritatem, alij Antipatri & Cleophantis ob simplicitatem, & quòd non verisimile sit ambos mutasse veterem rationem: alij eam quæ Damocratis, quod ob carminis leges errorem non admittat. Certè eam præferre decet, quæ constat quinquaginta quatuor rebus: vt Plinius, qui ante Galenum fuit, & Andromachi tempore, testatur. Videtur ergo quæ Antipatri, vera esse: nam LII. componitur medicamentis: & si iuncum odoratum à rotundo dictinxeris, erunt LIII. Sed vinum non admittit: quod si admitteret, perfectus esset numerus, nam quæ ad Andromachum refertur, XLIII. tantum constat medicamentis: quæ verò Damocratis, XLIX. tantum quòd si dicas in carmine decisse vnum, erunt L. Et ideo legerem apud Plinium LIII. vel illa verba de vino non imponendo, superflua sunt, aut aliquid deest in tanta vetustatis caligine. Est etiam theriaca Antiochi facilis, cui tamen parum tribuo.

CAPVT V.

Cura veneni, quod Frigidum esse dicunt.

PRo cura autem venenorum quæ frigida vocantur, & verè putrescentia debent appellari: dico quod peculiariter debemus quietem imponere, contrario modo quàm apud Platonem, siquidem inquit: Nihil aliud ages quàm vt statim à potione inambules, donec grauari crura tibi sentias, postea verò iacere supinum, contectum primùm: deinde cum refrigerabatur detegebant eum. Hæc igitur ratio conuersa est eius quod ille dicebat. Id mirum, quod tam breui necaret id veneni genus: siquidem vesperidum fermè occideret sol, assumpsit, paucis post horis, dico duabus aut tribus perijt, nam intra mediam crura inflari verisimile fuit: pòst autem quantum vixerit haud constat, certè si longus fuisset mortis cruciatus, omnes securim potius præoptassent. Ergo in hoc casu vinum copiosum dulce & potens dandum est cum pipere, castoreo, gentiana atque pistaciis. In aëre frigido ipsum constituere oportet, vomitúmque, & si nihil euomat, perpetuò irritare. Et cum crura intumuerint, & caput grauatur, cucurbitulæ cum multo igne sunt applicandæ. Et dicebat Galenus tardando operationem illius, fit vt non noceat, & procrastinatio est cura. Dico tamen quod Galenus potius quadam ratione persuasiua egit quàm solida, vel experimento. Primùm quòd credidit paruam quantitatem non obesse, hoc est falsum: quandoquidem cicuta Athenientium ita recte temperata erat, vt drachma in tribus horis occideret: quod nec napellus facere potest. Deinde quod credit non officere si vincatur: imò præparat ad malos morbos cerebri, attonitum, conuulsionem & tales. Tertiò quod sanati remanent cum dispositione ad hydropem, & cum principio illius propriè à cicuta. Et hoc, quia cicuta, vt dixi, & reliqua huius generis corrumpunt spiritus non ob frigiditatem, sed ob putredinis naturam tum maximè quia, vt demonstraui in libris de Subtilitate, frigiditas est sola priuatio, & nullam habet actionem per se, sed agit impediendo. Quæret autem quispiam quare talia venena conuulsionem excitent cum interficiunt? Et respondeo, quod huiusmodi exiccant cerebrum ob frigiditatem, & ideò contrahitur, & hæc est causa quare morientes omnes conuelluntur: cerebrum enim antequam congeletur naturali sensu, contrahit se, tanquam à causa lædente se conetur tueri. Sic & aqua contrahitur dum gelascit, remanéntque obid mortui oculis rigentibus, ob eam causam: soluitur enim prima vel secunda conuulsio, quia cerebrum extenditur, quamuis contra causam contrahentem, denùm etiam se contrahit. Cura igitur fit per allam fœtidam propriè: acetum, absinthium, & syrupus acetosus, vndecunque causa sit, origanum, ruta, sal & allia, & sulphur, nuces, mel, oleum rosaceum, & theriaca, & cinamomum, & vinum antiquum, tenue, odoriferum, in multa quantitate extinguit talia venena: & excitetur sternutamentum cum condisi, & trahantur capilli, & non permittatur dormire. Et cicuta est deterior opio: opij enim drachmæ duæ occidunt solùm in duobus diebus & per somnum: cicuta autem reddit deprehensum, & cum comate vigilante. Et inungat tempora cum oleis de lilio, & calidioribus etiam, & oderet castoreum, moschum, rutam, & sedeat propter conuulsionem in balneo aquæ dulcis, & vratur iuribus pinguibus. Et si talia non putrefacerent, sed refrigerarent, nihil esset deterius. Et nux methel est media inter opium & cicu-

tam, nam aureus in vna die interficit, & fricare oportet extrema cum linteis aſperis. Et cum poteſt moueri, & iam rectius ſe habet, exerceat ſe donec ſudet, Et vomitus in frigidis venenis debet eſſe cum nitro, & tartaro albo. Sed & in putrefaciente, & omnibus quæ non ſint extremè calida.

Et curatio noſtro tempore optima, ſed antiquis ignota, ex qua nemo perit, niſi ante admotum medicamentum iam planè ſit conclamatus: fit cum elyſir vitæ, cuius deſcriptiones cum ſint innumeræ, facilem tamen & potentem adducam. Recipe vini mombaſij libras XL. mellis optimi X. rutæ, ſampſuchi cum ſeminibus chelidoniæ cum radice, ſingulorum libram vnam: pyretri libram mediam: garyophylorum, vtriuſque cardamoni, piperis nigri & longi, cinamomi electi, gingiberis, ligni aloes, maceris, nucis myriſticæ, zedoariæ, ſaluiæ, cum radice betonicæ, ſtipitum roriſmarini, gentianæ, iridis Illyricæ, thlaſpi, corticis medij fraxini, baccarum iuniperi, ſpondilij, ſerpilli, ſingulorum vncias tres, thuris, myrrhæ, belzoi, opoponacis, bdelij, ſtyracis, chalbani, croci orientalis, ſingulorum vncias duas: baccarum lauri vncias quatuor, caphuræ ſexquilibram: terantur omnia, & miſceantur, & ſub fimo equino valde calido condantur per 40. dies, demùm deſtillentur ſecundum artem, ſic vt prima aqua clara colligatur ad vſum: ſecunda, quæ feculenta eſt, ad vnctionem locorum arteriarum ſeruetur. Præcipua pars eſt oleum tenue, rubrum ardentis ſaporis, cuius vſus eſt intus è tribus guttis vſque ad quinque & extrà: nigrum extrà.

CAPVT VI.

Cura Veneni à ſubſtantia, & tabefacientis.

OMnia quæ tabefaciunt venena, temporanea ſunt. tabes enim ſenſim procedit, & longo pòſt tempore interimit. Eſt autem tabes multiplex, nec eſt vnius modi, alia enim tabefaciunt ventriculi functione euerſa, alia iecoris: alia quia obſtruunt: quædam immodicè calefaciunt corpus, & regiũ morbum inducunt: alia refrigerant, alia vlcus in pulmone inducunt: quædam dolores, quædam vigilias mouent: quædam pruritum, qui ſedari nequit: quædam, quia ſiccant nimiùm. Vt videatur non vnus modus tabefacientium venenorum, cum quædam faſtidium etiam moueant: ita nec vnus modus temporaneorum morborum. Sed alia erodunt, alia tabefaciunt, alia putrefaciunt, alia proprietate ſua tandem interimunt. Cum ergo ita ſit communis curatio, eſt ſcobs auri vel chalybis, ſi, vt plerunque contingit, metallica ſint. His, cum aliis, radiculæ folia, radix, ſuccus, auxilio ſunt: theriaca, & diamæraton. Ita oportebit non ſolùm venenũ temporaneum per genera, ſed etiam ſpecies curare, generalem enim præter hæc curationem habet, quam inferius docebimus. Quæ verò propria eſt & ſufficiens, eſt aqua terræ, & illius aer, oportet autem eligere quæ aduerſetur natura ipſa venenis: velut ex Lenno, Melita, Armenia. Et conſtat experimento id deprehenſum eſſe, (oleo enim ponderoſo vnguntur) & ſi non ſufficit, aquã bibunt: reuomunt enim omnia moleſta naturæ, & vi ipſa, ac cum eis venenum violenter trahunt. Oleum igitur graue eſt huiuſmodi: olea autem deſtillatione confecta, leuia ſunt generaliter. Quod verò adiuuat veneni actionem, calor eſt: calor autem inſtrumentum, non venenum. Inſtrumentum quidem naturæ, vt Princeps ait, non venenis ſed dum natura in illud agit, etiam illud agit eodem medio in naturam. Quocirca in valde ſenibus irrita fit venenorum natura, quoniam calor extinguitur. Venenũ igitur agit, cum natura agit: ſed & eodem modo alexipharmacum, antea ergo exhibitum, vt aliàs dictum, veneni vim irritam reddit, quoniam illius vi membrum, & calor qui in eo eſt, celerius extinguit vim eius, quàm accendat: paulo pòſt autem aſſumptum, dum vires adhuc valent, calore iuuatur, ita calor veneno & alexipharmaco auxiliatur: at ſerò, cum veneni vis obtinuit, ſi ſumatur alexipharmacum, à calore non deducitur nec ad locum, nec ad actionem: ſed obſeſſo membro, cùm calor ſit exiguus, prodeſſe nequit.

Curatio ſingularis, & ad omnes tabidos magna ex parte ſæpius experta. Recipe carnis cẽtuinæ, teſtudinis cum interioribus, ſola cute omiſſa, & cortice, ſanguinis ſuilli, carnis anatis vel ciconiæ vel anſeris, limaciarum, chelarum, & caudarum cancrorum fluuialium, aut aſtracorum, ranarum, anguillæ excoriatæ (ſed anguilla & teſtudo coqui debent donec cutis ſeparetur: ſed ante coctionem caput abiiciatur) radicis raphani, ſingulorum libram vnam: contundantur omnia, & coquantur ſola in balneo Mariæ, donec fiant ſicut ius, inde deſtillentur in eo vſquæ ad extremum, & de hac aqua capiat patiens ab vncijs quatuor vſque ad ſex, cum vncia media ſacchari tepidum in aurora, & ſuper dormiat. Et poſt quatuor horas edat panem cum lacte aſinino, vel caprillo: & poſt horas nouem comedat carnes teſtudinis, aut pulli, aut piſces petroſos, aut ſuillam: ſed antè cappares ex oxymelite. Et poſt tres dies illa aqua ſi fiat denſior, aut odorem contrahat, deſtilletur. Item detur aquæ deſtillatæ eodem balneo ex recenti melle, poſt hanc per quadraginta dies. Præterea ſcire debes, quòd curatio per aquã aut aërem non confert adeò, cum ab initio non fuerit adminiſtrata. Poſt hæc conuertes te ad cognoſcendum cauſam tabis, & ei adhibebis propria alexipharmaca, vt infrà.

Quomodo autem medicus probus poſſit cognoſcere cauſas venenorum omnium, & genera illorum, & modum operationis illorum in corpora noſtra, & ex hoc auxilia, & omnino neſcire venenorum compoſitionẽ, tacere decreueram iam, vt aliqua alia admiranda: ſed dicere cogor, eiuſmodi ſum vſus arte. Nunquam volui diſcere operationem aliquam, vtpotè vt deſtillarem, aduretem,

rerem, miscerem, putrefacerem: sed solum omnia ratione concepi, & deductis omnibus ex principiis, certè in inueniendo apertæ sunt res admirandæ, donec ad incredibilia perueni: & ex his perueni ad inuentionem auxiliorum, & exussi principia illa: & ita remansi, Deo volente, duplici modo sine cognitione venenorum: tum quia deleui principia, tum quia exercitatione carui; nam in huiusmodi nõ solùm plurimum potest exercitatio, sed est necessaria: aliter homo primum se, quàm alios, in tam violentis venenis conficiet. Est ergo hoc, ac si quis rotas illas versatiles apparet, & cum his loricas & arma plura vtilia saluti hominum construat: post rotas omnes cum tota artificio periculoso destruat: ita decet virum præcipuè medicum, probum facere. Eos verò qui hæc ex principiis deducere nequiuerint, satis erunt quæ nos tradidimus circa auxilia: nam non nisi ex Dei voluntate ad illa peruenitur: etiã postquam publicauero Dialecticam, Paralipomena, & reliqua huiusmodi. Fama publica est, esse quendam virum senem Veronensem, nomine Marteloſium, non alioquin paruæ existimationis, Venetiis degentem; & ob detectas quasdam coniurationes aduersus eorum Remp. præmia & pensiones ab illis annuas consecutum: qui venena omnis generis factitet, & experiatur miro exemplo, sed nunquam tamen audiui illos tali auxilio vsos, sed ne tentasse quidem, neque in infensissimos hostes, nec periculosissimis temporibus. Alios noui alibi, quorum opera regulos quosdam vsos fuisse constans fama est: sed boni genij fuit, tales non eò sapientiæ peruenire posse.

CAPVT VII.

Cura veneni putrefacientis.

CVra eius quod putrefacit veneni, in eo quod putredini resistit, reposita est; quale maximè est scordium; at illud non in pestilentibus, forsan quòd vel frigidum, vel purgatorium esse necesse sit: quorum neutrum cum in scordio sit, ob id scordion in venenatis quidem ictibus omnibus ac morsibus maximè prodest, tum verò in ebibitis medicamentis: velut primo de Antidotis; in pestilentibus morbis non eandem retinet vim. Videtur autem laudari smaragdus & sphragis, coagula etiam leporis aut cerui vel hœdi, tum chamæpitys. Inde quæ sudorem prouocant, succus radicis cyclaminis, lignum sanctum, roriſmarini, vel parthenij eius, quod ambrosiam, tanacetum, vulgus Danedam vocat, decoctum, tum amaranthi florum, seu lagopi. At inter aquas destillatas, solani, smyrnij cardui benedicti, quam herbam Turcam vocant, florum spatthi seu geniſtæ. Illita verò foris oleum pyretri, vrticæve, tum radicis longæ aristolochiæ, vel abrotani: origanum quoque intus atque extrà, sed orientale præcipuè, quodque acre est. Excitatur & sudor laboribus & exercitationibus, vt in tarantulæ morsu, sed hoc in aliis saltem periculosissimum. Celsus libro secundo: Sudor duobus modis elicitur, calore sicco (vt sunt fomenta caldarum) & balneo. Ex his patet, vt vice versa medicamenta epota exterius curantur, velut per interius morsus, ictus, vulnera, vt paulo post dicemus. Quare patet, multum exenteratum commodissimè, si intra illum patiens includatur, curare eos qui venenum biberunt, velut omnes sic affectos, & vulnere malefico perditos: sed maximè putrefacientibus conuenire, atque eadem ratione cucurbitulæ atque huiusmodi. Vt videatur hoc voluisse Galenus quinto de Simplicibus medicamentis, cum dixit: Omne deleterium venenum à foris impositis medicamentis euacuatur.

Verùm in hoc genere est aqua & aër terræ minor, quæ à cornu ceruino destillantur; namque cornua, cerui tyrocnesti comminuta, maximè iuuenum, destillantur balneo Mariæ, & vt cinamonum, exitque aqua minor, quæ venenum potu auocat: reliquum destillatur in oleum per duplicem ollam sub terra conditam, quo loca arteriarum inunguntur. Modum hunc planè docuisse me memini: est autem ceruus tota sui natura contrarius omni venenorum generi, causa autem demonstrabo. Et primùm, quod siccissimum sit omnium sanguineorum animal: idque tribus certis rationibus constat. Prima, quod omnium animalium maxima pro corporis magnitudine cornua generat. Quòd si de vngifero opponas, ille non est animal commune toti orbi, vt ceruus: sed neque illius maiora sunt cornua, licet plura, nec minus ramosa: & forsan, quod ex eorum genere est. Sed etiam ceruus solida habet, & quæ singulis annis, si Aristoteli credimus, mutet; certè sæpe mutare, ostendunt cornua passim inuenta; nam multi credunt non posse tantam molem singulo anno excrescere. Indicio tamen est pro Philosopho, omnis magnitudinis cornua in magnis etiam ceruis inueniri: sed, vt dixi, creditum est, ramis à mutatione annos numerari, vt cum absoluta fuerint, tum decidant. Secunda causa est, quòd felle careant, vt idem autor est. Vnde amariſſimum illi intestinum, ait. Et achainis (genus id est ceruorum, non à regione dictum) in cauda, quare hi venenum in cauda ferre dicti sunt; atque hi soli, sed non fel, verùm virus quoddam & venenum, vt quidam dicunt, lethaliſſimum. Tertia, quod plurimum se exerceat, atque hæc procul à dubitatione. Quòd si addamus etiam prodita ab aliis, ceruos edere serpentes cauernis spiritu eorũ extractos, nil superaddi potest; nam quòd oderint serpentes, quod è cauernis extrahãt, dixi etiam alibi, at quod edant, etiam Scribonius autor est, & quod illis esitatis, ad aquas confugiant, ab eodem dictum est. Minus sanè mirum videri poterit, verba Aristotelis consideranti: Ceruj, inquit, à phalangio icti, vel consimili animali, cancros edunt. Ergo si ita est: primùm qui edat carnem ceruorum assiduè, nil mirum sit si perpetuò febre cariturus sit, quod etiam Plinius in posteriore loco testatur: sed & si siccitate tanta sunt, diutius viuunt, quanquam de hoc

Aristoteles

Aristoteles addubitauerit. Plinij verba sunt loco citato: Vita ceruis in confesso longa, post C annos aliquibus captis cum torquibus aureis, quos Alexander Magnus addiderat, adopertis iam cute in magna obesitate. Quòd si siccissimi sunt, & sanguinei, serpentes autem & insecta siccitate sua venenum fundunt, cum participent in qualitate, dissideant in materia nobiscum, contra constabit antipathia primi generis. Quare omnium venenorum ex animalibus ceruus erit alexipharmacum. Et non solùm dormire sub eorum pelle, aut cornua exurere, nos tutos ab huiusmodi animalibus præstabit, quod omnes autores fatentur: sed etiamsi si quis carnibus eorum vescatur, tanquam Psyllus aut Marsus euadet, nec subijcietur periculo putrefacientium venenorum. Et si bibat perpetuò ex vase facto è ceruino cornu. Demum, vt dixi, aqua & oleum illitos quibuslibet venenis ex animalibus, tum etiam putrefacientibus, seu metallica sint, seu plantæ, egregium erunt alexipharmacum. Nec vera erunt quæ Celsus putat, Marsos & Psyllos sola contrà serpentes præstare audacia. Ex hoc patet etiã, quòd cerebrum cerui auxilium est maximum destillationibus. Et scias, quòd agaricus purgat omnes humores putridos ex natura sympathiæ, & per modum alexipharmaci. Est enim inter putridum & syncerum medius, & ideo proprie purgat eos humores ob substantiæ similitudinem.

CAPVT VIII.

Cura Veneni erodentis

VEnenum erodens pinguibus & purgantibus indiget, propterea olea & pinguedines ab initio multum conferunt. Postquam autem erosio facta fuerit, pinguia, etsi dolorem sedent, putredinem tamen augent, vt tertio Methodi habetur. Igitur & siccantibus indigent, & sedantibus dolorem, & alexipharmacis vtemur, hoc enim inferius declarabimus. Sed non licet, vt in exterioribus, vti medicamento ex ærugine, cera & oleo, neque enim cera aut ærugo interius solent administrari. An quia interiores partes imbeciliores sint, quàm vt possint hæc medicamenta ferre: sed non id, sunt enim validiores: an quoniam, vt dictum est suprà, quæ crassæ substantiæ sunt, vt ærugo, venenum sunt intus assumpta: exterius non nocent, quia non attenuantur, & etiã temperata sunt oleo atque cera? Venenum igitur erodens his indiget, quæ mordacia minimè sunt, quale est lotos seu melilotum: & tamen siccant, atque detergunt. Erit ergo curatio vlcerum internorum, admistis alexipharmacis. Ea igitur erunt, quale centaurium, thus, & eius manna, caryophyllata, solanum, polygonon, spondylon, tussilago, aloes, itis, cyperus, vua passa cum anisо, rhu, balaustium, mel roseum: sed nil præstantius sphragide, & radice cyclaminis, & aristolochiæ maximè longæ, & cinis cancrorum, chrysocolla, dracunculus. Et in assiduo vsu sit radicula, quam raphanum quidam dicunt, detegit enim non solùm saniem, sed etiam venenum, atque vlceris causam. Sarcocola autem, ob miram vim quam habet in carne consolidanda, nomen traxit. Sunt & alia multa à posteris inuenta efficaciſſima: sed & Armenia gleba etiam, quæ in vsu est, multum prodest in huiusmodi casibus. Radix quoque pancis & filicis, inter optima numerantur: proeterea in eiusmodi casibus etiam alia adhibebitur intentio: vt scilicet medicamentum adiiciatur, quod ad illud membrũ quod erosum est, dirigat, itaque ad ventriculum sufficiet, quod non abducat, absynthium, mẽta, cotoneum: ad iecur, lupi iecur, agrimonia, quæ eupathorium & cicorium: ad renes, erithrodanum, halicacabum & cantharides. Liquet ergo, venenorum in huiusmodi non paruum esse vsum. Iam verò post hæc quinta consurgit intentio confirmandi quod laborat membrum, si necessarium sit vitæ. Liquet autem, quòd in hoc opere principalissimum est iecur, nam cor verè principale est: quia rex totius corporis, in quo vita: ideo & anima in eo esse, sed falso dicitur: cum in corpore non sit, neque enim est in loco, quia corpus non est. Cerebrum autem, quod ad operationes, principale est, ac velut vicarius regis: siquidem cor sibi vinit solum, cerebrum autem fungitur munere cordis: at iecur est minister, & velut quæstor totius corporis. Hæc distributio patum æquis auribus accepta, medicos in errorem trium principalium membrorum deduxit: & exinde, quod maius est, etiã trium animarũ. Si igitur principale dicas vitæ fundamentum, velut rustici in ciuitatis constitutione, non aliud quæras quam iecur ipsum: at si de cerebro vt fungitur omnibus operationibus, principale dicemus, vnde si tactus vel alius sensus esset in corde alio modo quàm vis videndi, cor non esset cor, quod tamen videt, audit, cogitat, cor est. Maxima igitur est habenda ratio iecoris. Si verò erosio sit in pulmonibus, difficillimè sanatur: facilius tamen, quàm si ex causa morbi propria: difficilius tamen, quam si ex Gallica lue aut ictu. Non est vt comparemus has ambas, quoniam sunt in diuerso genere. Nã ex Gallica lue mitissima est, & sanatu facillima: ex ictu difficilior: sed ex ictu cum est recens, mollis est, ex Gallica lue semper est antiqua. Si ergo medicamenta inuenerimus, quæ omnes habeant vires opportunas, aut plures: & quanto plures erunt, meliora aut optima, quòd melius à natura compositio fiat: quàm ab arte. Aliter autem vtemur medicamentis compositis ad huiusmodi laudatis, qualia quæ ad phtisicos, ad renum & vesicæ vlcera, ad dysenterias fermè deploratas, cuiusmodi nono de Medicamentis secundum locos celebrantur longa narratione, vt ibidem sit petendum auxilium. Nec vnquam theriacæ obliuiscemur, in huiusmodi negociis. Oporret autẽ vt sit optima, nec quid simile inuenitur. Porrò totum corpus purgare, siccaréque, ac ad optimum habitum reducere conueniet. Et maximè iuribus

ranarum,

ranarum, testudinis, anatum, anserum, ciconiarum, & ceruinæ carnis. Et comedet butyrum assiduè, & vuas passas: & ex oleribus symphytum & betonicam, & lac potabit.

CAPVT IX.

Cura veneni à proprietate agentis.

VEnenum, quod proprietate sua occulta interimit, spiritus, vt dictum est, extinguendo, id agit, ob id illius cura est generalis vtroque modo: scilicet, per ea quæ illud euacuant, & quæ resistunt. Euacuant autem alia quidem substantiam, vt vomitus, purgationes ab initio, & pòst sudores, vrinæ, quæ vim illius, & quod iam affectum est ex humoribus, distrahunt ac minuunt: vt non sit necesse, quod ad hanc partem attinet, proprium aliquod auxilium commemorare. At in his quæ resistunt, alia quidem communi ratione, qua calorem naturalem fouent. Atque hæc iam toties dicta sunt, vt stultum sit ea commemorare. Relinquitur solum, vt de his dicamus, quæ proprietate vim eius comminuunt, tanquam contrarium contrario oppositum. Ergo illud in dubium solum reuocatur, an proprietas proprietati possit esse contraria? nam de qualitatibus istud est manifestum: de pròprietate autem non. In animalibus nihil adhuc videtur esse contrarium, neque enim quippiam herculeo lapidi contrarium est, quatenus aut dirigitur ad borean, neque quatenus ferrum trahit. Sed de adamante fabulantur, de cæpa autem palàm est, quod id agit communi ratione, quia acris est valde, idem allium, & quæcunque huiusmodi sunt. Præterea substantiæ nihil est contrarium, videtur autem proprietas consequi substantiam ipsam. Quod si quis opponat, quæ iam dicta sunt superius de alexipharmacis propriis, nihil est ad propositum, cum sint talia media natura, non contraria: quæ autem contraria qualitate, non natura talia sunt. Dictum est autem vberius etiam de ea in primo libro: oppositum tamen videtur ratio docere, nam, vt dictum est superius scorpiones raphano exanimantur, albo elleboro reuiuiscunt: & ratione identidem. Cum enim proprietas iam concedatur contraria (nam istud dictum est) qui fieri potest, vt non sit similis etiam? nam contrarium vnum vni solum est contrarium: primo Cœli. Et ideo cum simile etiam sit vnum vni genere, dico, necesse est quæcunque similia sunt hominum naturæ, esse contraria proprietate veneno lethifero. Multa igitur numero, quemadmodum viro vir, frater & vir, & puer & fœmina, & equus, sunt similia: contrà dissimilia, venenum basiliſci, arment, aspidis, hypnomalæ: atque hæc illis, illa his contraria. Vt non laborandum sit multum in quærenda proprietate occulta venenis; quæ & ipsa proprietate perimunt. Namque hæc eadem genere, specie & numero eadem sunt his quæ corporis vires similitudine adaugent, duplici ergo ratione, vnica tamen vi, hæc alexipharmaca venenis resistunt, & vt natura contraria illis, & vt calorem confirmant naturalem: ideóque promptè eorum seges se nobis offert. Dicam ergo, quòd smaragdus, hyacinthus, margaritæ, corallus, aurum, argentum, ceruini cordis os, inula, buglossum, borago, pezar, thêriaca, vinum, oua, & quæcunque talia, proderunt, & resistent veneno, vt contraria, atque hic primus modus curandi.

Alter fit per alexipharmaca propria, quæ media sunt natura, vt educatur venenum. Quærendum est ergo, vtrum inter contraria secundum substantiam medium esse possit? nam esse oportet, si alexipharmaca sint. At non videtur, quoniam Aristoteles in Prædicamentis ait, medium non esse inter ea opposita, quorum alterum semper subiecto illi inesse necessarium est: & dat exemplum de sano & ægro. At simile & dissimile ita se habent, non igitur medium est vllum. Sed fallimur: quoniam medium hoc sub vno genere continetur, scilicet dissimilis: sed non adeo dissimilis. An ergo tutum erit exhibere huiusmodi medicamenta, quæ certam habent vim veneni qualitatem augendi, educendi non adeò certam? Videtur sanè mihi hoc dubitatione dignum: atque vtinam Galenus hoc explicasset vel vno exemplo, sed nullum tale habemus, nam caro viperæ in theriaca medium non est natura, sed prorsus venenum, & prorsus simile: at cohibetur, atque coniungitur aliis, quæ theriacæ compositionem ingrediuntur. Ob id ergo dixerim, scripsisse Galenum hac in parte aliena potius quàm propria, vt verecundè loquar. In qualitatibus enim piper dare ei qui euphorbium biberit, esset laborantem enecare: ei qui arsenicum sumpserit, dare cantharidas: aut ei qui cantharidas, dare bupreſtin aut pityocampam, ne id quidem sani fuerit cerebri. Ita ergo intelligendum est in his solum quæ exterius applicantur: veluti ferunt de carne cuiusque animalis venenati, viperæ, scorpionis, lecore canis rabidi: interius tantum cum purgantibus medicamentis, & veneno natura contrariis, non medium, sed ipsummet venenum, aut simile iunctum fuerit, familiaritate certè attractionem adiuuante.

CAPVT X.

Cura morsus & ictus venenati animalis.

GEneralem horum curationem ad vnguem explicauimus suprà: postquam autem venenum eduxeris, cogita quòd fieri non potest, vt securus sis de exquisita illius eductione: ideo ne properes ad consolidationem, sed singulis diebus fugas, aut imponas cucurbitulas, aut carnem mustelæ, aut pullum dissectum, aut frustum carnis omillæ vel hœdinæ: atque etiam quæ extinguunt

guunt venenum ex proprijs aut generalibus, velut oleum scorpionum pro scorpionibus, & phalangium si inueniatur, & stellionum pro viperis, tum cancri marini & testudinis marinæ sanguis, & ranæ, & oleum laurinum, & scilla ex Dioscoride, & generaliter, vt dixi, à partibus iuxtà nascentibus, à contrarijs, vt scorpio, & eius oleum in punctura araneorum, cum sint inimici, ob antipathiam: & araneus ipse mortuus, ob sympathiam, & caseus antiquus. Generalia verò quæ extinguunt, vt mandragora: quæ trahunt, vt sulphur: quæ resoluunt, & sunt calidissima & subtilissima, velut petroleum. Sunt igitur ex his sal, fel taurinum, acetum, sinapis, calx, sisymbrium, calamentum fluuiale dictum, & caprillum stercus etiam ebibitum. Atque hæc, donec prorsus dolor & reliqua symptomata circa locum cessant, virus, malus color, & iam apparet optimum pus: tunc verò curanda sunt cura vlceris: nunquam ergo neque in principio, neque in fine, cura vulneris.

Intus autem propriè conuenit semen harmala, vidi hanc herbam apud Ioannem Daum Anglum, mathematicum insignem. Folio est rutæ exiguo, inuenitur, sed rara, vt refert, in Italia: frequens in montibus, quorum nomen excidit: credo esse inter Germaniam & Italiam, aut ab Italia non procul. Dicebat epotum primò inebriare, inde stupefacere: adeò vt doloribus podagricis singulari esset auxilio, & asphaltici trifolij ambo à Dioscoride descripta libro tertio: Allia, cæpæ, porri, mel, vinum plurimum, opium, cicuta, myrrha, piper, crocus, gentiana, endiuia, dicit Dioscorides, astragalus, erica, propriè baccæ lauri, cyminum, ruta, semen porri, & theriaca, tetrapharmacon. Non præscribitur autem tempus in his, sed in principio exhiberi debent, vt venenum à vulnere diffusum per corpus repellant: postquam autem diffusum fuerit, vt extinguant, & irritum reddant: vbi iam extinctum fuerit, vt detrimenta quæ intulit, tollant, vt infrà videbimus. Itaque in huiusmodi laudatur à Principe sexta Quarti, coagulum leporis, pòst cerui, butyrum vetus, & ius ranarum. Et propterea in omni morsu aut punctura vehementis veneni, vt basilici, armeni, hæmorrhoi, cerastis, aspidis surdi, dipsadis, ac similium: aut si iam innaluerit venenum, quanquam non sit natura vehemens, sed ob moram tale euaserit: curandus est patiens, ac si bibisset ipsum venenum, ideo dandum est, vt ibi Princeps, oleum assiduè, & vomendum, inde etiam clysteribus educendum est virus. Et sufficiunt quæ ducunt feces & aquam vt aloes, oleum rosaceum, soldanella, mercurialis, blitum, malua, mel. Et ita vides, quomodo morsus & punctura transeunt in medicamenti ebibiti curam, & cur. Ergo supremum in huiusmodi, & ex omnium consensu est theriaca optima, & pezar, quod dicam, aut sordes oculi ceruini. Est & tertium genus, quod forsan fit ex sorditie illa ceruini oculi durata, & est lapis, quem describit Conciliator his verbis: Bezoar, est lapis rubens, pulnerulentus, leuis vt spongia, & fragilis vt gypsum.

Propriè autem morsui viperæ conferunt, potus vini puri, & allia comesta. Et dicunt, quòd morsui aranearum confert ferrum superimpositum, & endiuia: morsui autem tutelæ, balnea valde calida, & sedere in cinere, & bibere semen melanthij: punctioni autem apum, bolus armenus, & caphura cum aceto. Aduersus morsum aspidis, est potus aceti, dicit Celsus, Punctioni crabronum, frigidum ferrum superimpositum: scorpionum ictui, semen heliotropij herbæ bibitum: aduersus valde venenata animalia, trifolium, asphalticum, mentastrum, panacon, cum aceto dabis.

Per genera autem sic: Omnia venena quæ magnam sitim mouent, velut dipsas, & canis rabidus, vrina prouocantibus sunt curanda. Omnia venena quæ corpus ipsum refrigerant, vt scorpij & viperæ, vinum, balneum & medicamenta calida. Aduersus ictus qui putrefaciunt, cura est, vt fluat sanguis multus, & superimponatur stercus caprinũ cum aceto ab initio. Et dentur in potu theriaca in magna quantitate, & lapides qui conferunt cordi: pòst admin:strentur emplastra, quæ conueniunt vlceribus putridis. Cùm autem dentes serpentis in vulnere hæserint, si valde venenosus sit, excindere oportet carnem, & adurere: sin autem non sit valde exitialis, fricetur locus cum oleo & cinere, inde apponatur emplastrum ex fermento & cinere. Serpentes verò qui sanguinem multum è vulnere exire cogunt, curantur semine raphani, aut radice lilij & papauere, cum vino in potu: exterius autem portulaca, chamedaphne, plantago, & quæ vicem gerunt cauterij, vt porri, ruta, vrtica, cum hordei farina & albumine oui. In his etiam quæ celeriter occidunt, quod ex symptomatum sæuitia dignoscitur, oportet statim præscindere membrum, & si fieri non possit, ligetur strictè valde inde incidantur venæ, & permittatur sanguis fluere, & aduratur locus vulneratus. Et dicunt, quòd bibere vrinam propriam, secundam à morsu, est alexipharmacum in omni morsu & ictu venenoso.

CAPVT XI.

Cura Morsus canis rabibi.

CVra morsus rabidi canis, est velut cæterorum morsuum venenatorum, nisi quod suctio periculosior est, oportet ergo venenum ad locum ipsum attrahere. Et si æger sustineat, candenti ferro, nihil melius est, aut tutius. Quod si non sustineat, proximum est vt cucurbitulæ cum multo igne super locum apponantur, ac incidantur veficæ, & secetur caro vulneris, & sæpius admoueatur ignis cum cucurbitulis. Et attractio prima est optima & potentissima. Et inde, vt fecit felicis memoriæ patèt meus, superponatur cæpa cruda, & hoc per quadraginta dies, bis in die mutando. Et cum ego superposuissem morsui canis non rabidi, non sum expertus quòd nocuerit, imò iuuit. Et ideo

est

est auxilium tutissimum. Et post hæc conuertemus nos ad peculiaria auxilia, dando primùm cinerem cancrorum fluuialium, quē paratum tenebimus, quia non vbique inueniuntur: Bononiæ quidem non semper, Mediolani nunquam. Est tamen immensa copia astacorum fluuialium, illorum qui prælonga sunt cauda. Et admiscere gentianam, sicut faciebat Galenus. Et manifestum est, quòd etiam bonum esset comedere assiduè ex illis. Et theriaca in hoc veneno minus confert, quàm in alio vllo veneno. Et cura fit per quadraginta dies, quia rarò pòst, tametsi aliquando fiant rabidi post illud tempus. Et secundum auxilium, est elleborismus singulis quatuor diebus exhibitus. Et hoc est indicium, quod iste morbus vt dixi, præreptet per neruos, & elleborus neruos purgat. Et non describo modos, quia medicamentum è cinere cancrorum declaratur vndecimo de Simplicibus medicamentis. Et elleborismus describitur in libello Oribasij, qui adnumeratus est inter libros Galeni, cui titulus est, Quos & quando purgare oporteat. Tertium auxilium est à cantharidibus, quæ vt per se venenum sunt, ita egregium sunt alexipharmacum canis rabidi: præter enim quod educunt illud per vrinam, exiccant adeò virus illud, vt reddant effœtum. Sed hoc mali est in illo, quod cum sit venenū per se, non oportet vt exhibeatur, nisi affectis morbo: quia, vt dixi, validum debemus, nòn quemadmodum in aliis, efficere medicamentum. Si ergo sit remedium canis rabidi, opitulatur, & minus nocet: si autem canis non rabidi morsui adhibeatur, nocet longè magis, quia natura non se exonerat à malo, & cum hoc nihil iuuat. Quartum præsidium, quod etiam multum iuuat eos qui iam ad timorem aquæ deuenerunt, est radix cynorrhodi: & est commemoratum à Plinio, & leges historiam apud illum. Sunt autem duæ plantæ: cynosbatos, id est, caninus rubus: & cynorrhodos, rosa canina: quia, vt reor, vtraque aculeis est durioribus, & tamen hoc est commune vtrique, vt fevant spongijs quiddam simile: sed cynorrhodos sæpius, & in illis vermiculus est frequens in singulis casulis, vt sunt apum aluearia: vnus albus, qui deuorati plurimùm prosunt comitialibus: ideo res magnam habet rationem. Sed difficultas est, quia nil volunt bibere nec edere tales, ideo sunt cogendi contecto vase, ita vt nares contineantur, & sint vincti, vt deuorare cogantur, ideo primis solum horis quibus tenentur eo timore, prodesse potest, nam, vt dixi, hic morbus nunquam excedit quartam diem, ideo si conatus fuerit sic exhibere secunda die, aut pòst, strangulabitur æger in manibus ministrorum, aut omnino reiiciet medicamentum. Et debet esse recens radix, & siccata statim, & læuigata optimè, vt omnino ad cor, inde cerebrum, vis illius deferatur. Est aliud auxilium Celsi, de mergendo patientem in aqua: quod credo esse imaginarium. Debuit enim in tanta re, velut Plinius, addere historiam aliquam successus. Est etiam illud considerationē dignū, cur tam in hoc veneno quàm aliis morsibus locus sit religioni, aut superstitioni: non autem ita in aliis morbis. Sanè constat multos sanari solo attactu clauium ferrearum, etiamsi non sint calefactæ: cumque id contingat in tam multis, necesse est fateri aliquid esse proficere hæc auxilia. Contingit ergo hac ratione, quod animus opinione confirmatus exhilaratis illis depellit vim veneni per sudores & halitus. Vnde venatores & milites forti animo, raro ex hoc casu pereunt: sed viri & pueri timidi, segnes, quieti.

CAPVT XII.

Cura Vulnerum venenatorum, & in quo differant à morsibus & ictibus.

POrro cura vulnerum venenatorum, eadem penè est quæ aculeorum & morsuū verùm cum in his persæpe accidat venas arteriasque diuidi, neruos præcidi aut pungi, non solùm curam de se indicant, sed persæpe præcipuam: vtque in venis astringentibus vtamur, quo in casu plerunque lethalia esse censentur Et duo videntur in huiusmodi cōmunia auxilia, vincula & ignis. Vtrumque prohibet venenum serpere, vtrumque dolorem finit aut lenit, vtrumque sanguinis prohibet effusionem. Et in huiusmodi casibus præcidi solet membrum, & vri. Et permittere sanguinem fluere necesse est: sed non, si vires apertè minuantur. Et super cor refrigerantia, odorata imponere oportet, & exhibere patienti alexipharmaca potentia, vt theriacam, & præcipuè cum vino. Et cibos dare paucos, frigidos & siccos: sed tamen qui plurimùm nutriunt, vt alas pulli cum aceto rosaceo.

Specialiter autem & per singulos modos, vt superius docuimus, ita res tractanda est. Primùm si spiculum infixum fuerit, vel quoniam lignum exciderit, vel quoniam ferrum sit alatum, emplastro attrahente, quali ad venena dictum est superius. ex ranis, limacibus, & arundinum radice, sed & multo herculeo lapide, addito emplastro, extrahendum est, interim verò sanguis ex aduersa parte, si corpus sit plenum, detrahendus, inde ex eadem, si non ex eadem, deriuare bonum est, vt in capitis vulnere, ex cephalica eiusdem lateris, etenim pars detumescit, & dolor non ita acerbus est, vt facilius ferrum medicamento cedat, & minus sit periculi ne phlegmone corripiatur. Præterea si homo inueniatur ex his, qui duobus digitis educere solent ferrum, adhibeatur, declaratum enim est superius, quòd id naturale est, non præcantatio vlla. Tertium præsidium est, vt generalibus præmissis auxiliis, & carne circumcirca incisa detrahatur ferrum maxima vi. Oportet autem illud maximè considerare, ne frustra vexes: qualiscunque vis, modo irrita non sit, ferri leuius solet, quàm si nitaris incassum. Sed & illud animaduertendum, vt ne detrahendo ferrum, venam magnam frangas, aut neruum.

Pro his autem luculenter ſcripta à Celſo libro ſeptimo conſules. Meminerat & prius in Quinto de emplaſtris extrahentibus: commemorátque ſex deſcriptiones, à Diadaphnide incipiens.

Quòd ſi vulnus ex ſerrato ferro ſit, & cuius ſcobs in ipſo concludatur, emplaſtris commemoratis vtendum eſt, & ſanguis mittendus: laxantia non adeò ſunt neceſſaria, vt cum ferrum teli in vulnere remanſit. Multo magis autem herculeo lapide vtemur: quòd ſi optimus ſit, etiam integer, eximere poterit ſquamma ferri; at verò hoc iam quaſi præter propoſitum. Cum verò venenum apertè in ferro fuit, per propria alexipharmaca, quæ ſubiiciemus, erit extrahendum. Quòd ſi ignotum ſit, ranarum caro & muſtelarum optimæ erunt, nam auocant, & venenis, cum hoc etiam ſunt ſalutares. Sed & ſtelliones oleo incocti, & ariſtolochia longa præcipuè. Aut ſi horum copia non fuerit, quæ vehementer trahunt, theriacæ ſunt admiſcenda. Intus autem exhibenda, quæ etiam in morſibus ac punctúris venenatis, præſertim autem pezar ſeu bezoar antiquum: ſi non, nouum: ſi non ſordes oculorum cerui. Poſt hæc ſunt theriaca, & Mithridatum, & ſphragis, & ſmaragdus. Quòd & vbi iſta defuerint, os monocerotis etiam iuuat, rarò tamen & ipſum inuenitur. Sed & ſi non habeatu, ſuſupponemus ſcordeum, diptamum Cretenſe falſo creditum à Dioſcoride, quod flore careat, vt Poëta medicum ſuperauerit: harmala, gentianam, zeduariam, longam ariſtolochiam. Verùm vbi nullum ſit venenum corporeum, ſed vel vis tantum, aut ſuccus quidam, ad ignem confugiendum, ille enim, vt ſæpius dictum eſt, omnes qualitates finit, vltimam naturalem ex alienis à ſua relinquit. Sed cauere oportet, quod aduerſiſſimus eſt neruis. Ob hoc, ſi non maximus vitæ metus ſit, emplaſtris eiſdem eſt vtendum. Mutare autem oportet auxilia, quæ prodeſſe debuerunt, cum non proſunt, plúſque experimento quam rationi tribuendum. At ſi periculum ſit vitæ ingens, perdatur membrum igne, vt totus æger ſeruetur. Iam verò intus tum danda ſunt omnia, quæ maximè venenis reſiſtunt. At ſi periculum non ſit ingens ex veneno, ſed dolor vrgeat, adhibenda eſt caro calida pullorum, agnorum, hœdorum, muſtelarum, murium, aſſiduéque immutanda. Præcipuè autē in venenatis vulneribus hoc eſt conſideradum, præter morſuum ſerpentum curam, aut canis rabidi morſum, aut ictum ex aculeo, quod in huiuſmodi ratio nulla vulneris habenda ſit, ſed metus omnis ex veneno. At in vulneribus rarò venenum magnam vim habet; nam ſi aſpidis ſaliuam cauo telo intrudas, vix nocebit; viua enim ex viuis prodire debent: plurimùm poteſt dentis ipſius præſentia. Tum verò magis licebit exſugere, quod longè tutius ſit, & plus conferat etiam ſympathiæ ratione, quam ſi vllum emplaſtrum adhibeas. Quòd ſi venenum cum hoc diffundatur, & homo perficietur, maxima auxilia adhibere conuenit, vt ſcilicet mulo intrudatur. Sed & balneum pluribus profuit. Cauendum tamen eſt, ne calore aëris balnei vires diſſoluantur. Sed & homines ſunt tam propitij in hoc, quàm ſerpentes aduerſi, vbi ex ſerpentibus venenum ſit: ſed ſi ex metallicis, nil proſunt.

CAPVT XIII.

Cura noxarum ex inunctionibus & ſuffitibus factis cum hydrargyro.

HÆc quidem ad libros de morbo Gallico manifeſtè pertinet, ibique deſcripta eſt: ſed non mei moris eſt, bis eadem de eiſdē ſcribere. Hic ergo, quod par eſt, deſcribemus remedia alia paratu facilia, quemadmodum oleum hypericonis completum, & de baccis lauri; his curati ſunt, quicunq; conuulſione ac doloribus detinebantur. Porrò inungere oportet loca patientia, atque ſpinam dorſi bene, & pingui manu, diuque fricare, & ex calidis bis vnaquaque die: ægrúmque, vt in cæteris periculoſioribus morbis, tenuiſſimè, quod ad quantitatem attinet, alere, prohiberéque à vini potu omnino. Exhibere au autem panem coctum ex iure pulli paucum, & loco calido continere. Cæterùm noxam hanc primùm communibus auxiliis auertere docet, velut ſi mulo includatur, aut balneo, & corpus totū alexipharmacis muniatur. Conueniunt optimi cibi atque potus: non tamen vinum, quod hoc metallicum neruos offendere maximè ſoleat. Cauſa eſt, quod cum caleſcit, attenuatur, & vt in officinis videmus, aſcendit, ac ſumma petit. Et vt ibidem videmus, ex aëris frigiditate rurſus in metallum redit, ita in homine ex cerebri & oſſis, ibique conſiſtit, adeò vt viſum ſit quibuſdam per nares integrum emanaſſe: aliorum in caluaria longo poſt obitum tempore collectum, inuentum ſit. Nocet autem maximè cerebro, quod cerebrum exangue ſit, & à ſtigore patiatur, à calido autem iuuetur: at argentum viuum dum in cerebro eſt, vt dixi, cogitur, & frigiditate ſua vehementer nocet, atque inde etiam tranſmittitur ad neruos: vnde ſidorationes, & reſolutiones graues, & contractiones: in corde autem præcipuè, cum diſſoluatur ob caliditatem, & tunc calidiſſimum ſit. Offendit vehementer etiam antipathiæ primi generis ratione, quamvis non communicet in ſubſtantia, niſi quatenus à natura euictum eſt.

Ea igitur ratione omni ſtudio admittendum eſt vt educatur, & vt noxa ſpiti illata, ac neruis emendetur. Quæ educunt, communia iam dicta ſunt, proprium autem nihil inuentum eſt. Communia quidem ſunt emplaſtra, quæ vehementer trahunt. Et frigiditas facit, vt cogatur & deſcendat. Et calor attenuat ipſum, & extrahit. Ex propriis eſt ipſummet: ſimile enim ad ſimile fermè. Et metalla omnia illud combibunt. Si ergo aſſiduè quis ſe exerceat, argentum per poros exhalabit; cauſa tamen eſt hæc difficilis attractio argenti viui,

vigilia

vigiliarum, doloris capitis in morbo Indico affectis, cum putent esse symptomata morbi. Et in corporibus mortuis quandoque effluit è naribus, quoniam ob frigus necessario cogitur. Eadem autem est ratio cinnabaris, & minij, quæ argenti viui, res enim redit ad idem. Noxa verò emendabitur iisdem, quibus curati solent resoluti & contracti, maximè cum metallicis. Balnea igitur sicca, & quæ sulphure, sale & bitumine constant, non solùm confirmant neruos, & excrementum quod ex mala coctione redundat purgant: sed etiam argentum viuum euacuant quocirca asphalto fouendi sunt.

Quidam verò ex his tremuli euadunt, hos omnes, & qui ob id difficulter spirant, purgabimus medicamento è stibio, neque enim quicquam melius est, inde confouebimus corpus totum, & præcipuè tremula membra fœno viridi, dum in pratis sole siccatur. Alij cæci, alij surdi fiunt. Plurimi ex his ob sudorem copiosum media æstate ex ligni sancti decocto curantur. In vniuersum, cum frigidum sit hoc medicamentum, calefacientibus, concoquentibus, digerentibus, ac vires confirmantibus eò vsque curari debet, donec alexipharmacum occurrat. Bene fecisset autem Galenus, si huius & aliorum alexipharmaca tradidisset. Palàm est autem, quòd sumenda sint ex coniunctis in generatione terræ generibus.

Præterea multis collabuntur dentes, gingiuæ inflammantur, strangulantur cum anxietate, appetitus cibi abscedit: atque hæc etiam post purgatam copioso sputo morbi materiam, Hos restituere decet medicamentis ex similibus, velut decocto ex alumine: metallicum enim est: antipathia enim, vt dixi, & sympathia ex eodem genere sumenda sunt. sympathia quidem ex similibus patienti, vt decocto cornu ceruini, contrariis autem qualitati peregrinæ: antipathia autem ex similibus substantia causæ morbi, contrariis autem in qualitate. Plurimùm ergo in hoc casu confert aqua separationis: iuuant & coralij affricati, qui etiam gingiuis conferunt, hominis autem causa mel rosaceum. Appetitus autem deiectionem restituit exacta euacuatio. Palam autem est, quòd argentum viuum, dum coactum est, frigidum est: destillatum autem, calidum & exurens: coactum verò, quale in vnguentis, & ad minima diuisum, haud certum est cuius naturæ sit. Sistit illud fumus metallorum, sulphur, salina. Vt enim ad minima redactum fuerit, cuicunque lento humori misceatur, immobile redditur: mistum eadem ratione plumbo firmatur. Prius ergo cum frigidissimum, & ab omni calore alienum, postea verò calidissimum, & ab omni frigore remotum, eo in statu erit actu frigidissimum, potestate autem calidissimum.

CAPVT XIV.

Cura Venenorum illitorum, odorum venenatorum, vmbrarúmque lethiferarum.

VNguentum vnguento oppositum: Olei de scorpionibus & hypericonis completi, singulorum libram mediam: bufones viuos magnos tres, verberatos virgulis, donec viribus videntur augeri: viperam orientalem, quæ morsu pullum statim examinet: rutæ semina & scordij, singulorum ℥iij. coquantur in balneo per horas duas, inde maneant diu in sole ex quo inungantur.

Ad malos suffitus, recipe rutam, rorem marinum, hypericonem, cæpas, succinum: coque in aceto acri, & suffumiga quotidie bis. Mali suffitus per antipathiã odore optimo terræ tolluntur. nam malè fungis, vt dictum est, fiunt: boni ergo contraria ratione. Succinum autem, & ambra, asphaltum, sulphur, myrrhites: & quæ redolent gemmæ suffitæ in vsu esse debent, haurire autem fumum naribus, non ore, quippe cerebrum afficitur: atque ambram cum succino & moscho secum ferre.

Quæ verò lepram inducunt, malã sunt periculosa: si tamen occasio detur celeriter occurrendi, Recipe absinthij, lupulorum, rutæ, capratiæ seu herbæ gallicæ, soldanellæ, sonchi viridium, singulorum fasciculum vnum, sulphuris viui in acerrimo, acéto per tres horas infusi: seminis corticum, succi, citrij, singulorum drachmas duas: ellebori nigri drachmam vnam & mediam: ex herbis prioribus quinque detrahito sucum: pòst additis reliquis, præter theriacam, coque omnia in balneo Mariæ: pòst addita theriaca conficies medicamentum, de quo capiet drachmam vnam & mediam bis in die per horas quatuor ante cibum. Exterius inungito hoc vnguento. Recipe axungiæ porci non saliti libram vnam, olei hypericonis completi libram mediam, pinguedinis viperarum vncias tres: misce, fiat vnguentum. Et si vrget res, addito cantharidarum drachmas duas. Porro tota ratio vitæ constituenda est in sudore, exercitatione, balneo, prouocantibus vrinam: idque tamdiu faciendum, quo ad venenum prorsus explodatur. Plerumque enim, vt alias diximus, huiusmodi venena contagiosa sunt. Et quandoque necessarium est curare illos affectus inungendo arterias cum argento viuo extincto, & medicamentis cordi conferentibus, & habentibus sympathiam. Medicamentum nostrum. Recipe argenti viui extincti drachmas duas, inulæ, belzoi, soldanellæ, singulorum drachmam vnam & mediam axungiæ porci masculi nõ saliti vncias tres: olei de lilio cum speciebus, olei hypericonis, singulorum vnciam mediam, medullæ cerui drachmas sex: misce, fiat linimentũ. Iuuant & ad hoc olea nostra in hoc libro descripta.

Non accedas in his casibus ad medicamenta viperarum, quoniam non est labefactanda natura multis variis contrariisque rationibus: sed neque violentis purgationibus corpus euacuandum, quales ex elleboro fiunt, sed leuibus: vt lupulis, fumaria, rosis, aqua lactis, quæ sanguinem purgant, velut & tamarindi, violæ, atque ius galli mercurialis etiam. Omnium autem vna ratio, quam inferius explicabimus, admiscenda alexipharmaca leuia medicamentis, vt scordion propriè, & buglossum & melissam. Et existimant aliqui, quòd margaritæ plurimum possunt in hoc: & oxalis etiam vtilis est vtrique, causæ scilicet & symptomati. Et myrobalani, & coralius est valdè vtilis in hoc. Et succinum, & lapis lazuli, & ribes, & sericum maximè cocco tinctum, & santhali.

Sed si medicamentum omnino lethiferum sit, tunc validioribus auxiliis opus est, oportet igitur vt statim hominem nudum, velut & in veneno epoto, intrudas mulo exenterato, exhibebisque alexipharmaca communia cum cantharidibus: aut si times infamiam, cum erythrodano. Et si deficiunt vires, dabis vinum copiosum cum zeduaria. Et si non potes mulum habere, nec equum, pone eum in balneum, & permuta aquam calidam sæpe. Et da illi theriacam, & reliqua alexipharmaca communia: sed præstantior hoc in casu est theriaca. Et si non habes, vel non iuuant, da ei myexim subtiliter contritum, & allia contrita & diluta. Et da carnes viperæ decoctas: sed tutius est, si tempus habeas, dare carnem pullorum, qui pasti sint ea carne. Et fac vt exerceat se assiduè, nec dormiat. Et ratò euadunt tales omnino incolumes.

Vmbrarum autem malarum cura est, per ea quæ occurrunt comitiali morbo: igitur in hoc casu exordiri oportet rationem curandi comitialem morbum. Et in hoc non me extendam, sed sufficit commemorare smaragdum inter reliqua, pæoniam, rutam, & huiusmodi. Verùm vmbræ quæ terrent, homines aliquos mutos reddunt, aliquos expilant, aliquibus vngues cadunt: quidam ægrotant, aliqui etiam ex eis moriuntur. Vmbræ autem tribus modis apparere possunt: vel, vt vna res sub alterius specie appareat, quod frequenter accidit: vel vt imaginetur, quod non est, & præ timore illud videre sibi persuadeat: vel, vt verè à dæmone aliquo spectrum se offerat. Non est autem locus, vt hoc determinemus hic: sed dicamus, quòd cum homo timet propter vmbram, calor reuocatur ad intima, & mens perturbatur, ideo homo amittit vocem. Et si timor magis vrgeat, extrema refrigerantur & contrahuntur, & pili cadunt. Et si adhuc magis, velut in frigore, corrumpuntur vngues, & denigrantur, & cadunt. At si, cum hoc corpus plenum sit malis humoribus, graniter ægrotant: & si vires sint imbecilles, aut aliquod impedimentum ex membro aliquo imbecilli vitæ necessario, morietur æger: si non, necessariò sidérabitur. Oportet igitur timorem esse magnum & diuturnum, & hominem insuetum & solum: aliter qui nauigarent in tempestatibus, post eas interirent. Causa est, quoniam vbi est aliquid spei, vel vbi sensim timor inuadit, non est metus ille adeò pernicio sus: quoniam vbi sensim contrahitur sanguis, spiritus seruantur, nec cor opprimitur: sed quem recipit sanguinem, remittit ad venam arterialem, atque ita impletur pulmo, & ob hoc à metu multi fiunt tabifici: vbi non possit plus remittere, non recipit, sed repellit: atque ita non suffocantur. Similiter, si adsit spes, motus ille reditus sanguinis tardatur, & non suffocatur homo. Ex quo patet, quòd aliqui mortui concidunt ex metu, dum cor nimis impletur, vt non possit dilatari. Et rursus, quòd metus repentinus periculosior est, & deterior quàm expectatus. Et quòd multis qui pro mortuis elati sunt, & postea verò sunt mortui: si quis statim sanguinem misisset è vena, rediissent ad vitam. Illud etiam ex hoc patet, quòd in vmbris, quæ metum incutiunt, prima curandi ratio debet esse à missione sanguinis, & quàm celerrima. Postea sunt inducendi in balneum, sic vt respiret patiens frigidum aërem: & fricandi artus atque extrema aqua calida, donec rubescant, & liberè respiret. Pòst danda sunt, quæ cor confirmant ac refrigerent: velut rosæ, santhali, endiuia, & talia: & aluum subducere oportet, & vt maneat in loco temperato.

Pueris autem hæ vmbræ terribiles, ob id solent mouere comitiales morbos, quòd sanguis ex timore contrahatur: & fit suffocatio in corde: vnde concusso primo principio & inflammato, repentè cerebrum, quod imbecille est, in illis impletur superfluo humore & cruditatibus, & ex eo incidunt in comitialem morbum. Vnde curatio eadem esse debet, mittendus est sanguis per cucurbitulas, fricanda sunt extrema, ponendus est in balneo aquæ calidæ: danda sunt quæ comitiali morbo puerorum aduersantur, smaragdus, craneum hominis à viuente aut occiso excisum, & statim siccatum: semen cupressi, vermes spongiæ, cynorrhodi. Abstinere in huiusmodi morbis viris à vino necesse est, pueris verò adhuc magis.

Porrò odores cum aliquando statim occidant, sicut & timor, vnguenta autem intra diem vnam: exemplo sumpto à peste ipsa bubonia, quæ quandoque intra diem occidit, at vnguenta ipsa vehementiora esse necesse est, si occidere possunt, cum non inficiant aërem: igitur celerius occidunt quàuis peste. Similiter & odores, cum cerebrum feriant. Contingit illud idem, quod Hippocrates dicebat septima Aphorismorum: Quibus cerebrum concussum est, in tribus diebus pereunt: si verò hos euaserint, sani sunt, non potest cerebrum externum incommodum diu ferre: & quanto magis est incorporeum, quòd detrimentum infert, eò vehementius oportet esse, & statim occidere, aut omnino non occidere, sed conuulsionem mouere. Itaque cum talia sint fermè omnia præsentanea, oportet antea munire corpus ac cerebrum, ne obesse possint. Magis autem nocent, vbi quis ieiunus fuerit: iuuant autem non tolùm quæ naribus admouentur, sed

etiam

etiam quæ manduntur. Non oportet odorare fungos, non capsulam vbi serpentes iacuerint: nocent odore putrida omnia, apollinaris, opium, mandragora, cicuta. Et vbi multæ rubetæ aut viperæ habitarint, aut serpentes pernicioſiores: ſpecus, vbi reconditum fuit frumentum, adeò vt repentè occidant: & ſepulchra antiqua, & arcæ cum pannis reconditæ. Et locus occluſus per aliquot dies calce illitus & fumus argenti viui, & lignorum rhododendri, & fumus carbonum, ſi locus ſit occluſus, & calce illitus: & metallicorum quorundam fodinæ. Singula horum quandoque repentè occidunt. Contrà confirmant cerebrum, roſæ & flores odorati, & mala appiana, & rubra quæ odorem remittunt, cotonea, pyra, ſanthalorum omne genus, gummi animæ albæ, violæ purpureæ, lilia, nymphææ flos croceus, lignum aloes, garyophyli, moſchus, muſcus, zibethium, caphura, ſed pauca, crocus: & in ſuffitibus, belzoi, thus, ſtyrax, myrrha. Sunt & alia plura, & maximè nunc ex nouo orbe. Et mors quæ contingit ex odoribus prauis, eſt ſimilis apoplexiæ. Et dux Galeazius Maria vicècomes, qui tot vrbes Mediolanenſi regno adiecerat, ex illito veneno creditur extinctus: quamuis morbus ex quo obiit, fuerit diuturnus.

CAPVT XV.

Cura Veneficiorum philtrorum, frigidorum, præſtigiarum & faſcinationum.

AD eos qui concumbere nequeunt, Apuleius (ſi qua fides huic viro adhiberi poteſt) ita ſcriptum reliquit: Leontopodij frutices ſeptem abſque radicibus decoque, & luna decreſcente lauato eum qui frigidus eſt, & teipſum, ante limen ſuæ domus prima nocte. Et ſuffumigato herba ariſtolochiæ, & redi domum, illum nequaquam reſpiciens. Aliud veriſimilius. Ex pugione quo homo ſit occiſus, tres facies annulos, vnum geſtabit collo appenſum, ſecundum in digito, tertium cernici ſubdat. Iuuat & pugionem ipſum ſupponere ceruicali. Plinius mirum in modum commendat abrotonum, adeò vt etiam puluinari ſubditum, prodeſſe putet. Putant generaliter omnibus his generibus prodeſſe centaurium deuoratum, duplex genus: minus, cuius herba in vſu eſt: maius, cuius radix rhaphontici ſub nomine venalis eſt. Inde moly deorum, ab Homero appellatum, cuius Plinius deſcribit figuram, medium quaſi inter cyclamen ac ſcyllam: huius habet folia, illius radicem. Sed & cyclamen ipſum ſi ſeratur in domo, & verbena ſi ſuſpendatur, quam ob id hieroboranen, id eſt ſacram vocant herbam, plurimùm prodeſſe creditur. Huic ſuccedit betonicæ ſemen, quod qua die homo deguſtarit, negant poſſe vllo genere veneficij tentari. Inde ſemnion à Plinio colore pennarum pauonis: & heliocallis, quibus Perſarum reges intus priore, extra poſteriore vti referunt. Poſt lotos, id eſt, ſertula campana. Inde ſemen filicis, quod apud me eſt. Decimo loco ſcylla: hæc auerruncant.

Ad philtra & amorem heroïcum, ſtercus amatæ, neſciente illo impoſitum, eum odoris fœditatem ſenſerit, amor ſoluitur. Soluunt amorem magna auxilia, ſectio venæ copioſa, purgatio cum elleboro, venus aſſidua vſque ad delaſſationem, labor magnus, inedia diuturna, verbera, longa peregrinatio, timor magnus, aut magna triſtitia. Pudore, reprehenſione non tollitur, ſed contabeſcit homo. Studio tamen laudis & gloriæ, qui ingenui ſunt animi liberantur, dum alterum perire neceſſe eſt. Vnde fertur, Ageſilaum, cum in caſtris puerum haberet ægrum, quem plurimùm amabat, motis caſtris eum reliquit, dicens: Difficile eſſe amare ac regnare. Ludus quoque aleæ & latrunculorum aſſiduus multum iuuat: & margaritarum puluis, & mandragoræ radix ſæpius ebibita, ſic vt obliuionem inducat, non inſaniam. Et ebrietas ex vino dulci, hac in cauſa etiam pervtilis eſt. Et moſchus & inula, conueniunt omnibus philtris ac veneficiis.

Faſcinatum infantem ſuffumiga filicis herba, ita iubet Apuleius. Opitulantur faſcinatis, quæcunque cor confirmant: ſmaragdus, hyacinthus, theriaca. Inungatur patiens ſucco artemiſiæ, & ſuffumiget ea: verbena autem ſuſpendatur in cubiculo, ſuffitus ex auro, thure, myrrha quæ bibita etiam ſanant comitiales. Item ex ſuccino, ſanguine accipitris, & aquilæ aut columbæ. Et dormire in pellibus lupi: ſed longè melius ſub culcitra pellis leonis. Et carbunculus granatus magnus, ardenti prunæ ſimilis, & quaſi ſoli collo appenſus. Et comedat aſſiduè bugloſſum, petroſilium vulgare: & muniat animum philoſophiæ præceptis. Et legat Theonoſton. Et mutatio regionis ad hoc confert. Et vincire frontem corio frontis aſini, creditur vtiliſſimum ad faſcinum. Et ſatyrion herba cum radice, ſi edatur, aut appendatur. Et pæoniæ maſculæ radix plena luna. Præſtigiatos, & qui terrentur fruſtra perſomnum, vt aliàs diximus, ſanat adamas ſiniſtro adalligatus brachio, vt carnes tangat. Coralius etiam valdè rubet, ſuſpenſus è regione oris ventriculi: amethyſtus quoque chelidonius & gagates appenſi: & iaſpis orientalis, topaziuſque. Sed præter cætera carbunculus albus, gemma alba, ſed ſic dicta, quia nocte ſplendeat: omnes enim tales gemmas, cuiuſcunque ſint coloris, carbunculos appellare ſolemus. Præterea geſtatus in digitis cæruleus lapis intermicantibus aureis ſtellis, res pulchra, tametſi rara. Ex amuletis, non lapidibus, mumia, pæoniæ radix, tum moſchus, dénſque longior lupi, vel canis. In cibis caro lupi, & magis illius cor: auri ſcobs tenuiſſima, allia, cæpe, fraxinus, olea: purgare quoque corpus cum elleboro, vel armeno lapide. Mandragoræ ſuccus ex duobus obolis, id eſt, granis viginti quatuor. Eſt enim alexipharmacum magnum, ſicut & quæ comeſta & appenſa, velut dictum eſt: moſchus, hyacynthus, topazius. Quæ verò ob ſiccitatem cerebri multo

el ieboro indigent,& assiduo vsu eius,tum cęrulei lapidis aut armeni, balneisque & margaritis. Et comedant butyrum recens plurimum, & lac bibant ouillum longè plus, & edant cerebra gallinarum, & amygdalas recentes cum saccharo. Deuotum hominem delustrabis aqua fontana,immistis radicibus siccis aspatagi. Apuleius. Ad idem tutius, & quod differt, quamdiu manserit:omnia conuertentur in bonum ex Dei auxilio, qui tibi præfecit, quo seruèris. Auxilium è supernis fallax non est:consistit autem in perfectione summa,id est triplicata. Et sensus,& verborum, & elementorum numerus in hoc conuenit. Nunquam amouebis à te,neque mente,neque verbo, neque corpore. Serua cor sincerum erga Deum, & illius vita te tuebitur. Pœniteat,cupiat,deliberet, cõfidat,qui à deuotione liberare se velit. Quod referunt de Psalmo illo,Iudica me Deus, & discerne causam meam: credo verum non esse, quoniam non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Melius ergo solum tutis inniti. Et vmbra sapientis ac felicis defendit hominem, non deuotum diuinis verbis ob sympathiam. Deuotum autem magicis carminibus atque opinione,confirmat adamas gestatus in brachio sinistro, velut dictum est de præstigiatis. Differunt, quoniam præstigiati medicamentis mouentur à mente, deuoti re diuina, aut dæmone, vel astrorum vi,aut opinione. Ad deuotos plerumque conferunt, quæ ad præstigiatos. Et huiusmodi hominibus confert edere corda luporum,& os cordis eorum, ac leonum:& cubare sub leonis pelle.

Ad veneficia autem,quæ,vt dixi,potionibus & substratis, aut contactu maximè inituntur,celebratur asphodeli radix,tum etiã planta tota. Sed & aquifolia, vbicunque sata fuerit,arbor est. Rostrum quoque lupi & cerui cis pellem integram gestare, amuletum creditur aduersus illa:ius etiam galli,aut gallinacei veteris, ex agresti mustela ebibitum. Hæc magis rara,quæ subiequuntur:cynocephalia,quàm puto Iosephus Baras vocat. Sane eius loco quæcunque planta noctu splendet, gestabitur amuleti loco. Edidit de his opusculum Gesnerus, & de Antithora. Amiantes persimilis est gypso splendido, seu lapidi speculari: verùm filis plenus est, resistitque ignibus, hic gestatus,creditur veneficiis resistere. Forsan si quis talchum esse dixerit,cum parum natura dissideat,non aberrabit. Vterque enim splendet,ignibus inuictus,& fila habet,sed longiora amiãtos. Generaliter autem prosunt quæcunque ad præstigiatos, & similia facientes faciunt: velut moschus, theriaca, syrupus, nymphea, caro ipsa viperarum,abscisso capite & cauda. Balneum assiduum, & ellebori potus cum pinguibus, confert plurimum. Referunt inter amuleta plurimum prodesse chelidonium lapidem suspensum: sanguis quoque caninus ob sympathiam,inter alexipharmaca numeratur, maximè cum hyacintho, smaragdis margaritis.

CAPVT XVI.

De Cura veneni temporanei.

PEr hæc ad temporanea venena, quæ quanquam periculosa sint, & difficilia, non oportet tamen animum remittere, sed fortiter resistere. Sunt autem quatuor generum: quæ putrefaciunt,quæ obstruunt,quæ erodunt, quæ à proprietate agunt, vt canis rabidi morsus. Quæ igitur putrefaciunt,aut à proprietate agunt, curanda sunt prouocantibus vrinam vehementer, & sudores. Et ex sudorem prouocantibus sunt, quæ dicta sunt: principaliter autem etiam venenis resistunt, radix aristolochiæ rotundæ, radix scordij, rosmarinus, cardui benedicti radix, quibus potest addi lignum sanctum. Quæ autem vrinam prouocant, Erithrodani radix, spica Inda, petrosilium: & si necesse est, cantharidarum modica pars adiiciatur. Frangemus & veneni vires antidoto hoc: Recipe theriacæ optimæ nondum fermentatæ, libram mediam, terræ Lemniæ drachmas tres, smaragdorum orientalium drachmas duas, pezoar grana quadraginta: succi cyclaminis, id est, radicum eius recentis vnciam vnam: aut si fermentata sit, concreti vnciam mediam: albæ partis stercoris columbini drachmam vnam & semis, cantharidarum drachmam semis, cineris cancrorum drachmas duas, radicis gentianæ scrupulos duos, terantur subtilissimè, & misceantur, dantur scrupuli duo cum aqua destillata ad balneum Mariæ, solani vel torismatini, vel herbæ Turcæ vocatæ,ad quadraginta dies intengendo corpus, sudorem enim aut vrinam prouocat, & frangit vim veneni. Si verò fuerit erodens, coralium exhibe assiduè,& radiculam agrestem, & oleum copiosum, nam vides quòd Galenus tertio Artis curandi dicit, quòd oleum prohibet æruginis erosionem, sicut ærugo olei vim putrefacientem in vlceribus: & antequam putredo incalescat, pinguedinibus vtemur: si iam erosio multa sit, vitro, & albo tartaro, & coralij puluere. At si obstruat medicamentum, chalybis limatura, aceto & aqua abluta toties, vt in formam argenti splendeat,tenuissima cum saccharo rosaceo molli vtemur, nihil timentes nec morbum, nec auxilium. Sunt qui auri limaturam adhibeant: quæ si prosit, etiam in reliquis vtilior est.

Quæ verò erodunt, statim curanda sunt multo butyro, & radicula, & tartaro, & aphronitro. Et caro bubula, & lac, propriè resistunt erosioni.

Quæ autem proprietate interimunt, mullo lacte frangenda sunt, & alexipharmacis, pezar, scobe oricis, multa theriaca, multoque smaragdo, & si scias suum proprium adhibere antidotum: quæ verò mole sua, iam dictum est de gypso, hydrargyrium autem purgante medicamento & saltu indiget (descendit enim) oleique aut pinguium iurium, si displiceat, immenso potu atque

assiduo,

assiduo, sit autem calidum. Inde cum suo antidoto. Sed si in aurem immissum sit: facit autem dolorem auris, inde capitis, post conuulsionem saliuæ debet extrahi. De hoc aliàs diximus. Satis est quòd optimum est, vt manu contraria apprehendat anulum, & super partem illam, vbi est argentum viuum, se inclinet, & saliat assiduè, donec totum excidat. Est spuma argenti parum à gypso dissimilis, eisdemque auxiliis curanda.

Quæ autem tabefaciunt, propriè aconitum, & multa alia, theriacis, & balneo, & ficubus, & multo lacte curari debent. Et sanantur, nisi repetatur; & aqua limaciarum est optima in hoc casu.

Quæ autem vasa frangunt, thure, aloe, mucilagine psilij, citoniorum. Et antidotum eorum, est oleum balsaminæ, & bolus armenus, qui est in vsu, & camecissi & plãtaginis succus, & portulaca: & generaliter omnia frigida, quæ tenacem habent succum: & æmatites Hispanus. Et herba Sicula, & quam vulgus vocat liliaceam.

CAPVT XVII.

De Modo tractandi venena, sine noxa.

FOrsan quispiam hoc in malam partem vertere poterit: nam si docuerimus tutò tractare venena, poterunt confici odore lethalia, quale illud circulatoris, nescio an verum, quod Matthiolus enarrat, & quod attactu solo, de quo ambigendum non est. Illud sanè atrocius, cum neque tutum sit obturatis naribus talia tractare, quando quidem & ad cor permeant. Esse eiusmodi, docet vis illa sæua pestis buboniæ: propterea nil tam sacrum, quod violari non possit: & paratæ falces in vium agri, conuerti in arma latronum. Itaque cum timere sit necessarium à cibis non solùm, sed attactu atque odoribus (velut de filio Turcarum principis, qui adolescens cùm ingressus fuisset balneum, vt referunt, expirauit.) cubicula sint suspecta: ne quis ingrediatur, nisi perflato loco, suaserim: nec ignibus aut odoribus fidat: quin etiam præmittat imbecilliores, & qui facilè exanimantur. Armatus sit vndique chirotheciis, obstructis naribus, mandet gariophylum, aut rutam aggrestem cum aceto, & imbuta oleo asæ dulcis. Et vt denique dicam, suspecta non attingat, nec odoret. Quo demiror, cum illi circulatores manifestè inimicitias exercerent, quomodo ille odorem floris hauserit. Tertium præceptum est, vt optimæ theriacæ magnam quantitatem præsumat: aut si non habet, mediam, vt in succidaneis. Post hæc bene potus mero accedat. Oportet autem, vbi attigeris, reiicere chirothecas, locum multa aqua frigida cum cinere abluere. Vbi quis ex odore nocetur, sternutamenta, lanaria, radicula, pipere, ruta ex aceto excitet; post vbi senserit se recreatum, odores florum cum aceto, & moschum maximè & succinum. Et vbi sub diuo signa reiecta sunt destillationum, nil attrectet, nec ib: consistat: sed more veterum, vestibus omnibus exutis atq; ablutis, seipsum luitrabit.

CAPVT XVIII.

De Cura indicæ luis, elephantiasis, scabiei, pediculorum, phthisis, atque similium.

POrrò phthisis curatio, quanquam difficilis sit ob distantiam loci, recta via à gula, & assiduum motum pulmonum, tum quia tussi expurgari locum necesse sit, huiusmodi est, si spes subsit. Alatur carnibus auiũ, ouillis aut piscibus cartilaginei generis semel in die, vomatque ex lenticulæ decocto (id enim iubet Hippocrates secundo de Morbis) singulis quatuor diebus. Per interualla autem dabis ellebori albi totam quantitatem: aut, si vires minus ferant, dimidium. Purgabis quoque lacte asinino, in multa quantitate. Et si malè oleat sputum, suffitum parabis huiusmodi, quod ad vlcera praua & chironia conueniat: velut radice aristolochiæ longæ, galiopsis, myrrhæ resina, cadmia vsta, diphryge, rosis, centaurario, sarcocola, squamma argenti, chrysocolla. Quandoque autem necesse est transire ad minium, æruginem, litrum tostum, calcem viuam, thus cum vrina pueri impolluti. Facit & erysimum, & cinis cancrorum, & terra Sarda, qua tinctores vtuntur cum sæuo bubulo. Camæleontis etiam nigri, & gallæ immaturæ, & chalbani, & ammoniaci; alia quoque quæ etiam in ore teneri possunt: squammæ æris læuigatæ ʒs. resinæ larieis siccæ ʒs. mannæ thuris ℥iij. melle crudo mundo excipito: teneat in ore, & sine melle suffumigato: potes & diphrygem addere. Aliud: Ichthyocollam cum acerrimo aceto dissolue, & ei adde squammam æris, & terram eretriadem, & melle excipe. Tenere autem oportet assiduè in ore. Quædam etiam deuorari possunt: velut cinis cancrorum læuigatus, vt sumantur ℥s. pro vice cum zucaro rosacto. Betonica quoque, & lappa maior, & irion, & quam vocant brancam vrsinam: in cibo autem hanc assumere præstat. Facit & ad huiusmodi tussilago, & succus radiculæ agrestis. Hippocrates autem nos iubet, si quicquam ex cerebro in pulmones defluat, per nares deduci debere. In omnibus autem bonum est, vbi curatus fuerit iuxta Galeni præceptum, ægrum & lacte asinino, & mutatione aeris ad locum eminentem recreare. Sunt etiam inter auxilia carnes ericiorum, vulpis, testudinis: sed vulpis maximè pulmo. Iuuant & ossa maxillarum lucij, tartarum album cum saccharo rosaceo, cucubali folia, & thytsum (est autem descripta à Plinio) partem vnam: pastelli, quam describit Plinius Secundus, partes duas: infundes in vino, aut succum exprimito, &

cum pane imponito foris : tum verò etiam intus edendum dato, & contineat etiam in ore. Optimum autem est, quod est secundum sympathiam ex pulmonibus, vtpote vulpis : & ex his quæ vlcera sanant insanabilia, velut quæ ad sordida vlcera & carcinomata & chironia, & habentia labia dura : ex metallicis, & herbis, & oleis destillatis, velut chalcanthi.

DE CVRA.

DE Indica autem lue, tum elephantiasi, curam vt proponam specialem, locus non est, cum ad eam vix sufficiant octo libri à me instituti : verùm solum generaliter horum capita attingam. Quæ quod ad victum attinent, constant in exiccatione, & moderata caliditate aëris, cibi & potus pauci & natura sicci, exercitationis & sudoris, & euacuationis assiduæ cum elleboro nigro, & sanguinis deractione cum somno longiore ob coctiones, & vt opponatur siccitati reliquorum. Et vnguentis ex napello & hydrargyrio, & minio, & cinnabari : tum suffitibus, & ligni vtriusque Indici vsu, tum cyna & sarza parilia, & aliis etiam efficacioribus. Quanquam ligni sancti decoctum, cum sit acre id lignum, valde amarum, pingue & odoratum, Paucis cedat : reliqua sunt temperatiora, cyna & sarsa parilia, & mundicie.

At scabici & pediculorum ac similium per aerem valde calidum & siccum esse debet, ac perflatum, cibos qui parùm nutriant, & sicci sint & paucorum excrementorum : aniculæ tostæ, pisces petrosi assati, cum aceto & cinamomo communi, mel, saccharum, amygdalæ contritæ & coctæ, exercitatio, sudor, frictio longa, summa mundicies, mutare interulam, & quæ carnes tangunt quotidie. Sudor in balneo sicco, inde lauare se cum aqua in qua abrotonum decoctum fuerit. Purgatio assidua cum myrobalanorum decocto in gallo veteri, citrinorum chebulorum vel emblicorum & nigrorum Et si non sufficit, pascantur gallinæ & galli, qui etiam sunt meliores furfure, & elleboro nigro, & soldanella : sed sensim assuescant, ne pereant : inde coquantur plenè origano, thymo & mercuriali, & sumatur ius illud. Et inungantur pulsus & volæ manuũ, & plantæ pedum, oleo ex sulphure & ex baccis lauri, addita myrrha odorata, aut styrace. Et fiat terra Cambili huiusmodi. Recipe sulphuris, æruginis, singulorum libram; squammæ aris, chalcanthi, aluminis, salis & nitri, auripigmenti citrini quod vocant rosagallum, picis nauallis, resinæ laricis, baccarum lauri, staphisagriæ, radicum lapathi, singulorum libram mediam : hydrargyrij destillati, cantharidarum, singulorum vncias duas, trita omnia subtilissimè ponantur in vitreo vase securo & oblito luto, aut figulino vitreato, ex his quæ ignibus resistunt, & coquantur in furnace vitri aut laterum per tres dies, & extractus cinis subtilissimè teratur : cuius vsus multiplex erit. Primùm pro pauperibus, & pro canibus & iumentis misceantur cum oleo è lini semine, vnciæ duæ cum libra, & coquantur per tres horas super cineres : & inungantur pulsus, & loca affecta, ac volæ manuum & pedum : inde inuoluantur linteis calidis, & bene tectus decumbat, antea cœna sit lauta cum carnibus pullorum, & aromatibus, & vino flauo, potenti, copioso : & hoc alternis diebus, sic vt ter repetatur. Pòst lauet se in aqua decoctionis tartari & oxalidis, in balneo, qui ordo etiam seruandus erit in omnibus. Modus secundus, pro nobilioribus, idem fiat in oleo roseo pigmentariorum, & tantundem coquatur in balneo Mariæ, & coletur. Modus tertius, pro delicatioribus, in aceto destillato aut succo limonij per tres dies maneat : inde coletur, & erit pinguis, sed bene exprimatur, & addatur moschus. Aliud facile. Recipe olei laurini ℥ij. olei ex sulphure ʒs. ellebori albi lænigati, tartari albi, lachrymæ iuniperi, singulorum ʒij. lactis tithymali vel alterius similis, quanto plus colligere potueris, aceti destillati ℥ij. stiracis ʒs. confice vnguentum. Ad acrem scabiem. Recipe olei ex tartaro albo ℥iij. caphuræ ʒij. misce & inunge. Est tartarum album, fex vini albi, quæ concrescit Bononiæ, & Romam versus, vel propter alumen quod ei miscent : vel quia vini natura lapidea est, & salsa, vnde, quomodocunque id accidat, huiusmodi vinorum potus, quæ splendidam fecem gignunt, vt ibi vidi, calculos generat tantò efficacius, quantò pulchrius est. Tartarum Mediolani non concrescit in lapidis duritiem, tantum abest vt in splendidam materiam, vbi vstum fuerit, & in calcem candidissimam redactum, vase marmoreo, vel etiam sponte, loco humido soluitur in oleum. Chymistæ, vt celerius conficiant calcem eius, ardente aqua excipiunt : & vbi solutum fuerit, aquam igne absumunt : sed hoc impurius est. At vt ad rem redeam, qui acri scabie laborant, maluam & herbam purpureæ violæ affatim edant, & lupulos, & semina peponum. Et zeæ panis confert huiusmodi morbis, quia siccior est, & minus nutrit triticeo, & tenere in area cum interulis saccalum croci recentis & staphisagriæ, prohibet generationem pediculorum in his qui interulis illis vtuntur.

CAPVT XIX.

De Custodia ab aëre pestilenti.

CVstodia à pestilenti aëre multiplex est, ac prima quidem versatur circa ipsius aëris partes, velut mutationem regionum, maximè ad montana : vbi enim assiduus est ventorum flatus, neque corrumpi aër, neque vapores corrupti diu vim suam retinere possunt. Iuuat etiam conclaue eiusmodi habere apertum in sylua ex odoratis plantis, quale vides. Sunt autem, malus medica, ex plantis hortensibus arancia, limonia, myrtus. Ex arboribus, laurus, cupressus, iuniperus, rosæ, picea, etiam pinus ac latix, & quæcunque virent tota hyeme, & sunt

sunt odoratæ. Ex herbis autem, sampsuchus,



ozimum, violæ, & quos vocant garyophyllos: cumque è terra vapor prodit, altiora cubilia sunt vtilora: cum mucescit panis in illis, inferiora. Qui verò non tam potentes sunt in cubili circumuestito, è tabulis cupressi, aut saltem piceæ ad amussim se condunt. At si moram non patiatur res, odoribus atque suffitibus, locus est muniendus. Sunt autem è suffitibus, vrina hirci, & asa dulcis seu odorata. Ex his quæ citra ignem odorem reddunt vehementissimum atque iucundum, sunt moschus & crocus integer, tum garyophyli cum camphora, & rosæ siccatæ in vmbra, aquaque rosacea conspersæ, & eædem recentes, tum lilia. Et ex fructibus cotonea, & mala medica. Refert Athenæus in tertio Dipnosophistarũ, citrium & per se & melle conditum aduersari omnibus venenis, tum soluere ventrem: qua ratione etiam ad præseruandum valet, velut & aspergere pauimentum aceto, maximéque rosaceo, tum etiam abluendo corpus.

Alia est ratio circa corpus ipsum, vt aër non noceat, ac primùm præfertur exercitatio, narrat Rasis ex Galeni auctoritate, contigisse vt in quadam peste, in qua omnes periere, soli seruarentur venatores, ob assiduam exercitationem, exiccat enim corpus, velut & Russi catapotia, quæ aloe, ammoniaco & myrrhæ dimidio pondere constant (aliter describuntur ab Arabibus) ex quibus ille affirmat neminem obiisse, qui quadraginta perpetuis diebus vsus fuerit, sumuntur cum vino diluto. Laudatur theriaca à Galeno, & bolus Armenus, vt nono de Simplicibus medicamentis: & purgatio ac venæ sectio, quorum meminit Princeps prima Quarti, & sumpsit à Galeno in primo de Febrium differentiis: sed ipse non meminit sectionis venæ. Et in eodem genere est, quod expertum est, defeire auripigmentum album super cor. Et forsan iuuat ex antipathia, seu sympathia, vtrumque enim dici potest: sympathia ad genus, antipathia ad speciem referri potest.

Celsus præterea iubet, vt alternis vicibus aqua & vino vtamur: additque, quòd peregrinatio & nauigatio optima sunt, de quo dubium non est. Verùm de purgatione, venæsectione, atque alterna vini potione, etiamsi ad dies referatur, difficultas est non leuis, videtur enim primùm sectio venæ imbecillius reddere corpus: præterea purgatio mouet humores tempore adeò periculoso. Similiter & alterna illa potio quantum obesse possit, quisque videt: quantum iuuare, non intelligo, nec video. Propter hæc dico, quòd præceptum illud de venæ sectione intelligendum est, quandocunque corpus fuerit robustum, & dispositio aëris nondum inualuerit. Et ideo ista sunt facienda ab initio, cùm constitutio nondum multos cogit ægrotare: vbi autem inualuit, non est tutum. Purgatio autem securior esse videtur, & maximè cum his quæ à proprietate resistunt prauæ qualitati humorum, in quo casu laudari solet trifera Persica. Sed non est hæc regula etiam tuta, quia, vt visum est, adueniunt etiam in pestis tempore fluxus pernicioſi, quo in casu minimè tuta esset purgatio: sed potius danda sunt quæ prouocant vrinam, & hæc sunt securissima, tum ratione generali, vt visum est in cura generali venenorum & canis rabidi, tum ratione auersionis.

Olei quoque vsus copiosus eadem ratione quæ dicta est, præseruat à putredine; non enim calescere possunt, quæ non siccantur sed refrigerantur. Tormentillæ quoque radicis vsus videtur aduersus aëris initias salutaris: tum verò & quæ dicta sunt generaliter aduersus venena, & quæ dicentur aduersus contagium: sicut & hæc, aduersus illa, sed non tam propria. Inter reliqua autem quæ vtilia sunt, & iucunda, est serapium ex succo limoniorum, si quis eo assiduè vtatur; post quem est syrupus ex succo citrij. Verùm vsus horum copiosus esse debet, atque assiduus. Et dicunt, quòd spiritus equorum non sinit corrumpi aërem, ideo versari in illorum stabulo bene mundo (nam fimus coinquinat illum) est salutare, securúmque. Et dicunt, quod vti carne columborum assiduè, aut gestare hyacinthum orientalem, præseruat perpetuò ab vtraque peste.

CAPVT XX.

De Cura febris pestilentis ab aëre.

PRimùm igitur incipiendum esse à sectione venæ, iubent medici, cuius causa tamen non id conuenit, sed in duobus tantùm casibus: primus est, cum habitus id exigat, etiamsi nulla febris adsit. Nam Galenus libro de Sectione venæ, iubet illam sanguinis multitudinem redigere ad temperamentum, inedia, balneo, frictionibus, atque huiusmodi: sed in pestilenti febre, cùm non det tam longas inducias, & periculum adsit ex plenitudine, etiamsi nulla adsit febris, necesse est statim sanguinem mittere; nam iuuat ratione habitus præter naturam, & materiæ febris etiam: nocet autem ratione qua pestilens: quia vt pestilens est in toto sanguine iuxta quantitatem, licet non iuxta perfectam qualitatem: igitur duo commoda debent præferri vni iacturæ, & mitti sanguis. De hoc igitur legas in vndecimo Contradicentium Dubitatio relinquitur solùm, quando cum plenitudine exacti fuerint aliquot dies, & tunc quoniam febris ex pestilenti

ſtilenti aëre totum ſanguinem corrumpit, & quatenus illum corrumpit, non eſt facienda ſectio: igitur vbi magis corruperit, eo minus eſt facienda ſectio: quo ergo aër magis fuerit contagioſus, & corruptio maior, tanto minus conuenit, ſi differatur. Si ergo peſtilens fuerit aër & febris, aut morbus fuerit ex eo genere qui perimat quarta die, non licebit mittere ſanguinem vltra primam diem: nec forſan ſi multitudo non fuerit nimia, vltra duodecim horas primæ diei. Sed ſi perimere conſueuerit in vndecima (ratò enim exeunt dies iudicatorios) non niſi in ſecunda die: & ſi in quarto decimo, vſque ad tertium, nam hæc perinde ſe habet ad quartamdecimam, vt primus ad ſeptimam, ex regula Dialectica reflexa. Nam octauus dies tantum diſtat à quartodecimo, quantum primus à ſeptimo: ſed ſi in octauo facta eſt corruptio media & maior die vna, igitur per primam regulam debet retrahi ad quintum diem: ſed in quinta cum ſit paritas ex ratione materiæ, vires ſunt debiliores duplo, ac magis quàm in prima, cum morbus mortē eſt allaturus in ſeptima, ſeptima enim pars eſt minor dimidio tertia parte: igitur tertius qui eſt medius inter primum & quintum, ſe habet ad quartumdecimum, vt primus ad ſeptimum in morbis, in quibus ſeptimus & quartusdecimus pariter ſunt exitium allaturi. Pari ratione vſque ad quartum, cum morbus eſt exitialis in vigeſima: & maximè, quòd in quinta non licèt, aut ratò, ob acceſſionem mittere ſanguinem. Sed ſi non ſint exitiales, verùm plures euadunt ex regula Dialectica, licebit vlterius extendere tempus ſectionis venæ: & quanto plures euaſerint, igitur & in ſecunda, ſi ex dimidio fermè ſeruentur: & etiam in tertia, ſi plus quàm ex dimidio. Secundus caſus eſt, cum febri peſtilenti abſceſſus iungitur, vel ipſa febris peſtilens per abſceſſum perimit: oportet autem eum eſſe ex interioribus: dicemus & de hoc peculiariter infrà. Portò vbi adſit neceſſitas, nec liceat ſanguinem mittere per venæ ſectionem, cucurbitulas applicabimus, tùm maximè quòd natura eò criſim, id eſt ad exteriora dirigere ſolet: tum quia materiam non trahit ſuper membra principalia: tum quia non miſcet ſanguinem, nec debilitat vires quantitate, de qua ſit curandum.

Circa purgationem autem, cum in his videatur materia turgere (certè vbi non turgeat, non eſt purgandum, cum omnia detrimenta quæ in non peſtilenti obſtant, augeantur) ſequi oportet rationem generalem, & purgare oportet. Peſſimè ergo faciunt, qui in materia quieta minuere conantur, cùm nihil vtilitatis afferant, ſed multa incommoda: augent febres, obſtructiones, debilitant vires, mouent materiam è loco, vt tardius corrigi aut concoqui poſſit. Præterea addunt peculiare damnum, appetitus deiectionem: quod pernicioſum eſt, vt dixi, in huiuſmodi morbis. Et eſt ſententia Hippocratis tertio Epidemiorum: & qui ex longis morbis, & qui ex acutis, omnes alui purgatio ſuſtulit.

Quod ad nutritionem attinet, videnda ſunt primùm ea quæ in ſexto libro Contradicentium ſcripſimus. Et breuiter, vti oportet cibis qui aliquo modo nutriant: & quanto febris eſt minor, & morbus magis peſtilens, nam cauſa morbi non eſt, quæ coctionem impedit, ſed morbus: & iactura virium poſtulat cibum: quanto ergo febris fuerit minor & prauitas maior, eo magis nutrientia conueniunt: contrà, minus, & ita de duobus aliis membris. Nam ſi febris & prauitas maxima fuerint, ſeu dederis, ſeu non dederis, omninò morietur, & contrà, ſi febris & qualitas peſtilens remiſſa, vtroque modo æger facilè ſeruari poterit. Eandem quoque rationem obſeruare oportebit in temporibus morbi, plus nutriendo in declinatione quàm in ſtatu. Quo ad quantitatem autem, ſequi maximè conuenit caloris naturalis magnitudinem (hic enim à viribus multum differt) & conſuetudinem, circa numerum autem cibandi conſuetudinem præcipuè, vt in prima Aphoriſmorum.

Circa aërem, dubium relinquitur, an calidus an moderatus ſit vtilior. Frigidus enim magis reſtaurat ſpiritus, pro quo generaliter diſputatum eſt ſecundo Contradicentium. Certum eſt, quòd aër ſiccus eſſe debet, purus & odoratus: calidiſſimus autem eſt vtilior, tum quòd prohibet omnino putredinem, tum quòd diſſoluit eam quæ iam facta eſt ſubtracto fomite. Quinimò adueniente feruore æſtatis, non ſolùm ceſſat peſtis multiplicatio, ſed ex his qui ægrotant, plurimi ſeruantur: igitur calidior aër in extremo ſalutaris eſt. Ignibus ergo & ſuffitibus eſt calefaciendus, ac ſiccandus. Et ſuccinum, acetum ex caryophyllis, & xiloaloes, optima ſunt, & ſimiliter corpus optimè veſtibus integi debet: eodémque in ſitu manendum; non ſolùm vt materia foràs euocetur, & meatus arteriarum in cute aperiantur: ſed etiam vt calor auctus putredinem extinguat. Et ſi obiicias illud Principis, Et oportet vt infrigides domos eorum: Reſpondeo, quod exponit ſemetipſum de frigiditate, quæ fit per odores, aliàque poteſtate non actu frigida.

Quocirca quærit, an in huiuſmodi febribus conueniat materiam foràs euocare, videtur enim vtile: quoniam vndecunque natura repit, inde ducere per conuenientes regiones. Natura autem per abſceſſus, tubercula, puſtulas & maculas plures liberat: igitur medicus ad eandem partem trahere debet. Exemplum habetur ſeptimo Epidemiorum de Andrea, vbi inquit: Circa vigeſimam quintam puſtulæ pruriginoſæ calidæ, velut igne ambuſtæ, ſeruatúſque eſt. Et in quinto Epidemiorum: Euphranoris filio puſtulæ velut culicum morſus, poſtridie febricitauit. Et licèt non dicat, apparet tamen quòd ſeruatus eſt. Et quamuis Pherecydes poſtea obierit, ſeptimo Epidemiorum: clarum eſt quòd non vi febris, ſed ex morbo pectoris, & abſceſſu obierit. Præterea abſceſſus fiunt, inquit Galenus, non præcedente vrina concocta, ſed in huiuſmodi morbis non fit concoctio: ideo terminari non poſſunt, niſi per abſceſſus aut decubitus. Apparet etiam ex tertio Epidemiorum:

Plurimis

Plurimis igitur ipsorum abscessus ad suppurationes contigerunt, carnium ac neruorum elapsus magni. Erat autē & fluxio collecta, non puri similis, sed alia quædam putredo, & fluxio multa ac varia. Quibus igitur circa caput horum aliquid fieri contingit, his glabricies capitis ac menti fiebat: & ossium denudationes ac elapsus, & multæ fluxiones tam in febribus, quàm etiam sine illis. Erántque hæc horrenda magis, quam mala. Quibus enim ad suppurationem talium maturatio peruenit, horum plerique seruabantur: quibus autem inflammatio, & ignis sacer discessit, talem autem nullum abscessum fecit, multi perierunt. Et ad hoc facit dictum Principis in quarto libro: Et oportet tegas ægrum, sic vt calor exterius attrahatur. Quidam tamen recusant hunc curationis modum, dicentes quòd primum cucurbitulæ ficcæ non debent adhiberi, nisi purgato corpore: Galenus libro de cucurbitulis; in his autem, vt dictum est, corpus est plenum humoribus pravis. Præterea dicunt, quòd quæ cum sacrificatione adhibentur, refrigerant cutim: igitur prohibent naturalem euacuationem. Accedit, quod vtræque impediunt motus naturales, cum non sciamus quò natura tendat: igitur nocebunt, & non iuuabunt. Præterea euacuatio illa ad externa fit, non cocta materia, ideo symptomatica, quæ nunquam bona: quarta Aphorismorum. Sed omnia hæc sunt vana, & nugæ: nam attractio ad exteriora cum fuerit, ratione totius potest fieri; dictum enim Galeni intelligitur, cum intendimus euacuare, vt in scabie; nam plus attrahitur, quàm educatur è loco. De refrigeratione loci dico, qui cucurbitulæ vicem gerunt sectiones venæ, in eo quod trahunt ab intus, non ratione tōtius corporis, sed venarum magnarum, & colligitur hæc sententia à Galeno in libro de Sectione venæ, & ab Oribasio in septimo Collectionum. Quòd verò attinet ad incertum motum naturæ, dico quod certi esse possumus, nullam aliam viam esse salutarem, præter effusionem copiosam sanguinis, quia illa coctionem non præsupponit, & vrinarum multitudinem; iuxta illud primo Epidemiorum: Vrinæ multæ, crassæ, variæ. Post subiicit statim: Et eorum neminem mortuum vidi. Tum in tertio, ibi: Nam in multis morbis purgationes per vesicam factæ, bonæ sunt. Fallit, vbi fuerit ex colliquatione multitudo, vt infrà: Multitudo vrinarum non bonarum, colliquationes malæ. Ex his, omissis illis quæ Fracastoreo sine experimento, ratione & auctoritate dicuntur, sex occurrunt quæ maximè probantur: Bolus armenus, theriaca, vt supra, & smaragdus, vt etiam Auenzoar, & nos feliciter experti sumus. Tria reliqua sunt cantharides, quæ fermè in omni veneno, vt dixi, prosunt. Et stercus columbinum, quod adeo laudatur ab Auenzoar in purgationibus. Et auripigmentum album, quo vtebatur Aloysius de Vicecomitibus, cum bolo Armeno & Lemnia terra; & si non habeantur hæc, poterunt loco eorum addi hyacinthi & margaritæ, & huiusmodi. Et quamuis dicerent quod interficeret ægros: non negarim sanè, quod aliquos, sed valde paucos, forsan vi medicamēti occideret: nihilominus, postquam plures longè seruabat quàm cæteri medici, clarum est non fuisse rectè dictum, quod occideret: sed fuisse calumniam ab aliis medicis iniunctā; nam in verè pestilentibus non puris popularibus hoc vtebatur auxilio. At si multi seruentur, mitioribus est vtendum, quale est etiam oleum de scorpionibus Matthioli, & nostrum, & quæ dicta sunt. Et vt experientia comprobatum est, velut cuique veneno suum conuenit alexipharmacum, ita vnicuique pestis speciei, quo inuento omnes fermè sanantur. Porro de his in sequenti agam Capitulo; nunc satis sit difficultates commemorare, quæ impediunt quo minus facilè huiusmodi febres curari possint. Atque harum prima, est causa potens ac permanens, aër scilicet, qui cum morbum generare potuerit, & illum seruare & augere longè etiam facilius poterit. Ipsa contagij ratio, quæ finem nullum admittit, nec per venæ sectionem, nec medicamentum, nec inediam: quæ tria potissima sunt, & sola medicorum vsitata præsidia. Denique febris ipsa adiita, quæ in ichoribus accensa est, concoctionem postulans, & inediam, quæ non patitur huiusmodi febris.

Erit ergo forma victus, vt speciatim subiiciam, hæc: Pullus oxalide, capreolis vitium, berberis recentibus, tum, emphacio, labrusca, inula, melissa, petrosilio, boragine, buglosso, bibinella, cotoneis, auro, margaritis, hyacinthis, smaragdis, succóque limonij, citrij arantiique conditus: tum etiam endiuia pro cibo erit, iúsque ipsum pro potu; citria quoque tota comedat, si potest, cum pane in eodem iure madefacto: nonnunquam & lenticula odorata pro ferculo cum pullo cocta, aceto insuper addito, vtatur: vel in potu syrupum de aceto duplicato acetosum cum decocto tormentillæ: nonnunquam vinum à malis punicis, aquæ destillatæ cum tormentilla vel oxalide misceatur. Quandoque si caput non lædatur, vel syncopis timeatur, vinū album, odoratum, leue cum aqua, clysteres molles, frictio, alexipharmaca, vigilia perpetua, donec inclinauerit morbus, magis necessaria quàm in intermittētium accessionibus; oportet siquidem cum hoste, qui assiduè nos vrget, etiam nos assiduè acriterque pugnare. Vnde & cucurbitulas affigere siccas in singulas horas, & aërem siccare succino dulci, assa, & hirci vrina oportet, maximè cum vel palpitationem cordis sentit, aut anxietatem, vel animi deliquium, vel cum extrema refrigerantur, aut nauseabundus est: hæc enim quinque viæ sunt ad interitum. Porro sub anxietate, inquies, comprehenditur & suffocatio: quodcunque horum adfuerit, vel si vtraque pejus, anxius dicitur. Ergo in singulas sex horas (tot enim fieri solent mutationes, veluti in anno à Sole, & in mense à luna) accipiat hoc decoctum: ℞. ficus pingues excoriatas tres: scordij, florum lupulorum, foliorū viridium cardui sancti quem vocant herbam Turcā, singulorum ʒ.is. radicis fœniculi ʒ.ij s. lentū excoriatarū ʒ vj. rhu seu thois ʒ j. laccæ electæ ʒ ij. coquantur lētes primò in libra aquę ad consumptionem medietatis, inde addantur reliqua præter scordion; quod in fine

adiici

idiici debet : cola & exprime, & propina cum ℥ j. syrupi acetosi ex aceto duplicato. Singulis autem duabus horis immitte saccharo e floribus boraginis, aut syrupo, succo citrij, puluerem ex bolo Armeno nostro, sed optimo, & smaragdo orientali paribus portionibus : quibus addatur orycis aut eboris scobs, & os ceruini cordis, tertia ex parte foliati auri decima, in pollinem hæc præter derasam scobem redigantur. Loca pulsuum in carpis pedum, manuum, & in temporibus & cordis muniantur oleo suprascripto. Et licèt immiscere oleum asæ dulcis, seu belzoi destillatum, & non absre fuerit oleo è santhalis atque rosis immisto regionem iecoris inungere, & ventriculi : imò optimum esse duco. Super cor sacculum deferat è nymphæa & croci floribus integris, tum rosis, xiloaloes, santhalis citrinis, garyophyllis, caphura, belzoi, sæpius aspergatur aceto rosaceo. Superius docui suffumigium ad malos suffitus : cui addito flore sambuci, fiet egregium ad pestem.

CAPVT XXI.

De cura pestis buboniæ.

AT buboniæ pestis cura tanto difficilior, quanto morbus ipse præceps & contagium maius, adeò vt omnes societatem etiam charissimorum refugiant, vix parentes filiorum ægrorum consuetudinem sustinent. Quandoque vna pestis tertiam partem hominum absumpsit. Propriè conueniunt, quæ vires reparant. Et aqua rosacea in potu, boraginis, petrosilij, scordeon. Et potus multi olei in hoc iuuat, sed in siti magna loco aquæ exhibendum : pinguia vt accendunt calorem, ita putredinem, vt dixi, restinguunt. Referunt esse ignis speciem, quæ aqua magis accendatur, oleo extinguatur, credo esse flammam oleo ipso accensam, aqua enim, vt vidi, talem flammam irritat. Sed & potus multæ aquæ frigidæ persæpe curat eos. Et aquam filipendulæ multi collaudarunt. Medicamen nostrum acceptum à patre meo Facio Cardano, expertum valde, quo vti debemus singulis sex horis. ℞ aloes partes duas, gentianæ radicum, chameleæ albæ radicum, centaureæ maioris radicum, diptami albi, quo vtuntur pharmacopolæ, rosarum albarum & rubrarum, santhalorum itidem alborum, rubrorum & citrinorum, myrrhæ, bem albi, foliculorũ sennæ, scordij, sphragidis, boli Armeni orientalis, quo vtuntur pharmacopolæ, singulorum partem vnam : ossis cordis ceruini partem mediam, scobis eburneæ tertiam, croci duplum, scobis auri foliorum partem decimam : rediganturin pollinem, & dentur cum vino drachma vna prima vice, inde media : vt seruetur, redigitur in massam cũ melle rosaceo : quantitas drachmæ duæ primùm, pòst drachma. Exterius, si qua parte doleat, aut inflari incipiat, cucurbitulis materia est auocanda : tum emplastris suprà dictis, ammoniaci lachryma, fermento quoque, tum bubonij radice, quam adeò collaudat Fracastorius libro tertio de Morbis contagiosis, hoc modo : Folia angusta digiti longitudine, virentia, subasperа : surculi multi ex vna radice, in syluæ modum : atque in eorum summo purpurei flores plurimi, qui in medio lutei sunt, & ob id speciosi, referunt enim chamemæli imaginem, iuxta Benacum lacum frequentes.

Propria verò curatio in hoc genere est per ea quæ exterius trahunt venenum, & bubonem ipsum, & citò eum concoquunt : & sunt hæc varia in singulis specieb. Constat enim quòd anno M. CCCCLI. pestis illa nullum recepit auxilium, nisi ex ranis viuis superpositis : & cum moriebãtur, applicabant aliàs, donec cessarent symptomata prorsus omnia veneni. Et ideo debemus experiri cùm his, tum muribus, gallis, palumbis : inde cum lacte, cæpis, ruta, ficubus, fermento : tum etiam cancris, piscibus, & per singula genera rerum, quæ verisimili ratione prodesse possint. Princeps tertia Quarti laudat emplastrum ex lupo salictario, attriplice, capillo veneris, radice althææ, cum pauco ammoniaco & melle ac vino : tum etiam radicem cucumeris anguini cum pice brutia, aut picea quæ sponte fluit. Sed in priore emplastro Paulus, ex quo desumpsit, loco lupi salictarij habet parietariam, sed & secundum ad rumpendum est, velut & lupini amari cum aceto dissoluti, & capparis radix, aut nitrum cum fermento vel ficis. Et quod optimum videtur, dissoluitque ac trahit, affer Atticus, de quo suprà : ob id dictum bubonion, vt reor, non quidem quod referat stellam flore, vt communiter creditur, imò folio potius, frequens in locis aridis. In quo etiam consentit Matthiolus, asserens chamemælo similem esse, passimque inueniri. Citantur ex Virgilij monumentis appositè ab eo huiusmodi carmina.

Est etiam flos in pratis, cui nomen amello.
Fecère agricolæ, facilis quærentibus herbæ.
Namque imo ingentẽ tollit de cespite syluam.
Aurens ipse, sed in foliis, qua plurima circum.
Funduntur, viola sublucet purpura nigra.

Deinde paulo pòst :

Asper in ore sapor.

Illud non ferendum, quod Princeps iubet in huiusmodi repelli, ambiguo sermone : cum Paulus dicat apertè, si non adsit febris, febrem enim non adesse, & morbum non esse pestilentem, se consequuntur. Quòd etsi latitare febrem contingat, vt repellendo falli possis, respondebit quiuis Dialectica quantum opus est instructus : vt hoc rarò accidet, ita ratus error contemni in tam magna mole poterit.

Sed ad victus rationem redeo : Cum in hoc morbo ab initio purum ab impuro segregatum sit, conandum est totis viribus ne virus serpat, ideóque vomitoriis, clysteribus, frictionibus agendum est, tum cucurbitulis, ac si quisquam venenũ iam hausisset, quod partim extra iecur esset, partim vltra. Et qui viriliter in hoc agũt, plerumque euadũt. Quòd si motus veheniens sentiatur, purgabis cum helleboro : & si quieuerit motus, vrina prouocanda est cum his etiam quæ venena

educere

educere solent, vt sunt phu seu Valeriana, apium, iuniperi fructus, & rapæ semina, betonica, & similia, celebratur & ab empericis tuta capraria, seu Gallica, herba anagallis, liguſtici radix, eius quòd Angelicam vocant, tum ari. Cauere in his oportet ab initio pinguibus & quasi media hæc est febris inter venenum & pestem, vt abstinentia vtilis in eis sit. Et vtemur iure pulli exili macroque, ac bene cocto, & permutato cum isdem fermè, de quibus antea dictum est, Et Princeps iubet ab initio imponi cucurbitulas loco dolenti, & scarificari: quod à ratione alienum non est: Et sectio venæ & purgatio eodem fermè modo se habent, vt in ea quæ fit ab aëre, verùm in hac sunt minus periculosa, quamuis videatur contrarium: quia plures ex hac quàm ex alia pereunt, ob morbi sæuitiam.

Decarbunculi autem cura cum simo columbino, tum aliis (nam de eius essentia in secundo Contradicentium actum est) non malũ forsan fuerit ascripsisse carmina Quinti Sereni præcipua:

Hunc veteres quondam variis pepulêre medelis
Tertia namq; Tuti simul, ac centesima, Lini
Charta decet, ferrotalem candente dolorem
Exellum, aut peto raparum semine pulsum.

Inde paulo pòst:

Dulcaridam, laticemque cumini semine sunges,
A que sinum pariter Paphia compone columbe:
Hinc line duratas partes, & clausa venena:
Præterea tritis referant ad operta lupini:
Nonnullus calcem viuam dissoluit aceto,
Fumantémque niuem papulis apponit acerbis.
Est qui gallina perducat stercora corpus:
Allia vel piperi parcè commista linuntur,
Pythagoræ cognata leui condita cumino.
Proderit, & maaida fermentum polline turgens.

Primum autem auxilium ex T. Liuio, vt dicit, deceptum charta centesima tertia, præstantissimum est.

CAPVT XXII.

De Custodia tractantium huiusmodi ægros.

GAlenus vndecimo Artis curandi, breuissimè omnis putredinis curam atque custodiam quatuor verbis descripsit, dicens: Putredini contraria sunt euacuatio, ventilatio, perfrigeratio atque concoctio. Ideo fontes, qui talia tractant, sibi faciunt: & profuêre multis non solum in hac peste, sed ea quæ fit ex aëre. Et similiter vrinæ prouocatio: cum quibus autem, iam sæpius dictum est. Purgatio verò per aluum tuta non est, nec vtilis: at sanguinem ciere, aut vomitum, hoc ipsum pessimum est. Ergo fontes in syluestri brachij parte, aut sub genibus facere consuetuerunt. Accedentibus ad ægros, mandere corticem arantij vtile fuerit, & inter duos cereos magnos accensos, ventilatio hac in parte suspecta est. nam arteriæ aërem corruptum attrahunt. Neque ergo nimis aperire, neque concludere poros: sed in hac aperire, in ea quæ ab aëre fit puros, occludere magis conuenit. Perfrigeratio autem vtilis est: sed facere, quàm dicere, difficilius, præsertim quòd multi ob id solùm seruati esse creduntur, quòd allia & cæpe assidue essitarent, & aër frigidus plenus sit vaporibus multis, ob id frigida actu corpora seruare decet. Cæterùm cæpe & allia euacuant per halitum & vrinas. Vnde etiam scabies vtilis: concoctio autem generali ratione est necessaria, vt ne quis crudo cum ventriculo aut tecinore motus suscipiatur.

CAPVT XXIII.

De Alexipharmacorum compositione, & numero.

PRincipale alexipharmacum omniũ confessione est theriaca, ignota antiquis Latinis, Celso, Eroiuliæ, seu Eroti Iuliæ (fuit enim Libertus eius medicus, Augusti ætate) Trotulæ falso appellato, & Scribonio Largo ipsius Augusti medico. Primus enim eius inuentor Andromachus tempore Neronis, teste Galeno, primo de Antidotis: qui aliquot commutatis, inter reliqua viperarum carnes addidit Mithridatis descriptioni, qui & ipse vtebatur compositione sua mithridatica, licet non adeò efficaci, comprobata tamen in nocentibus, per singula venena singulis auxiliis. Testis est Celsus, libro quinto eam describens. Constat XXXVI medicamentis, melle excepto. Apud Andromachum secundo de Antidotis, mithridatica habet radicem dulcem, salem, scordium, cypheos, fœniculum, nardum Indicam, meu, lachrymam Arabicam, scincum, phu, vinum: vndecim plus quàm apud Celsum, quæ verè fuit mithridatica. Deficiunt quinque: cuminum, thapsicum, sagapenum, iris & longum piper: vt sint XLII simplicia. Suprà ergo mithridaticam Andromachi, eius theriaca habet pastillos viperarum, & scyllæ, & hedychroum loco cypheos, napi semen, agaricum, schœnum, diptamum, stœchadem, apium, marrubium, calamentum, chamepitym, amomum, pentaphyllon, chamedryn, sphrahidem, chalcitim, centaurium, carpobalsamum, amnin, asphaltum, aristolochiam, quæ sunt XXII. Si quis ergo mithridaticam componeret ex descriptione Celsi & Andromachi, seniorem semper intelligo, contineret simplicia XLVIII. quia vtrumque piper, velut & in theriaca, apponitur, longum & nigrum: quibus additis XXII, fierent omnia LXX. at non sunt nisi LXIIII. omisit ergo Andromachus primo de Antidotis, sex, ex his quæ in mithridaticam suam vel mithridatis recipiebantur, cypheon, acorus, cuminum,

cuminum, sal, scincus, spica nardi. Sed mirum est, quòd in mithridatica ponat Andromachus nardum Indicam, & spicam nardi, quasi duo. Sed iam tempus est, vt quorundam præceptorum reminiscar. Primum, vt antidotum vtranque, id est mithridaticam & theriacam, conficiamus iuxta Andromachi senioris descriptionem, non Galeni: cum priores expertæ fuerint à Cæsaribus, adeò vt Suetonius referat, Neronem non ausum tentare matrem venenis, quòd sentiret munitam esse antidotis. Et Galenus ipse non suam, sed Andromachi confecit. Hæc etiam antidota, dicebat Galenus, præsumpta longè plus possunt, quàm si pòst quintuplum aut sextuplum sumant. Vnde patet, quanto celerius, tanto melius, vbi pòst contingat accipere. Illud etiam animaduertendum, theriacæ duo esse principalia fundamenta, crocum & viperam: quæ si non optima sint, labor totus perit, nam viperæ carne propriè resistitur venenis: croco autem deducitur statim medicamentum ad cor, ideo hæc eligi debent summa cum diligentia. Constat etiam theriaca medicamentorum pondere sibi proportione respondentibus, scilicet XXIV. XII. VI. III. II. I. vnde ponderis ratione scyllitici pastilli prævalent, inde theriaci, opium & piper longum, & hedichroum. Pòst hæc erunt scordium, rosæ, napi semen, iris, agaricum, cinamomum, succus dulcis radicis, opobalsamum. Iuxta hoc ergo componemus mediam theriacam validiorem prima, sed non adeò tutam. Recipe pastillorum scylliticorum par. XXIV. pastillorum è viperæ carne, hedichroi, opij, piperis longi, singulorum partes XII. agarici, cinamoni, scordij, rosarum, seminis napi, iridis, succi radicis dulcis, opobalsami, singulorum partes VI. croci partes III. mellis partes CCLXXXVIII. vini XCVI. Quòd si ademeris ea quæ sub pondere sex partium adiiciuntur, mel autem CXLIV. partibus, vinum XLVIII. fiet theriaca potentissima, sed minimè tuta. Perfecta ergo theriaca, vt dictum est, constat LXIV. medicamentis: media. XVI. minima, VIII.

Vt verò viperam eligas, facilè id assequeris, si fœminam grauidam inuenias, nam sola è serpentibus animal parit: parit autem ad XX. nec mater aut proles cibum capta gustat: maximè tamen paruis auiculis è nido sublatis, & musculis gaudet. Superuiuunt tamen sine cibo ad triginta fermè dies. Vbi genus inueneris, præstat è locis calidis, siccis, aridísque eligere masculas, hæ duos tantum caninos habent dentes, vt libro de Theriaca ad Pisonem: sub veris fine, fuluas, viuaces, lato capite, ventre propenso, toto corpore sinuosas, meatum habentes excrementi: imò caudæ propiorem, mobilem, viuacem: quæ plurimum à plano se attollat, ardentibus & toruis oculis, inde coge singulas crus, aut sub ala pullum mordere: & qui celeriter expirabunt, eorum viperas elige.

DE PROPRIIS AVTEM SINGVLORVM

Alexipharmacis tabulam hoc modo, venenis præpositis, subiungemus.

	Alexipharma
1 Hydrargyrij	Columborũ agrestium stercus, vel costum nostrum, quod in vsu est.
2 Minium & cinabaris	Spodium ex ebore
3 Æruginis	Coralius
4 Gypsi	Muris stercus
5 Cerusæ	Vinum dulce ad ebrietatem
6 Cyanei lapidis	Succinum
7 Napelli	Mus suus, Moschus
8 Leporis marini	Rubetæ cinis, caro vulpis assata, & ostrea
9 Fel viperæ	Theriaca
20 Extremitas caudæ cerui	Theriaca
11 Salamandræ spuma	Halicacabi semina
12 Putrefactis	Scordion
13 Cucumeri asinino	Mentæ succus
14 Cãtharidarum	Halicacabi semina
15 Chameleæ lxij	Origanum
16 Rhododaphne	Iuniperi succus
17 Ricini	Hypericon Alexipharma.
18 Anacardi	Pini semẽ torrefactũ
19 Nucis vomicæ	Citri cortex
20 Viperæ morsui	Theriacã epota
21 Scorpionis ictui	Scorpius superpositus
22 Aranei puncturæ	Endiuia epota & superposita
23 Rutelæ seu tarantulæ	Melanthion, & saltatio ex musica
24 Odori venenato	Vrinæ cerui suffitus
25 Vmbiæ tossici & Rhododaphne	Iuniperi suffumigium
26 Opio	Castoreũ, vel assa, vel ecysir
27 Mandragoræ	Radicula agrestis
28 Solano	Cancri marini, & locustæ
29 Thoræ	Antithora
30 Hydrargyrij cocti vel sublimati	Crystallus
31 Auripigmenti	Oleũ è nucleis pini
32 Æris squamma	Acori succus
33 Spumæ argenti	Ricini semen
34 Adamãtis scobs	Radicula agrestis
35 Herculei lapidis	Smaragdus
36 Aconiti	Aristolochia longa
37 Rana lapidea	Myexis
38 Fel leopardi	Mus napelli
39 Menstrui sanguinis	Viperarum caro
40 Æluri cerebrũ	Moschus
41 Fungi	Allium
42 Scammonio	Ribes succus

43	Tithymali	Mumia
44	Ficus Pharaonis	Cucumeris semina
45	Ellebori	Nymphææ flos
46	Apij risus	Melissæ succus
47	Nucis Metel	Butyrum
48	Canis rabidi morsui	Cynorrhodi radix
49	Vulneri venenato	Mustela imposita, vel stercus humanum
50	Crabrorum ictui	Ferrum frigidum impositum
51	Excoriationi à venenatis, vel ruta	Iuniperi foliorum succus, vel endiuiæ
52	Cicutæ	Gentiana
53	Hyoscyamo	Pistacia
54	Coriādri succo	Vincetoxicum
55	Incertorum	Pezar, cerui oculorum sordes, smaragdus, orycis cornu
56	Omnium	Aqua, & aër maior & minor.

CAPVT XXIV.

Succidaneorum communium alexipharmacorum nostrorum.

1	Pezar	Cerui oculorum sordes
2	Orycis cornu	Eboris scobs
3	Balsami	Stercus capræ vitum
4	Margaritarum	Concha margaritarum
5	Laseris	Platani fructus
6	Armenij luti	Samium lutum
7	Scordion	Diptamus Cretensis
8	Ciconiæ ventriculus	Canius sanguis
9	Mustelæ	Testudo
10	Alysi	Asclepiades
11	Ben album	Diptamus albus
12	Iuniperi fructus	Lauri Baccæ
13	Cynorrhodi	Cancrorum fluuialium cinis
14	Absinthij Ægyptij	Ruta capraria
15	Mus napelli	Muscæ napelli
16	Smaragdi	Hyacinthus
17	Xylobalsami & carpobalsami	Violæ albæ radix
18	Theriacæ	Mithridatum
19	Terræ Lemniæ	Terra Melites
20	Antithoræ	Zedoaria
21	Anseris sanguis	Anatis sanguis
22	Chalbani	Opopanax
23	Trifolij odoratum	Hypericon
24	Angelica	Tormentilla
25	Napi semen	Iridis radix
26	Asæ fœtidæ	Belzoi
27	Cerui vrinæ	Archemisia
28	Myexis	Coralius
29	Adamantis	Topazius, id est, piradotus
30	Chameleæ albæ radix	Diptamus noster
31	Moschi	Zibethum
32	Croci	Buglossum
33	Indici ligna ad venena	Gentiana
34	Muris magni	Gallinæ cerebrum
35	Colūbi agrestis stercus	Columbi domestici vel gallinæ stercus
36	Fraxini	Trifolium asphaltites
37	Myexis	Coralius
38	Cardui benedicti	Maluæ semen
39	Ambræ	Succinum
40	Rhapontici	Rhabarbarum
41	Rutæ	Persicorum nuclei
42	Radiculæ agrestis	Radicula cum sale & aceto
43	Inulæ	Citrium
44	Harmala	Ruta agrestis vel capraria
45	Theriacæ	Theriaca media, vel minor: pezar, sordes oculi cerui, smaragdus, harmela.

In omnibus aliis meminisse præstat, quòd domestica pro agrestibus substitui possunt: & quòd Dioscorides ita simplicia sua collocauit, vt proximè succedens pro antecedenti, aut antecedens pro subsequenti substitui possit. Sed & substitutorū Galeni & Pauli Tabula est huiusmodi, eorum quæ non adeò aduersus venena præstant, vt priorum: sunt tamen nobilia pharmaca.

CAPVT XXXV.

De laterali morbo pestifero curando.

COlligere oportet intentiones principales curandi vtrumque morbum, febrem scilicet pestilentem, & lateralem morbum. Febris pestilentis curandæ capita superius redegimus ad rationem victus non exquisitè tenuē, sed cum iuribus crassis, vt ille vocat: dat præterea allium, pisces salitos, cappares, præterea vinum absinthites. Et nos embammata ex succo oxalidis, & mentæ, & gingibere: at in laterali morbo succus ptisanæ ex aqua aut mitus. Et in potu vitanda sunt vinum, amara acriáque, danda insipida & dulcia.

De aëre in peste, debet eligi calidissimus aut frigidissimus: in laterali autem morbo temperatus, in hoc etiam humidus & purus: in pestilenti autem morbo purus, sed siccus. Debetque ob id suffiri ladano, styrace, belzoi, succino, quæ omnia aduersa sunt patientibus abscessus circa membra spiritus.

In pestilenti febre non conuenit sectio venæ, & maximè post initium illius in morbo laterali, si sit in superioribus costis, conuenit non solùm, sed est necessaria admodum,

& donec ad ſputum peruenerit, & vſque ad ſanguinis mutationem (ſecundo de Victu in acutis (vt pro rubro liuidior, aut pro naturali rubidior exeat, atque ideo copioſus admodum, raro enim hæc mutatio fit citra ſanguinis copioſam detractionem, velut duarum librarum, certè non ante vnius. Cucurbitulæ autem tempore initij procul à loco, & ſtatus ſuper locum communes eſſe poſſunt.

De purgatione in laterali morbo ſuperiore non conuenit, in peſtilenti cum materia turgente conuenit, vt dictum eſt, viciſſim in laterali morbo, cum dolor eſt in coſtis ſputiis conuenit: in peſtilenti non ex materia turgente, omnino lethalis eſt, contrà ergo conuenire poſſunt, vt in turgente & morbo laterali in ſputiis coſtis: & contrario modo, conueniunt in hoc, quod in nullo caſu decet mouere materiam cum leuibus medicamentis.

De prouocantibus etiam vrinam, vbi ad empyema morbus lateralis tranſierit, conueniunt in vtroque: atque eo magis, cum materia non expuitur, aut parum de ea. Et etiam ante empyema: ſed in eo caſu non conueniunt, quia in morbo laterali debiliter ducentia, vt ſemina melonum, conueniunt, & dulcis radix; in venenis autem valida, vt dixi, velut cantharides. Et ſi adſit ſputum, etiam nullo modo talia quæ ſiccant, vt erythrodanum & ſpica, haud bona ſunt. Præterea in morbo peſtilenti conueniunt, vt dixi, quæ auocant exterius: at in morbo laterali ſolùm in principio, ne coctio impediatur: & in ſtatu, vt dixi, quandoque, quando morbus in muſculis, non in membrana fuerit. Præterea non vbique, ſed in morbo laterali duntaxat, in ea parte vbi adeſt morbus, vel è directo: in peſtilenti vbique.

Demùm cura febris peſtilentis debet fieri per exiccantia, vt ſmaragdum, theriacam, ſcordion, & omnia huiuſmodi, inter quæ ſolus bolus Armenus conuenit, etiam morbo laterali, loquor de vocato orientali, licet hic non ſit verus bolus Armenus Galeni, ſed potius terra Samia. Et in hoc expertus ſum, in Philippo Maluetio patricio Bononienſi, & in aliis expertum vidi, quòd non aſtringit pectus: imò authores plerique dicunt de hoc præſenti quem habemus, quòd reſpirationem liberiorem reddit: & licèt non ſit bolus Armenus Galeni, tamen multum confert in febre peſtilenti ab aëre, abſque dubio. Et nunc deferuntur diuerſorum colorum, ruber, luteus, pallidus: & luteus videtur in caſu magis accomodatus, dum æger laborat duplici morbo.

Quibus expoſitis, illud quod adiungitur peſti, vel eſt naturale, vt ætas, geſtatio vtiri, conſuetudo aliqua, contrarium aut ſimile indicans, temperatura, morbus quidam naturalis aut imbecillitas: aut res non naturalis, triſticia, vigilia, crapula quæ præceſſit, ebrietas, labor, coitus, ſeruitus, malum cubiculum, & plane frigidum & humidum, paupertas, ſolitudo: aut res contra naturam, ſcilicet morbus, morbique cauſæ aut ſymptoma. Ex morbis autem quidam conſequuntur febrem peſtilentem, vt hoc anno morbi laterales, & de quibus dicebat Hippocrates tertio Epidemiorum; Multis autem in febribus, & ante febrem, & ex febribus ignes ſacri inciderunt. Et paulo pòſt: Lyenterici, multi dyſenterici. Et infra: Soporoſi vero maximè phrenetici, & febre ardente laborantes erant. Et in ſecundo etiam meminit de angina peſtilenti. Sed diſcrimen eſt in cognitione ex tribus, nam morbi qui conſequuntur ad ſtatum aëris, ſunt multi, ſporades autem rari. Peſtilentes accidunt, dum multùm ſæuit, conſtitutiones: ſed ſi leuis fuerit, ſporades exiſtimandi ſunt. Præterea ex natura morbi, diximus autem hos, in conſilio de Prouidentia temporum, qualiter ex natura membri principalis dignoſcuntur: & ex eo quòd retinetur materia, aut prottruditur, aut colligitur, vt cum ſint membra principalia, ſient nouem genera morborum peſtilentium, ſpecies autem plures: ſed quæ non continentur ſub generibus, neque erunt inter ſpecies adnumerandæ. Sunt autem præcipuè, ſi caput infeſtetur, lippitudines ſiccæ & humidæ, furores & atræ biles, & morbi comitiales, & attoniti, & reſolutiones, & anginæ, & parotides: & ſi cor, morbi laterales, peripneumoniæ, febres ardentes, tabes, æſtus: & ſi iecur, vomitus, lyenteriæ, dyſenteriæ, morbi regij, cacoëxis, aqua intercus. Circa curationem ergo primùm conſideranda ſunt, an intentiones ſint ſimiles, an contrariæ, an neutro modo. Et ſi ſimiles, nullam habemus difficultatem, quia augenda ſunt quæ præcipiuntur, velut in diarrhœa peſtilenti, haud dubiè cibus valde nutriens erit exhibendus: & in ardente febre putrida, ſyrupus de limoniis. Et ſimiliter ſi fuerint impertinentia: velut quæ prouocant ſputum, & dulcia in morbo laterali peſtilenti, nam auxilia talia debent, quæ non ſibi aduerſantur, adhiberi. Difficultas tota eſt, vbi contrà indicauerint: & tunc quatuor erunt præcipuè conſideranda. Primum, ſi aliquòd auxilium diuerſa ratione vtrique conueniat, velut dixi de bolo Armeno noſtro, quod facilem efficit ſpirationem, & febri peſtilenti aduerſatur, & de huiuſmodi auxiliis non eſt dubium quòd debent adhiberi. Secundum, an morbus coniunctus pendeat ex conſtitutione, an ſit ex ſporadibus, & fortuitò illi adiunctus: quod etiam licet coniectari ex cauſa externa: vel ſi eidem morbo ſit aſſuetus, vt podagræ, diarrhœæ, qui ſunt morbi multis familiares. Tertium, ex quo maius mortis periculum immineat. Quartum, an vnum ſit cauſa alterius ſecundum materiam, aut etiam ſine quo alind ſanari non poſſit: & quod nam illorum ſit principale. Si igitur morbus pendeat ex conſtitutione, datur vna regula generalis: Omnes tales morbi ſanantur, curato morbo principali: imo debent curari curatione morbi principalis. Et hoc eſt quod innuit Hippocrates ſexto Epidemiorum, dum dixit: His ita preſſis nihil memorabile proderat, non ventris turbatio, non

venæ sectio, nec quicquam aliorum quæ tentaui. Secui enim venam sub lingua, quosdam & iuniam purgaui. Nam hæc cum essent auxilia anginosorum, non proderant: quoniam morbus erat pestilens, & cura pestilentis morbi curari debuit. Memini me sanasse filium Io. Petri Pusiani ex sputo sanguinis, quod erupisset illi ob Indicam luem: ea sanata per sua auxilia, additis pauculis leuiter astringentibus, cum alioqui futurus esset morbus ille insanabilis. Curatio ergo prima in omnibus morbis, qui pendent ab aëris corruptione, debet esse pestis: additis leuiter quæ conueniant morbo illi proprio. Quòd si sporadicus morbus sit, qui coniungitur, velut si quis incaluit, & exercitatus est à cibo, indem aura refrigeratus tempore pestilentis morbi vagantis, in quo plures ex fluxu pereunt, & quispiam corripitur morbo laterali: & hinc ad decem horas antequàm voceris, vides vrinas turbidas, & fluxum ventris iam cœpisse: tunc tu intelligis quòd is correptus est sporadico morbo, scilicet laterali, & pestifera febre & morbo, qui est etiam pestilens: tunc clarum est, quod morbi hi habent contrarias indicationes, quo in casu considerandæ sunt tria. Primum, de quo dictum est, scilicet quisnam morbus sit periculosior ex conditione generis: vtpote si plures moriantur ex pestilentia, aut pauci, si primum, maior intentio debet adhiberi ad morbum pestilentem: adhibebimus itaque cucurbitulas cum scarificatione, in extremitatibus frictiones, eò dum vt morbus langueseat lateralis, coquemus ptisanam cum iure non crasso, sed tamen bono pulli: dabimus in potu decoctum tormentillæ cum oxymellite: aerem calidum reddemus cum fusticibus leuibus & siccantibus: dabimus lac à nucleis persicorum cum saccharo: fricabimus corpus quotidiè, sed non adeò assiduè aut vehementer, velut si esset febris sola: dabimus smaragdum cum bolo Armeno, & saccharo, boraginis floribus conditum plurimo. Si autem pauci ex pestilentia moriantur, postquam prima dies non est exacta, mittemus sanguinem ex vena vsque ad mutationem illius: dabimus ptisanam cum aqua & saccharo: interdiu saccharum cum floribus boraginis conditum: adhibebimus aërem temperatum. Eadem ratione considerabimus in ipso affectu, quisnam morbus sit maior, febris & fluxus, an morbus lateralis. Et hoc ex propriis signis, vrinæ confusione, dolore sub costis, æstu magno, angustia & difficultate spirandi. Febris ipsa fermè communis est. Fœtore excrementorum, pulsu serrino, casu virium, & appetitus cibi, & tussi ipsa. Et iuxta id quod magis viget, adhibebimus validiora præsidia, & iugiter, altero tamen non neglecto. Secundum, quod est consideratione dignum, est, vt cum curamus morbos contrarios, vel curabimus per medium, vt in calida iecoris intemperie, & frigida ventriculi, dabimus temperata, quæ sunt vtrique contraria. Secundum est, vt ratione variarum virium prosit idem contrariis, vt dixi de bolo Armeno, quòd siccitatis & frigiditatis ratione conuenit pestilenti morbo: proprietatis autem natura, omnibus pectoris morbis. Et ita myrtus vt astringit, prodest fluxui ventri: & vt dulcis, lenit tussim ac pectus. Tertium est, vt medicina compolita ex contrariis iuuet contrarios morbos, quia vnumquodque membrum trahit quod conueniens est: vel ratione naturæ: vt iecur, iecur lupi, & ventriculus, ventrem galli, aut ratione contrariæ intemperiei qua laborat, vt in hemitritæo piper trahitur à ventriculo frigido, & ptisana à iecore supercalefacto, licèt sint mista. Quartum est, vt vnum vno tempore, aliud alio administretur. Quintum est ratione loci, vt epithemata calida super ventriculum, frigida super renes vel iecur. Sextum, vt idem membrum diuersis modis afficiatur: velut si interius demus syrupum de succo endiuiæ, exterius inungamus aliquo vnguento calido. Tertium est, vt dixi, quod consideremus, si morbus vnus sit causa alterius, velut in exemplis & modis qui declarantur quarta Primi. Et ideo in hoc etiam considerabimus tempus vtriusque velut si morbus pestilens cum hydrope coniungatur, curabimus pestilentem, quia brevis est, vtendo refrigerantibus, & minus curabimus de hydrope. Et si febris acuta, non pestifera, iungatur anginæ diuturnæ pestiferæ, adhibebimus auxilia febri ardenti: atque ita in aliis.

Et quod dixi de febre pestilenti & bubonia, elephantiasi, lue Indica, intelligi debet de quocunque alio etiam veneno, si enim morbo iungatur, aut ille consequetur ad venenum illud, vt tabes ad leporem marinum, & tunc cura est cura veneni: quæ si potuerit esse perfecta & brevis, curabitur etiam perfectè tabes: aut morbus iam cœperat ante venenum, sicut contingit, quòd laboranti morbo laterali exhibitæ fuerint cantharides, aut cicuta, aut aliquid aliud, & tunc debet curari seruatis regulis suprascriptis. Et cũ morbi duo in eadẽ hora inchoant, vnus est semper causa alterius: vt si morbus lateralis cum febre, aut ambo sunt ab eodem, vt in napello palpitatio cordis, & vomitus. Et si sint tales, vt vnus ex altero pendeat, quandoque posterior prius sentitur, vt febris ante morbum lateralem: sed hoc paucis horis antè contingit, aut vnus antecedit alium per aliquot dies: & si prior desinit aut remittitur, fit transmutatio vnius in alterum. Et si vterque manet, tunc prior est causa posterioris per accidens, vel hoc accidit ob paruitatem ab initio, quòd latuerit posterior. Sed si morbus qui relinquitur, pòst apparuit, antequam prior remittatur, tunc est ex his quæ venenis succedunt, de quibus mox dicendum est.

CAPVT XXVI.

De cura dispositionum venenis succedentium.

CVm venenum ex morsu sparsum est, corrumpit sanguinem, & persæpe nõ occidit vt venenum, sed vt causa alia quæ morbum

morbum induceret: & ideo tunc datur occasio secandi venam, quare dixit Princeps sexta Quarti: Et conueniens horarum sectionis venæ est, cum scitur quod venenum est iam sparsum in corpore, & non est ex eis quæ attrahuntur: & propriè in eo qui est repletus. Sunt autem dispositiones, quæ venena sequi solent, hæ fermè: Malus habitus totius corporis, & ex genere leucophlegmatiæ, morbus regius, quod etiã testatur Auenzoar: tabes quædam, & phthisis, strangulatio & synanche, casus dentium, melancholia & tristitia, vigilia, furor, mala coctio, alui duricies, intestinorum & ventriculi dolores, tum difficultas seu dysenteria, splen tumidus, spirandi difficultas, resolutio membrorum, & duricies iuncturarum: sicut de arsenico rubro, quod vocant Arabes Realgar, vulgus autem Rosagallum, recitat Conciliator, cum curasset iuuenem, qui eum sumpserat. Et febres frequentes inordinatæ, defectus cordis, & oculorum debilitas aut prominentia, & conuulsio ac dolor totius corporis: velut in arthritide, & vrinæ flagrantia, seu vrigo aut difficultas, & vertigo & nausea, & obliuio, & alia: sed præcipuè antedicta. In omnium horum cura illud diligentissimè obseruandum, quòd curatio mista esse debet ex cura principali, & cura morbi: & hoc, quia tales morbi sanantur sublata causa: & causa est, vel impressio facta ex veneno, vel illa est causa causæ. Velut si ex napello aliquis incidat in phthisim, ex pulmonis vlcere, curatio erit triplex & mista: ex cura phthisis puræ, scilicet vlceris pulmonis cum his quæ dicta sunt superius: & cura veneni putrefacientis per propria, vt etiam ante illud: & cura putredinis & abscessus iam facti, & hanc etiam superius diximus. Et ita vides, quòd hoc caput constat ex cura morbi propria, tradita in libris suo loco: & duobus capitibus, quorum vnum est caput de cura illius veneni, & aliud de cura modi, quo venenum illud interficit. Et habet hoc priuilegium morbus ortus ex veneno, ex peste, ex lue Indica, quod curato veneno, sanatur morbus ille qui ex eo fluxit, etiam quod esset è genere insanabilium. Et ita curatus fuit bubo niger in illustri Marchione (Regulum dicunt Latini) Viglereani, quia ortus erat ex peste: quamuis bubones alij nigri sint natura insanabiles, & è genere carcinomatum. Et sputum sanguinis ex pulmone in Pussiano, quia ortum habebat ex Indica lue: licet huiusmodi sputa diuturna, quale illud erat, sint insanabilia, teste Galeno quinto Methodi. Sic facilè resolutionem imo lacte ipso in filiabus Baptistæ Syrtiti, quod ex hydrargyrij destillati potu contigisset. Atque alia omnia huiusmodi, modò virtus valida sit, & corpus adhuc succulentum. Et secundũ præceptum est, vt in morbis omnibus qui ex veneno relinquuntur, sit cura per eundem modum, qui est ipsius veneni, non solum per eadem medicamenta. Vt sit exemplum, balneum generaliter oculorũ debilitati nocet: quia tamen euocat ad exteriora, debilitatem visus ex veneno factam curabimus balneo, & ita dentibus nihil erit melius, quàm auocare venenum ad exteriora.

Ad albam pitutam miscebimus theriacam, vt conuenienté veneno: & thabarbarũ morbo, & semen harmala, de quo supra, vt conueniens vtrique. Et exercitium conuenit omnibus morbis ex veneno relictis, præcipuè autem frigidis: quia proprium veneni est, calorem naturalem minuere, humores & membra corrumpere. sed exercitum confirmat calorem naturalem, & humores corruptos educit per halitum aut sudorem, & membra confirmat, verumtamen in morbo regio non conuenit nisi leue, & vt deambulatio. Ad regium morbum: Recipe endiuiæ aut cichorij, halicacabi seminum, singulorum partes duas, harmala decimam Partem, vel eius loco rutam capratiam, vt dictum est, vel agrestem rutam. Sed in venenis capratiæ non fiderem, hoc in casu probo moschi quantum optimè redoleat. In hoc genere etiam est radix cardui sancti, tum aqua herbæ illus. Ad dentium casum inungatur totum corpus oleo hypericonis, & de baccis lauri, succino suffumigentur dentes, coralio quoque lapide fricentur. Est enim antidotum ranæ lapideæ & æruginis tum similium, vt suprà visum est. Melancholia & tristitia quæ ex veneno oritur, valdè mala est, & plerumque perpecat: tristicia autem, est melancholia leuis neque enim potest quis tristiciam maximam pati, quin desipiat aperte. Huius igitur cura est sectio venæ cum copiosa sanguinis detractione, elleborus frequens & magna in quantitate exhibitus, Violenta, soporifera, inde margaritarum vsus copiosus, & melissæ atque boraginis, merumque dulce, ac venus cum puellis lætis atque iucundis, inde balnea, locique amœni. Eadem pene furoris remedia sunt.

Deiectam coctionem instaurabimus assiduo cotonenrum vsu, cum coralijs & moscho: iuniperi fructus per se commendantur, inde pistacia, endiuia, menta, absinthium, echini marini ac buccinæ, cum aliquibus ex his: scilicet cinamomum, inula, enica, piper, anisum, pulegium, echinus terrestris, sal. Ad alui duriciem, origano in iure galli vtitor: oleo quoque plurimo, & agarico. Ad dolores & tormina, cumino atque ruta. Si vero dysenteriæ reliquiæ remanserunt, sphragide nihil melius, post smaragdo, agarico, oleo omphacino, iure castrati. Ad splenis tumores, halicacabi semina, ruta cum aceto, semen iuniperi, spica celtica, iris illyrica, & fraxinus. Et in synanche & strangulatione vtemur stercore canis, theriaca, sale, mittemus sanguinem ex humeraria, pòst etiam sub lingua copiosum: applicabimus cucurbitulas, dabimus iridem illyricam copiosam scilicet, & synanchicis insufflabimus: & quod admoniti sumus per somnium scribere, è regionè glandulas in brachio fricabimus, prémentes adeó valide ac diu, vt intumescente brachio, ac dolente non mediocriter, gulæ omnino obliuiscatur. Non dico glandulas, glandosas carnes: neque enim vllæ esse, vel ab Hippocrate, vel alio quouis anatomico connumerantur: sed

tumentia

tumentia ibi musculorum colla. Ad spirandi difficultatem, inula, iris illyrica eadem, croco, theriaca eadem ratione. Ad resolutionem, vngatur oleo ex floribus sambuci & hyperici onis & baccarum lauri cum theriaca. Intus conferunt iris eadem, cardamomum, theriaca, iuniperi semen, balsamum, inula, nec maior vllus consensus. Ad iunctvrarum duricies, iisdem fermè oleis, addita pinguedine anatis, cuius descriptio est huiusmodi: Magna anas exenterata & depilata, vel ciconia, impleatur carnibus viperarum & aspidum recentibus & semine iuniperi sicco, non carioso, belzoi, enula, canino sanguine, carne testudinis marinæ, opoponaco, galbano: & assetur in veru, & perpetuo igne, colligatur quod exprimitur, aquosum illud primum quod effunditur superfundendo, donec purus adeps non sanguini, non aquæ admistus sit. Itaque ignem & æqualem esse, & mediocrem oportet, huic decimam partem theriacæ admisceto: facit & ad podagram. Ad febres inordinatas, vratur inula in cibis, endiuia, cichorio cum pipere, origano, aniso cum ptisana. Et per interualla sumat agaricum cum mulsa ex descriptione Dioscoridis. Intermediis autem diebus ϑ theriacæ cum succo petrosilij, aut citrij mali, totum contundendo.

Cordis defectus iisdem curatur, quibus venenum, inde sylua, Theriaca, smaragdus, os ceruini cordis, coralius hyacinthus, margaritę, inula, flores boraginis cum sacharo códiti, rosæque similiter. Ad oculorũ imbecillitatem ruta vtatur, ac rosis, cum iecoribus anatum & anserum ac eruca; vbi sede sint excussi, parum prosunt auxilia: theriaca tamen cum cardamomo & longo pipere & smaragdo, spondylio, serphyllo, quæ etiam emplastris admoueantur. Ad articulorum dolores atque conuulsiones, vtatur elleborismo, nec non inula & cardamomo in cibis, habet & vnguentum descriptum quod discutit & emollit. Iuuat & vt notum est, vulpinum oleum, quod & in duriciebus vicem obtinet superius expositi, sed longè inferius

Ad vrinæ vriginem, difficultatem iuuant, extinguunt veneni & præsertim halicaca bisemina maluæ & cyperi decoctum, tum amnus & lithospherras: & locum inunge oleo de scorpionibus, & est proprium & theriacæ vsus assiduus. In huiusmodi enim morbis longis, & sine abicessus theriaca nihil melius est, modo hectica non sit: etiamsi à veneno originem non habeant, quanto magis si habeant, vertiginis eadem fermè cura, quæ & resolutionis: sed, & ventriculi ratio habenda est. Prosunt Cardamomum, Ruta, spica, bdellium, cinamomum, cortea citri, agaricus præcipuè, betonica, salia, rosæ, rosmarinus, calamus aromaticus, acorus. Et de nausea eadem est ratio quæ & de vertigine, vt à ventriculo ortum habet: & de obliuione similiter, vt à cerebro. Elleborus, agaricum inter ea quæ purgant. Et dicitur, quod anacardinum antidotum confert memoriæ: & creditur quod scobs eboris & melissophylli puluis eidem conferunt, & mel inter familiaria, & debent exerceri, & in locis amœnis spaciari, & in aëre libero. Iuuant & castoreum, peucedanum, sphondilium, sinapis vitex, sampsuchus, & cerebra gallinarum, leporum, & pulli columbini. Et inter amuleta smaragdus collo suspensa.

Proprium est autem veneni, relinquere morbum quendã peculiarem, ex tertio genere crassi morbi, quod sit à pituita putrefacta, seu illi abundè simili: quum vidi in pluribus qui à veneno conualuerant, vt maxime parte meo Facio Iurisconsulto, qui quotidie de eo conquerebatur. Eructant acidum, flatu multo abundant, vago dolore, hinc, inde torquentur, ac saltatorio vt ita dicã, modo à pede, confestim in oculum, modo in ventrem, aut ex aure in manum. Mortuus est cum eo, nó ex eo neque graue est symptoma, morbus autem diti non potest. Curatio ex theriaca, smaragdo electuario vt aiunt, Alchermes, coctionem procurare. Hippocratis ratio in purgatione cum elleboro per superiora constat & hippophae, id est, lappagine de qua Plinius, per inferiora victus totus ex lacte. Credunt aliqui hoc ipsum symptoma dæmonem esse, aut ab illo.

Libri de Venenis tertij
FINIS.

COMMENTARIA IN LIBRVM HIPPOCRATIS DE ALIMENTO.

PRÆLECTA DVM PROFITERETVR Bononiæ suprà ordinariam Medicinæ.

ILLVSTRISSIMO AC INCOMPARABILIS Virtutis viro Iacobo Boncompagnio ; Virtusque militiæ S. R. E. Gubernatori Generali.

S. P. D.

SÆPE obseruatum esse comperimus, Illustrissime Princeps, artes ac disciplinas cum armis, ac viris virtute præditis, atque Monarchia ad summum fastigium peruenire, & vt antiquorum quam plurima exempla prætermittam, Philippi in primis atque Alexandri Macedonum Regum ætate id præclarè contigisse nemo nescit. Ea enim tempestate simul ferme floruerunt in Philosophia, Plato, Aristoteles, ac Theophrastus. In pingendi, fingendi facultate Apelles, Prothogenes, Lysippus, & Pyrgoteles, cum eloquentiæ laude Demosthenes. Vt autem externa quoque præteream C. Cæsaris, & Augusti temporibus nemo est, quin videat omnis generis eruditione, M. Varronem immicuisse: in dicendi facultate, Tullium Hortensium: in Poësi, Virgilium, Horatium, Ouidium; in Geographia Strabonem, in Medendi ratione Dioscoridem, in historia Salustium, Liuium, Diodorum Siculum. Mox verò sub Antonino Philosopho, alia est consecuta, eruditorum hominum in omni liberalium artium genere copia. Ptolemæus enim in Mathematicis, Alexander Aphrodiseus in Philosophia: Galenus in Rei Medicæ scientia claruit. Sileo Plutarchum non minùs historicum, quàm Philosophum, Vulpianum, Masurium, Iurisconsultos, atque Athenæum plusquam Grammaticum. Ergo & si Monarcha desit, cum tu virtute incomparabili nostra ætate in omni eruditionis honestæ genere exercitatus sis, herois nomine dignus, cur non dignissimus quoque etiam habearis à me, cui liber hic, memoriáque tanti viri in eo contenta, laboréque hi nostri dedicentur. Accedit huic deliberationi vt per eam publicæ vtilitati, securitati tuæ & meritis erga me tuis satisfaceremus. Liber enim est primum Diuini Hippocratis, Argumentum de Alimento ex quo vitam ipsam constare non dubitamus; neque priscis

priſcis illis temporibus homines magis tanti beneficij memores, qui recto iudicio præditi defuerunt, qui eos, qui tuendæ ac ſeruandæ vitæ rationem aliis tradidiſſent, Deos appellarint. Cùm ergo omnia bona ex vita pendeant mortalibus, virtus, pietas, incolumitas, forma, decus, robur, filij, opes, honores, potentia, officia, voluptates, ſi quid hoc opere ad vitam præſtitero cum re impulſore, adiutoréque ac defenſore id impetrauerim, meritò omnia illa bona nomini tuo debebuntur. Quare & librum ipſum, qui amanter ad te ſeruandum venit, amplectaris rogo ac foueas, nam & conſtantiæ tuæ fuerit, cui ortum dederis, eundem etiam tueri, quod ſi ſpreueris eo minor factus apud te, minuet, & apud omnes alios authoritatem. Verum ſi quis obiiciat illud:

Parturient montes, naſcetur ridiculus mus.

Vnde tot miracula & vtilitates? An non in nobis continuè omnia diffluunt per tot excrementa ac diſſolutiones, attritionéſque, ex aëris iniuria doloribus, fame, ſiti, vigiliis, triſtitia atque laboribus, venereis compedibus, atque fuga (ò miſeram mortalium vitam) Quid ſi non repares, imò etiam obſtes ſingulis diebus haurimus menſura menſa D. CCC. Amphoras aëris Italicas: cogimur vel libram cibi edere aliquantò plus qui tam parum edunt bibere, vt libram cum ſextante: quomodo viues, ſi modum huic adhibere nequiueris? Docet Hippocrates quid facere debeas in hoc libro, ſcilicet, quænam ſint vnicuique meliora, quale etiam, quantum quoties, quomodo, quando, in & cum quibus, quibus occaſionibus, & quouſque perſeuerandum. Quæque mala ſi intermittantur, aut aberrent, ſuccedere ſoleant, ſeu morbi, ſeu labes, aut detrimenta, vel damna. Hinc modos ſe tuendi vtiles ad libros ſanitatis conſeruandæ, atque omiſſam recuperandi: ad eos quos de victus ratione expoſuimus intelligendos. Vt ex hoc ipſi, velut ex montana nardo, duplex radix, aut potius ex Hyperici ramis duplices hinc inde ab eodem trunco perpetuò naſcuntur; ita tota Medicina, quæ in duas partes ab initio diuiſa in vnum hunc librum coëat, & ab illo prodeat. Atque hoc ad vſum. Quid poſtea contemplatione, ne minor eſt? aut parum vtilis? cùm elemento omnia humores, cauſas morborum, ac morbos ipſos, tum verò Symptomata, ex hoc Galenus eruetit? Inditio eſt expoſitio locupletior in hunc ipſum libellum, atque maior quam in libros de Aëre, & Aquis, ac locis, aut de humana natura, vel de humoribus, ſeu Prognoſticorum, cùm tamen hi quadruplo & magis, hunc ipſum magnitudini ne ſuperent, & illi etiam ſunt ἀκέφαλα vt Græci dicunt. Quid eſt cauſæ? niſi quod non ſolùm ſit Hippocratis legitimus, ſed & fundamenta totius doctrinæ medicæ contineat. Non hortabor vt vulgus ſolet ad humaniter excipiendum qualiſcunque fuerit, quòd non ob hortationem meam melior fies, ſed quoniam tu tua virtute adeò eminenti ac ſplendida effeceris, vt hortando ad id quod in te melius eſt, quam in ipſo me iniuria afficiant. Vale.

COMMENTARIA IN LIBRVM HIPPOCRATIS DE ALIMENTO.

PROOEMIVM IN OPERIS TITVLVM.

LIBRVM hunc legitimum esse Hippocratis, Antonius Fracanzianus Vicentinus, qui paucis ante annis medicinam hoc eodem loco clarè profitebatur, recto iudicio censuit in his Commentariis, quæ in manibus omnium habentur: de quibus nihil est, quòd dicam: nisi plurimùm valuisse iudicio, cæterum impeditum, & morbo, & negotiis non potuisse sententiis veterum confirmare, qui mos hodie in vsu est, atque desideratur valde, idque nos explebimus. Vt igitur initium rei faciamus: dico Galenum, in tertio de Temperamentis, cap. 2. *hæc habere*, [*Hippocrates (ait) nutrimentum est, & quod nutrit, & quod veluti nutrimentum est, & quod futurum nutrimentum est.*] *Quæ verba ad vnguem post initium scripta habentur*; Tex. 9. *vt dubium non sit, hunc librum Hippocratis non esse. Præterea in* libro de libris propriis, cap. 6. *cùm hic libellus tam sit exiguus, quatuor commentariorũ libros in eum se scripsisse testatur: vt hoc vel solo argumento esse Hippocratis constet. Quæ enim amentia fuisset cum in librum Prognosticorum, & de humoribus, & de Aere, aquis, & locis tantum tres libros conscripsisset, quos constat esse legitimos Hippocratis, pulcherrimos, & longos, atque multò maiores, vt duplo aut triplo quam hunc, quatuor in hunc solum edidisse, qui non esset legitimus? Præsertim cùm non hic Delio natatore indigeat, sed per consequentiam feratur, vt Prorrhiticorum librum excipiamus. Rursus* in primo de tuenda sanitate, c. 10. *scribit*] *Raritas corporis ad transpiratum his, quib. plurimum aufertur salubrius: quibus minus insalubrius*] *citat autem locum esse ex Hippocrate, vbi agit de his, quæ nobis incommodum, aut incommodum ex alimento cedunt. Ad hæc verba infrà habetis ad vnguem in hoc libro: Neque adiicit vt in aliis (cum dubitat, an sint verè legitima Hippocratis* Text. 51.) *quæ faciunt ad comprobandum sententiam suam, hæc verba scilicet* (*hæc Hippocrates, aut ex antiquis vnus, qui pares Hippocrati & ætate, & authoritate fuerunt*) *velut* in primo de alimentis, cap. 1. *cum ait*, [*In præsentia verò tempus exposcit, vt alimentorum temperamenta exequamur, ea methodo, quæ in libro de victus ratione sunt scripta, qui est, vt nonnullis placet Hippocratis*; com. 1. *vt aliis Philistionis, aut Aristionis, aut Euriphontis, aut Philistæ*] *in sexta quoque Aphorismorum adit Pherecydem, præteritis duobus vltimis. In his autem, quæ ex hoc libro citat constanter Hippocratis & sine dubitatione nomen affert. In primo etiam de vsu partium cùm ait.* [*Cum igitur dixisset Hippocrates* cap. 1. *in totius corporis compagine, quam ἑλομελίην vocat, omnia compati, & consentire, paris autem cuiusque particulas ad eius actionem conspirare.*] *Atque hæc verba ita* infra *legantur*, text. 35. & 36. [*Conspiratio vnà consentientia omnia, iuxta quidem omnium membrorum compaginem: iuxta partem verò partes vniuscuiusque partis ad opus*] *liquet etiam in Græco ex primi illud* κατὰ μὲν ἑλομελίην πάντα, *vt non possint hæc verba tribui authoritati libri de locis in homine, vbi hæc non eo modo se habent: & in libro de vsu respirationis: Atque hoc*

est

eſt quod ab Hippocrate dicitur, in principio. [*Principium alimenti ſpiritus, os, nares, guttur, pulmo, & alia reſpiratio*] *lege infra libro de alimento* cap. 5. poſt principium. [*Principium alimenti ſpiritus, os, nares, guttur, pulmo, & alia tranſpiratio.*] *An ne amplius dubium eſt, quin ſit Hippocratis liber? Alia rurſus eſt authoritas clara in primo de compoſitione medicamentorum*, cap. 17. *ſecundum genera, vbi & verba & nomen libri, & Hippocratem vnà adducit, dicens, vtile & noxium ex illius ſententia ad aliquid dici: Sed dubium eſt tamen ex pluribus: primum quod in titulo habetur* περὶ τροφῆς *hoc eſt, de alimento. Galenus autem de nutritione dicit expoſuiſſe librum, ſed in Græco exemplari habetur* περὶ τροφῆς, *vt ſi error ſit, non in re, neque varietate verbi Græci, ſed in interpretatione habetur. Differunt ſane multum, alimentum & nutritio, cùm vnum ſit res, aliud actio. Deinde quod in titulo Græcè hæc adiiciantur* [τοῦτο τὸ σύγγραμμα τίνων ὁ γαλὴν φησὶ, μὴ εἶναι Ἱπποκράτους, ἀλλὰ ἀνδρὸς τῶν τι χαῖρ ἐν, ἴσως τῶν Θεσσαλῶν, δοκεῖ δ' εἶναι συγκείμενον. *Id eſt: hoc conſcriptum dicit Galenus non eſſe Hippocratis, ſed neque rurſus viri vulgaris, & fortaſſis Theſſali; videtur autem quibuſdam ab Herophilo compoſitum.*] *Reſpondeo quod illa additio eſt imperiti viri, cùm tot ſint libri noti, nullam appoſuit cenſuram, velut in libro de natura Pueri, de morbis mulierum, de quibus iure dubitare licet: de hoc de quo dubitare non licet, cùm ſint ſexcentæ aliæ authoritates Galeni in hanc ſententiam, hæc ille adiecit tam perperam. Sed dices Galenus vbi enumerat legitimos Hippocratis libros*, tertio de difficultate ſpirandi, cap. 1. *hunc non nominat? Ad hoc dicendum, ibi Galenum enumeraſſe libros magnos, non libellos, neque enim ibi vel libros de Articulis, vel de medici vulnerarij officina, nec de vulneribus capitis, neque de vlceribus, quos ſatis conſtat eſſe Hippocratis. Quin & ego in prima editione Artis Medicæ paruæ oblitus eram aſcribere librum hunc germanis Hippocratis, cùm in nullo ordine ibi eum repoſuerim. Sed Galenus ibi fatetur alios etiam eſſe libros ſuos legitimos. Cum verò, vt dixi libri an ſint legitimi, ex duabus intelligamus ſententiis; in hoc nulla ex parte declinat ab Hippocratis grauitate, & phraſi, in qua multum abeſſe videtur ab Hippocratis more, qui eſt, connexus, clarus, demonſtratiuus, & efficax; vt in libris de Articulis, de fracturis, prognoſticis, de victu in acutis, de Aere, Aquis, & locis: in hoc eſt diſiunctus, obſcurus, & inordinatus, nec quicquam demonſtratum quam dubitationem. Fracanzianus etiam vidit, at nouit, ſoluitque non male* [*Hippocratem ſcilicet multa breuiter obſcurè, & inordinate ſcripſiſſe, nil falſum tamen, neque cuius rationem non intelligeret.*] *Cur autem hoc fecerit, vnam cauſam aſſignat, quod inuenerit; tum inuentori tempus perſæpè deeſt explicandi, & occaſio ordinate tradendi. Verùm cùm hæc cauſa vera ſit, alias tamen ego etiam addere ſoleo; vna quòd ea ætate maxima charitas ſcribendi eſſet, adeò vt ſcriberent in tiliæ corticibus, atque in tabellis ligneis; altera quòd occupatus in exercendo artem, multos enim curauit ægros non vt Galenus, & Princeps, & aly multi, qui ſola ratione ſæpè contenti ſunt ſed ſemper experimento duce, comite ratione, vt dici ſolet. Tertia verò quæ potior eſt, & magis abdita, quòd breuiter ſcripta plura amplectuntur, & lucidiùs, & facilius, quàm prolixè, & longa oratione. Hoc autem quia non ſoleo quicquam volens repetere, & ſcripſerim iam in Dialectica vt declarem conſulto omittere decreui. Eſt præter id argumentum*, ex tertio in Sextum de morbis vulgaribus, in principio, *commentario, vbi verba ex ex hoc libro citans, non meminit Hippocratis* Tex. primo in fine. *Sed hæc authoritate potius conuincitur oppoſitum, ſi quis rectè perpendat, non eſt autem locus vt magno negotio hic ſingula explicemus, ſed ſuo loco declarabuntur. Tractatio eſt (vt dixi) de alimento non de nutritione, & eius commodis, & incommodis. Norat duobus diſtinguit cæleſtia ab inferioribus: generaliter quidem quòd hæc intereant, illa ſemper ſint; altero quod eſt præcipuum viuentibus, quoniam illa nec diſſipantur, nec reparantur, quorum vtrumque contingit his, quæ ſub luna ſunt: quot ergo, & quæ ex his contingerent conſiderare in homine, ad medicinam ſpectat: & ob id de alimento tractauit: Quòd verò addit* [*verum eſt*] *ſcilicet ſcopi ſcientiam valde vtilem eſſe; quòd ad eum omnia, ſi dirigantur, facilis fiat interpretatio. Et Scopus eſt (vt dixi) ſcire vtilitatem, & detrimenta doctrinæ; vtilitas autem huius libri, eſt elementa, & principia artis Medicæ conſtituere; quæ doctrina ab elementis ſumpta, vt primum ſit demonſtratiua, & ob id etiam certiſſima, & vt maximè etiam ordinata, atque hæc Mathematici maximè præſtant, & tamen ea etiam vtuntur philoſophi, & medici. Si vultis exemplum, habetis ab Hippocrate in libro de natura*

humana,

humana, exquisitissimum: vbi probat Hippocrates hominum non esse vnum, quia non doleret. Simili doctrinæ modo (licet obscurius,) quia philosophiæ principia, non sunt adeò perspicua, vt medicinæ, & longè minus, quam mathematicarum, teste Philosopho, vtitur in primo physicorum: 2. Primæ philosophiæ in fine, *& ideò hoc genus docendi præstat, vt certius, vt clarius, vt ordinatam magis efficiat artem, tum vt absolutiorem, & ob hæc, omnia melius memoriæ mandari possit. At verò, quia hæc sunt commentaria, certam non habent diuisionis rationem, quapropter, tametsi Galenus in quatuor diuiserit, id potius magnitudinis causa factum est, quam quod series libri hoc postulet, ac exigat. Nos autem alioquin prolixiora commentaria scribere soliti, non quæremus hanc occasionem diuidendi, quæ si à Galeno nobis oblata fuisset, forsan accepissemus. Præter has communes dicas, sunt duæ singulares, ac huic libro peculiares: quarum prima est, vt sit vtilissimus, & quasi fundamentum librorum: De alimentis Galeni, & de cibis boni, & mali succi: De attenuante victus ratione, & de tuenda sanitate, tùm verò ad proprios de dieta præcipuè secundum. Et de humoribus. Ad nostros etiam de Tuenda sanitate, & præcipuè, quoniam magis sunt similes illi, quam qui à Galeno scripti sunt; quoniam eos separauit à reliquis, qui sunt de materia cibari. Altera est ad firmitatem corporis, & robur, & sanitatem, ac bonum habitum, tum vitæ longitudinem. Cùm enim præter radicem omnia, in nobis constent his quatuor, cibo, potu, spiritu, & vt bene superentur ac conficiantur: manifestum est, quod qui hanc tenebit rationem, is potietur huiusmodi commodis. Et qui vice versa debuerit his commodis potiri, oportet vt hanc rationem intelligat: in hoc igitur bona huius vitæ secundùm naturam continentur: Quamobrem ea intentione lectitandi sunt, vt illius fructus per omnia permeet, vt etiam infrà dicemus,* com. 5. *Modus autem demonstrandi in his, quæ de Dialectica scripsimus cum Hippocratis sit liber, manifestus est. Inde ergo ordinem legendi hæc commentaria; quisque intelligere potest, qui elementa præcedere ea, quorum sunt elementa nouit. At non simpliciter hæc sunt elementa constitutionis, sed reparationis, quapropter non solùm libri de dissectione, & vsu partium, sed etiam de natura humana hunc præcedere debent, atque ex consequenti commentaria nostra. Sed his omissis, illud quasi parerga addam, nil me optasse magis, quàm vt Galeni commentaria in hunc librum inuenirentur, cùm ex ratione arithmetica censeantur multò maiora fuisse prognosticorum commentariis, quæ habemus, & super tam paucis verbis miram quandam artem expressisse, Galenum verisimile sit.*

TEXT. I.

Alimentum, & alimenti species, vnum & multæ. Vnum quidem quatenus vnum genus.

PROPONIT duo, alimentum esse vnum genere, vt species multas sub se continet: etenim apud Porphyrium licet videre: genus continet sub se multas species, & duplex est, generalissimum, quod de omnibus dicitur, quæ eiusdem naturæ sunt: velut substantia, eius enim commune est subiici accidentibus & per se posse stare, hoc autem magis perspicuum, cum in incorporeis dubium sit, an illis insit aliquod accidens. Nam de corporeis dubium non est, velut de motu, lumine, vmbra. Ita quantitati, vt diuidi aliquo modo possit. Qualitatis similitudo, aut dissimilitudo, atque ita de alijs. Nam augeri, aut minui, neque perse neque in comparatione ad subiectum adeo commune est, vt omnibus qualitatibus conueniat. Similiter ergo de alijs. At alimentum generalissimum genus esse non potest, cum sub substantiæ genere magis vniuersali contineatur. Genus autem subalternum est quod simul est genus, vt contineat suo se species, vt etiam sit species, quia vniuersali magis generi alij subiiciatur. Cùm autem dixit alimenti species, palàm indicauit non intelligere, quod ipsum ad genus suum, & species sub eo contentas contineatur, sed quod ipsam plura contineat, velut animal, bouem, asinum, hominem, iuxta illos, qui credunt hominem animal fore: Hic caderet dubitatio an genus ipsum aliquid sit, aut non, nisi mentis conceptio? atque ita de speciebus, & rursus quomodò species inter se differentijs differant? nam species genere quo conuenit, & differentia qua differt, ab alia constituitur. Verum hæ quæstiones ad Dialecticos pertinent. Quæramus ergo illud quod ad Medicinam, & est ratio generalis ac vera, qua alimenta omnia in hoc non solum nomine, sed etiam imagine, ac ratione conueniunt alimẽti. Vt enim habetur à Philosopho *in antepradicamentis*, tria sunt genera eorum, quæ dicuntur de aliis aut enim dicuntur eadẽ ratione, & appeliãtur vniuoca, aut diuersa prorsus, & dicuntur æquiuoca, velut canis de pisce stella, & quadrupede: aut non prorsus eadem, neque diuersa ratione, vt cum vna ab altera pendet: vt Grammaticus à Grammatica. Genus ergo cum vna ratione de suis speciebus dicatur, velut animal de omni animali,

animali, quod sentiat: & color quòd sit extremum perspicui corporei, ita alimentum si sit genus vna ratione, de omnibus dicitur alimentis. Hoc autem & omissum ab Hippocrate, dicit quod primum videatur ex ipsa vocis significatione notissimum: tum quod adeò multa de eo explicauerit, vt superfluum existimauerit quicquam ad illius intellectum præponere. Quæ solutio verior est & firmior. Sed nobis qui planam doctrinam facere nitimur, non idem est faciendum sed totis viribus annitendum, vt initium doctrinæ perspicuũ reddamus. Est autem principiũ doctrinæ, vt inquit Philosophus *text.* 1. 5. primæ Philosophiæ duplex, vnde quis facilius discat, & vnde primum res cognita est, vt demonstrationum suppositiones, vnde liquet illum intelligere vtrumque genus definitionis nomine: vnde facilitas discendi & rei: vnde perfectio. Horum igitur vtrumque discere oportet. Sed quod ad definitionem nominis attinet, illam in nominibus præponere non decet, in Æquiuocis, nisi cùm prius significata distinxerimus. Sunt autem Æquinocorum duo genera: vnum verum, quod diuersas res significat, vt canis de quadrupede, de galei piscis specie, & stella. Est aliud genus Æquiuoci ab vsu: quoties species non habent nomen, proprium aliud à genere. Velut dicunt esse apud Hebræos. In hoc ordine est alimentum ad suas species comparatum, & humida secunda, & intellectus incorporei: atque in huiusmodi nominibus significata primum distinguere oportet: quod fecit Hippocrates, dicens, quod alimentum capitur pro genere, & speciebus, si pro genere est vnum, si pro speciebus plura. Sed ad res ipsas declarandas iam nunc redeo, & primum quid mistio, quid generatio, & quid nutritio.

Mistio ergo quadrifariam fit ad generationem: prima est fortuita, velut cum humidum: et pingue humidum miscetur pulueri in imo fluminum, atque torrentium, & ibi fit quædam generatio à frigore lapidum ideò in fundo fluminum fiunt tot lapides: quorum maxima pars vita caret: pauculi viuunt, quibus dum durescunt calor cœlestis, qui sub illa frigiditate latitat, vestigia animæ imprimit. Velut de lapidibus agri sterilis Veronensis, qui omnes impressam habent figuram signi Salomonis, de quibus dubitãdum non est, quin sint vnius, & eiusdem speciei: & ideó habent animam. Etenim quod species fit à forma, & forma naturalis est anima, aut forma elementi: mista enim ex elementis, vt lutum, & bulla non habent vnam formam, sed duas, aut plures, secunda fit ab anima mundi, seu calore solis: & fit generatio plantarum absque semine nascentium, & animalium ex putredine genitorum. Et tunc fit principium quoddam, quod fungitur vice seminis, & istud permutat sensim bifariam partes, & ratione quantitatis, & ratione substantiæ. Ideo priùs generantur oculi, quàm pedes, & venter, quam cutis: & oculi, & venter sensim generantur: et fiunt absque transmutatione partis in partem: materia enim quæ delegata est oculo generando, non alunde sumitur, quam ex loco fimo eidem assignato imo si moueatur; vel tantillum fit monstruosa generatio. Hæc mutatio differt à priore in quatuor, primum quod fit à calido, illa (vt dixi) à frigido: secundum, quoniam in hac mutatione, est principium proprium in illa vt plurimum, est solum commune. Tertium, quia in hac tota materia ab initio consistit, in illa perpetuò augetur. Quartum quoniam in hac materia vario modo transmutatur, in illa tota eodem modo. Conueniunt in hoc quod est mistio, diuersorum ad minima & mutatio substantiæ. Et quod hæc fiunt sensim: tertia mutatio fit à semine proprio. Et hæc habet omnia communia cum priore: differt solum, quod principium est ab anima propria, quod est actu in semine, & in quibusdam fouetur ab anima mundi, vel natura, vt in ouiparis quibusdam, à parente scilicet matre. Eorumque enim quæ ab animali generantur trẽs modi sunt: alia quidem ex animali animal simile, vt ex tauro vitulus, aut dissimile, vt ex musca vermis: alia ex duo vt aues, pisces plurimi, atque serpentes: alia ex colluuie vt anguillæ, scarabei: quorum generatio est media, vt manifestum est inter secundum & tertium, mistionis modum. Liquet igitur quod hæc mistionis species differt à prima totidem modis, quot secunda. Quarta mistio est per nutritionem & alimentum: atque hæc fit ab anima: ideò in actu vt secunda, & tertia, sed & ab instrumento iam perfecto, & per translationem ex loco ad locum: & fit omnium partium simul, quantum sit merito alimenti. Et ideò differt nutritio à generatione in tribus: apud Aristotelem autem in quatuor. primum iuxta nos est, quòd in generatione, & quod transmutatur, & in alimentum seu vice alimenti, vt sangais menstruus, & id in quod transmutatur, scilicet fœtus, potestate non actu sunt. In nutritione quod nutritur est in actu, ex quo nutritur potestate. Secundum quia in generatione non fit translatio ex loco in locum, sed omnes partes trahunt, & vbi adhæserint transmutantur: & in nutritione primum coquitur cibus in ventriculo, post trahitur ad iecur: demum ex illo ad membra. Tertium quia in generatione priùs generantur tria principia, cor, iecur, & cerebrum saltem (contendunt etiam Galenus & Aristoteles, quid primum inter illa generetur) & similiter oculi, ante multa alia membra? vnde Galenus *in libro de formatione fœtus, cap. 5.* constituit quatuor tempora. Primum in quo iecur: & venæ: secundum in quo cor & arteriæ: tertium in quo cerebrum & sensus, ac nerui: quartum in quo extrema formarentur. Hæc satis clara & perspicua si tempora generationis à temporibus nutritionis distinguantur. Postquam enim homo natus est, nutritionis tempus solum inchoat: generationis autem solum finitur prope septimum, aut octauum diem: quicquid medium est ab octauo die ad partus diem, mistum est ex generatione & nutritione. Cuius sit lethale exemplum: sit



corporis *b c* fœtus, iecur *a* octauo die: quod crescat vsque ad *e* dum corpus ad *b f g* magnitudinem peruenerit: si ergo nutriretur perpetuò, sed per generationem augeretur, aut *e* occuparet *b c*: aut *b c* nutritur: aut augetur nondum genitum, sed vt est potestate corpus fœtus? Primum absonum est, & experimento repugnat: neque enim fœtus est totus iecur, sed augetur vt illud: parum minus aut plus: Si verò *b c* nutritur, nutritur & quælibet illius pars, atque ideò etiã *a*. Sin autem augetur vt corpus lapidis, quod est in imo fluuij nondum lapis, sed simul fit & maior, & lapis: ille quidem fit per additionem exteriorem: at hic iam formam accepit *a* ab ipso *b*, quod ponatur esse septum transuersum gratia exempli. Si igitur citra exensionem nutrimenti augeretur, eadem pars fieret ex septo iecur, & ex iecore septum, ex quibus multa impossibilia sequuntur. Quantum verò apud Aristotelem est, quoniam quod generatur non est animatum, quod nutritur est animatum. Si enim generatione, quod fit, consistit, quod generatur non est, ideò neque animatum est, sed & contrarium eandem patitur contradictionem: nam si quod nutritur est: idem verò quod generatur nutritur, quod generatur animam habebit: Sed hæc alterius sunt considerationis. Alimentum est igitur, quod transmutatur secundùm substantiam ab eo, quod actu est in eius, quod alitur per tralationem loci in eodem tempore totum simul. Et si obiicias quod non totum simul, sed prius in ventriculo, inde in iecore post in membris? Dico quod licet in membris, quæ præparant, nutritio fiat prius, non tamen in toto. Nam ventriculi pars exterior, & iecoris gibba eodem tempore nutriuntur, quo totum corpus. Indicio est, quod simul incaluerit, reficitur, appetit, quod esse non posset, si tertia concoctio diuersis temporibus in diuersis membris celebraretur. Huius ergo causa, quod de fœtu diximus, factum est, vt multi generationem à nutritione distinguere nesciuerint: quomodo autem sint distinguenda, nunc aperiam. In fœtu octimestri, in quo plus nutritio viget, quàm generatio, tria fiunt: generatio vt vnguium: absolutio vt cutis, nutritio vt totius corporis. Rursus in sexto mense adhuc plus viget nutritio, quam generatio. Et generantur partes quædam, velut digitorum extrema, quæ nondum coaluerunt, aut propriam formam accepêre: his enim duobus potissimè dignoscuntur ac distinguuntur, quæ generantur: quia vel nondum figuram nacta sunt, aut nondum perfectæ concreuêre: vt in lacte, dum coagulatur. Ergo quæ augentur, nutritione formantur ab anima, & perficiuntur à calore simul, ita ordinata sunt. Dicam de vno membro, vt euidentius sit discrimen: Oculus vt totum quoddam augetur nutritione, ita quod alimentum in vnamquamque partem trahitur, ac distribuitur: transmutatur verò in simile, & ideo in formam membri perfectam: partes autem quæ in ipso nondum segregatæ erant vt Arachnoides à Crystalloide separantur, quæ iam separatæ erant, disiunguntur: singulæ seorsum durescunt propria duritie, & ita etiam perficiuntur: hócque modo singillatim cuncta absoluuntur, & vis quæ format in id, quod iam factum est agit: ac simul in id etiam quod nondum factum est, sed transmutatur.

LECT. III.

Super

EODEM TEXT. I.

EXplicata ratione alimenti secundum naturam, videamus quid sit alimentum iuxta Medicos. Dicebat ergo Galenus *primo de Elementis, cap.7.* cum duplex fiat mutatio in nostro corpore, vna secundùm substantiam, quæ duplex est: sensilem velut sudor & vrina, alia secundum substantiam insensilem, quæ fit per meatus cutis, alia verò in qualitate necesse est vtramque restituere, quod ergo restituit substantiam dicitur alimentum, quod qualitatem medicamentum. Verùm quia qualitatem sine substantia non licet inuenire, substantiam etiam qualitatis expertem difficilè, ob id alimenta fermè omnia mutant corpus, & medicamenta pleraque nutriunt: quæ tamen magis mutant, minimè nutriunt, ea proprie & maximè sunt medicamenta, quæ vicissim nutriunt, & non mutant ea appellamus alimenta. Atque hæc breui confirmat sermone. Tertiò de simplicibus medicamentis. *cap.4.* Quænam igitur sit propria alimenti ratio, duobus in locis in libro de cibis boni & mali succi declarat *cap. 3.* primum cùm dixit proprium alimenti est quod sit affine ei, quod alitur, sicut quæ maximè contraria sunt venena: quæ autem inter hæc media medicamenta, posterius autem aliud magis vtile dat documentum, *cap.5. in prin.* scilicet alimentum, etiam debere ad vnguem medium esse crassi, & tenuis, lenti & friabilis, atque ita calidi, frigidi, sicci atque humidi aliter expers qualitatis esse non posset. Palàm tamen est hic alimenti nomine alio modo vti, non solùm quod nutrit, sed quod nutrire potest. In omnibus enim analogis, quorum est vsus in arte, singula significata opportunè exponere debemus. Analoga enim nomina quædam ad similitudinem generis referuntur, vt ens est, & potentia, & actus, & accipiuntur talia genera eodem modo, velut figura: & in definitione animæ: *Secundo de Anima. Com.30.* anima enim vegetatrix est actu secundus, quia semper agit, cæteræ autem actus primus, quia non semper agunt. Et illud genus potest accipi in definitionibus, velut docuit ibidem *Primo de Anima. com.7.* Alio modo consideramus quatuor causas in artibus: & quæcunque referuntur ad eandem formam, non solùm sunt eiusdem generis: sed persæpè eiusdem speciei, vt homo apud Medicum: 4. *Prima phy. Text, & Com.2.* quæcunque autem conueniunt, & referuntur ad alias, non sunt eiusdem generis,

&

& tamen considerantur ab eodem artifice: vt sanum quod efficit, sanitatem, vt instrumentum aut agens naturale, aut quod ad sanitatem dirigitur. Et ideò non est necessarium, vt omnia considerata ab vno artifice sint eiusdem generis, vt plantæ, animalia, metalla, exercitatio, medicamentum, natura, media: omnia enim sana sunt, & à medico considerantur, non tamen sub vno genere continentur. In scientiis autem veris dubium est, non in mathematicis forsan, quia solam formam inter causas considerant, & iam dictum est, quod quæ formam habent eandem, sunt saltem vnius generis si nõ speciei; at de naturali philosophia est quæstio cum sit media inter puras scientias, & artes: Et mihi videtur, quod non solùm naturale, sed etiam Geometricum dicantur secundum Analogiam, quoniam puncta lineæ superficies corpora anguli figura communes animi sententiæ considerantur à Geometra, & diuisio, & proportio quædam, vt principia: quædam vt subiecta, & ideò non in eodem ordine: Ergo hæc est analogia, neque sunt eiusdem generis, quia punctum non est quãtitas, sed principia verò sunt alterius generis cum sint complexa & punctum quoddam simplex, & rursus diuisio, & proportio sunt in prædicamento Relationis, & tamen omnia sunt Geometrica. Quod autem sit necessitas huiusmodi considerationis in scientiis, dubium non est propter duas causas. Prima quia ad nullum alium spectare possent, & ita remanerent absque cognitione. Et si quis dicat quod à Dialectico, vel primo Philosopho ista cõsiderantur? dico quod consideratio Dialectici non est de re ipsa, an falsa sit, & cuius naturæ sit? sed solùm quod sit principium simplex, aut oratio, & quod sit in prædicamento isto, vel alio, sicut comprehendatur hac dictione quantitas, aut qualitas, aut relatio, aut non. Primus autem philosophus considerat triangulum, & quadrangulum, & diuisionem, & punctum, & proportionem, & tamen palàm est, quod Geometra considerat de triangulo, & quadrangulo. Ergo reliqua etiam habebunt duplicem considerationem, scilicet generalem, quæ pertinet ad primum philosophum, & qua probatur quod sint: & quod sint ex eo ordine entium: propriam quoque vt referuntur ad affine prædicamentum. *Pri. poster.* 5. Alia ratio est clarior, & efficatior: nam scientia non constat, nisi per demonstrationem: sed demonstratio exigit partim notitiam horum, velut puncti: partim veritatem: velut quod totũ est maius sua parte: partim vtriusque, velut propositionis. Ergo notitia horum pertinet ad Geometram, sed dubium est, an genus possit esse analogum, quia quatenus genus, est secundum vnam rationem. Neque enim esset vnum genus, nisi esset vna ratio generis. Si autem genus non posset esse analogum actu, non posset poni in definitione animæ. Et ideò respondeo, quod genus potest esse analogum in comparatione ad suam speciem, non tamen in se. Et hoc non fuit intellectum ab Auerroë, neque aliis philosophis quoniam actus genus est. Cùm autem dicimus actum secundum, & comparamus actum in genere ad actum secundum, est sicut cùm comparamus animal ad hominem, quia animal quod est in homine, est perfectus quàm in asino, eo quod suscipit formam rationalis, sed est differentia, quia in genere analogo additur perfectio, quæ non repugnat toti generi. At in animali repugnat, quoniam si omnia animalia haberent animã rationalem, animal non esset genus: neque posset dici de asino, & boue, sed actus, etsi omnis esset secundus? tamen posset dici de quauis anima: quia aliquando anima rationalis, & sensilis sunt in actu secundo, & tamen retinent naturam propriam. Ergo concludo tandem, quod genus analogum inuenitur in his, quæ sunt imperfecta ex sui natura, & possunt recipere perfectionem, & ob id illud, de quo dicitur tale genus: vtpotè anima non est analogum: quia suæ perfectiones sunt distinctæ per naturam: sicut etiã homo ab asino. Et animaduertite, quod analogia nunquam conuenit speciei vltimæ, neque generi primo & ratio est, quoniam species vltima est vnum, & idem perfectè. Ergo non potest admittere prius & posterius. Idem enim non potest esse se ipso prius, aut posterius; neque etiam in primo genere, quoniam nõ diceretur de omnibus æqualiter, & vna ratione. Et ita non esset vnum genus Ergo cum non dicatur de genere generalissimo, neque de vltimis speciebus, relinquitur vt dicatur de genere medio, ac specie media. Superest vt consideremus an ens, & vnum, bonum, & similia dicantur de substantia, & accidentibus per modum generis, aut vt medicinale seu per modum artis: & videtur quod per modum generis. Sed obstant tria. Primum quia esset vnum genus omnium, & non decem. Secundum, quia primum genus esset analogum, quod iam docuimus esse non posse. Tertium quia Aristoteles *quarto, prime Philosophie tex.* 2. hoc negat, addens rationem, quoniam entia quædam dicuntur substantiæ, quædam passiones substantiæ. Velut quantitas, qualitas quædam à substantia, vel ad substantiam, quædam vt priuationes, quædam vt referuntur ad substantiam. Ita ergo cum hîc sit alius ordo, quam imperfecti ad perfectum, quare non possunt esse vnius generis, sed consideratio de ente dicit, est velut medici de medicinalibus. Nec est necesse (inquit) vt consideratio vniús scientiæ sit solùm de his, quæ sunt vnius generis, sicut videmus de mecico, & quoniam ipse comparat considerationem primi philosophi, ad artificem scilicet medicum, & medicus est artifex, & primus philosophus non est artifex: Ideò comparatio non esset bona, quia dato, quod medicus sit vnus artifex, & tamen consideret plura genera rerum, non tamen sequeretur, idem de scientia primæ philosophiæ, quæ neque est practica, neque ars, nisi illud esset verum de omnibus scientiis puris, velut Geometria, & ideo dixi, quæ Geometria habet sub consideratione sua diuersa genera, tamen subiectum proprium non est Analogum, quia

consideratio de subiecto proprio est per se primo : *text.* 9. sed de aliis, aut non per se, aut omnino non primo ex his liquet : quod intendebamus, scilicet Alimentum esse genus, vt dixit Hippocrates, quod conuenit generaliter omni alimento, seu quod est futurum alimentum, seu quod est : veluti alimentum, seu quod est perfectè : id est, primum alimentum, & est Analogum, velut, & actus in definitione animæ, & hæc est vera expositio. Quanquam possemus dicere, quod esset solum analogum, ipsa scilicet vox, & quod alimentum verum est quod nutrit, & est genus, sed, vt dixi, prior expositio est verior, quia Hippocrates de omni genere agit primo, secundo, & tertio, & etiam Galenus hoc modo bene inscripsit libros de Alimentis, quæ inscriptio non adeò conueniret iuxta secundam expositionem. Ex quibus colligitur, quam necessaria sit Dialectica medico, & longè magis, quam naturalis philosophia: nam hæc solum ab initio, quoniam, vt dicebat Philosophus in libro de sensu, & sensili, vbi desinit philosophus, ibi inchoat medicus : at Dialectica vbique se intrudit, & vt ita dicam penetrat viscera medicinæ, & etiam hæc fuit sententia Galeni imo manifestius eius mens, vnde tot in ea scripsit non in Philosophia.

LECT. IV.

Super

TEXT. II.

Species verò humido, & sicco, & in his forma, & quantitas est.

CIrca species alimenti proponit duas diuisiones, vnam in alia inclusam ; per se quidem, & in comparatione ad aliud, vt in sequenti textu eam, quæ per se est triplicem proponit, & vt rectè ait Boëtius per opposita. Opposita autem bifariam, alia quidem contraria vt humidum sicco, alia non, sed eorum quædam, quæ per priuationem, vt album nigro, non sunt contraria, quoniam non inuicem agunt, quædam, quæ sunt extrema solum, vt curuum, & rectum, quædam relatiuè, vt paruum & magnum : quædam solum, quia re dissident, licet non videantur opposita, velut triangulum, & quadrangulum : ergo, vt ad primam diuisionem veniam; humidum, & siccum bifariam dicuntur potestate, atque actu, *tertio de Temperamentis cap.* 1. Et sursus eorum, quæ potestate talia sunt, quædam non deducuntur ad actum, nisi per alia, quia non habent principium actus in se ipsis, vt piper : Quædam habent in se ipsis, velut rosa tempore hyemis : nam à sua forma ad actum reducitur, & ita dantur hæ qualitates cum medio actu. Vnde rectè dubitatur, cur non meminerit calidi, & frigidi, respondet, quia illæ qualitates magis pertinent ad medicamentum, quàm alimentum, & verum est. Aliter etiam possumus dicere intelligendo per siccum, durum per humidum, liquidum, & ita excluditur calidum, & frigidum. Ergo pro hoc in mentem mihi venit eius, quod Galenus dicebat, *sexto de tuenda sanitate cap.* 3. *iuxta med.* [Ac maximam quidem vim habent ea : quæ eduntur, bibuntúrque. Non in ventre modo, sed etiam toto corpore conficiendo totius substantiæ conuenientia : cuius ratione nutrimenta animalibus, & varia, & speciebus multum inter se diuersa habentur : cùm nulla similitudo sit eius, quod ex palea, & herbis accedit, ei quod ex ossibus, & carnibus, nulla societas eius, quod ex pane est, cum eo, quod ex cicuta, & veratro, nam, & hæc animantium quibusdam nutrimenta sunt.] Fiunt autem, & qualitatibus conuenientiæ vtique. Si seruare temperamentum studes humidis naturis humectante cibo maximè quadrante : siccis vero is, qui siccet : sed si alterare placet : contrariis, in eo autem qui est in calido, frigidóve ad intemperantiam lapsu, contraria date semper expedit : cum & efficacissimæ eiusmodi intemperies sint, & (vt ita dicam) magis, quàm quæ ex siccitate, & humiditate consistunt. Potentes quippe cum facilè similibus nutrimentis morbosam intemperantiam generent. At si siccius quod vis membrum efficias ? nihil manifestè lædes, pari modo nec si humidiori suam humiditatem serues. Notandum quòd vt habetur *in libro de constitutione artis medicæ, cap.* 5. quatuor sunt qualitates primæ, quæ ob hoc (inquit) vocantur actiuæ, non quia solæ agant, nam & acutum diuidendo agit, & graue tundendo frangit, & dulce in sensum, & erodens comminuit, astringens etiam astringit, sed tamen calidum, & frigidum, & humidum, & siccum actiuas qualitates solum appellamus, quia totam rei substantiam primum peruadunt etiam non corruptæ, neque discussa soliditate, & quod maius est, nihil dissimile faciunt, sed calidum efficit calidum, & frigidum efficit frigidum, & humidum humidum, tam intus, quàm extra : alia autem non, sed acutum diuidendo non efficit acutum, neque aere aere, nisi vt miscetur, & ita neque dulce, neque astringens : & ideò dicit Galenus, merito istæ qualitates præter cæteras appellantur actiuæ : & inter has ponit ordinem, quia caliditas magis agit, post frigiditas, post humida qualitas per se plus agit, quàm siccitas, quamuis si adiungatur calori, quia calor per accidens exsiccat. Ideo videtur siccitas maioris actionis humido. Dicuntur etiam istæ qualitates aliquando omnes actiuæ, quia omnes agunt alio modo calidum, & frigidum, dicuntur solum actiua, & humidum & siccum passiua, quia calidum, & frigidum magis agunt, quam siccum, & humidum, & etiam quia id, quod patitur, patitur in quantum humidum & siccum, & ideo humidum, & siccum sunt simul, & agentia, & patientia,

tia, quare non numerantur pro agentibus, adeò validis, neque synceris, imò inter qualitates passiuas, & breuiter, vt dicam humidum, & siccum vt comparantur inter se sunt qualitates actiuæ, quia humidum agit in siccum, & siccum agit in humidum, sed comparando humidum, & siccum ad calidum, & frigidum dicuntur passiua, quia proprium humidi, & sicci est pati: à calore, aut frigore, & ob hoc dicebat Auerroes, *quarto metheororum*, *In Comento magno*, quod omnis generatio fit ex calido, agente in humidum, sed nos omittemus philosophica; quandoquidem sufficient medica: Illud tamen est ad propositum, quoniam humidum, & siccum pro qualitate rursus bifariam sumuntur. Scilicet pro qualitate tantum, & pro qualitate in subiecto, velut *in prima aphorismorum*, cum dixit, *cap.* 14. [Qui crescunt, plurimum habent innati caloris.] manifestum est, quòd per calorem intelligit substantiam calidam. Vnde Galenus introducit illam disputationem, *primo de Elementis*, *cap.* 6. cum suo præceptore, & omissis tricis illis, distinctionem omninò approbat *paulo pòst cap.* 8. Videmus enim puerum tempore hyemis, esse valde calidum, & ideò bene concoquere, quia qualitas licet sit exigua, est tamen in multa substantia, senex autem tempore æstatis malè concoquit, quia qualitas magna est in exigua substantia. Quæ a distinctio est, quod calidum & humidum, & eiusmodi, possunt intelligi absolutè pro eo, quod est omninò calidum, vel humidum nihil habens admixtum contrarij, & pro eo, quod est tale, quouis modo, vt butyrum primo modo sunt alimenta, ideo vt verius dicam, quod etiam videtur voluisse docere, *primo de temperamentis*, *cap.* 6. *in prine.* scilicet quod vnaquæque qualitas trifariam dicitur, vel simpliciter, & sic dicuntur, alimenta tantum calida, vel humida, vel ex abundantia, vt piper calidum, & siccum, quia illæ qualitates superant contrarias, vel in comparatione, velut dicimus ventum orientalem in hyeme esse calidum, licet sit frigidus, & capram esse siccam in comparatione ad ouem, quamvis capra sit humida simpliciter. De his autem omnibus in humido diiudicat tactus, visus, & ratio, *secundo de Temperamentis cap.* 3. *in fine.*

Pòst, subiicit de forma, quoniam alimenta quædam sunt multi nutrimenti, & quædam pauci, & quædam boni, & quædam mali, & hæc sequuntur substantiam rei potius, quam qualitatem, quia portulaca est frigidior, & humidior, quam fungus, & tamen non est adeo mali alimenti, & caro serpentis est minus sicca, quam piper, aut lens, & tamen est deterioris alimenti caro serpentis, quam piper, aut lens, & ita quædam sunt proxima temperamento, vt saccarum, quod tamen parum nutrit: & carnes aium rapacium sunt longè calidiores, & siticiores, & tamen magis nutriunt, & multa sunt sicciora tam calida, quam frigida ipso cicere, vt pannicum, & millium, & lens, & caulis, & tamen omnia vetustate gignunt animal, & solum cicer nunquam generat animal, vt inquit Theophrastus. *De Histor. plan. lib.* 8. *cap.* 10. Hoc est ergo quod intellexit Hippocrates per hoc nomen *formæ*. Potest etiam intelligi de præparationibus, & de duritie, & mollitie, de saporibus, de odoribus, de pondere atque istiusmodi: nam grauia multum nutriunt, possunt & parum nutrire, sed leuia non possunt nutrire multum, velut pannicum & furfur. Et licet odores non permutent quantitatem alimenti, permutant tamen qualitatem, sed de hoc inferius. (*Et quantitas est.*) Hoc est tertium discrimen, quoniam ex multo alimento plus nutrimenti accedit, & plus difficultatis in concoquendo ex proportione respondenti, quod optimum est ex pauciore, leuitas in concoctione, sed tabefactio corporis, & multitudo quidem alimentorum deterior est in his, quæ parum contraria ratione: minus malum est copia in cibis parui nutrimenti: & paucitas in his, quæ plurimum nutriunt, & in hoc decipiuntur, quoniam plerique vulgares, & multi etiam medici existimant maius periculum esse ex repletione olerum, aut fabæ coctæ, quàm ouorum, aut carnis, & hoc est manifestè falsum: quoniam ex copioso cibo & multi nutrimenti generantur omnia mala in humoribus; quæ sunt tria, vt dicebat Galenus, *Tertio de caus. sympt. cap.* 2. multitudo, crassities, & lentor, quorum nullum cum generentur ex cibis pauci alimenti si copiosa sint, ex his manifestum est maius detrimentum esse in carne, & ouis copiosè sumptis, quam in melle, vel saccharo, vel oleribus, vel leguminibus bene coctis, aut oriza, & pannico, & similibus.

LECT. V.

Super

TEXT. III.

Vt ad quædam, & ad tot. Auget autem roborat, & incarnat, & assimilat, & dissimilat; & quæ in singulis secundùm nostram vniuscuiusque, & facultatem, quæ ab initio.

DEclarat primæ diuisionis secundum membrum per tertiam diuisionem & quartam, vt diuisio sit hoc modo alimentum, vt diuiditur in species bifariam, dicitur simpliciter & in comparatione ad aliud, & hæc est prima diuisio. Secunda fuit primi membri in humidum & siccum in quibus forma, & quantitas cõtinetur. Secundum membrũ primæ diuisionis fuit vt alimentum ad alia cõparatur, & tunc ad quædam, & ad tot comparatur, & est tertia diuisio. Illud verò ad quædam est quarta diuisio, inauget, & roborat, &

incarnat, provt dicemus in explicatione ipsius. Et sunt quinque. Dicamus ergo primum de tertia diuisione, & manifestum est quod ipsa est per se clara intelligentibus. Cùm enim interrogamus aliquem de pluribus, dicimus & de hospitibus, & de inimicis, & de sociis, & latronibus, de ægris, & quibuscunque aliis, quinam sint, & hoc declarat per quædam, & quot sint, & hoc per eadem verba edocet, scilicet quot sint, quasi innuat quòd oportet hoc scire de alimento ad quænam sit comparandum, & quot sint. Sunt ergo vt dixi quinque illa: & istud est clarum: alterum verò de numero est difficilius, quia possum bene scire quod comparatur ad ea, quæ auget, roborat, incarnat, assimilat & dissimilat: an verò sint tantum quinque, istud est longè difficilius scitu: nec tam pronum imò ista quæstio semper versatur in tota medicina. Scio quod sunt quinque signa morbi lateralis, sed & quæ sint. Verùm an hæc quinque tantùm istud est difficillimum. Cùm ergo sint tres quæstiones, quæ sint signa morbi lateralis hæc est facillima, quia probatur ex principiis ipsius morbi. Secunda an illa signa sint verè signa, scilicet propria & inseparabilia: ista est difficilior longè, quia possunt signa esse propria, & non inseparabilia: inseparabilia non propria: inseparabilia & propria, neque inseparabilia, neque propria. Istud tamen facilius est scitu, quia paulatim educitur ex principiis morbi lateralis: at quod non sint plura, neque pauciora hoc est perdifficile admodum, & quasi supra vires. Et ideò pauci hoc norunt determinare, & maximè quia si quis rectè consideret, tertia quæstio includit secundam: nec potest ita educi ex principiis rei, propterea dubitabat F. meritò & conabatur soluere quæstionem, scilicet, an diuisio illa in quatuor membra, & est prima cum secunda coniuncta, in rei veritate euacuet totum quæsitum, scilicet de omni alimento, vt dicamus ita: omne alimentum vel est humidum, vel siccum, vel plurimum, vel paucum, vel sub tali forma, vel sub alia, vel ita operatur, vel non ita operatur: & dubitat, & vellet soluere, & non potest, quamuis ego crediderim peruenisse ad ipsam exactam paraphrasim aliquam expositionis Galeni, viri sanè generosi in Græco quam ipse Latinam reddiderit, sed vt dixi non potest soluere istam difficultatem, quia neque Galenus cum sua Dialectica potuisset hoc facere: nobis autem est concessum id facere sine negotio: & credendum est, quod Hippocrates hac arte vsus sit in constituendo libro, aliter fuisset coactus multa repetere, & multa omittere necessaria in enarratione libri de alimento, & eiusmodi est cum tria sint prædicamenta, seu ordines rerum, quæ dicuntur per se, licet omnia præter substantiam referantur ad substantiam: tamen duo, scilicet quantitas & qualitas referunt solùm, quò ad esse, & non quo ad intelligi, & licet omnis quantitas sit alicuius quantitas, & omnis qualitas sit alicuius qualitas, & non semper substantiæ, quia figura est etiam visionis seu phœnomenum quod Barbari appellant apparentia, tamen quantitas, & qualitas possunt intelligi absque alio ordine: possum enim intelligere calorem, & albedinem absque alio ordine, seu præcamento, seu alia re: at verò non possum intelligere illud de relatiuis, vel de actione, vel passione. Ergo quod ad artificem attinet, omnia prædicamenta reducuntur ad quatuor modos, substantiam, quantitatem, qualitatem, & ad aliud, & hoc est quod dixit, & ad quædam, & ad tot, scilicet, quia sub isto modo continentur, septem prædicamenta, quæ sunt, relatio, actio, passio, vbi, quando, situs & habitus: sed præcipuè intelligitur de primis tribus, & hoc est ad quædam, vtpotè ad senes, iuuenes, calidos, frigidos, imbecilles, robustos, ac reliqua, & similiter quod ad actionem attinet & passionem, & hoc declaratur in quinque exemplis, quæ ponit. At verò in secunda diuisione connumerauit formam pro qualitate, quia formæ sunt diuersorum generum & multiplices, & quantitatem sub proprio nomine, & per substantiam humidum & siccum, vt superiùs declaratum est diffusè. Ergo manifestum est tandem, quod non possunt esse plura, neque pauciora: & mens Hippocratis clara est. Manifestum est etiam quod sub membro ad aliquid prouvt distinguitur à relatione, quod continentur maximè duo illa actio, & passio: nam vbi, & quando, parum conferunt & considerantur: situs verò & habitus etiam nihil prorsus. Erunt igitur de alimento propriè sex considerãda, substantia, quæ intelligitur per humidum & siccum, quantitas, vt multum & paucum, per qualitatem autem multa, sed præcipuè graue, leue, molle, durum, simile, dissimile, quod posset etiam referri ad substantiam: & præparatio, & hæc quatuor primò considerabuntur. Secundo verò ab his, & alio ordine primo, id est, ratione finis multum alere, & parum, facilè, & difficilè, breui, & tardè concoqui, boni esse alimenti, & mali, excrementosum esse & non esse, excrementosum & facilè corrumpi, aut difficilè: & ita sunt sex quæ cum reliquis quatuor faciunt decem, quæ omnia pertinent ad formam, & qualitatem, nisi illud multum alere, quod est anceps. Potest enim pendere ex quantitate cibi assumpti: vt si quis comedat multas lactucas, aut ex qualitate, vt viscellos ouorum sorbiles. Tertium est quantitas: Quartum est relatio (vt dixi) iuxta diuersitatem corporum, & occasionum, ætatum, sexus, temporũ. Quintum est actio ipsius alimenti in eo, quod mutat & passio in eo quod mutatur, & est sextum. Illa volui diffusiùs declarasse propter tria. Primum quia aliquibus forsan poterant videri difficillima, vt etiam sunt si quis non rectam viam interpretandi ingressus fuerit. Secundò vt intelligeremus quæ scribuntur ab Hippocrate in isto libro non obiter, sed maxima Primo cœli. 7. 33. ratione conscripta esse. Tertiò vt intelligeremus sequentiã. Minimus.n. error in principio, maximus est in fine, dicebat Philosophus.

Pro quarta ergo diuisione proponit Hippocrates

pocrates quintam, scilicet incrementum, quia vt rectè dicebat Galenus Secundo de diff. spir. cap. 7. Hippocrates nihil dicit eorum, quæ per se manifesta sunt, vel etiam nota vulgaribus. Incipit ergo ab incremento quia si dixisset quod alit, fuisset ridiculus, nemo enim nescit quod alimentum est, quod alit. Alimentum ergo alendo auget, vt ideò incrementum est duplex, & vt alimentum est analogum, scilicet ad incrementum comparatum, ei cui nutrimentum adiicitur, & ita semper est incrementum, quia semper addit comparatum fini, & parti, quæ nutritur, vt etiam resoluitur: & ita non semper quod alitur, augetur, quia resolutio potest esse tanta, quantum est quod adiicitur, velut in iuuenibus, vel etiam maior, vt in senibus. Et ponit tres oppositiones, vnam quæ est inter augmentum & robur, quia vnum pertinet ad corpus, aliud ad animam: aut saltem ad vsum facultatis. Secunda est quod σαρκοῦν à σαρκόω, quod est carnem augeo, id est, cùm quis carnosus efficitur: hoc enim aliud est, quam augeri verè: quoniam verum augmentum fit in membris solidis: & seminalibus (vt eo vtar vocabulo,) Latinum enim est, sed significato non idem exquisitè? atque ita ex alimento augentur membra, non solùm seminalia, sed carnosa: Et assimilat atque dissimilat inquit iuxta naturam vnius cuiusque, scilicet hominis, & facultatem quæ ab initio, id est, illius alimenti, quoniam si alimentum ab initio fuerit calidum, & siccum, & exhibitum fuerit calido, & sicco corpori, assimilabit illud & maxime temperatum temperato, si autem alimentum temperatum exhibeatur intemperato, aut intemperatum ab intio, id est, antequam assumatur & edatur temperato, tunc dissimilabit ipsum sibimet. Et in hoc aliquando est vtilitas reducendo intemperatos ad temperiem, aliquando iactura, reducendo temperatos ad intemperiem. Et similiter in prioribus temperata temperatis prosunt, sed intemperata similia intemperatis nocent, vt regula similium alimentorum non sit vt *in libro de cibis boni, & mali succi Cap.* 10. habetur à Galeno. Sed de hoc plenius in sequenti lectione.

LECT. VI.

Super

TEXT. EOD. III. & IV.

CIrca ergo alimentum, vt comparatur ad incrementum scire decet, quod vt habetur, *Decimo artis curandi Cap.* 11. *iuxta. Medi.* & in sexto Epidemiorum, *Part.* 7. *Post princip.* & etiam infra quinque modis corpus nostrum augetur solidis, & ita vsque ad ætatem consistentiæ: in ætate consistentiæ neque augentur, neque minuuntur: & solida dignoscuntur: quia omnia sunt alba, vt colligitur, primo Prognosticorum à Galeno. *Comm. vltimo.* Et ideò dubium est de ea parte, quæ vocatur parenchyma, quæ est in iecore, in pulmone, & in renibus. Nam illa non est alba, sed rubra, & tamen non semper augetur, sed vt reliqua membra seminalia solum vsque ad ætatem consistendi. In tempore verò consistendi, neque augetur, neque minuitur. In tempore autem senectutis solida minuuntur. Eadem est dubitatio de carne pulmonis cordis, & renum, quanquam de corde Galenus velit, quod sit velut musculus, quia continet fibras & caro musculorum augetur etiam in senecta, & reddam rationem huius, quoniam hoc est secundum quod augetur & semper augetur: verum tamen in decrepitis rarissimè. Causa ergo est, quoniam illa caro fit à bono sanguine, sed iecur quod sit nimis calidum, vel nimis humidum, naturaliter potest in senio temperari. Ergo homo potest fieri carnosior in senectute, quàm in iuuentute. Augmentum igitus hoc differt ab augmento solidorum. Tertium augmentum est pinguedinis, & doctrina horum est manifesta, *Secundo de temperamentis. Cap.* 5. Si ergo iecur fit bene temperatum & humidum valdè in senio, corpus illud impinguabitur circa loca, vbi adest adeps, scilicet maximè circa renes, vnde boues senes plurimum habent sepi. Et ita circa cor etiam, sed ista duo non videntur: extra autem in duobus locis crescit adeps, vt videri possit manifestè, sub cute & in omento, & videntur ventricosi. Vnde illud Perlij.

Venter aqualiculus propenso sexquipedo extat.

Quidam Florentinus cùm vidisset huiusmodi hominem, dixit ad socium. Volo deponere pignus tecum, quod diuinabo, quid cogitet ille vir: respondit socius forsan ex composito hoc agis? cui respondit Florentinus, non certè; & iuravit se nunquam aliàs hominem vidisse, neque scire qui sit: agere bona fide. Itaque certatum est de cœna: adierunt hominem, inquit Florentinus, dic quæso ò amice, nunc nil cogitabas? tum ille respondit vera dicis. Itaque lucratus est cœnam duplici argumento, ad eam coniecturam venit, & quòd qui cogitant adipe non implentur, & quod qui pingues sunt, non sunt cogitabundi: ex vtroque colligebat, quo cœnam corraderet. Ideò iam habetis tria genera augmenti, quorum vnum fit solum vsque ad ætatem consistendi, scilicet solidorum: alterum vsque ad ætatem decrepitam, sed non in ea. Hæc autem verè omissis nugis, quorundam incipit à septuagesimo anno: vel si maximè tardè octuagesimo: & si quam celerrimè à sexagesimo: in debilibus consumptis breui vita aëre puluerulento, vt in Arabia. Tertium etiam in decrepitis augetur, raro incipit: locus secundus, in quo apparet, est in insuperficie corporis, quoniam inter cutem, & carnosam membranam pinguedo vbique fermè interponitur, quæ ibi crescens molliorem, obæsiorem, & candidiorem reddit hominem. Quartum incrementum est sanguinis boni: nam reliqui humores non sunt animati: sed sunt excrementa, vt habetur à Galeno, secundo de facultatibus naturalibus. Loquor de humoribus separatis à sanguine, nam qui sunt in sanguine, possunt dici forsan

animati : quatenus continent ſpiritum. Nam vt habetur à Galeno, *Dec. Hippoc. c. 5. Hipp. cap. 5.* & à principe *Prima primi ca. 1. poſt proœm.* prima primi : ſola membra, & ſpiritus ſunt animata, & quod animatum, eſt analogum: ſecundùm Ariſtotelem enim primum animatum eſt cor, & ſecundum eſt Spiritus in eo, & tertium ſunt membra reliqua, & calor naturalis, ſeu ſanguis. Sed iuxta Platonis opinionẽ primum animatum eſt idem illc calor, non quia ſuſcipiat animam. Anima enim eſt ex Platonis ſententia in mundo incorporeo, & tranſmittit ſimilitudiné membris, ſeu cordi per calorem ſolis, & hæc ſimilitudo vocatur vita : & eſt adminiſtratio ipſius caloris per ipſam animam : ſeu animæ lucem, & ideo primum animatum eſt calor, & ſecundum eſt cor, & tertium eſt calor naturalis, qui influitur à corde: & quartum ſunt membra maximè principalia, & præcipuè iecur. & cerebrum, & teſtes : & ſi quis dicat, quòd iecur viuit ante cor dico, quod & ſi non ſit concedendum ab Ariſtotele, neque etiam forſan verum, tamen non repugnat his, quæ dicimus, quia vt dixi primum animatum eſt calor communis, qui poſtmodum vocatur vita, & iſte adminiſtrat opera vitæ generando fœtum ante iecur, etiam teſte Galeno: & philoſophus cogitur hoc fateri, & quintum ſanguis qui incaleſcit à ſpiritu delegato, à membris, & humores, qui non ſunt in actu ſecundùm vnam opinionem, ſcilicet medicorum, aut ſolus ſanguis purus ſecundùm opinionem Auerrois, & philoſophorum. Incrementum igitur boni ſanguinis contingit ſine incremento corporis, & cum incremento eius. Et hoc eſt clariſſimum. Sed quomodo ſine incremento, iſtud forſan poſſet eſſe dubium, & dico, quod cùm vis iecoris fuerit perfecta, & cor fuerit debile valdè, ſicut poteſt contingere viſceribus, imò contingit in valde ſenibus, tunc abundat bonus ſanguis, & tamen corpus non nutritur, & ſi hoc contingit in hectcis manifeſtè, non debemus dubitare de decrepitis, multò magis, quorum ſanguis non incaleſcit præter naturam à corde. Hoc ergo eſt quartum incrementum, ſicut quintum eſt in ſpiritibus. Hoc autem accidit manifeſtè ex bona temperie, & denſitate ſubſtantiæ cordis, ſicut ſæpiùs retulimus.

(*Roborat*) quatuor modis augetur Robur in homine primum vere, cùm vires ferendi, & impellendi, & conſtringendi, & trahendi (in his enim quatuor conſiſtit robur: quod etiam eſt analogum) ad iſta quinque, dico genus, vt etiam dixi de alimento, & incremento, & calore) quod fit ex magnitudine membrorum ſoliditate, ſeu denſitate, duritie, & abundantia caloris : ſi verò deſit magnitudo membrorum, & totius corporis, & adſint reliqua, fit ſecundum genus roboris, & vocatur agilitas. Tertium verò eſt robur, quo homo reſiſtit in morbis : vnde videas multos robuſtiſſimos corpore, quod breuiſſimo tempore pereunt, & ex morbo etiam non valdè magno, quia, de illis qui pereunt ex magnis abſceſſibus nihil mirum eſt, cùm non ex imbecillitate pereant, ſed ob magnitudinem morbi, ſed qui pereunt ex paruo morbo breui iſtud contingit, ex intemperie, aut raritate alicuius membri principalis, aut mala compoſitione [illegible] contraria ratione, quidam ſeniculi reſiſtunt magnis morbis, propterea, quod humores non [illegible] aut non valde mali, & membra principalia ſunt temperata, & denſa, licèt non abundent calore naturali. Et ſi quis dicat, quare ergo non generant multum ſanguinem? dico, quòd ventriculus, vel iecur erit in cauſa, ventriculus ob imbecillitatem, iecur ob paruitatem, & ſi etiam fuerit raræ ſubſtantiæ, ſed tunc erunt morbi valde longi. Quartum genus roboris eſt in ſenſibus, vt qui procul vident, ſubtiliter audiunt, olfaciunt, de guſtu optimè iudicant. Senſum tactus exquiſitum habent, iſta maximè, proueniunt apud medicos ex cerebri temperie, tenuitate ſubſtantiæ, & puritate, ac multitudine ſpiritus animalis fulgidi, & clari, quemadmodum homo videt bene in clara luce, & non in obſcuro, facit & ad hoc ſi non primo ſaltem ſecundo, robur cordis, & iecoris, & in hoc ordine conſtituuntur etiam robur concoquendi, expellendi, retinendi, & attrahendi, & generandi præter omnia.

Inde ſubiicit, quod aſſimilat, vel diſſimilat, hoc planius declarabitur in ſequentibus.

TEXT. IV.

Aſſimilat autem pro viribus, cùm id quod ſuperuenit ſuperatur, præexiſtens verò ſuperat.

VVlt docere quomodo aſſimiletur nutrimentum, ſcilicèt cùm id quod ſuperuenit ſuperatur à eo, quod præexiſtit in corpore ipſo.

LECT. VII.

Super

TEXT. V.

Fit autem exile, cùm primum in tempore diſſolutum, vel appoſitum : quandoque verò vltimum in tempore diſſolutum, vel appoſitum.

SEntentia eſt, poſtquam declarauit, quòdnam ſit alimentum, quod auget, & roborat, & carnem. *Com. cap. 2. pag.* 4. gignit, docet, quod ſit quod exile reddit corpus, & contraria facit, ſed prius doceamus, quid ſit alimentum, quod diſſimilat, & quæ vis ſit in nutriendo alimenti cùm diſſimile fuerit corpori. Nam vt habetur *tertio de Symptomatum cauſis*, alimenta non ſolùm mutantur, ſed etiam mutant corpora noſtra. Licèt autem verba eius referre ad vnguem. Sunt autem hæc. [Quam magnam

magnam verò vim habeat nutrimentum ad carnis mutationem, etiam ab Aristotele est traditum, vbi meminit regionum in, quibus pecora, tam colore, quam cæteris differentiis sensilibus mutantur, atque alterantur, qui verò à nutrimento alterari, nutrita inficiantur (eius enim quod vincitur, esse nomen non vincentis) hi de mutatione, quæ in animalibus cernitur, quid recti dicant non habent: multóque minùs de ea, quæ in stirpibus notatur, sed à rebus, quæ luculenter omnibus apparent: quid dicant incerti, hærentésque redduntur. Si quidem quod de Persica planta, quæ ex Perside in Ægyptum est translata, proditur, nemini est incognitum. Lethalis siquidem in Perside erat in Ægyptum autem translata, id quod periculosum erat, mutauit, (veluti arbitror) nec quod apud nos in vitibus apparet, quæ cùm locum mutant diuersum afferunt vinum: De aliis verò stirpibus tradiderunt, qui de agricultura scripsêre. sicuti etiam de herbis ij, qui de herbis prodiderunt. Transportata enim ex aliis in alia loca, sæpè minùs, quàm duorum studiorum interualla multis modis alterantur. Conueniebat igitur, qui, aiunt, nutrimenti nomen eius quod vincit, alterátque, ac mutatur dum taxat esse non id modò scisse, ac dixisse, sed etiam de leucas generatione differere tentasse: quippe aut ipsa nutrita caro eius morbi causa est, aut ipsum nutrimenti vitium, sed si nutrimentum causa non est, (ita enim voluit) necesse est carnem dicant: quid ergo patitur hæc, quod nutrimentum sibi in totum non assimilat? Fiet enim eo certe pacto natura vitij causa: At multò (arbitror) satis erat nutrimento causam imputare, iam verò nec propterea, quod nutriri opus sit, vt sibi nutrimentum assimilet. Assimilari ac mutari nutrimenti sit passio, non potest idcirco, quod patitur vicissim aliquid, tametsi minimum in id, quod agit, facere. cum eius sententiæ est maximè contrarium in disputatione: de his non nos modò ostendimus, sed etiam ex philosophis iis, qui omnium naturæ affectuum, ac passionum grauissimi interpretes fuerunt. Apparet enim omnia, tametsi multò iis, quibus appropinquant, sint valentiora, aliquid tamen ab ipsis sensile, manifestúmque pati, & si non primo statim occursu, at certè temporis processu iam ferrum acutissimum, molliissima secanda carne est hebetatum, & durissimus lapis à guttula longo tempore ictus cauitatem contraxit. Quid verò in iis, quæ mista sunt fiat, omnes norunt: Siue enim in amphoram aquæ feruentis frigidæ eminam iniicias, quod mixtum ex ambobus est, non solum quòd emina vincatur, indicabit, sed etiam, quod vincens pariatur. Siue contra eminam calidæ immittas in amphoram frigidæ vincetur: quidem emina patietur, tamen pusillum aliquid, & amphora.] Vnde etiam illud liquet plantas magis mutari, quam animalium corpora, & inter illa etiam magis, quæ minùs mouentur, & quæ in aquis degunt: quoniam non solùm nutrimentum mutatur, sed & quod vice aëris est, & motus impeditur.

Quod ergo ad textus præsentis expositionem attinet, duo proponit Hippocrates, scilicet quod alimentum sit exile, id est, neque auget solida, neque robur, neque carnem, neque assimilat, neque dissimilat (ex quo patet quod *per dissimilare*, intelligit temperare corpus intemperatum, & ita accipitur in bonam partem) sed oppositum facit: quid enim est proprium alimenti? est (vt dixi) semper augere non secundum actum secundum, id est, in effectu, sed primum, scilicet in eo, quod alit. Ergo exile est ad vnguem oppositum alimento, & est ipsa priuatio, seu corruptio alimenti: & tunc textus recipit quatuor expositiones: duas quidem ratione primi & vltimi, & duas ratione eius, quod est dissolutum, vel appositum: constat enim quod sunt duæ expositiones, & cùm quælibet ipsarum possit intelligi bifariam, erunt quatuor oppositiones simplices, & quia duæ, & duæ sunt oppositæ, ex his fient, quemadmodum in intemperiebus quatuor compositæ coniugationes. Dicemus ergo primum de simplicibus, & proponemus modos, & secundo de compositis, & describemus quatuor coniugationes, & inter eas primùm illam, quam amplectitur F. Deinde alias tres, & considerabimus quæ sit melior. Per primum ergo, iuxta F. intelligitur quod assumitur in primis diebus per vltimum quod in subsequentibus, & per dissolutum, quod dissoluitur antequam apponatur, & per appositum quod dissoluitur atque discutitur, postquam iam appositum fuerit. Vt sit sententia, seu nutrimentum primum per se non concoquatur, & ita dissoluatur antequam apponatur: seu dissoluatur postquam appositum fuerit: seu rectè concoquatur, & apponatur, neque per se dissoluatur, sed per nutrimentum, quod recipitur subsequentibus diebus, siue illud non concoquatur, & ideò corpus absumatur, quia nihil loco eius quod absumitur reparatur, seu, & illud concoquatur, & apponatur, sed postmodum dissoluatur, & omnia hæc dicit F. contingere possunt, vel ex natura eius, quod assumitur, vt sunt fructus horæi, vel ratione quantitatis, vel qualitatis, & hoc est per accidens seu casu, sicut etiam præparatio ordo, hora, studia, tristitia exercitatio intempestiua, & alia externa, vt totus sensus sic collectus, talis sit: Alimentum redditur inutile, (quod est exile) vel per se primo cum assumptum non concoquitur, adeò vt possit apponi, & ideò antequam apponi possit dissoluitur, vel cùm apponitur, deinde dissoluitur, non quia inutile sit: sed quoniam natura eiusmodi est vt declarabo: vel cùm à succedente dissoluitur, quod prius assumptum est, & appositum, scilicet ab eo, quod dissoluitur post assumptum, aut corrumpitur, & corrumpit prius assumptum. Secundus sensus est noster, quia iste, & si verus sit durus est vt intelligantur contraria dissolutum, & appositum, & quoniam ex vtrisque idem aduenit, scilicet vt corpus, & vires non augeantur, videamus quomodo istud contingere possit. Et clarum est, quòd duobus modis corpus nostrum contabescit: vno modo, cum fit tenue,

& aridum:

& aridum: alio cùm fit ſub habitu illo, quem vocamus hypoſarcam, & non in leucobhlegmatiam, ſed propriè hypaſarcam, & eſt habitus mortuorum: & tument membra, vt facies, & pedes: & quæ non tument, fiunt arida, vt hecticorum. Et primus habitus fit ab inedia, eſu fructuum; & herbarum ſine pane, carne piſcibus, lacte, ouis, caſeo mazza: alter ab eſu carnium, & piſcium ſemiputridorum: & item ranarum malarum, & fungorum, vnde carnes ſemiputridæ etiam, quòd alatur efficiunt carnem & ſubſtantiam fungoſam, & tumidam, & mali coloris. Senſus igitur ſecundæ oppoſitionis eſt manifeſtus, ſcilicet, quod non augentur per alimentum, cum alimentum diſſoluitur ob tenuitatem, aut corrumpitur ob prauitatem: Et hoc ſeu in primo alimento contingat, ſeu ex vitio, quod non concoquatur in ventriculo, aut iecore: aut corrumpatur in ipſis, & hoc vocat primum alimentum, aut diſſoluatur in vltimo alimento, ſicut fabæ propriè & cicera, & etiam reliqua legumina: quæ & primis coctionibus tranſmutentur in primum alimentum, ſcilicet chylum, & ſanguinem in tertia cum apponuntur tranſmutantur in flatũ, & ob id excitant venerem. Et hæc omnia poſſunt contingere vitio rei, quæ ſumitur, & concoctionis ob vitium ventriculi, vel iecoris. vel ob malam præparationem, aut paucitatem, quæ ad diſſolutionem facit, aut multitudinem, quæ ad corruptionem, & ita propter malum ordinem, intempeſtiuam exercitationem, curas, vigilias, ſtudia & eiuſmodi. Ex hoc patet quod plurimum refert, quo quis cibo, & potu vtatur, vt etiam ſe poſſit tueri ab iniuria aeris peſtilentis: & maximè adiuuante exercitatione. Et ita viciſſim ſi exercitatione priuetur, vt hi qui in carcere detinentur recta viuendi ratione, & ſuffitibus ſe tueri poterunt. Et generaliter cum ſint tria potentiſſima, quæ mutant corpus noſtrum, aer, cibus, & potus, & exercitatio, vbi vno ex his deſtituamur, reliquis duobus poterimus nos tueri. Exercitium enim prohibet ne id, quod appoſitum eſt, efficiat exiles. Circa verò ſimilitudinem, aut diſſimilitudinem notandum, quòd vt habetur *in libro Artis Medicæ Cap.* 86. triplex eſt ſcopus exhibendi alimenta: vtilis vnus in temperatis, qui debet fieri per ſimilia: Secundus per ſimilia in intemperatis pro conſeruanda temperie, qualis eſt, & hic eſt triplex, vel cum intemperies eſt ob ætatem, alendi enim ſunt ſimilibus in paſſiuis qualitatibus, pueri humidis, ſenes ſiccis, iuuenes mediocribus, *ſexto de Tuenda ſanitate Cap.* 3. vel cùm intemperies eſt exigua, vel cum homo eſt occupatus. Tertius ſcopus eſt per diſſimilia, cum intemperies eſt naturalis, & magna, & homo in ocio. Reliqui autem modi ſunt mali, vt ſi vellet inter negocia reducere quenquam, multo minùs qui nollet parere, aut careret neceſſariis. Multò etiam minus ſi vellet curare quemquam in huiuſmodi caſibus, vt in caſtris plerumque fieri ſolet.

LECT. VIII.

Super

TEXT. VI. VII. & VIII.

Deſtruit autem vtrumque in tempore & poſt tempus id, quod extrinſecus aſſiduè ſuper ingeſtum eſt. Et per multum tempus firmiter omnibus membris implicatum eſt, & propriam quidem formam producit: Priorem autem aliquando & priores deſtruit.

IN hoc textu declarat duo genera alimenti exilis, & quòd ſit commune illis, & in quo differant: commune inquit eſt omni alimento, quod extrinſecus aſſumitur ſi aſſiduè quis eo vtatur, vt propriam inducat formam, quæ deſtruit priorem formam, & etiam illud quod per longum tempus membris inhæſit: ſcilicet per primam naturalem temperaturam, per ſecundã habitum acquiſitum, de quo Galen, *tertio de cauſis pulſuum. cap.* 2. In quo verò diſtinguuntur, eſt quoniã aliquando illam, quã producit ea eſt prior, ſed exilis vt in tabe, & atrophia: aliquando verò etiam priorem deſtruit, vt in hypoſarca: nam hectici ſunt illis ſimiles, niſi quod ſunt tenuiores, & macilenti: hypoſarci autem ſibi diſſimiles, adeo vt ab his, qui eos ſolùm ante inchoatum morbum viderint, vix dignoſcãtur. Cur autem dixerit in tempore & poſt tẽpus F. interprætatur in tempore primæ & ſecundæ coctionis: poſt tempus dum tertia cõcoctio celebratur: ſed quia hæc verba non cohærent bene cum prioribus, quia iam tempus vltimũ intellexit tertiæ coctionis iuxta noſtram expoſitionẽ, ideò forſan melius erit intelligere in tempore dum apponitur, & aſſimilatur: poſt tempus, id eſt, poſt aſſimilationẽ imperfectam. Et habetur de hoc pulchrum exemplum *in primo de Facultatibus naturalibus. cap.* 11. Dicebat Galen. humor qui nutrire debet, primum ſpargitur in cauitates mẽbrorum: poſt apponitur (ſi autem nõ apponatur, vt conſumatur neceſſe eſt, & tum fit hectica) vnde agglutinetur: quod ſi appoſitum, non agglutinatur, nec adhæreat, fit genus anaſarchæ hydropis, quoniam non adhærendo ſoluitur, in aquoſam quandam ſubſtantiam: aut potius, quia non conuerſum eſt in aquoſam illam ſubſtantiã, non poteſt agglutinari, nec adhærere: demum ſeu quarto agglutinatum aſſimilatur: ſed ſi non poteſt aſſimilari, tunc fit impetigo ſi in carne profunda: ſeu vitiligo ſi ſolùm in cute. Vult ergo Hippocrates intelligere in tempore appoſitionis, agglutinationis, vt poſt tempus autem aſſimilationis, id eſt, quoties nondum aſſimilatum fuerit, poſt non ſtatim corrumpit corporis habitũ.

Circa hoc notandum quod rectè fuit dictum à principe, *3. primi Doc. 2. cap. 7. pag. 3.*

pag. 3. ne gaudeant malo vtentes regimine, quoniam si in præsenti detrimentum non sentiunt, in futurum non euadent. Et rursus quod temperies acquiritur ex longo vsu alicuius cibi in toto corpore, adeo vt etiam ex veneno, sicut de Cicuta narrat Galenus *3. de simpl. Medic. cap.* 18. *in fine.* & anu, quæ ea vescebatur & copiosè, seu primum ab initio exigua sumpta quantitate. Putat Galenus eam esse frigidam, velut & opium, quo Turcæ, quasi quotidie ad drachmæ pondus vtuntur, quod animum soluat curis, somnum conciliet, & venerem augeat. Sed dubium non est, quod neque cicuta, neque opium frigida sunt: quantum ab est vt lethalia hac ratione. Omitto quod cicutam sæpiùs exhibeat Galenus *septimo de compositione Medicamentorum, cap.* 2. *Sec. vlti.* secundùm locos ad vocem interceptam ex distillatione: & ad sanguinis reiectionem ex ore paulò pòst *cap.* 4. *sect.* 2. *bis cap.* 5. & postmodum in decimo ad vesicæ effectus: & vlcera. *Sec.* 1. *cap.* 1. Si quis ergo allio assiduè vtatur, aut fraxini semine, aut foliis, ac surculis tenerrimis, quis dubitat solo spiritu illum necaturum serpentes, nec ad eum accessuros. Et si mordere illum cogantur interituros? *Sec.* 1. & ita de carnibus vulpis, vt sit versutus: lupi vt edax. Similiter si puella assiduè nutriatur carne turturum, fiet melancholica, sed prudens, & casta multum. Hæc igitur prorsus manifesta sunt, sed dubium est, an in membris principalibus hæc conuertio fieri possit? & respondemus quòd fiet, sed non tanta: minùs enim afficiuntur: sed tamen mutantur, & ipsa plurimum ventriculus ob integritatem virium in cibis, & quia nutritur ex cibo nûper assumpto. Tertiò *de Facultatibus naturalibus: Cap.* 13. lecoris ima, quoniam imbuuntur chyli viribus, & totum ipsum ob propinquitatem: Cor ob robur attrahendi: quod manifestè videmus in plerisque venenis cum plurimum patiatur, & plus aliis membris ob raptum celerem, & vehementem eorum, quæ assumuntur. Vnde etiam accepto vino plurimum ac statim mutatur commodè, vel incommodè, provt opportunè, vel importunè oblatum fuerit. Sed cerebrum ob imbecillitatem cum sit membrum tam molle, quam etiam exangue.

Sed dices ex hoc videtur, quod magis debeat pati corpus, quanto consuetudo longior fuerit cùm contrarium & Hippocrates 2. *Aphor.* 50. & experientia testetur: attamen cùm plus mutetur intemperies, necesse videtur, vt magis pati debeant. Respondeo quod mutatio ipsa, quæ est motus, est causa passionis in non consueto: ergo illa fit maior, quia motus est ad contrarium naturæ. Mutatum autem esse corpus hoc maius est in processu temporis, & ideò si sit ad bonum, minus etiam patietur, qui consuetus est non ratione mutationis factæ, sed quia est ad bonum: si vero ad malum, tunc plus patietur, qui diu consueuit, quàm qui parum. Supponamus ergo assuetum cibis valdè calidis, ad cibos valdè frigidos, repentè transire alium sensim: in quindecim diebus plus patietur qui repente, transiit quam qui sensim: quoniam mutatio est magna. Sin autem duo ex calidis cibis tranſeant ad paulò calidiora, & vnus longiore tempore alter breuiore plus patietur, qui longiore, quàm qui breuiore. Et si ægrotet facile euadet, qui breui tempore mutauit victus rationem, & alter qui diu perseuerauit interibit. Et generaliter faciliùs ægrotabit, qui magno motu, & repentè mutat consuetudinem: sed faciliùs etiam euadet: qui autem sensim, & longiori tempore, non ita ægrotabit, sed vbi ægrotauerit magis erit in periculo. Et hoc si mutatio ad malum fuerit. Nã in bona quàtò diutius perseuerauerit, eo erit tutior: nam in repentina mutatione etiam ad optimum est periculum morbi, vt etiam docuit Hippocrat. 2. *Aphor.* 51. Eadem dico de mutatione aëris, & regionis, & etiam de Venere nimia, de curis, vigilia: nam in omnibus maius periculum morbi ab initio: mortis autem post contractam diu consuetudinem.

TEXT. VII.

Facultas autem alimenti peruenit & ad ossa, & ossium partes omnes: & in neruum, & in venam, & in arteriam, & in musculum, & in membranam, & carnem, & pinguedinem, & sanguinem, & pituitam, & medullam, & cerebrum, & spinalem medullam, & viscera, & omnes ipsorum partes.

SI simpliciter intelligantur hæc, merito quis dubitare posset, non esse Hippocratis, quoniam motem eius non sequatur: sufficiebat enim in libro tam compẽdioso, in quo licet, quasi è tripode (vt dici consueuit) diminare dixisse in vniuersum corpus, & eius singulas partes: & non enumerare tot, vbi ratio vna est, & tamen, non omnes? Cùm vero Hippocratis liber sit non simpliciter verba hæc interpretari oportet: ei tamen ratio vna est. Est ergo ratio vna, & plures; vna quidẽ, quia vniuersum corpus nutritur, & suo simili, & quod est alimentum, sed vt dixit alimentum assimilat cùm id, quod supernenit superatur. Cum ergo superetur à partibus maximè specie distinctis, ergo alimentum, quod est vnũ, & tot modis iam vt dictum est plura est: & in plura significata diuiditur, seu pluribus modis dicitur humido, sicco, forma, quantitate, & ad quædam, & ad tot, & quot auget, & roborat, & quod exile corpus, & debiles vires facit, & assimilat, & dissimilat: Et quod mutat in propriam, & pristinam formam, aut in alienam, & quod hoc facit in tempore, & post tempus, etiam variatur penes partes, quæ aluntur, vt hîc docet. Solùm ergo expedit docere has oppositiones, quænam sint singulæ: Inquit ergo ad ossa, & singulas eorum partes, vt doceret admirabile naturæ opus:

LECT. IX.

Super

TEXT. IX.

Alimenti autem, quod alit, hoc alimentum: & quod veluti alimentum, & quod futurum est alimentum.

ALiam distinctionem generis sui subiecti hîc affert, de qua (vt dixi) meminit Galenus *tertio de Temperamentis, cap.* 2. Primo enim dicitur alimentum de eo, quod est appositum, & agglutinatum, & iam assimilatur: nondum tamen est assimilatum, hoc enim quod est assimilatum, est pars membri. Secundo dicitur alimentum de eo, quod est præparatum, & alendum, & huiusmodi sunt septem species: cibus deuoratus in ventriculo, chylus, sanguis, ros in osculis venerum, ros sparsus in concauitatibus membrorum, appositum nondum agglutinatum, & agglutinatum nondum conuersum. Cùm verò dixit, & quòd futurum est, intelligitur de alimento, quod nondum deuoratum est, & est materia alimenti, vt caro panis fructus olera. Qua ratione inscriptus est liber de Alimentis à Galeno, vt iam diximus. Alimentum etiam dicitur de cibo iam sumpto, quatenus refertur exempli gratia ad hesternam diem, dicit F. non est alimentum, nisi impropriè. sed hoc videtur nimis curiosum, vt ita dicam; nescio enim quid intelligat per hesternam diem: forsan de prandio vel cœna, quod cùm fuerint sub tertio genere alimenti, id est, futuri alimenti, non desinunt talia esse, nisi mutato verbo est in fuit vt dicamus cœna fuit futurum alimentum heri. Sed omittamus non necessaria. Et dico quod propria ratio alimenti est, quod nutriat, & assimiletur animæ, quæ & ipsa est actus, huic accedit vt augeat, & roboret, & incarnet, & assimilet: & dissimilet actu quidem, quod principale est: potentia quod veluti alimentum est, & quod futurum est alimentum: & dubium non est, de his omnibus: nam licet quod dissimilat, nõ videatur esse alimentum, id tamen magis facit post tempus, quam in tempore: sed de eo, quod exile facit, dicimus eadem ratione nisi forsam dupliciter analogum non mereatur sub genere contineri, quod enim assimilatur alimento, est alimentum non primo, sed similitudine: at sic non contineretur sub genere, sed quoniam etiam cùm hoc est potestate alimentũ.

Circa hoc animaduertendum, quod alimentum exile patrim nutrit, & eatenus est alimentum, partim corrumpit, aut non restaurat, & hoc modo alimentum non est. Quod igitur est alimentum, est in eo quod patitur, scilicet vincitur, & assimilatur. Dicebat Galenus *tertio de Temperamentis: cap.* 2. nutrimentum vtputa vinum cum non superatur, & pleraque alia nutrimenta calida tantum abest vt calefaciant corpus, vt illud etiam refrigerent: quoniam nutrimentum non calefacit nisi cum est appositum, & iam assimilatur; antea vero etiamsi sit, calidam refrigerare solet. Et ideò ex copia vini potẽtis generantur ægritudines frigidę. Et enumerat octo ex his principales: Apoplexiam, resolutionem, paraplexiam, catochum, charum, comitialem, conuulsionem, & distentionem. Sed vtinam docuisset Galenus primum, quomodo ex nutrimento calido generetur sanguis frigidus: & cur non ita ex pipere, sicut ex vino, deinde quomodo nutrimentum ex vino verè sit calidum, sed quod assimilatur nutrimento sit frigidum. Dico ergo quod hoc non est verũ per se, sed in vino fermè solo: nèc ob naturam generalem, sed quia tenue: & multum nutrit in prima, & secunda coctione, & amicum iecori, ideò multum ex eo trahitur, & antequam coquatur in ventriculo: & tendit ad caput, & ideò generat præcipuè morbos capitis, & hydropem propter iecur. Sunt ergo in eo nõ solùm caliditas, sed quod est liquidum, quod plurimũ nutrit in prima, & secunda coctionibus, & parum in tertia: quòd est iucundum iecori, & demum quia natura tendit ad cerebrum. Et ideò nihil est deterius copioso illius potu. Sunt ergo sex quæ in vnio conueniunt ad hoc, vt generet morbos frigidos, ac pessimos. Dicat forsitan quis cur non in melle cum sit calidum tenuis substantiæ gratum iecori? Respondeo quòd mel est iucundius vẽtriculo, & ideò in iecore generat bilem, quia substantia eius ob pinguedinem non potest refrigerari. Videãt ergo qui potu vini adeò delectantur, si non credunt mihi credunt Galeno.

Circa hoc quod alimentum calefaciat animaduertere debetis, Galenũ *secundo de Simplicibus medicamentis cap.* 23. facere triplicẽ diuisionem. Prima calidum, aliud per se, aliud per accidens. Secunda calidum per se, aliud actu, aliud potestate. Tertia dicit, quæ est communis etiam vtrique calido actu, & potestate calidum, aliud vt cibus, aliud vt medicina, alius vt fomentum.

Præterea debetis rursum animaduertere quod idem specie potest esse alimentum, & simile alimento 3. *De facul. nat. cap.* 13. velut chylus, & sanguis sunt alimenta vera chylus, tunicæ interioris ventriculi, sanguis, carnis, iecoris: simile autem comparatione aliorum membrorum.

Circa hæc etiam notandum quod scribitur à Gal. *quinta Aphorismorum, com.* 39. dum meminit huius loci, dicens: [Quod autem superest ex alimento in ossibus est, quod est in eorum cauernis ex iecore sanguis, & spumeus humor, qui in pulmonibus inuenitur, & qui in compagibus articulorum glutinosus, & qui in testibus, & paraftatis semen, & in lingua saliua. Sunt & in mammis, adenes habentes vim sibi assimilandi, quod ad eos influit; cumque sint exangues & albi, talem efficiunt humorem, quale est lac: eoque maiorem illius copiam, quò plus humoris defertur ad ipsos.] Hic Galenus videtur velle illa verba, & quid veluti alimentum ad superfluum vtile eius quod alitur, non ad id, quod est paratum vt alat: nam to-

tum id referri vult ad verba illa. Et quod futurum est alimentū. Quæ verò inutilia sunt non alimentum, sed excrementum vocantur: nam saliua ad gustum facta est, secundo de Anima eadem ad sermonem, & etiam ad facilem respirationem. Ex quo colligo quòd commentaria hæc & si sint, vel F. vel alterius clarissimi viri, non tamen necessarium est, vt fuerit Epitome Galeni. Sed neque contrarium sequitur, quia sæpè Galenus diuerso modo exponit eundem locum. Velut mox cum inquit *in primo de Facultatibus naturalibus, cap.* 11. vbi locus hìc à Galeno citatur maxima controuersia, apponam autem verba [propriè quidem nutrimentum est, quod nutrit: quod verò veluti nutriens est, nondum tamen nutriuit, cuiusmodi scilicet est, quod agglutinatur, vel apponitur id propriè nutrimentum non est, sed æquiuocè: quod autem in venis est, atque hoc etiam magis, quòd in ventriculo est, id tanquam nutriturum aliquando sit, si probè concoctum fuerit nutrimentum appellatur.] Ad hunc modum edulia quæque nutrimenta vocamus, non vtique quod iam animal nutriant, neque quod talia sint, qualia sunt, quæ nutriunt, sed quod nutritura sint, si probè fuerint concocta. Sensus horum verborum admirabilis videtur: sed si quis clarè animadvertat, nullam habet difficultatem: Si quis quod est alimento iam simile, vt quod apponitur, vel agglutinatur velit vocare verum alimentum, aberrabit: nam æquiuocè tantùm dicitur, sed si quod est etiam remotius illo, vtpote sanguinem, & chylum, & pepones antequam edantur alimentum vocet, quia futura sint, alimenta verè appellabit. Atque eo modo si quis actum primum dicat secundum, non vera dicet, sed tamen ambo possunt sub eodem genere, & nomine contineri. Quod expressè dicitur ab Auerroë *In con. sex. pri. De An.* dum dixit actus, & potentia in eodem genere continentur.

Circa assimilationem, quæ ex nutrimento fit, dicebat Galenus hoc esse argumentum quòd alimenta mutent ea, quæ nos alunt, quòd plantæ quædam venenosæ translatæ fiunt non venenosæ, & habetur exemplum de Persea in Perside, quæ translata in Ægyptum facta est commoda esui, vt *secundo de Alimentis. Cap. proprio.* Sed ex hoc habetur, quod non solum alimentum verum assimilatur membro, sed membrum assimilatur alimento, in eodem tempore tamen mutatur alimentum, quo fit tale, sed mutat post membrū. Tamen alimentum est in eo, quod transmutatur, non quod transmutat: hoc enim accidit ei. De his verò, quæ ante nutritionem accidunt. Dicebat rursus Galenus *tertio de Symptomatum causis. c. 3. post principium*, ordinè has declarās, & quomodo ista fiāt optimè in puerulis concoctio, appositio, agglutinatio, inde affixio, demū nutritio, quòd affixio est agglutinationis quædam species, cùm iungitur, sic alimentum ei, quod nutritur vt vnum fiat. Et quòd ex his concoctio, & assimilatio cùm sint mutationes substantiæ meliùs fiunt in humidioribus corporibus. Nec minus etiam ad appositionem & agglutinationem mollities corporis, quod & agglutinatur, & apponitur, & eius quod agglutitur, & apponitur facit quam in concoctione atque nutritione. Idcóque ob hæc omnia pueros optimè nutriri ostendit. Docet insuper eorum caliditatem similiter facere ad appositionē colliquando, velut ad concoctionem, & nutritionem permutando: vt alimentum calido, & humido maximè vt fiat alimētum, & alat, indigeat & perficiatur. Hoc volui dixisse vt intelligant, qui hæc legent affixionem, vt ille vertit non minus appositione, & agglutinatione necessariam esse. Esse autem alimentum iam, quod affixum est, non in eo quod affigitur, sed ob id, quod dum affixum est, necesse est vt assimiletur: quod autem assimilatur iam est alimentum, quia alit. igitur affixio sola communis est vtrique alimento, & vero, quod iam alit in eo, quòd sine assimilatione, aut bona, aut mala esse nequit, & agglutinationi, & in hoc nondum dici debet alimentum, quia alimentum consistit, vt concoctio in assimilatione substantiæ, & idcò in mutatione eius, non autem in mutatione iuxta situm, aut aliam rationem. Vnde meritò dubitatio emergit in quo genere rei seu prædicamenti, vt dicunt appositio, & agglutinatio reponi debeant? Neque enim simpliciter dicendum, quod ad aliquid: cùm quiddam sequatur, neque quæ ad aliquid sunt motum aliquem significant, aut aliquid efficiunt. Sed entia imperfecta facilè miscentur: at substantia nulli miscetur, quod perfectissima sit. Appositio ergo dicit quatuor mutationem in situ, & in quantitate coniunctionem, & incrementum substantiæ passionem: agglutinatio non dicit aliquid vltra appositionem, nisi quia facit continuum appositio contiguum. Et illud etiam accidit, quia huiusmodi sunt conditiones quædam, & passiones, & proprietates prædicamentorum non res.

LECT. X.

Super

TEXT. X. & XI.

Principium autem omniū vnum, & finis omnium vnus Et idem principium, & finis.

CVm declarasset quòd alimentum est vnum genere illis tribus, quod nutrit, quódque simile est ei, quod nutrit: Et quod futurum est alimentum, vult ostendere quod non iuxta homonymiam dicitur de singulis, sed verè: & constituit ratio huiusmodi: quorum principium, & finis sunt eadem: illa sunt eadem iuxta naturam: quia, naturà suis terminis continetur: alimentum omne hoc modo distinctum, habet omnia, quæ sub diuisione continentur, idem principium, & eundem finem: igitur omnia habent eandem naturam, & vno modo non æquiuocè dicuntur. Ad hæc igitur ostendenda, oportet declarare, quod nam sit principium alimenti, quis finis: tertio quòd idem sit principium. Et post, quod omnium sit vnus finis: demum quòd si om-

si omnium sit idem principium, & finis, quod omnia sub eodem genere contineantur. De fine haud dubium est, quod est facultas nutriendi, & restaurandi corpus, & hoc intelligendo, vt F. non vt Galenus (Quod est veluti alimentum, vel dicas, quod talia excrementa fuerunt ordinata in nutritionem, nec fuêre superflua, nisi ob copiam, & multitudinẽ. Sed de principio posset dici, quod sit vnum, quia, vt ait finis, & principium sunt idem, sed adhuc dubium relinquitur, quomodo principium, & finis sint idem, cùm hoc soli Deo competere videatur? Dico ergo quòd tametsi principium, & finis sint idem in agentibus, quia principium motus est à cognitione, & desiderio, finis, quia tamen hæc ratio communis est omni fini, & Hippocrates nihil dicit, nisi selectum & rarum, nec vtitur vulgaribus rationibus, aliã causam quærere oportet: ideò dico, quod facultas vt est agens, perfectáque, est principium alimenti, quoniam trahit, concoquit, apponit, agglutinat, affigit assimilat: vt vero est imperfecta: est finis alimenti, vt restauretur, augeatur, roboretur. Non est autem hoc verum in aliis, sed in quibusdam: velut inter animalia bombycibus, araneis, & plerisque auibus, quæ sibi nidificant: à rebus enim ipsis edoctus est Hippocrates, & primo de dixta, de duobus hominibus, qui ferra lignum secant. Plura enim agentia sibi præparãt, quo se seruent, est igitur sententia huiusmodi principium, & finis, sunt eadem in omnibus alimentis, quoniam facultate alimentum fit, & nutrit, & ad hoc vt nutriat facultatem: & principium est idem cum fine, igitur omne alimentum est sub eodem genere. Et intendit quod facultas facit alimentum, & alimentum restaurat facultatem, eodem modo, quo factum est ab eadem, scilicet verè, vel similitudine, vel quia tale futurum sit. Et ita fit circulus: in circulo autem vt dicebat philosophus idem est initium, & finis, sed est aliud mirabile in eo, quoniam in illo initium sequitur finem. Et videtur sensisse, quod Alcmæon, & Plato, & Aristoteles, 17. *Probl.* 3. Et omnes fermè Philosophi, scilicet, quod circulus sit in rebus humanis, & toto mundo: mobilis in corporeis, immobilis in incorporeis. Et etiam ad illud quintæ particulæ sexti Epidemiorum: *tex.* 5. hominis anima (inquit Hippocrates) semper producitur vsque ad mortem: in quo explicando, dicit Galenus esse opus diuinatione. Verum si quis animaduertat, quæ de illa scripsimus in Hyperboreis, *lib.* 2. ipse voluit esse calidum sempiternum, quod in corpora diuideretur, ac depasceretur seipsum, & ita augeretur viribus, atque hoc modo se conseruaret, seu potiùs instrumentum, & est vita: & hæc est facultas, de qua agit. Notandum quod finis multipliciter dicitur, sed principalis duobus modis, cuius causa, & est perfectissimum, & terminus. Vt mors, quæ est finis hominis, in primo sensu est intelligendus, circa hæc scire decet, quod in incorporeis, vel solũ in Deo forma finis, & efficiens vnũ, & idem sunt 12. *pri. Phys. tex.* 36. In ignobilioribus operationib. vt generatione, & mistione efficiens, & forma, & finis distinguuntur in animatis: quia principium est multo nobilius eo, quod fit, & regitur: nam id quod regitur est propter principium ipsum: & ita principium est idem, quod finis re, non tamen ratione. Nam est principium vt perfectum, & agens: finis vt imperfectum, & patiens. Et ideò finis est nobilior his, quæ sunt ad finem, non causa, qua illa ad finem diriguntur. Velut æger est nobilior medico, non tamen morbus est nobilior medico, quoniam est finis, quem medicus intendit abigere non conseruare: & ita facultas est nobilior alimento, non defectus facultatis. Et ideò in diuinis (quoniam forma cum operatione est perfectior, quam quando cessat) nunquam cessat intellectus diuinus ab intelligendo, & producendo, & amando, & quoniam neque potest perfici ab aliquo, nec continere plura, & intellectus in eis, semper intelligit, erit intellectus, & operatio ipsa forma in diuinis.

TEXT. XI.

Et quæcumque particulatim in alimento bene, vel malè disponuntur: bene quidem quæ dicta sunt: malè autem, quæ his contrarium habent ordinem.

QVoniam superiùs declarauit, alimentum dici de tribus illis generibus, remouet duas difficultates: primam an alimento omni particulatim eadem eueniunt? Secunda an alimentum ita dictum etiam conueniat exili? Tertiam nos addimus quomodo futuri alimenti facultas principium dici possit, cùm nondum ipsum, quis assumpserit, & adhuc si extra corpus? Ad primam respondet, quòd quæcunque particulatim dicta sunt de alimento bono vel malo, eadem de omnibus dicuntur. Nam est alimentum exile, vtpote quod opponitur, quod agglutinatur, quod spargitur; sanguis, chylus, vel quia dissoluitur, *tex.* 5. vel quoniam appositum non nutrit, quia non est simile, vt supra visum est. Et nota quod intendit de nutrimento, quod est veluti, quod alit, quod assimiletur perpetuo. licet non sit appositum, nec agglutinatum, nec affixum, nec tamen est alimentum. Ex quibus habetur alimenti primi diffinitio, & est quod agglutinatum est, & assimilatur: nondum tamen assimilatum est. Et si quis quærat quod agglutinatur an sit alimentum? quia iam vt dixi etiã antequam apponatur assimilatur? Respondeo, quod id, quod apponitur, vel censetur vt pars ipsa, & tunc est alimentum, quia dum agglutinatur agglutinatum est: si verò pro toto, quoniam, agglutinatur pars post partem: non est alimentum, quoniam nondum est agglutinatum: quia nondum agglutinatur. Ad aliam quæstionem respondet etiam quod sit, quatenus etiam primùm conuenit: quia non simpliciter, neque enim

etiam primum ſimpliciter nomen alimenti ei, quod iam nutrit, quando exile eſt, conuenit. Ob id neque ſimpliciter poteſt reliquis duobus generibus alimenti conuenire. Sed hoc ſufficit, quòd conueniat vt ipſi primo alimento, ſeu vero. *Text.* 61. Tertia dubitatio, declaratur ab Hippocrate infra, dùm docet eodem modo ineſſe poteſtatem, & facultatem alimento, quo etiam ſunt alimenta, ſcilicet, vt futura ſunt alimenta, ita facultatem habent bene, aut malè alendi, humectandi, aut ſiccandi: Sed hæc facultas, paſſiua dicitur, & poteſtate: vt non ſimiliter dici poſſit. Facultas, ſed principium quoddam potius patiendi, vel vt fiat agens, poſtquam ad actum deductum fuerit. Per particulatim igitur intelligit, diſtinctè, & non quod partibus alimenti inſunt. Sunt autem eiuſmodi ratione diuiſionis: nam alimentum prima ſui diuiſione diuiditur in bonum & malum: alimentum bonum eſt, quod optimè concoquitur, & plurimum prodeſt corpori: ideò alimentum optimũ non ſolùm inuenitur in corpore temperato. In intemperatis autem ſimile, optimè concoquitur, vt *cap.* 3. *ſexto de Tuenda ſanitate.* Sed non maximè prodeſt, vt etiam in libro de cibis boni, & mali ſucci. Cùm ergo in intemperatis alimentum ſimile magis, & melius aſſimiletur: diſſimile magis reducat corpus ad temperamentum, quæritur quodnam vtilius? Reſpondet Galenus *ibidem & in libro Artis Medica*, *cap.* 86. quòd in humido, & ſicco plus prodeſt ſimilitudo ad bonam coctionem, quam deductio ad æqualitatem temperamenti. Sed in calido, & frigido oportet diſtinguere dupliciter: primum iuxta magnitudinem, quia in magnis lapſibus meliùs eſt vti contrariis ob periculum immoderati incrementi: in paruis adhuc diſtinguere oportet de vtilitate, & ſecuritate. Quod ad ſecuritatem attinet, tutius eſt vti contrariis: quòd ad vtilitatem ſimilibus. Quia ſi in ſimilibus delinquatur, homo faciliùs ægrotat. Secunda differentia eſt alimenti, quod facilè concoquitur, & mutatur, & quod difficulter. Nam quod facilè mutatur, etiam in diuerſis concoctionibus mutatur. Quædam enim facilis ſunt coctionis in ventriculo, difficilis in iecore vt oua: quædam contrà vt olera. Tertia eſt, quoniam quædam multùm nutriunt, & quædam parum: oua multùm nutriunt & olera parùm. Sed dicetis, hoc pertinet ad futurum alimentum, & non præſens, neque verum. Dico quòd ſicut alimentum futurum refertur ad verum alimentum, ita verum etiam alimentum, refertur ad futurum alimentum: adeò, quod dicimus hoc alimentum eſt multum, & hoc eſt paucum quia exemplum eſt ab hoc, vel ab illo cibo, & hoc eſt coctum exactè, & hoc non. Quarta differentia alimentum quoddam aliud eſt excrementitium, & aliquod eſt purum. Dicebat Galenus *primo de tuenda ſanitate*, *c.* 12. non ſolùm prima, & ſecunda coctio ſua efficiunt excrementa, ſed etiam tertia. Et illa docet eſſe duplicia, vnum (inquit) quod eſt proprium illi alimento: quia nihil tamen elaboratum eſt, quin ex eo aliquid reſecetur: ſecundum eſt, quod fuit tanquam vehiculum, dicit alimenti ſeorſum, & ſimile eſt, quod tranſmittitur ad veſicam. Dicit his excrementis nullum peculiare vas delegatum: ſed expelluntur partim per poros ſeu meatus, qui ſunt per totam cutim ſparſi: partim etiam per ipſorum membrorum ſubſtantiam mollem: Verùm quod humidum eſt, vocatur ſudor, qui emanat ſenſim, ſi calore naturali ſolùm propellatur: ſin aliqua vrgente neceſſitate, aut motu etiam confeſtim. Reliquum autem excrementum per inſenſilem reſolutionem exit: ſed & ſecùm deducit aliquid craſſi, quo pili, & ſordities in cute generant. Vtrunque ergo horum poteſt eſſe multum, & paucum. Quinta differentia quoddam alimentum eſt craſſum, quoddam tenue. Sexta quoddam calidum, quoddam frigidum. Septima quoddam quòd facilè reſoluitur, vtpote rarum, quoddam quòd difficilè. Nam rarum à ſubtili multum differt. Octaua quoddam facilè corrumpitur, quoddam difficulter.

LECT. XI.

Super

TEXT. XII.

Succiuarij & coloribus, & facultatibus. Et in nocumentum, & in iuuamentum. Et neque lædentes, neque iuuantes.

PEr ſuccos intelligit humores: Cùm dixiſſet ergo alimentum trifariam accipi, ſeu iuxta primam expoſitionem per ſuccos, innuat quod eſt, veluti alimentum, ſeu iuxta ſecundum, quod futurum alimentum, explicat quales ſint ſucci: nam illorũ vires, id eſt, alimentorum, quomodo vis dicantur, intendit exponere D. ergo quòd ſucci ſunt varij, intelligit naturales, quia ſoli illi ſunt materia alimenti, ſed cùm illis ſunt, & qui præter naturam ſunt: nam naturales ſunt quatuor, proportione reſpondentes, quatuor elementis, iuxta quod Galenus conſcripſit ſuos duos libros de elementis, in quorum primo tractat de quatuor elementis Mundi, & ſuis qualitatibus. In ſecundo de quatuor humoribus, tanquam quatuor elementis animalium ſeu hominum, & hi ſunt, vt ab Hippocrate habentur *in libro de Natura humana Tex.* 18. ſãguis, pituita, bilis flaua, & nigra: quod etiam multis rationibus declaratur. Prima ab Hippocrate ibidem ponitur: nam ſunt quatuor anni tempora, Ver, Æſtas, Autumnus, & Hyems. Et vnumquodque tempus dicit generat & conſeruat ſuum humorem: Ver dicit ſanguinem, Æſtas flauam bilem, Autumnus nigram, Hyems pituitam. Et hoc eſt, quod niſi tempora anni adiuuarent ad generationem, & conſeruationem humorum, conſumerentur: & ideò in regionibus valdè calidis, vbi nulla eſt hyems, non poteſt generari pituita. Et ſi quis ex nobis ad eam accedat, conſumitur, donec nulla ſit, & tunc homo moritur, aut grauiter ad mortem vſque ægrotat. Et nunquam poteſt homo

mo carere prorsus vno humore, quin pereat: sed in omnibus est aliquid de illo, quoniam licet reliquæ regiones careant eo tempore, quo solet generari, & conseruari talis humor, tamen propter vicissitudinem temporis & loci, est aliquid, quòd tali tempori in ea regione respondet, vt hyems in Æthiopia, vel ob situm, vt propè aquas, aut ob montes, & ventos frigidos propè positos, aut ob pluuias. Et hoc, quoniam humores sunt necessarij in corpore ob duo: vnum, quòd etiam ibi declaratur ab Hippocrate ad conseruandam temperiem: quia si nulla sit pituita in corpore, corpus nimis exsiccabitur, & incalescet: secunda est vt nutriantur membra ex sanguine illi correspondente, & potestate simili. Non quidē ex humore iā actu tali vt docuimus in contradictionibus, dum Auerroëm, & Aristotelem concordem cum Galeno esse ostenderemus: & ideò lien nutritur ex sanguine melancholico, & ossa nerui ventriculus, & intestina, & articuli ex pituitoso: pulmo ex bilioso, & iecur ex puro ac mediocri. Est etiā propria vtilitas, quia destrueretur corpus: vtpote pituitæ madefacere artus, & tempore famis verti in bonum sanguinem, & nutrire corpus, sed forsan hæc possent aliquandiu saltem carere corpora, etsi non semper: at statim dicit Hippocrates, si homo careret vno humore, periret. Accedunt præter has rationes aliæ ad idem ostendendum. Prima quòd sunt quatuor qualitates, & coniugationes, quæ esse possunt, sunt quatuor, igitur & quatuor humores. Nam calor cum humido, facit sanguinem cum sicco, flauam bilem. Frigus itidem cum sicco nigram bilem cum humido pituitam. Dicamus ergo, quod mista constant terra, & aqua: & calorem agentem in terram generare ignem, & in aquam aërem, vel quòd aëri proportione respondet, igitur in mistis omnibus cum sint illæ quatuor, partes erunt longè euidentius in animalibus, & hominibus, vocántque humores. Illas etiam in distillationibus ostendimus, & ideo dubium non est: cùm sensus attestetur rationi. Similiter sensus ostendit in excrementis esse quatuor humores, de sanguine dubium non est: de pituita videmus humorem viscidum, & album, de flaua bile etiam humorem illius coloris, & minimè cohærentem, & in melancholia idem cum sit niger. Easdem partes spectamus, in sanguine, scilicet quatuor præter aquam: igitur quatuor humores secundùm naturam esse constat.

In textu ergo proponit tria, de siccis colores, & facultates, vt calidum, vel frigidum, & detrimenta, aut iuuamenta. De coloribus constat, quod humores naturales amplectuntur colores ambos extremos, scilicet pituita album, & melancholia (vnde etymon nominis) nigrum: bilis autem flaua est, quoniam album, & humidum, dum siccessit fit flauum, vt folia arborum. Autumni tempore: quod enim siccatum est, terreum redditur, atque ideò pullum: pullum verò cum aduritur, aut rarescit, fit flauum. Vt videmus in terra nigra cùm arescit: neque enim quod est in corpore, potest arescere, ita vt humidi prorsus sit expers. At in Creta apparet color flauus, & pallidus ob eandem causam, & in pelle leonis, vt in cortice exteriore arundinis. Sanguis autem ob spiritum, qui inest ei splendidus est, vt cætera, in quibus lux inest, specula, chrystallus, aqua, nix, argentum & talia: rubet autem, quia fit à carne iecoris, quæ talis est, dicebat Galenus 4. *de vsu partium cap.* 12. at vero cùm illa sit causa efficiēs aliā inuenire oportebit, quæ sit propria. Dico ergo quod cùm sanguis misceatur ex flaua bile pituita, & bile nigra, quod huiusmodi mistum fiet rubrum, nam album nigro mistum fit rubrum, vt videmus in fuligine cum aqua mista, vel si plurima misceatur lacti. Et ideo etiā vasa inficiuntur eo colore, vt lien nigritie, iecur rubore fellis, vesica colore flauo: sed pituitæ non est proprium vas. Atq; hi termini colorum naturalium putiorum sunt, postmodum colores non adeo exquisiti vsque ad finem humoris secundum naturam. Velut pituitæ aqueus, & cinereus, & bilis flauæ pallidus, & melancholiæ fuscus, liuidúsque (Verùm de liuido dubito, an possit esse secundùm naturam.) Et sanguis floridus, & flauus etiam, sed splendidus, & phœniceus: sed præter naturam niger fit liuidus (vt dixi) & cœruleus: bilis autem flaua fit, & viridis, & rubra, & cinerei coloris, sed est substantia minimè lenta, & crocea: quamvis hæc fiet vel mistione, vel ex nigra exusta, & generaliter peruagatur omnes colores à pallido ad cœruleum vsque, non splendidos: & in cæruleo etiam habet partem à quo incipiunt colores bilis nigræ naturalis, aut præter naturam. Sed quoniam (vt dixi) splendor non est in sanguine, nisi ob lucem spirituum, quæ est à calore cœlesti elaborato, & in humoribus præter naturam non potest esse iste calor, cùm non sit in humoribus secundùm naturam, propterea cùm non apparuerit hic splendor in humoribus, & non possit esse à calore cœlestis necesse est vt sit à calore igneo. Nam & in rebus naturalibus cernimus lucem quadrifariam fieri, vel à calore cœlesti, vt in Sole & stellis, & oculis, & sanguine: vel à calore igneo, vt videmus in flamma, pruna, humoribus, & metallicis quibusdam: vel ob perspicuitatem, vt in aqua, vitro: vel ob nitorem resilientē luce, vt in speculis, & piscium, squamis, & arenoso lapidis flore, qui coloris cinerei est, & micat vt chalcanthum ex Bergomensibus montibus. Ita in humoribus cùm non consistant, non nitent: nec etiam ob naturalem calorem cœlestem, neque ob perspicuitatem, cùm sint opaci, relinquitur vt sint propter exustionem, & quanto magis exusti, eo magis splendent. Et ideo viridis bilis splendet maximè, sed & atra, dicebat Gal. 3. *De simp. causis pag.* 7. *& est prope finem*, magis quam sanguis. Videtur autem nitor, qui prouenit ex immodica siccitate in substantia tenui, vndequaquè superfusa. Ideo talia cùm apparent in imbecillibus viribus, mortem præsentem significant: in mediocribus, non multo post, in validis etiam tandem.

(*Et facultatibus*) Dubium non est, quin bilis flaua non sit calida, & sicca pituita, & humor crudus, frigida, & humida, sed humor crudus minus feruidus, melancholia frigida, & sicca, & alia est fex sanguinis, quæ si

mox exeat, splendet, si multò pòst, est terræ similis, & est naturalis. Sed alia est, quæ non est prorsus naturalis, neque contra naturam, & exusta à calore naturali intemperato in corporibus habentibus temperiem calidam, & siccam iecoris, vt à Galeno habetur in Arte Medica *c.41*. Isti duo humores scilicet crudus, & humor adustus naturaliter valdè abundant in multis corporibus, & medici tamen sæpè prætereunt eorum considerationem. Sed de sanguine dubium est, an sit calidus, & humidus, an temperatus. Et ratione coniugationis posset dici verisimilius calidus & humidus, pro aggregato, sed hoc est difficile, quoniam sunt ibi duo humores sicci, præter verum sanguinem, scilicet vtraque bilis, & vnus tantùm humidus pituita. Et ideo dico, quod sanguis, & purus, & vt constat ex quatuor humoribus est calidus, & humidus, sed magis purus, quàm mistus ob rationem dictam: sed quia est duplex venalis, & arterialis: arterialis est calidior, siccior tenuior, magis ruber, & ad flauum attinet, & mouetur maiore cum impetu: & ideò est ille, qui mouetur in affectibus cordis, & præcipuè in ira, & timore verecundia, & aliis affectibus, & iecur compatiente corde trahit sanguinem ad se ex partibus inferioribus. Cor autem etiam ex venis non pulsatilibus trahit sanguinem à superioribus partibus, cerebro, & aliis. Hic igitur sanguis est valdè calidus, & parum humidus. Sanguis tamen purus dicitur temperatus, quoniam qualitates per quas excellit, sunt principium vitæ: ideò non potest esse in excessu, sed reliquum corporis, per quod dicitur in comparatione calidus, & humidus est frigidum & siccum. Velut dicimus forum esse splendidum, quia cubiculum, quod à foro illustratur, non est adeò splendidum, cùm tamen forum non sit superfluè splendidum. Nam sanguis non potest adeò esse calidus, & humidus, quòd sit in excessu, quoniam quanto calidior, & humidior, tantò magis dicetur temperatus ad vitam. Et maximè quia si loquimur de actu dubium, non est quin sit calidus manifestè: atque adeò, vt etiam in decrepitis est calidior vola manus hominis temperati. Si de potestate nihil est, cùm enim trumbus sit, aut eo vtimur loco cibi, & frigidus, & terreus, sed humores præter naturam perueniunt vsque ad extremum qualitatum, adeò vt sint sub natura veneni, vt bilis viridis, & nigra adusta, præcipuè ratione siccitatis, & pituita vitrea ratione frigiditatis. Et ideo dicit Hippocrates, quòd perueniunt in detrimentum, qui autem in detrimentum, & iuuamentum, humores naturales ratione vicissitudinis. Vnde irasci, & efferuere, sanguinem in morbis pituitosis iuuat. Dicebat Galenus *primo de Natura humana, Com.39*. melancholia ducit hominem facilè ad cõstantiam, & temperantiam, ac prudentiam: contra ad timorem, ac tristitiam. Pituita ad patientiam, & continentiam, & mansuetudinem: contra ad segnitiem, & ignorantiam, & contemptum, bilis flaua ad audaciam, & promptitudinem: contra ad iram, & sæuitiam & imprudentiam, sanguis ad amorem, lætitiam, comitatem: contra ad luxum, voluptates nimias, & ob id vt propria contemnat ab aliis contemnatur. Quædam neque iuuant, neque nocent, cùm humores fuerint satis moderati, licèt non naturales in quantitate, & qualitate: non tamen exactè: in detrimentum præter naturam, si sint omninò, aut immoderati.

LECT. XII.

Super

TEXT. XIII. & XIV.

Et multitudine, & excessu, & defectu.

DIxit, quòd succi iuuant, & nocent exponit quomodo. Primùm quidem multitudine & excessu: cùm autem dixit defectu, intelligit etiam paucitatem: vel dic, quod sũt varij, vt sit quarta diuisio. Pro quo notandum, quod multitudo multum differt ab excessu: primum quidem nomine: nam quædam sunt comparatiua non relatiua vt candidior: dicebat Priscianus *in tertio, Com. cap. de comparatiuis*, plus dicitur esse comparatiuum multi: sed non inuenitur, nisi in neutro genere: igitur multi est positiuum: quædam relatiua, non cõparatiua: vt pater & dominus. Quædã vtroque modo, vt plures & maior: quædam etiam sunt relatiua re, nõ nomine, vt pronomina suus & tuus, vt apud Priscianũ *lib. 12. cap. de genere*. quædam nomine non re, vt magnus. Habet enim vim relatiui magnũ, paruum, multum, paucum: quia non habent, quòd hæc simpliciter significentur. Siquidem relatio ab eo diffinitur [quod sit cognitionis antelatæ rei repræsentatio.] Sunt (vt dixi) relatiua vera re & nomine, vt pater: & nomina relatiua, vt, qui, quæ. Differunt ergo hæc re, nec sunt cõparatiua: nam vt habetur à Galeno *in libro de multitudine c.2*. Multitudo duplex est, vt refertur ad vasa, atq; hæc multitudo solùm dicenda est, excessus autem cum ad vires refertur, neq; idem sunt: fieri enim potest, vt quispiam à parua multitudine obruatur, vt in consumptis: alius, nec à magna, præsertim cùm fuerit boni sãguinis, vt in Athletis *Iuxta med. lib. de bono corporis habitu*. Alio modo etiam differre multitudinẽ ab excessu, intelligere possumus, vt per multitudinem simpliciter copiam intelligamus sine comparatione vlla per excessum, copiam cum comparatione: vt pote sibilis nó etiam iusto magis abundet, quã debeat, sub iusta mensura contineatur, post sublata copia sãguinis, vt in hæmorrhoisagiis narium immodicis, aut venę sectionibus, post super excedat, aderit excessus sine multitudine, vt pariter multitudo sine excessu sub hoc significato esse poterit omnibus humoribus æqualiter auctis, vt in habitu athletico. Tertio modo intelligi possunt hæc verba, vt *multitudo sit omnis copia*: excessus autem solùm appelletur immodica copia. Vt enim ab illo habetur *in libro de multitudine, c.10. & 11.* tria se habent per ordinem in declaranda multitudine, vbi nil aliud obstiterit tuitor, post tertio maioris plenitudinis,

est

est signum, inde grauitas. Verùm valdè malè in eo libro processit, nec vt in aliis ordinatè, quoniam cùm tam multipliciter diuidi possit, plenitudo seu multitudo: primum in ea, quæ est secundum vasa, & illam, quæ est secundum vires. Vtramque autem rursus in eam, quæ est ab humoribus, & eam quæ est à spiritu. Eam rursus, quæ est ab humoribus secundum naturam, ac præter naturam. Tum singulas rursus in moderatam magnam, & immoderatam. Eam rursus, quæ ex humoribus accidit, vel à sanguine tantùm, vel ab aliis humoribus. Singulas etiam harum in exteriorem, & internam, & tam internam, quàm externam: rursus in eam, quæ est in venis, atque extra venas: ita iam erunt palàm octo diuisiones: & ex his membra illarum penè innumerabilia. Omittere autem loco harum oportuit disputationes contra Erasistratum, & Empyricos, adeò cauillosas & spinosas, vt vix, & magno cum labore fructum ex eo libro colligas. Itaque breuiter enarratis singulis diuisionibus, videndum est, quænam sint earum signa generaliter. Et an multitudinis sit aliquod signum proprium, aut saltem syndrone, vt empyrici existimabant. Demum breuiter plenitudinis, quàm inanitionis, tum verò defectus, & excessus damna apponam. Ergo vt ad primum accedam, dico quod repletio alia quidem est virium comparatione, alia vasorum, alia musculorum, & partium cauitatem non habentium, alia cauitatum, quæin corpore sunt. Et partium quidam, quæ cauæ non sunt, consideratio est ex lassitudinibus, & quòd non sunt secundùm naturam. Quæ verò sunt ad vires comparatæ, aut tensionis sensum, si ex flatu afferunt: aut grauitatis si ex humore. Quæ verò in cauitatibus magnis sunt tumore, tensione, dolore, ponderéque dignoscuntur. Sed dolor non adest, nisi magna sit tensio, & locus sensu præditus, grauitas nisi materia. In venis autem, de quibus præcipuè est quæstio, multitudo ex tensione dignoscitur: neque enim tensio sine multitudine esse potest, si salua sit compositio: neque multitudo magna sine tensione, sed humores & flatum, pondus & stabilitas distinguunt. At si multitudo maior adsit, etiam tumor præter tentionem aderit. Verùm quoniam hæc plenitudinem indicant, quæ est in vasis, sensui manifestis: non tamen ea, quæ euacuationem exposcit: fieri enim potest vt ob calorem, humores, & sanguis extra trahantur interioribus vasis exinanitis: at tum pondus deerit, & causa manifesta erit, & calor percipietur tactu. Ergo cùm tensio in vniuerso corpore viget, & citra calorem euidentem, dicit Galen. *libro de multitudine cap.* 10. tunc est signum repletionis sanguineæ in venis: intelligendo per sanguinem non purum illum, sed aggregatum ex quatuor humoribus. Si autem sit cum calore immodico, flatuosa erit repletio. Primùm ergo quòd in multitudine præcedit, est tumor, inde tentio: multa enim tument, quæ mollia sunt: at quod tenditur ob multitudinem, necessariò tumet. Nam quædã à siccitate tenduntur, nec tamen tument. Percipitur etiam tentio quandoque sine tumore in partibus internis. Compressa enim pars sensu prædita, quæ venæ adiacet tensionem præfert: at non tumorem cùm ad illum excitandum totam venam impleri necesse sit. Tentió vero, etiam ex mediocri repletione fiat, quocirca tentio in externis partibus, quæ liberiùs attolluntur, tumorem subsequitur: In internis autem vbi adest compressio circumstantiam illam antecedit. Et ideo in musculorum ventris repletione tumor præcedit tentionem, in repletione iecoris, lienis, ventriculi, mesaræi, tentio tumorem idcirco tum ex his, quæ euidentiora sunt, tum ex successione vnius ad alterum, in dies cognosces, an dispositio sit intùs, aut extrà. Quantum autem referat cùm vna sit semper lethalis, altera non magna, res & ad curam satis intelligi potest. Rubor autem caliditatis inditium est, seu in toto, seu in parte. Et sanguinis plerumque multitudinem indicat, si nulla adfuerit inæqualitas. Sed & pulsus plenitudinem, & inanitionem indicat, sensu id magis declarante, quàm multa alia, de quibus Galenus testatur, cùm id apertè neget posse cognosci, non solùm eo in libro, sed in pulsuum tractatione. Portò inditia singulorum humorum redundantium ex colore, si sint in partibus exterioribus docet: nam pituita album reddit: atra bilis nigrum, flaua autem flauum. Crudum autem humorem distinguere docet à pituita, quod sit minus flatulentus, atque in vrinis subsidet fabaceæ pulticulæ simile. Et ex eo fiunt inappetentes: sicut ex accida pituita famelici, ex salsa siticulosi, ex dulci somnolenti. Et cùm omnes pituitæ species somnolentos efficiant, maximè tamen id agit dulcis pituita, & crudus humor, sicut è diuerso bilis flaua vigiles, & melancholia tetricos aspectus, & animi tædium, & molestiam. Vbi verò ventriculum occupent, & eius os, bilis flaua sitibundi erunt, & cibum fastidient, osque amarum erit. Si atra mœsti, horribiles, sitis expertes, saliua referti, alij vero ex his cibos auersantur, quod à corruptione fit, alij nimis appetunt, quod melius est signum, sed tamen acida pituita abundat, optimum æqualitas: & cacochymiæ quidem: pulsus propriè sunt languidi re inæquales, & si cum multitudine sit etiam parui, & oppressi: neque tamen quales sint apud Galenum *1. de differen. Feb.* inueniuntur.

Plenitudinis autem damna sunt, torpor, in operationibus grauitas, corporis periculum obstructionis, & suffocationis, & dolorum. Et si aduenerit morbus, vt breui pereat, & tarde sanetur, & si sit in venis fracturæ vasis. Et si aduenerint morbi epidemij ipsi sunt eis obnoxij. Et si exercentur sunt in periculo febris, & inflammationum: & si non exercentur, augetur repletio, & sunt in periculo, ne suffocentur: & si inediam patiantur inflammantur: & si edunt, replentur nimium, & suffocantur. Et tempore pestis, vix vnquam euadunt, quin moriantur, & à mutationibus temporum, & ciborum prauorum maximè læduntur. Et in æstate, & in hyeme maximè vexantur:

& perpetuò quàndam molestiam sentiunt. Excessus autem auget damna illius humoris: & sanguis bonus per se non nocet, sed affert grauitatem solam, periculum suffocationis, & rupturæ vasis. Paucitatis autem humorum, vbi alimentum externum non desit, vix vlla sunt damna, & ideo non illa retulit, sicut de excessu, & defectu, quia hæc includunt inæqualitatem. Sed paucitas humorum vix potest esse tanta, vt noceat, ideò illius non meminit: quinimò tot Philosophi, sed magis viri sancti ad extremam perduxerunt senectutem, incolumi perpetua valetudine, quibus nulli penè erant humores in corpore. Et plures ex his etiam vltra centesimum annum: neque tamen à laboribus corporis, ac animi fermè assiduis abstinebant. Nec video quod paucitas humorum obsit in vllo, præterquam ad venerem, aut ad visus hebetudinem, si sit moderata, & ex cibis crassis maximè, & in corpore sicco natura ad cutis fœditatem, & prutitum. Constat enim quosdam ex illis solo pane, & sale, & aqua, alios solis oleribus, cũ oleo coctis: quosdam sine pane & quosdã cum eo: & melius quod nutrimentũ (si desit panis) non sufficiat alendis solidis membris: alios sola pulte vixisse: alios solis quinque ficubus siccis absque pane, ab occasu solis, omnes tamen solo potu aquæ contenti fuêre: alioquin in tanta inedia vinum totum non est; & malè conuenit. Constat Galenum *cap. vlt.* tam in plenitudine, quàm in vacuitate, & excessu, atque defectu considerasse victus rationem præteritam, eamque iubere debere considerari. Vtpote si laboribus, si vigilia, si cibis calidis, siccis ve, & paucis: & vino, & si contra vsus fuerit, vt naturam maximè humoris abundantis cognoscat. Nam de multitudine simpliciter iam docuimus. Est autem (omissa plenitudine quò ad vires) consideratio maximè vtilis, & necessaria medico: si adest multitudo in venis, aut in cauitatibus (nam de ea, quæ est extra hæc loca, consideratio est vt rei præter naturam, & breuis temporis: hæc enim non solet manere per menses, nedum per annos.) Si humorum in actu an potestate solum, inde si corruptorum, vt sit cacochymia, vel bonorum & in sua natura? Qualis denique humoris tanquam superantis? Et nota quod F. non vult quod melancholia excitet famem in ventriculo, quiã solùm spargitur. Dicit in imo ventriculi non ad os, sed roborat ipsum, & intestina. Et est alia ratio etiam, quoniam cùm sit actio, quæ dirigitur ad opus perfectius, oportet, vt non transgrediatur metam finis. Finis autem famis est cibi concoctio, & ideò naturaliter hic appetitus debet mensurari iuxta vim concoquendi ventriculi, & non indigere auxilio externo. Non est autem sic de bile flaua ad expulsionem; quoniam expulsionem factam nulla postmodum sequitur alia actio; quanto minus necessaria:

TEXT. XIV.

Et complicatione aliquorum quidem, aliquorum verò non & omnium.

HÆc est quinta varietas in succis, seu, si velis referre ad damna, & vtilitatem secundus modus. Dico complicatio omnium est illa, quæ fit in sanguine, & ea naturalis est, quorundam autem fit, & quorundam non; complicantur duo, aut tres: & tres quatuor modis iuxta humorum numerum, cum in vnaquaque coniugatione vnus desit: sex autem in binaria. Ex his quædam sunt simpliciter malæ, quædam malæ magis, quàm bonæ, & quædam bonæ magis, quàm malæ. Et ex his quæ simpliciter malæ sunt, omnes sunt malæ alteri humori, & non vicissim: aut huic membro, non omni, & ratione motus, & reliquarum conditionum. Vt ergo incipiam explicare, quæ proponuntur; quilibet humor permixtus sanguini, inutiliter & malè miscetur illi, cùm eius corrũpat naturam, & ita fiunt tres binariæ, & totidem ternariæ coniugationes malæ. Vtpote bilis flaua, & sanguis; bilis nigra, & sanguis; pituita & sanguis. Loquor nunc de pituita præter naturam atque iterum bilis flaua, & nigra, & sanguis, bilis flaua, & pituita, & sanguis, & pituita, & melancholia, & sanguis: omnes istæ sunt malè comparatæ ad sanguinem; at contra comparatæ ad humores, bonæ sunt; quoniam, vt sanguis ab eis vitiatur, ita contra ipse, aliorum humorum prauitatem mitigat: Vt in eo Aphorismo 6. *Aphor.* 51. (Desipientiæ, quæ cum risu fiunt securiores; quæ verò cum studio periculosiores) Hoc accidit, quoniam atro humori sanguis admistus est; quanquam Galenus interpretetur aliter, vt sit illa à fæce sanguinis, alia à flaua bile, & tertia à bile flaua exusta, quæ est omnium acerrima. In vniuersum considerare oportet tres regulas in omnibus mistionibus. Prima humor minus malus deteriori incommodæ permiscetur, & illius malitiam auget; contra minus malus deteriori minuit. Secunda humores in eo, in quo conueniunt augent pranitatem, in quo sunt contrarij, minuunt; velut bilis flaua, & atra conueniunt in siccitate, & in hoc augetur vtriusque malitia: Dissident in caliditate & frigiditate, & hoc modo minuitur vtriusque malitia. Et ita in quartana, cui admiscetur pituita, frigiditas augetur & est contumacior ad sanandum: est tamen securior, & minus tabefacit hominem, quia siccitas melancholiæ retunditur ab humido pituitæ. Bilis ergo flaua mixta pituitæ tenui, mitiorem reddit febrem tertianam, & breuiorem, quotidiana. Tertia mistio bilis ratione tenuitatis est mala, quia ducit pituitam ad cerebrum, & articulos: & ita facit podagram coxendicis dolorem carochum. Et ita cum atra bile, quasi semper interficit cum flaua, ducat ad intima,

&

& atrà impediat coctionem, sed melancholia mista pituita, efficit vt non concoquatur ob crassitiem, & ita mixtio ratione qualitatum contrariarum persæpè bona est: ratione multitudinis semper mala, ratione substantiæ plerunque mala, non tamen semper. Et ita seruabis in aliis.

LECT. XIII.

Super

TEXT. XV. & XVI.

Et caliditatem lædunt, & iuuant. Et frigiditatem lædunt, & iuuant.

DOcet duo: vnum in præsenti, aliud in sequenti, quibus alimenta iuuant, & lædunt nostrum corpus, tanquam duæ principales causæ. Prima est calor, & frigus, vt instrumentum actionis: & facultatem, vt principale agens. Constituitur ergo ratio huiusmodi: mutato instrumento primo, mutatur actio & status rei productæ: sed calor, & frigus sunt instrumenta omnium actionum in corpore nostro: & alimentum mutat calorem, & frigus: quia aliud est calidum, aliud frigidum, & si sit temperatum adhuc calefaciet frigida, & refrigerabit calida, igitur ex tribus syllogismis inuicem complicatis evidentibus demonstratur, alimentum mutare corpora nostra. Iuuant ergo quæ similia sunt in temperatis, aut illi proxima, aut contraria intemperatis: lædunt quæ sunt contraria intemperatis, aut parum distantibus ab illis, aut similia in valde intemperatis. Verum prior sensus videtur verior, vt lædere, & iuuare intelligatur, ac referatur ad qualitatem, non ad hominem. Calidi enim operationes sunt concoquere, attrahere, retinere, digerere, dolorem lenire, emollire, expellere, quæ superflua sunt, rarefacere, mouere, adiuuare naturæ opera, licet verò calidum hoc agat: attamen si offendat, dixit Galenus *in libro de Vsu respirationis cap. 5. iuxta medium.* corrumpit, & quam celerrimè corpora: adeò vt maximas afferat noxas. Aliud calidum temperatum cum humido iunctum, exteriúsque applicitum refrigerat, vt habetur à Galeno *sexto Epidimiorum. Par. 5. com. 36.* Et ideò balneum dicit, licet actu calefaciat potestate, tamen refrigerat: causa est, quoniam caliditate temperata, aperit poros, vnde auocat etiam vapores extra, & ita refrigerat intima detrahendo, quòd calefacit: sed partem exteriorem refrigerat introducendo aërem, qui refrigerat, & aquam, quæ, & ipsa refrigerat actu. Et ita vtrinque totum corpus refrigeratur. Similiter ab aëre frigido dicebat calor innatus corroboratur bifariam, & ventilatio, dum expellitur quicquid fuliginosi est. Et dum ad moderatam metam reducitur mixto frigido aëre cum ipsa flamma. Mihi autem videtur tertia quædam causa ex prima desumpta, scilicet motu ac ventilatione. Nam ex ea accenditur ignis, & flamma, & calor, quoniam motu inualescit, & penetrat in alimentum. Attamen videtur hic Hippocrates *Lib. de vsu Resp. cap. 3. in fine.* per calidum cum illud comparet frigido, & vt lædit, vel iuuat non intelligere innatum calorem, sed potiùs qualitatem huiusmodi etiam caliditas comparata, ad aliud diuersos sortitur effectus: nam si moderata fuerit, & agat in materiam crassam, & lentam, generat flatum, dicebat *decimo de Compositione med. camentorum cap 9.* secundùm locos. Dico ex hoc colligitur, quòd per calefactionem, & refrigerationem extinguitur Priapismus: & ita etiam refrigerando quosdam alios calefaciendo Veneteæ rei robur intenditur. Eiusmodi sunt infinita: nam videmus quòd etiam ventriculi intemperies calida refrigerantibus curatur, frigida calefacientibus: atque sic concoctio iuuatur Vt *septimo Methodi. cap. 7. & 9.* Est & alius sensus verior, & est vt intelligas duplicem qualitatem naturalem, & præter natutam: quæ naturalis est, semper iuuatur à confirmantibus eam, sicut quæ præter naturam est, offendit aucta, & hoc modo frigiditas naturalis temperat calorem, repellit, astringit, confirmat membra: præterea inducit somnum, sedat dolores. Quæ autem refrigerant magis nocent, quàm quæ calefaciunt ex cibis, quæ autem ex medicamentis calida, magis nocent quam frigida. Causa primi est, quod concoctio consistit in similitudine, & calore, sed homo est natura calidus, & ob id calidis similior, & à calido etiam iuuatur. Et etiam quia calida plerumque sunt leniora, rariora, molliora. Et ideò dubium non est, quin melius sit declinare ad caliditatem in cibis, quàm medicamentis. Et hoc præcipuè, quoniam cibi sunt propinqui temperamento: & plerunque humidi. At in medicamentis ad calidum declinare deterius est, quoniam primùm qualitas illa plus agit: & cùm iam supponatur multum recedere à natura nostra plus offendet, quàm frigida. Secundò quia magis rarefaciunt, & dissoluunt corpus; frigida autem confirmant. Tertiò quoniam noxa eorum difficilius restauratur, quia frigidum est minus potens calido. Quartò quia simile magis patitur à simili, quoniam terminus eius est angustior: Et ideò refrigerationis magnitudo longiùs extenditur, quàm caloris. Homo enim est propior exustioni, quàm congelationi. Quintò quia finis vstionis est deterior, quàm finis refrigerationis, quoniam ex vstione amittitur forma substantiæ, & qualitatum: ex congelatione solùm qualitates. Vescimur enim congelatis, & aptè, vt stophi pisce, quo vescimur, quamuis frigore durato, ac longè melius, quàm si duratus non esset gelu, & quouis salito pisce. Hoc non potest fieri ex aliqua re vsta; quinimo etiam ante vstionem corrumpuntur pleraque à calore, vt edi non possint.

TEXT. XVI.

Facultatem lædunt, ac iuuant.

DIximus duo esse per quæ operationes fiunt, vel, vt instrumentum, vel vt principale. Et quòd facultas est principale, calor & frigus instrumentum dicebat Galenus *primo de facultatibus naturalibus: cap.6. in fine.* molle, durum, lene, asperum, caro, sanguis: ista fiunt à primis qualitatibus: at cauitates illæ, & symetria partium, & huiusmodi fiunt à virtute formatrice, quæ artificiasa est, & optima. Sed quid sit hæc facultas F. dicit quod est forma, quæ est temperies, vel à temperie, vel deriuatur ab aliquo, quòd est à temperie. Et in hoc non loquitur. Secundum Philosophos, neque Theologos, sed Medicos. Neque verò etiam secundum Galenum *cap.13. in fine.* Is enim fatetur, quòd formatio nostra est à sapientia diuina. Vt *in sexto de Vsu partium cap.2. & cap.14.* loquens, de venis cordis, & in vndecimo de musculis temporalibus [Quod mihi diuinæ iustitiæ proprium esse videtur non modò inuenire, quæ oportet. Verùm etiam cuique tribuere pro merito, ac dignitate, nec quicquam superfluum aut mancum efficere.] Et expressè paulòpost dum de pilis palpebrarum loquitur, & cur æquales sint. [At verò vsum naturæ forsan tribuit? mihi sanè videtur naturam eodem esse authorem, & generationis, & vsus vitæ. Si enim machinæ ipsius constructio ad aliquem opificem pertinet, ad eundem pertinebit, & vsus?] At quid nam modo sit hæc facultas, & quomodo procedat ab anima in corpus, scire decet, quòd vt aliàs dixi anima assistit corpori, velut nauta naui secundùm Platonem, quem in Philosophia Galenus sequitur, sed secundùm Peripateticos, & fidem nostram verè est humani corporis forma. Sed quomodo ex vna operatione tot prosluant, sicut videmus mouere, nutrire, sentire, recordari, tum etiam diuersis sensibus vti, & ab vno simplicissimo tot procedere cum ab vno in quàtum vnum non procedat, nisi vnum: Alexander visus est rationem satis verisimilem reddere, cùm velut ex pluribus medicamentis in vnum compositis plures oriantur facultates, & ab vno speculo plures reluceant imagines, cùm tamen modus speculi sit vnus, ita dico ad animo. Prisciamus *primo in Theophrastum cap. 6. & 9.* duo præsupponit. Dicit primum, quòd anima concurrit ad sentiendum actiuè, quia dicit non posset simul contraria recipere: secundum, quia habet rationes seminarias inditas corporibus, per quas potest in diuersa, sed quomodo possit in diuersa, cùm sit indiuidua? minimè docet. Quamuis enim cœlum agat, non tamen constat; quomodo quædam calefaciat, & quædam refrigeret. Et similiter qua ratione, & à quo inditæ sint hæ origines seminales, & ideò dicebat ibidem, quòd spiritus concurrit ad sensum passiuè, quoniam corpus: & actiuè, vt animatum est: ideoque educit species, quæ sunt in obiecto ad actum. Ergo vt idem calor solis & rosæ, & asini seminalibus rationibus eruat germanum semen: eodem modo ad vnguem anima, cum sit vna, eruit has vires ex obiectis, deducens illas ad actum. Sonus enim, & lumen quædam sunt res, & non sunt: potestate quidem sunt, dubium non est. Neque enim ad actum possent deduci, sed etiam actu, quia plus sunt, & aliquid magis in actu, quàm calor in pipere. Sunt ergo in materia actu: forma autem potestate. Rationes autem seminales sunt rursus in materia per primam potentiam: & in primo actu eodem intuitu constituuntur per primam causam. Duplici ergo modo facultas ineſt corporibus per vnã, & eundem, simplicemque animam: vno quidem quatenus ad diuersa comparatur. Velut decem ad duo, tria quatuor, & sic de aliis, diuersam habet proportionem, ortam ex his, quibus comparatur, & iuxta effluxum. Nihil enim est tam vnum, quin diuersum sit ratione effluxionum, & virium. Velut calor cordis est alius in cute, alius in visceribus, & corde: etiamsi illa omnia essent eiusdem rationis, solum ratione propinquitatis atque distantiæ. Ergo anima vt sortitur spiritum siccum, terreum, & agilem, mouet: vt contra tenuem, & quietum, audit: vt heberem, & immobilem, tactu percipit: vt fulgidum, & penè incorporeum videt. Idem dico de interioribus facultatibus. Est igitur facultatis principium in anima: in subiecto autem, in membro, à quo formam recipit: quoniam ad operationis symetriam illud est comparatum: Et in spiritu, vt instrumento animæ operantis, iuxta membri naturam, & compositionem. Velut folles in organo habent rationem animæ. Sunt enim ex se æquales: organi autem compositio, vt instrumentum, id est, membrum: spiritus autem vt digiti pulsantis, obtemperantes voluntati animæ. Manifestum est autem, quòd oportet inter sensum & sensile quandam esse proportionem. Etenim tametsi species sensilis non educatur ad actum, nisi per sensum, inducitur tamen maior actus, quàm conueniat: quoniam est agens naturale, & operatur in omnem materiam obuiam factam: Sicut anserculi, qui denorant caulium truncos, à quibus strangulantur, cum deceret tantundem solum deglutire, quantum est, quòd commodè possent. Non est igitur facultas in anima, quia simplex est: facultas autem multiplex, nec in membro solo: oculus enim mortui, non videt; sed in membro animato, quæ autem est vegetatrix est in extremo, quoniam est in membro, quatenus nullus alias habet vires: sicut vis Solis in nube solum illam facit visibilem: & in aëre causa est alia videndi. Et in fimo generat vermes: & in sordibus nauium generat merem. Erit ergo facultas nutriendi, velut facultas solis in fimo, & sensilis, vt in cœno, ex qua generatur rana, & imaginandi, vt in navis colluuie, vnde generatur mus. Interiores autem cerebri facultates ita se habent quòd cum anima longius abest à materia

redditur

redditur etiam magis pura ab his, quæ eam imperficiunt, velut motus diutino, atque priuatio; vt inquit Priscianus *in secundo commentariorum super Theophrastum cap.* 19. de sensu. Formæ ergo, quæ erant in spiritibus, tempore obiecti, & seruatæ, vel in spiritu, vel in cerebro, dum mouentur imperio voluntatis, referunt imagines sensilium in absentia. Vnde etiam fit, vt quandoque formæ illæ dum spiritus ad instrumentum sensus referuntur, ostendant rem quasi præsentem cùm non fiat sensus, quia obiectum non adest. Affero autem vnum exemplum de Phantasia inter multa. Cùm anima vult videre aliquam imaginem, mouet illam prius cognitam ex sensibus anteactis, aut similibus, & post refertur ad eam, velut in speculo, atque sic imaginatur. Et mouet quicquid vult, modò non adsit impedimentum, quoniam ex sensibus tam internis, quàm externis fit impressio in anima sensus, & phantasiæ, & intellectus, & anima perficitur, habens actum primum, quem ipsa pro arbitrio deducit ad actum secundum. Et hic actus fit dum est annexa corpori per vitam: & interim gaudet, & lætatur ex illa cognitione, quæ desinit per separationem vitæ remanente pura cognitione, quæ est ei naturalis: sicut sol apposito vreeo aqua pleno, reddit iridem in pariete, & subtracto vreeo remanent radij simplices, sed clariores, & minus confusi. Si igitur sol intelligeret, & sentiret, & gauderet illis imaginibus Et hoc est ex eius natura. Et fuit necessarium ne in vniuerso deesset, quòd colligeret illas formas seminales sonorum, & colorum & luminis, & odorum: Et vt simul satisfieret cognitioni cuidam, quæ non erat digna intellectu cœlesti, & sicut sensus proprij est instrumentum proprium, ita phantasiæ est commune instrumentum sensus communis cui annexa est. Si ergo vt dixi anima est simplex, & sensuum exteriorum sunt instrumenta corporea, ita poterunt esse interiorum. Sed eò nobiliora, quò operatio operatione nobilior est. Et sicut in sensibus externis facultates sunt diuersæ, & membra diuersa, ita interiorum totum cerebrum. Sed facultates sunt quasi permistæ. Ergo cùm alimentum crassum substantiam membri crassam reddat, nocebit facultati intelligendi, & videndi: ita tenue facultati motus, & gustus, ac tactus absque eo, quod calefaciat, aut infrigidet.

LECT. XIV.

Super

TEXT. XVII.

Facultatis verò variæ species.

NVmerum facultatum definire (vt ab initio dixi) dum de diuidendi ratione agerem, difficillimum est 9. *Art. cur. cap.* 10. Prima tamen diuisio est triplex, in naturalem, vitalem, & animalem: non ita appellatam, quod reliquæ non sint animales: sed quia ex ea maximè conspicua fit anima. Velut motus cordis, & arteriarum: naturalis autem crescere, gigni, nutriri: videntur & ipsa communia plantis, & lapidibus. Cumque plantæ viuant, quia tamen non mouebantur, in his perspicuum non erat animam esse. Verùm dicet aliquis, videtur naturalis anima vitali nobilior, quoniam assimilatur saltem plantis, illa autem elementis, & mixtis puris. Dico quod naturalis est admirabilior sanè, cùm in ea appareant tot diuersitates, in plantis, quæ non apparent, ex motu pulsus ac vita. Sed de hoc dicemus infrà, dum de vitali facultate loquemur. Quælibet autem facultas primùm in duas diuiditur. Velut Animalis in sensilem, & motricem vitalis in vitam, & pulsatilem naturalis in conseruatricem, seu nutricem, & genitricem. Eadem tamen diuiditur in dominam, & seruientem: sed domina in tres postmodum omissa priore diuisione, nutricem, augmentatricem, & genitricem. Hanc autem necesse est ponere ob seruientes. Sed tamen prima diuisio etiam mihi videtur necessaria, ratione finis, & propter aliarum facultatum exemplum, quæ sic diuiduntur. Ideo illam ponerem seorsum. Dicamus ergo quod facultates inseruientes, sunt quatuor, attractrix, retentrix, concoctrix, expultrix: nam separatrix fit ob similis attractionem, & dissimilis quietem. Si enim vnum attrahitur, alterum relinquitur, fit separatio vnius ab altero. Sed nutritio fit attractione iam concocti humoris, inde retentione, post appositione, agglutinatione, affixione, assimilatione: his septem fit nutritio, quemadmodum dictum est? Concoctio autem fit assimilatione, non exquisita in substantia, & qualitate. Ob id concoctiones diuisæ, locis ac temporibus sunt tres (nam venæ concoquunt in virtute iecoris) ventriculi, iecoris, & vniuersi corporis. Secunda tamen est, quintuplex. Fit enim concoctio: primum in venis Mesaræi: & hæc est valde leuis, & generatur sanguis valde dilutus, & non fit hæc generatio semper, sed cum alimentum est valde sanguineum, & calidum, & humidum. Velut ex luteis ouorum, & carne suilla, friabili, tosta in veru, & præparatis carnibus, aut piscibus in patella, cum aromatibus, & auxilio boni vini: & in pueris & iuuenibus, & in habentibus ad domem crassum, & pingue, & in cibis à chylo diu retento in Mesaræo. Sicut quantosunt lenti, & crassi, & per longum somnum, & propè iecur, & procul ab intestinis, & præcipuè cum adest obstructio in venis, cauæ, iecoris, tunc aliquando generatur sanguis diluri caloris, & substantiæ. Et causa fuit declarata superiùs ex quarto de vsu parium, quia propria causa generationis sanguinis est substantia iecoris, & parenchyma eius tam in colore, quam in substantia: & hæc generatio est leuis, rara, sed manifesta, & euidens: alia verò quæ ei apponitur ad vnguem, est valde frequens, & fit quotidie, & valida, & potens, & generatur sanguis optimus, crassus, & floridus, & fit in venis totius corporis, post cauam, sed præcipuè

pue prope iecur, & prope cor: & ideò maximè in ea parte cauæ venæ, quæ est iecur, & cor, & fit ex pituita, contenta in venis, rubra, crassa, bene elaborata sæd hæc concoctio est obscura: quia fit ex sanguine in sanguinem, & ob id cùm sit parum euidens aliqui eam etiam negauerunt, reliquæ duæ sunt notissimæ Sed tamen in his admittitur exiguus error, imò forsan non leuis, quia ex duabus facunt vnam, & est concoctio, quæ fit in caua parte iecoris, vbi chylus manifestè transmutatur in sanguinem dilutum, & album. Est tamen sanguis verè, sed aquosior, non solùm quia concoctus in parte iecoris minùs calida, & quæ venas habet latiores, & breuiori tempore, sed quod maximum est, quoniam habet admistam partem serosam secum: & hæc manifestè apparent in fluxibus hepaticis vt nemo possit dubitare de omnibus his. Alia verò fit in parte gibba, & media iecoris, quæ est calidior longè caua, tum quia caro eius est ibi crassior, tum quia est propior cordi, tum etiam quia continetur in membris spiritualibus: est enim pars eius supra septum transuersum, & in ventre medio membrorum spiritualium, ad hoc iuuat etiam motus, & pinguedo septi transuersi, & consensus cum corde per venam magnam, seu truncum magnum. Vnde vulneratus ibi statim moritur, & sine spe auxilij, non minus quam vulneratus in corde, quod etiam vidit Homerus. *cap.* 11. & 12. Similiter & ad hoc facit angustia venarum ipsius iecoris (vt sexto Anatomicarum Aggressionum, cum vix possit stylo perpendi, an sanguis penetret, vel non) & diuturnior mora, & ideò ibi fit vera generatio, & perfecta sanguinis, vt est alimentum animati, non vt est alimentum animalis perfecti. Nam videmus quod plantæ aluntur, & tamen carent corde, & omni alio membro, quod cordi proportione respondeat, attamen nulla planta caret eo quod respondet proportione ipsi iecori, & hoc est duplex: vnum est surculus super radicem, seu superior radicis, & ideò omnes plantæ cum eo defossæ propagantur, eo abscisso pereunt. Aliæ habent suum principium nutritionis, non solùm ibi, sed extensum per totam medullam, & illæ viuunt, & augentur defossæ per truncum sine radice etiam, quoniam habent medullam, sicut salix, & iassemin, & vitis, & multæ arbores, quæ nascuntur prope aquas, & in locis humidis, & dicunt etiam de oliua: Vnde illud Virgilij:

Truditur ex sicco radix oleagina ligno.

Ergo vt ad rem redeam, in corde humano in sinistro ventriculo fit mutatio sanguinis, ex venali in arterialem, & ibi generatur etiam spiritus vitalis, & huius tertiæ generationis sanguinis (omissa illa venarum seu secundæ) posita tertia, & quarta pro vna, non meminit vllus author, tanquam secundæ generationis, quia Aristoteles ponit eam solùm, & non meminit eius, quæ in iecore. Ergo non potuit ponere secundam, quia generatio est rei perfectæ. Est enim terminus eius substantia, quæ non suscipit magis, & minùs. Sed sanguis perfectus, aut saltem perfectione generatur in corde, aut fit saltem secundùm medicos. Ergo non potest generari in iecore, aliter vnius & eiusdem rei esset duplex substantia, & vna perfectior alia, & ita substantia susciperet maius & minus, quod est contra principia Philosophiæ, *In prædicamento cap. de substantia*, Galenus verò videns hoc, & volens statuere generationem sanguinis in iecore, dicit non generari sanguinem in corde, sed spiritum, neque etiam perfici sanguinem ibi, vt sanguis est, sed præparari ad generationem spirituum, & ita concedit permutari secundùm substantiam, quia est tenuior, & secundum colorem, quia est magis flauus, & secundum qualitatem, quia est multo calidior, & est etiam admixtus plurimo aëri, & vapori: imò vaporosus, & ob hoc, tum etiam ob caliditatem, & assiduum motum violentiorem, quia cor magis mouetur in parte sinistra, quàm dextra: & mobilior est sanguis arterialis venali: & hoc modo secunda concoctio prætermittitur ab omnibus, quamvis litigent, quænam sit Aristoteles diceret accidentia, & operationes ostendere formam: cùm ergo cõcoctio sit mutatio substantiæ, & qualitatum, & videamus in corde sanguinem elaboratum differre manifestè à priore sanguine in substantia, in colore, in caliditate, ab eo, qui est in iecore. Dicet ergo factam esse concoctionem ibi, sed non est locus hic disputandi de hoc. Circa nutritionem autem tres regulas necessarium est animaduertere, quæ etiam seruiunt magna ex parte ad intellectum augmenti. Prima est quod in nutritione partes non extenduntur semper: aliter semper homo augeretur, quod est falsum: & tamen totum corpus nutritur, quia licet non dentur duo corpora simul: tamen corporea substantia exuta quantitate recipitur in corpore: & ita penetrat nutrimentum, sicut quædam qualitas, & dum assimilatur, desinit esse corporea: & fit verè corpus, sed non fit augmentum per illud corpus: quia maior est facta resolutio antea, vel æqualis, additioni: in tempore verò augmenti fit extensio, & tunc substantia corporea conuersa in corpus, id est, habens dimensiones, vt dicunt, facit augmentum: quia efficit maius. Oportet igitur ponere istam substantiam corpoream inediam inter corpus, & qualitatem: & de hoc etiam locuti sumus superiùs. Sed imperfectè, quia non erat locus. Secunda regula est, quoniam in nutritione (& de hac etiam alibi dictum est, sed hîc necessarium est repetere) fit mutatio secundùm materiam totam, emanente forma & fluxus, & refluxus totius materiæ: aliter non esset vera nutritio: & hoc est quod dixit Philosophus, nutritionem fieri fluente materia, & secundum materiam manente forma. Et tamen cùm hoc corpus perpetuò senescit, vt *primo de Tuenda sanitate: cap.* 1. & 4. *Et in libro de marcore*: quia licet materia fluat, & refluat, quod adiicitur est frigidius, & siccius: eò quod resoluitur ob duplicem causam. Primùm quia resoluitur sola pars aërea pura, & quæ adiicitur semper habet aliquid excrementi terrei: imo etiam aquei, & quia dixi, quod fluit, & refluit tota etiam pars terrea: dico quod illa non fluit, quia consumatur,

matur, sed quia expellitur per euaporationem: & ideò omnes homines emittunt illud excrementum terreum in cute: & ita generant terram in superficie, quæ abluitur in balneis: nostra autem ætate cum exoleuerit vsus balneorum, resoluitur ex attritu: & in aliquibus partibus, vtpote in pedibus remanet: & refrigerat pedes, & reddit etiam humidos: quod multum obest bonæ valetudini, & ideò bonum est sæpè in tuenda valetudine abluere pedes: manus autem, & vultum abluunt, quotidiè homines ciuiles: caput etiam aliquando per interualla in reliquo corpore atteritur, sordes tum ex vestibus, tum ex mutatione interularum, & lineorum indusiorum. Secunda causa permutationis in deterius, & vt membra siccentur, & fiant, magis terrea est, quia actio nutriendi, & concoquendi semper aliquid relinquit, vt non possit perfectè assimilare. Nihil enim agit adeò perfectè, vt ad vnguem assimilet sibi: quia hoc repugnat. Cùm enim priùs sit dissimile, & omne agens oportet vt vincat passum, & supereſt, illud si posset perfectè assimilare fieret actio ab æquali. Sed est ratio euidentior, quia terminus contineretur in latitudine. Sunt præterea multa alia impedimenta, vt illud aëris circunstantis, excrementorum, quæ sunt cum alimento: & quia fieri vix potest, vt sit plenè elaboratum, in omnibus prioribus concoctionibus: & quod fuerit desumptum optima substantia, ista quatuor impedimenta sunt præcipua. Tertia regula est, quòd augmentum potest dici fieri secundùm materiam solùm, & potest dici fieri secundùm materiam, & formam, & tamen fiet eodem modo, & vtrunque verum erit. Nam si per formam intelligo figuram, solam fit secundùm formam tantum, quia figura non mutatur: si per formam intelligo figuram cum quantitate, fit secundùm materiam, & formam, quia fit secundùm formam, non vt continet figuram, sed vt continet quantitatem, quia quantitas mutatur, eò quòd augetur. Vt ergo perficiam senis doctrinam ab eo traditam, dicemus, quæ sequuntur in alia lectione.

LECT. XV.

Super

EODEM TEXT. XVII.

RElinquebatur dicendum de generatione, & an sit prior nutritione? Et prius dicitur tempore, & cognitione. De his duobus non est quæstio. Nam tempore est quasi fortuitum, cognitione autem, vt hic, quia materiæ coniuncta sunt, effectus causis. De natura prioribus, 1. *Phy. Tex.* 2. Quæstio est. Proprium eorum quinto Metaphysicæ *c.* 11. est posse absque alio esse. Nos autem duobus aliis modis medica tractantes, intelligimus prius, quod primùm à natura intenditur: vel quod & si ab alio separari non potest, fieri vnum sine alio esse, intelligi tamen potest vt pes vestigio prior est. Ergo inseruientes facultates priores principalibus, quoad opus concoctio nutritione inter se retentio concoctione. Et principales nutritio incremento. De sola nutritione ad generationem (cuius sunt tres partes) dubitatio erat. Prima initium quod ante nutritionem fit cùm tum trahat: aut dum augescit, & tum generatio prior est, quia absque nutritione fieri intelligi potest. Secunda cùm perfecta est, id est, facta substantia, idque momento contingit: præcedit autem nutritionem perfectam, quæ solum est substantiæ perfectæ natura, sine & cognitione: sed perfecta posterior est. Eadem dico de incremento, quod ad alia comparatum eundem retinet ordinem, quem nutritio, nisi quod cum inter se comparantur, posterius est. Tertia est cùm generatione opus est absolutum, tum etiam fine, natura generatio præcedit? Tertio modo natura antecedit nutritio. Nam nisi nutriretur cutis, & vngues absolui non possent, cùm incremento conficiantur. Genitum enim tam perfectè, quam imperfectè augetur. Etenim in ouiparis licet videantur simul gigni, non id fit: sed ex vitello accessio nutritio incrementúmque contingit, quod indicat tum præter cætera concoctio partium eius. At de membris seminalibus forsan esset quæstio? Et mihi videtur solùm de parenchymate tanquam medio.

Circa facultates inseruientes notandum, quod natura non vtitur musculis in eis per se, sed solùm per accidens in paucis casibus ob tres causas. Primum quia non obediunt nisi facultati animali, & voluntati non naturali. Secundo quia sunt maiores, & ideò occuparent nimis amplum spatium, & non possent etiam operari iam subtiliter, vt inseruirent motibus naturalibus, qui fiunt per minima vt attractio, & expulsio. Tertio quoniam membra, quæ habent functiones naturales sunt similia, & musculi constant ex partibus dissimilibus: & cùm sint membra organica, & ita membra similia indigerent membris organicis, cùm sit contrarium potiùs verum, & peruerteretur ordo naturæ: & sequerentur mille absurda. Et etiam vt declaraui in contradictionibus fibræ diuersæ non sunt causa diuersorum motuum, sed motus diuersi potiùs sunt causa diuersarum fibrarum. Attractio igitur vt primum de ea loquar, cuius etiam opus aliarum opere prius est. Triplex est alia cibi, & potus confertim, & in magna mole aliter oporteret, vt hirundines suggere alimentum: alia est alimenti vt distribuitur, quæ fit per minima: non enim, nisi sic comminutum potest concoqui: tertia est aëris ad temperandum cor, & cerebrum, & spiritum animalem & vitalem. Sic etiam necessarij fuêre tres modi attrahendi, nec plures, nec pauciores, & singuli singulis. Dico ergo quòd attractio cibi, & potus per gulam non potuit fieri, nisi per fibras non per calorem, neque per vacuum seu consequentiam: quia per calorem non potest trahi, nisi quòd tenuissimè

tenuissimè dissolutum est : at non poterat sic dissolui, vt dixi, nisi hirundinum more non edere, sed suggere cibum voluissemus : igitur non potuit trahi à calore. Sed nec per consequentiam, quia in huiusmodi necessaria fuisset via præ angusta, quæ in gula multa incommoda, & pericula attulisset. Secundò quoniam ventriculus fuisset mirum in modum ab aëre refrigeratus, adeò vt concoquere non potuisset. Sicut videmus in tympaniticis, ideò oportuit vt attractiones fierent à fibris, coadiuuantibus etiam musculis, maximè in difficili deglutitione. Sed attractio nutrimenti ad iecur, non potuit fieri per consequentiam : eadem de causa refrigeratum enim fuisset iecur, & euersa vis concoctrix. Et etiam non potuisset diuidi alimentum ad minima : attractio enim quæ dicitur vacui, & ad magnas moles, ac graues, & ad diuisum humidum inutilis est, & ideò non opportuna iecori, sed nec à fibris, quoniam ille non possunt sensim (vt dixi) trahere, sed corpulentum tantum, & ideò fuisset hæc attractio incommoda coctioni : quapropter iecur fibrosum factum non est. Quòd & si dicant venas Mesaraï per quas trahit esse fibris intertextas, quamuis de hoc parum constet, dubium tamen non est etiam ossa trahere, de quibus certum est non habere fibras. Relinquitur igitur vt fieret à calore, & quasi à proprietate. Simili ratione neque aër à fibris trahi poterat : quid enim aëri cum fibris ? Diffugisset enim inter fibras : & ideò aspera arteria est facta tota leuis ob hoc, ne aër perspiraret, neque à calore : non enim potuisset fieri attractio confertim, & ita animal suffocatum fuisset, & indiguisset calore immenso : igitur oportuit vt fieret à consequentia. Sed in hac necessarij fuere musculi, attollentes celeriter pectus, sicut folles : & ita hæc attractio fit à vacuo per se, à musculorum motu per accidens. Cùm ergo hæc attractio rursus sit analoga, difficilè fuit reddere rationem, quomodo à calore fiat, nisi de ea, quæ est alimenti, sicut iecoris chyli renum, sanguinis in iecore dispersi : nec quomodo etiam fiat satis docuit : alia, quæ est aëris, procul dubio si à voluntate sit etiam cum sensu. Tertia verò à naturali facultate, quæ caloris medio mouet fibras, & gulam secundùm appetitum, partim naturalem aliquo etiam modo voluntarium. Si enim appetit vi animali, ergo etiam quod appetit naturali facultate trahere potest : aliter ille appetitus non solùm esset inutilis, sed etiam damnosus. Concurrit ergo in vna specie calor per se, scilicet in naturali : in hac vt causa generalis : & instrumentum functionis, conseruans tantùm illam, non vt agens : scilicet in attractione cibi, in attractione autem aëris non concurrit, nisi vt adiuuat musculos : sed pectus dilatatum à musculis dilatat pulmones : pulmones ob id attrahunt aërem : sed ad cerebrum trahitur aër per nares eodem motu pulmonis. Inde portio quæ ascendit per nares, trahitur motu consequenti à cerebro, indicio est quod occlusa via inter nares & os, nares nihil trahunt, & quod tam in inspiratione, quàm in expiratione actionarium est conformis ad vnguem, & in eodem tempore cum actione pulmonis, atque oris. Calor igitur, vt calor naturalis, non vt magnus, aut paruus, sed vt potens, ac benè temperatus est causa attractionis. Calor autem qui trahit, vt alimentum, & ex propria vi quantò magis augetur, & valentius trahit sicut in diabete. Et de modo hoc dictum est in opere de dentibus.

Sequitur retentio, quæ est pars attractionis, & finis eius. Cùm enim appetat membrum aliquid : habitum cupit etiam retinere. Fit ergo eisdem modis : sed litigant aliqui, dicentes in attractione tendi fibras longas, in retentione obliquas. Aliqui tamen volunt ex transuersis expellentibus, & longis trahentibus, simul extensis fieri retentionem, & in attractione humidum, iuuat ob id, quod res facilius labitur, & quod membrum magis distenditur : sed nocet, quoniam membrum est debilius in trahendo : loquor nunc de attractione, quæ fit per fibras, sicut in gula, ventriculo, intestinis (quamuis sint, qui negent intestina habere vim attractricem) vesica, & huiusmodi. Siccitas autem contrariis rationibus iuuat, & nocet cum tamen fuerit valida plurimum nocet. In attractione autem partis aquosæ calor (vt dixi) & siccitas plurimum possunt : alimenti quoque, sed per accidens nocet, quia trahit confertim & obstruit, & non potest concoqui. In attractatione autem per consequentiam illa fit à musculis, ideò requiritur temperamentum partium, & calor multus influens. Humida si sint membra, non habent motus validos, sicca habent, sed celeriter corrumpantur, & debilitantur. Retentrix ergo virtus à siccitate moderata iuuatur in fibrarum operatione : immoderata autem qualitas deiicit omnem actionem propriam cuique membro. Secunda Aphorismorum, & est generalis in qualibet etiam specie harum facultatum. Retentio autem spiritus indiget robore musculorum : Alimenti autem à calore minore melior est ob id, quòd non expellitur. Et ideò videmus in frigiditate ventriculi retineri cibum, tum etiam, quia membrum constringitur. Vnde in retentione quauis partes constringuntur. Hæc prima est post concoctricem, quæ debilitatur, quoniam eius functio diuturna est, & continua, & ob id in ægris, & senibus prima est (vt dixi) cuius functio debilitetur post concoctricem, non tamen idem dicendum est de facultate, & ideò etiam facilè reducitur verum, non ad perfectam integritatem eadem de causa, quia opus suum laboriosum est ob diuturnitatem, facilè ergo est initium reparandi, restitutio autem ad pristinum statum difficilis. Quòd ad facultatem autem, prima quæ dissoluitur est, quæ ab animali pendet, quamuis in operatione sit magis manifestum, in attractione quidem maioribus viribus egeat : in genere tamen sunt pares : quia non pereunt, nisi compagine membri dissoluta, & eo in casu necesse est omnes perire.

Concoctrix autem (nam hæc ordine naturæ sequitur) licèt sola ex inseruientibus

facultatibus

facultatibus fit absque motu (nam retentrix est etiam cum motu, sed occulto, vt docent Philosophi) fit à calore naturali, qui quanto maior est ex se, eò melius concoquit. Sed cùm est immoderatus, ideò vt consumat substantiam, aut ficcet alimentum, ibi ex defectu substantiæ, hic ex defectu humidi malè concoquit. Sed concoctio non est trium generum, vt reliquæ facultates inseruientes, sed vnius tantùm. Et calor idem si fit cum humido temperato perfectius concoquit: sed minus, si eum copioso data ratione plus: sed non adeò benè. Ostendo autem vtrumque, nam cùm sit idem agens vt supponitur, & humidum retundat illius vim, ergo minus perfectè concoquet, quia tamen plus mollit, plus concoquet. Et ita breuiter vos docui, quæcunque possunt dici, de concoctione in pueris, qui plus iuuenibus concoquunt, sed imperfectius. Contra iuuenes pessimè, senes quia calor est minor, & humidum non copiosum, vt in pueris, nec temperatum, vt in iuuenibus: melius tamen concoquunt ficca familiaritate substantiæ. Concoctio autem est opus naturale, æquale in omnibus rebus, quæ per calorem deducant rem ad suæ substantiæ similitudinem: calor enim quiuis, & igneus, & putridus, & naturalis, cupiunt assimilare id, quod patitur ei, à quo prodeunt: quia si se seruant in illo cum cupiant se seruare, omnia, assimilare conantur ei à quo prodeunt. Sed quod de solari calore, nunquid cupiet efficere alium Solem, aut similem substantiam solari? Respondeo quod ille calor non est solaris vt eiusmodi est, sed aëreus, & ideo cupit reducere materiam subiectam in aëris naturam, non est ergo concoctio res quædam propria, quoad finem, sed actio propria cum fine communi, tùm à causa, quia est vt agens efficiat simile, & illud simile aliud simile. In calore autem proprie (vt dixi) & ideò etiam generatio est simili duplici causa tum generali, quoniam omnis actio est ad simile, tum quia generatio indiget calore, & calor intendit generare sibi simile, vt diutiùs possit permanere. Prima autem est, quæ debilitatur inter alias functiones in ægris, & in senibus, quoniam si prima post ipsam, debilitatur retentrix inter cæteras: & coctionis opus indiget retentricis opere: igitur coctionis opus primum debilitatur inter reliqua, & illud solet antecedere flatus. Vnde flatus multus in senibus est signum imbecillitatis concoctricis, totius tamen functionis abolitio seu facultatis etiã est vltimum omnium aliarum, quia non viueret, nisi nutriretur: nam anima quæ nutrit semper est in actu, dicebat Auerroës primo de Anima. Similiter restituitur facilè etiam ab initio, quoniam actio eius est familiaris naturæ, & minus laboriosa, vt etiam retentricis, quia consistunt vna in quiete prorsus alia in motu occulto, sed restitutio integra est difficillima, & longa, tum quia opus suum est laboriosum, tum quia præsupponit restitutionem duarum aliarum facultatum per se attractricis, & retentricis: expultricis autem non per se: Est autem retentricis facultatis duplex munus retinere & complecti: hoc autem multum refert ad coctionem, vt tertio de Facultatibus naturalibus, *cap.* 4. & alibi sæpe. Vnde vitiata retentrice magis ob secundam expultrix insurgit, & ejicitur cibus ante tempus, quia corrumpitur, & fit odiosus: qui ob impedimentum primæ functionis.

LECT. XVI.

Super

EODEM TEXT. XVII.

INde sequitur expultrix, quæ est difficilioris cognitionis, & plures etiam habet causas, & cognoscendi, & rei quidem, quia omnes eas habet, quas attractrix, & retentrix, & præter eas. Flatum hic enim impetu suo cogit exire, contenta etiam inuita natura, sed hæc species expultricis non propriè naturalis est: cognitionis autem, quia ad expellendi actum necesse est, non solum præcedere cognitionem noxij præsentis, vt in attrahendo, sed exigitur aliquid plus, quoniam ex iucundo, vbi transierit in molestum, vel etiam inutile statim protruditur. Cum enim ventriculus sibi connexerit, & quod satis est attraxerit pro alimento, non videtur bonum ei amplius retinere, quòd superest, ideò vt odiosum expellit, nisi forsam in grauitatem quis retulerit. Alias disputauimus abundè an particula vlla ex Galeni sententia in alia protrudat, quòd continet, visumque est, quod solum, quæ indigent trahant, non quòd particula ipsa transmitat, nisi cum protrudendum prorsus extra corpus, velut intestina fæces, vesica vrinam, cerebrum mucum, pulmo, screatum totum corpus sudorem hæmorrhoidarum, venæ, & vteri, & nasi sanguinem. Vnde enim hæc exibunt, nisi protrudantur? At verò intùs sufficere solum attractionem mihi videbatur, tandem tamen ex quodam fragmento, hoc genus expultricis etiam apud Galenum inueneram, sed satis obscurè. Nunc verò clariùs id interprætabor. Etenim Galenus expultricem admittit, & fatetur, quod membrum expellat, quæ superflua sunt: non tamen ita inquit vt transmittat ad aliud membrum vtilitatis illius gratia: sed quacunque potest illo ad quod truditur rapiente. Atque sic is motus ex duobus componetur, iuuabitque alter alterum communi scilicet, quo membrum expellit, quacumque eat quod truditur, & proprio, quod trahit à particula. Et fuit sententia Hippocratis *paulo post medium*. primo de diæta. Ex qua apparet clarum discrimen in hoc expultricis, atque attractricis: nam facultas, quæ attrahit, tanquam vtile sibi trahit, quæ verò expellit, non ad certum membrum, vt illi proficiat protrudit: sed solùm vt se exoneret, ex quo manifestum est, quod iam antea diximus, scilicet in retentione esse laborem quendam, atque motum obscurum tamen Vnde cum primum cessat vtilitas ab eo, cupit se exonerare verba illius ex tertio de Facultatibus naturalibus sub-

iicere oportunum duxi. [Singulæ enim particulæ vbi conuenientem succum attraxerunt, deinde ex retento fructum cœperunt: totum quòd superfluum est: quàm possunt celerrimè, cõmodissimèque pro superuacui ipsius huc illuc ve momento abiicere properant. Eóque ventriculus, quod excrementorum in eo fluitat, per vomitionem expurgat: quod subsidit alui deiectione. Atque id est, quod animal esse nauseabundum ventriculus, scilicet vt per vomitionem vacuetur impetum capescere. Ergo tantam violentiam, vehementiámque excretiua vis obtinet, vt vbi in morbo, quem ὦκον Græci vocant, transitus omninò præclusus est, vomatur stercus. Et rursus ibidem. Cùm itaque particula quæque similiter ventri appetat vtique & nutritur, & nutrimentum amplectitur ad eundem, quo venter modum, id vndique constringit. Consequitur autem necessario hoc opus cibis quidem ceu prius est dictum, vt concoquantur ventre, scilicet non iccirco circa illos se contrahente, quò reliquis partibus eos reddat accommodos (Sic enim non tam naturale esset organum, quàm animal, quod ratione, mentéque præditum, quòd melius est eligeret) Verum ipse iccirco circa cibos se constringit: quod totum eius corpus, & attrahendæ propriæ sibi qualitatis, & eadem fruendi, sicut ante monstratum est, vim obtineat. Accidit verò interim, vt cibos alteret: iam verò vbi impletus, satiatúsque eorum humore est pro onere eos de cætero habet: Ergo quòd redundans est, statim abiicit, ac deorsum trudit: ipse scilicet ad aliud opus, nempe vt agglutinet conuersus. Hoc in tempore nutrimentum cum per tota intestina permeet per vasa, quæ ad ea pertinent rapitur: plurimum quidem in venas, exigua quædam portio in arterias: ceu infra mox docebit? Iam hoc tempore etiam intestinorum tunicis apponitur? At mihi omnem (videtur) iam naturæ circa nutrimentum operam in tres temporum vices cogitatione partire. In prima quidem simul, & manere id in ventriculo, & concoqui intellige: tunc ventri ipsi ad saturitatem apponi; aliquid verò eius etiam ad Iecur ascendere. In secunda transire id ad intestina, iisque ipsis vt iccirco ad saturitatem apponentem portiunculam eius exiguam in omnem corporis partem ferri. Porrò hoc tempore, quod in primo est appositum in ventriculo affigi intellige. In tertia verò temporis portione ventriculum quidem iam nutriri iis, quæ affixerat planè sibi assimilatis: affigi verò tam iecinori, quam intestinis, quæ iis fuerant appositi: præterea in omnes corporis partes digestionem, appositionémque fieri.] Constat ergo de hoc ipso vt vno exemplo loquar (nam quæ via veri docendi eiusmodi est, vt vno perfectè explicato omnia ad eius normam intelligantur. Namque si singula quis enarrare voluerit, nil ampliùs efficiet, & librum tamen in immensum augebit: sin verò diuersa, sed imperfectè singula cupiens omnibus satisfacere, difficillima reddetur doctrina, & nihilo seciùs tota erit imperfecta) quod expulsio cibi è ventriculo, & attractio eius à iecore duobus motibus constant: vno quidem, qui fit per fibras confertim, à ventriculo, neque enim expulsionem conueniebat sensim fieri, vt neque attractionem confertim. Nam in hoc, & coctio impediebatur, & obstructionum periculum erat in illo: membrum fuisset impeditum diutiùs, & mala etiam qualitate affectum. Cùm verò duo hi motus nullo modo inter se conuenire possent, vt confertim aliquid ab vno membro expellant, & simul sensim trahatur ab alio, necesse fuit quietem intercedere, quæ fit chylo translato ad intestina maximè Ileon, atque ita diuisus chylus per sinuosam reuolutionem, atque in eo quiescens, tum in aliis intestinis trahitur ab ipso iecore, ita compensata ratione motus illi sibi inuicem famulantur. Vnde perspicuum est, quod ab initio intendebamus duo tantum esse genera expulsionis, cum attractionis sint tria, neque enim est vlla expulsio, quæ à calore sensim fiat, sed omnes vel à fibris confertim, vel subsidente membro vel à lacertis seu musculis: Vnde hæc tertia loco alterius quæ deficit substituitur: hinc etiam patet defluxiones quæ sensim fiunt, velut sanguinis hæmorrhoidalis, mensiũ, pituitæ per aluum, per nares, non esse naturales simpliciter, sed confertim factas, verum impeditas aliqua causa, veluti angustia venarum, lentore materiæ paucitate atque huiusmodi, secus fiunt omnes ex propria grauitate, aut flatu, aut proprio impetu materiæ, nam neque hic deest in corporibus animalium, vt materia per se, vel calore, vel grauitate motum citat: sicut videmus in vaporib. qui ex aqua ascendunt ex pluuia: quæ rursus sponte descendit nemine protrudente, fiunt & aliæ ob contentricis facultatis imbecillitatem: idque proprium est earum expulsionum, quæ sensim destillant (hoc enim frequentius est) tum materiæ pondus, ac fluxa natura: vel leuitas cum impetu iuncta, quam quod naturæ conetur confertim expellere, & impedita hunc motum defluxionis paulatim efficiat. Sed emergit dubitatio, quomodo materia protrudatur à corde ad cerebrum, à pulmone ad fauces, aut contra in angina? quia cum membrum non mittat ad locum certum: neque cerebrum, aut fauces trahunt, quia non trahunt, nisi vtile: igitur non poterit transmitti? respondemus quòd quatuor modis: primum ex dolore. Natura enim trudit sanguinem, dum properat cãusam doloris expellere in membrum aliud 3. *Meth. cap.* 4. Secundum, quia materia, aut vapor leuis est, & ascendit: aut crassus, & grauior, & descendit. Tertium quia membrum ad quod transmittitur est calidum, & ea causa trahit vtile, & inutile, cum vicerit propriam membri naturam. Quartum quia alia membra validiora dum expellunt in illo conflictu truditur in imbecillius. Ex tribus vltimis causis fit vna (dixi) historia virtutis expultricis: non vt reliquarum facultatum simplex, & perspicua, sed varia, & difficilis, & obuoluta: atque etiam vt ita dicam obscura. Eiiciuntur ergo à musculis primum fæces, quoniam confertim expelli opere pretium

tium erat, ne noſtra vita perpetuo in expellendis fæcibus eſſet occupata: tum etiam ob inuolutionem inteſtinorum, & ipſorum excrementorum duritiem, idque opus ponatur pro primo expultricis genere. Sed tamen ne ignores perſæpè hoc munus etiam eſſe ſolius facultatis naturalis, vt in fluxibus ventris cum etiam nobis nolentibus per fibras ſolas inteſtina fæces eiiciant. Adeò vt ſint tres modi expulſionis: fæcum per ſolos muſculos cum natura torpente ad munus, timentes nobis conſilio conamur eas expellelere per ſola inteſtina, cùm velut in fluxibus fæces nobis inuitis emittimus, & per vtrumque cum natura mouet, ſed ob anum conſtrictam non poſſumus: tunc compreſſis muſculis ventris adiuuamus opus. Secundum verò eſt, quòd fit à fibris vt dictum eſt comprimentibus, vt dum cibus epiloro protruditur ad inteſtina. Eſtque alius modus, dum vomitu, quæ in ventriculo contenta ſunt, eiiciuntur: neque enim per muſculos is motus fit, qui nulli ſunt huic operi delegati, neque per ſolas fibras, tantùm enim impetus concitare non poſſunt. Sed eſt genus motus voluntarij: cuius inditio eſt, quod imaginantibus nobis perſæpè excitatur etiã nulla noxa in ventriculo recepta: ſed & non ſine ſenſu noſtro vomitus fit, quòd verò huiuſmodi eſt ad facultatem animalem pertinet. Namque excretio, quæ per pilorum fit omninò ſenſum noſtrum latet. Fit ergo eiuſmodi motus à parte carnea, quæ in exteriore regione ventriculi eſt: eaque vicem gerit muſculi: ac in functione: vt medium quiddam etiam ſit functionis naturalis atque animalis, eius tamen initium animale eſt. Cauſa verò naturalis poteſt eſſe actio miſta ex vtroque: quod enim incitetur, quod inuertatur fundus hoc animale eſt: & ad eam facultatem pertinet: quod abhorreat contentum ſiue cibum, ſiue humorem, quódque inuerſus conſtringatur, & expellat hoc totum naturalis facultatis eſt, ac functionis. Tertium exemplum eſt in expulſione ſpiritus, quæ fit ſubſidentibus pectoris partibus, atque ob id etiam pulmone conſtricto. Pectus autem ſubſidet, vel ſponte grauitate ſua, vt ſecundo de motu muſculorum habetur: vel ſi opus ſit celeritate coadiuuantibus muſculis intercoſtalibus, vt in vocibus magnis, atque clamoribus.

Ex hoc liquet expultricem facultatem nihil cum calore habere, niſi forſan, vel ſumamus calorem pro virtute. Virtus enim quò validior eſt, proculdubio vehementius expellere poteſt: aut quoniam calor ipſe mordeat, & excitet facultatem vt debilem, & acri humore: aut quoniam flatum citat, ex quo (vt dixi) imago quædam functionis ipſius expultricis adueniat. Flatus enim omnia hæc pulchrè referre poteſt, hoſque motus efficere: velut Hippocrates teſtatur *in libro de Flatibus* longo ſermone. Liquet igitur cur Galenus hanc rem de calore, quomodo adiuuet expultricem facultatem inuoluerit. Nam eſt, vt in prouerbio, qui quærit nodum in ſcirpo, & Mariam Rauennæ, cùm nulla eſſet eiuſmodi: ita nulla meta caloris, vel augere, vel minuere opus facultatis expultricis poteſt, nec ipſam reddere robuſtiorem: niſi (vt dixi) centies, quatenus frigiditas, aut immoderata quælibet qualitas diſſoluit inſtrumentum, atque illius omnes ex æquo fermè functiones. De ſicco autem, & humido alia ratio eſt: inſtrumentum enim moderatè ſiccum, & temperatum procul dubio validius eſt, non ſolùm in huiuſmodi functione: ſed & in attractione, & retentione: plus tamen iuuat ſiccitas opus contentricis facultatis, quam expultricis: inde expultricis, quàm attractricis (loquor de ea, quæ per villos fit: nam de calore iam diximus, nullam eſſe ei partem in expultrice facultate, aut functione) Quocirca meritò iam dubitare expedit, quónam pacto in mortuis fiat expulſio excrementorum, & per vomitum, & per ſeceſſum, tum etiam crepitus ventris? Idque contingit à frigore: conſtrictis enim membris, atque fibris maximè adiuuante flatu, tales expulſiones contingunt magna cum admiratione. Oportet autem ad hoc tria concurrere flatum, materiam multam, liquidam, & refrigerationem celerem: quæ contingere ſolet vbi calor in materia aquea, aut ſeroſa conſtitutus ſit. Celeriter enim refrigerant membra, & antequam ſponte exoluantur: quæ verò ſecùs accidunt, & ſenſim proueniunt effluxiones ſunt ob multitudinem liquidæ materiæ, debilitata concoctrice: ſicut accidit, vel cibato ægro nimis copiosè, vt fieri ſolet, aut rupto aliquo abſceſſu, aut ex tranſlatione cadaueris propter motum & ſitum. Idcirco ex omnibus his colligere licet differentiam functionis à facultate: functio enim primùm ſemper facultatis munus eſt, ſed imago functionis non ita: velut quæ ex flatu, aut imbecillitate contentricis facultatis deſtillatio prouenit, aut vomitus imaginem præbent expulſionis, & functionis expultricis facultatis, non tamen ſunt opera eius, neque functio dici poteſt. Rurſus functio multis modis præpediri poteſt, corrumpi, tolli illæſa facultate. Et modi quidem, quibus functio lædituꝛ, diuerſimodè iam nimis noti ſunt: facultas autem non poteſt lædi ob animam etiam ſi anima mortalis eſſet, niſi ea prorſus diſſoluta, & iam mortuo homine, quanto minùs cùm ſit immortalis. Sed neque ob functionem dici læſa poteſt, relinquitur ergo vt læſa tantùm, aut ſublata dicatur, quando proprium inſtrumentum fuerit in ea parte ſimilari, ita diſſolutum, vt omninò extra naturam ſuam fuerit: nec ſubſtantiam debitam retineat, vt primo ac ſecundo Methodi de chryſtalloide. Nec ergo calor, aut frigus obſunt facultati, ſed bifariam nocent, aut functioni ſolum, cùm ſint inſtrumentum eius: aut etiam corrumpunt facultatem non per ſe, ſed corrupta ſubſtantia proprij membri. Diximus enim facultatem eſſe vim animæ, communicatam membro, tanquam ſubiecto, & ſpiritui tanquam medio per vitam. Et facultates quidem magis iunctæ ſunt in origine: quia cùm ad animam referuntur, omnes vna ſunt: propriè tamen magis diuerſæ functionibus: quia diuerſæ prorſus natura ſunt inter ſe, & ſimplices. Functionum autem

autem varietas magis, quàm facultatem perſpicua eſt ſenſibus: opere autem ipſo,& naturæ munere minus. Nam idem chylus ſimul expellitur à ventriculo, retinetur ab inteſtinis, trahitur à iecore.

LECT. XVII.

Super

EODEM TEXT. XVII.

SVpereſt, vt dicamus, de facultatibus animalibus, quæ diuiduntur in motrices motu voluntario, & in ſenſitrices, & ea, quæ ſentit eſt duplex, quæ ſentit præſente obiecto. At illa diuiditur in quinque ſenſus: alia verò ſentit abſente obiecto, atque illæ tum ſedes earum multipliciter variantur numero. Quidam enim tres, quidam quatuor, aut quinque. Et quia hoc eſſet magnum Chaos, ideò oportet ſingula capita diſtinguere, nam principalia fuere tria. Dico ergo quòd in nobis tria ſunt genera motuum naturalium. Et ſunt poſt violenti à grauitate, & à flatu, & quidam motus etiam eſt à grauitate naturalis, vt deſcenſus pectoris: qui licet ſit à grauitate eſt tamen naturalis ratione finis, qui eſt vtilis homini. Motuum igitur localium naturalium vnus eſt à facultate naturali, de quo dictum eſt: Alius à vitali de quo mox dicemus. Tertius eſt ab animali, & iſte eſt multiplex, atque adeò diuerſus, vt plures dubitauerint de illis. Primus ergo eſt notiſſimus, qui fit à muſculis, vel quia id, quod mouetur ſit muſculus: hoc enim eſt generale in huiuſmodi motibus, quòd muſculus per ſe moueatur, ratione qua motum effic it: membrum autem per conſequentiam: ſed ratione finis mouetur membrum per ſe: quia hoc intendit natura principaliter: muſculus autem illi famulatur: Declaraui etiam aliàs modum, quo membrum mouetur à muſculo, ignorantibus nobis talem muſculum: quia anima, quæ eſt in membro, ſaltem per facultatem mouet membrum, motu imperante,& initium præbente, vnde muſculi illi delegati, ſtatim poſtmodum tanquam admoniti illum perficiunt, & motum deſcenſus (vt dixi) adiuuat grauitas membri. Et ſecundus motus eſt in quibuſdam partibus ſecundum voluntatem, & non fit per muſculum ſecundùm illos, quia muſculus ſemper mouet trahendo verſus principium ſuum, ſed lingua mouetur dum exeritur, ita vt vel à nullo muſculo moueatur, aut ſaltem non ſe trahente verſus principium ſui ortus: contraheret enim illam. Et hanc difficultatem attigit Galenus *in libro de motibus manifeſtis & obſcuris: c.* 5. quocirca etiam vt refert in Primo de motu muſculorum, nonnulli opinati ſunt linguam totam eſſe vnum muſculum,& ideò tota ſemet poſſit mouere: *c.* 4. quòd ni à Galeno negaretur, forſan quæſito aliqua ex parte ſatisfacere poſſemus. Hoc quidem etiam paulò antè attigerat: ſed ſuo more ad difficultatem conniuens illam ſubter fugit *c.* 3. Id idem agit vbi ex propoſito rem tractat tamen cum præterire non poſſet cauſæ inquiſitionem omittit. Sed neque Veſalius 2. *de Fa. corp. Hum. c.* 19. & 23. quicquam affert, cùm non potuerit etiam latere hæc quæſtio iam à Galeno mota. Verum videtur eadem eſſe difficultas de motu brachij, cùm extenditur, vel in rectum, vèl in ſublime: Nam infra extenduntur brachia pondere ſuo: cum motui aſſueti muſculi etiam ſupra attollunt: medio quidem eius, qui ſecundus in ordine oritur à iugulo, & ad ſcapulam protenditur, in altúmque brachium erigit. Et vt mihi videtur eſt etiam vis quædam in muſculis qua ſe extendant, non ſolum cõtrahant ad ſuum principium, atque ita brachium: & lingua, quaſi diſtentis muſculis tenduntur 1. *de motu muſculorum. c.* 6. Quamuis enim conetur tueri extenſionẽ fieri per muſculos externos, tamen aliud eſt directio membri, aliud extenſio, vt luce clarius eſt: nam per muſculorum opus ſemper membrum decurtatur, dum laxatur fit longius. In extenſione non ſolùm tenditur, ſed fit longius, & de hoc eſt quæſtio. Ideò dico quòd hæc quæſtio pendet ex prima: nam mẽbrum dum cupit extendi, inchoat motum, quem muſculi poſtea cõplent: ſed quia hic motus eſt contra eorum naturalem inclinationem, ſcilicet vt ſe cõtrahant ad ſuum principium, ideò motus extenſionis eſt imbecilliſſimus omnium motuum in homine,& maximè fatigat eum adeò, vt ſit experimentum præcipuum robuſtiſſimorum virorum. Dico ergo breuiter quod motus linguæ dum exeritur,& mandibulæ inferioris, dum ante protenditur, & brachiorum fiunt ab extenſione muſculorum, & quod quilibet muſculus habet duas functiones: vnam qua retrahit ſe ad ſuum principium, & eſt validior: aliam imbecilliorem, qua extenditur: & hoc eſt, quia eſt inſtrumentum voluntarij motus ergo habet facultatem ad oppoſita. In hoc enim differt voluntas animalis ab appetitu naturali, quoniam illa eſt, ad vtrunque oppoſitorum naturalis ad vnum tantum: ergo Galenus cogitur fateri vnum ex his tribus, vel quod muſculi non mouentur à voluntate, ſed à natura: vel quod voluntas non poteſt ſuper oppoſita: vel quod membra non mouentur à muſculis, ſed ipſa mouent muſculos. Quæ omnia cum ſint abſurda, & quòd videmus ſit contra ipſum de motibus iſtis: liquet muſculos omnes bifariam à voluntate moueri, ſed natura ob membrorum grauitatem, & vt motus eſſent validiores addidit muſculos ex aduerſa parte: ideò linguæ eductio ex ore imbecillis eſt, ſed nulli vſui neceſſarium erat, vt motus ille eſſet validus, aut quod impetu extenderetur, aut tenſa eo modo maneret. Et certè cui cordato viro in mentem venire poſſet, vt natura parti alicui motum vnum dediſſet, à quo non poſſet niſi per aliam liberari? Tertius motus eſt reſpirationis, qui cùm fiat nobis dormientibus,& profundè, difficile eſt tueri, quonam pacto à voluntate proficiſcatur. Nam & ſæpe citra voluntatem deſiſtit, ſæpè mouetur, ſæpiùs variatur nobis non aduertentibus, & in his, qui deliraut. Quamobrem melius eſt concedere vim naturalem

naturalem musculis, qua moueant in his, necessaria sunt. Atque hanc subiectam tamen voluntati vt augere, minuere, cohibere, variaréque possit pro arbitrio: secùs suo munere fungatur: vt sit persimilis virtuti cordis, partim cæterorum musculorum, atque ita mista: Neque enim exemplum quod adduxit de seipso cum dormiens ambulauit simile est: quoniam & si dormiret, tamen imaginabatur, atque ideò fungebatur vice ac muneribus vigilantium. Quin etiam dormiens quandoque mouet crura, brachiáque, vel quia somniat, & tunc voluntarius est motus, ille vel citra insomnium ex offensa, quoniam instrumenta illa parent virtuti sensitrici. Quartus motus est titillationis, qui est voluntarius eo modo, quo etiam contractio membrorum ob punctionem. Est enim & in titillatione molestia, & non leuis licet voluptati iuncta adeò, vt aliqui præfocentur. Quintus est singultus, tussis, oscitationes, qui sunt naturales, quoniam voluntati minimè obediunt, nisi medio alterius, velut & vomitus. Vomitus aliquando mouetur ex phantasia, quam quidem vocant imaginationem: ergo vomitus & tentio virgæ sunt sub eodem genere reponendi. Nam sunt naturales, quia nobis non cogitantibus adueniunt, dicuntur tamen voluntarij, quoniam cor, quod est principium omnium operationum mouetur ab illis imaginibus sicut etiam in timore, de quo dicemus. Tussis tamen & singultus sunt prorsus naturales. Sextus est excretionis fæcum, de quo supra dictum est.

Sensus autem exteriores habent vim ab anima, & subiectum proprium, & cognoscunt sensilia propria per se, & communia, & priuationes. Sensilia communia sunt magnitudo, numerus, figura, motus, & quies: hæc dignoscuntur secundo & minùs distinctè quàm propria sensilia, quoniam propter illa. Ita vt nisi oculus agnoscat colorem, non potest cognoscere motum, neque magnitudinem: magnitudinem igitur cognoscit, quia huius coloris & minus quàm colorem, & neque adeò distinctè, neque certo, sed sæpiùs fallitur vt bifariam præcellat cognitio proprij obiecti eam, quæ est communis, scilicet quòd per se, & primo vnde etiam magis priuationem sensus non agnoscit, vt pote tenebras oculus, silentium auditus: sed interior sensus destitutus illa voluptate, quam per exteriorem sensum percipere assuetus erat. Ita censet Priscianus in primo de Anima.

De interioribus autem sensibus magna lis est: primum de numero, quidam enim posuerunt tantum tres memoriam, phantasiam & rationem. Quidam addunt sensum communem, alij etiam intellectum: nos verò & habitum quendam scimus inesse toti corpori, non solum memoriam: qui in vsu positus est: adeò vero à memoria alienus est, vt si coneris recordari eorum, quæ didicisti in cheli pulsanda, etiam amittas habitum, quẽ habebas. Secunda quæstio est de loco harum facultatum, an sint in cerebro, vel in ipsa anima? Et si in cerebro, an toto, an parte aliqua: & si in parte aliqua, an habeant sedes distinctas? Deinde si in toto, singulæ vel eadem parte, an omnes in eadem? Tertia est, quomodo natura differant? & an intellectus sit idem cum facultatibus aliis, vt videtur velle F. Et ad hoc adducit hanc rationem: vniuersale si sit, est imago. Communis multis eiusdem naturæ, sed hoc apprehenditur à phantasia: distinguitur, aut iungitur à ratione: reponitur à memoria. Et similiter incorporea non cognoscuntur à nobis, nisi per imagines à sensu perceptas: ergo nullus intellectus præter has tres facultates est necessarius. Et cùm quispiam habuerit has tres virtutes perfectas, dicetur esse præstanti intellectu. Cùm enim in omni genere cognitionis seu per sensum exteriorem, seu interiorem sit delectatio, per se in operatione, & tristitia, vel ratione instrumenti, vel ratione annexi cum obiecto: vt si sit immoderatum, aut connexum rei odiosæ, aut ratione priuationis; in qualibet etiam facultate, seu quæ cognoscat verè, vt sensili, seu naturaliter tantùm adest voluptas, & dolor, & in obiecto triste atque iucundum: atque ita desiderium & odium, ideò in phantasia est vis ad vtrumque horum: & hæc est voluntas. Et hæc Fracantianus ex opinione antiquorum falsa, & ridiculosa indigna puero toties iugulata ab Aristotele, & quod maius est à sensu ipso. Homo enim intelligit verè, & procedit intelligendo vsque ad Deum benedictum, & voluntas, quæ non potest seligere aliud à sensu est voluntas suis & non hominis, sed ignoscendum est antiquis eo sæculo non plus scientibus. Est postmodum tertia facultas, quam vitalem vocant, cui Galenus duas partes tribuit, motum scilicet cordis, & pulsus, qui est vnus, & fit eodem tempore, & ideò per regulam Geometricam etiam inter se, & conueniunt in eleuationis, & depressionis tempore, non tamen in magnitudine, neque robore, neque æqualitate, nec plenitudine, quoniam potest esse materia, aut inflammatio in vno latere, & non in alio, & ob id non diligenter inspicientibus videtur varietas in celeritate, aut frequentia inter pulsus diuersorum laterum: alia facultas propriè dictur vitalis, per quam homo viuit: sed quoniam medici eam spoliauerunt omnibus viribus, cum & sensum, & motum tribuerint cerebro, & facultati animali, & reliquas vires: puta generare, concoquere, nutrire naturali & iecori, ob id non habent quid dicant de hac facultate, quam ponunt in calore cordis, & motu illo perpetuo, quem etiam si potuissent illi ademissent: sed cùm fiat in ipso corde non reliquerunt, nisi has duas facultates nudas illi. Nec est locus disceptandi cum eis in tam fœcunda historia, qualis est hæc, sed adiicere duntaxat volo, quæ sint necessaria illi. Primum ergo scire decet, quòd vitæ partes necessariæ *vt habetur in libro de Medicis Diffinitionibus 6. de tuenda Sanitate.* sunt cor, cerebrum, iecur, pulmo, & ventriculus: quia horum tria sunt principalia, reliqua duo subministrant eis alimentum: nam cerebro cor, & iecur: & ipsum per se sibi subministrat aërem, aut vt aliàs dixi, pulmo. Hic posset meritò quæri, quandoquidem

doquidem vitalis facultas à pulmone per respirationem sustineatur : eius autem proprium munus sit pulsus, quodnam horum sit magis ei necessarium? 9. *Methodi. cap.* 10. Nam videtur magis proprius pulsus: cùm tamen sine pulsu per tres dies viderimus ægros viuere sine respiratione, ne per horam quidem. Sed non credendum est in illis cessasse pulsum cordis, vt corporeum, neque enim sine pulsu cordis, vel tantillum viuere possunt. Propterea cùm carporũ pulsus cessat, cordis regionem explorare oportet: nam si frequens sentitur iam res in extremo est: si solum paruus, sed velox aliqualiter, nec multum tardus, nec frequens viuere adhûc potest. Et licet cor possit pulsare cum arteriæ ex toto cessant, si tamen per quædam interualla cesset solum motus arteriarum & non sit vitio membri, tunc necesse est eadem sentiri differentias in motu cordis. Propter ergo motum hunc tam validum, & caloreũ, qui vice ignis depascitur corpus, non propter alias facultates solùm est necessarius cibus in ægrotantibus. *com.* 44. Primo de victu in acutis, quem si non dederis duo maximà pericula imminent, scilicet: vt vel concidat motus, & illico suffocetur: aut ne calorem suum subtrahat, per quem naturalis facultas manet, & cesset coctio, & æger ex morbo pereat. Cordis autem munus est per arterias vitalem spiritum delegando in quibuscunque membris vitam influere, atque retinere, & hanc maximam functionem dicit Galenus fouet, & excitet frictio, ita versa vice à quibuscunque immodicis euacuationibus euertitur. Secundo ex doloribus acerbissimis, præcipuè internis, etsi cum febre sint. Tertiò ex intemperiebus, vt primo ad Glauconem, & eius propriè dicit indicium est pulsus, Dico magis roboris tamen: aut saltem euidentius, quam imbecillitatis.

LECT. XVIII.

Super

TEXT. XVIII. & XIX.

Succi corrumpentes, & totum, & partem: & extrinsecus, & intrinsecùs.

CVm declarasset quod alimentũ est, quod facit ad exile, quod forsan melius æquiuocè posset dici alimentum, aut tanquam contrarium, quoniam non vice fungitur alimenti, sed destruit, vel quia dissolutum antequam apponatur, & perinde est, ac si non esset omninò, vel quia appositum corrumpit, seu sit primum, seu vltimum alimentum. Per primum intelligit, quod futurum est alimentum, scilicet cibus, vel etiam potest dici humor, & similiter quod simile est alimento, & est humor secundùm vnam expositionem alio modo alimenti excrementum vtile, sicut semen & lac, de quibus dictum est hîc declarat, quomodo succi reddant exile corpus non dissoluti, sed appositi. Erat enim illud membrum obscurius diuisionis in primum alimentum quod dissolutum est, vel appositũ, aut vltimum dissolutũ, vel appositũ. Est enim secundum membrum vt liquidum est inter quatuor, & dicit, quod quadrifariam corrumpunt succi, & per hoc intelligit reliqua membra, quæ sunt duo: vt sint omninò sex. Primum totum corpus & intrinsecùs, sicut febris, & morbus regius totum corpus: & extrinsecùs, vt lepra, scabies, leucophlegmatia, totum corpus intrinsecus & extrinsecus elephantiasis, propriè partem intrinsecus vt abscessus singuli viscerum: & humores collecti in membro, atque infarcti, aut contenti in cauitate. Item ascites exterius, velut vitiligo, impetigo, herpes, erysipilas: interius & exterius partem in sphado & carcinomate. Hæc hucusque pro textu,

Inquirenda præterea duo sunt. Primum quidem quare corrumpatur totum, aut pars in vno morbo magis, quàm in alio: vel intrinsecus, vel extrinsecus, & circa hoc scire decet, quod vt habetur à Galeno *in libro artis medicæ. cap.* 50. Duo sunt membra, quæ supra totum corpus influunt, & ei humorem subministrant, cor, scilicet per arterias, sanguinem flauum, tenuem, calidum & iecur, sanguinem per venas crassum, rubrum temperatum. Duo quoque sunt genera morborum, vnum quod dicitur fieri semper, & non factum esse, & est febris putrida, hoc igitur genus occupat necessariò totum corpus, & corrumpit operationes, quia cor transmittit per arterias calorem, & spiritum per totum corpus. Cùm ergo sint corrupti spiritus, & sanguis necessariò corrumpit totum corpus intrinsecùs, non corrumpit autem extrinsecus, quia non est morbus factus, vt habetur secunda Aphorismarum. *com.* 22. Quæ verò proueniunt ab hepate trifariam sunt: aut enim natura est impotens, sicut in morbo regio (& hæc tacta sunt in Promptuario) *Parte.* 2. quia non potest extrinsecus transmittere & ita totũ corpus corrumpitur intus, sed non extra, vel potens valdè, & ita protruditur extrà, & fit scabies, vel lepra, vel iecur est potens, sed materia est nimis praua, & multa, & tunc expellitur tenue, & remanet crassum: & pars, & non totum: & ita inficitur corpus intùs, & extrà, sicut in elephantiasi. Si verò non à iecore, sed paulatim collecta materia, non omninò sæua protrudatur ad cutim, fit morbus in parte tantum, & exterior, sicut in vitiligine, & impetigine dictum est & similibus. Si autem natura materiæ non dominetur, fit morbus in parte interna tantum, velut dixi de phlegmonibus viscerum, aut scirrhis, aut ædematibus, vel choli dolore. Sin autem natura valida sit, sed materia nimis contumax expellitur (vt dixi) tenue & pars, & remanet crassum, & pars velut in sphacelo carcinomate, strumis, & huiusmodi, hæc omninò clara sunt, vt dici solet lippis atque tonsoribus. Verùm relinquuntur quædam obscuriora, velut de morbo regio nigro, qui videtur fieri vitio totius corporis intus, & tamen est à liene? & respondeo ad hoc breuiter

breuiter bifariam. Primum quod ille morbus regius est à iecore, quod non potest exonerare nigram bilem in lienem, & ita lien dicitur esse causa morbi regij nigri, per accidens, quia nisi ipse esset obstructus, debilis, plenus, durus: Iecur transmitteret ad ipsum nigram bilem, & ita sanguis repurgaretur, quod idem accidit in vesica fellis comparata ad morbum regium flauum. Alius modus est, quando ex vitio lienis fit niger morbus regius, ipso transmittente humorem, sed tunc fit sensim, & hoc non negauerim, quin sit aliquis morbus communis toti corpori, qui tamen incipit ab vna parte tantùm, sicut accidit in lue Indica, & hoc contingit bifariam etiam: quia membrum paulatim se exonerans, tandem occupat totum corpus, sicut in morbo regio nigro à liene, vel quoniam corrumpitur pars à parte in humoribus, sicut in lue Indica. In veneno autem corrumpente totum intrinsecus, potest contingere vterque modus, imò forsan tertius quidam: nam non est verisimile vt fiat per aggregationem, cùm fiat in paucis horis, neque etiam per contagium, & luem, quoniam talia, quæ sic corrumpunt, communicantur his, qui eos tractant, velut in elephantiasi, & lue Indica, & pestilentia, sed non fit in his venenis. Ergo istud contingit corrupto primo principio, scilicet iecore: nam vt magis incaluerit, ita totum corpus inficiendo sanguinem calore fœdo deprauat. Forsan quis dicere posset, cur non idem possit prouenire concalefacto corde? Dico quod nos loquimur de his: qui ex veneno seruantur, in his enim, qui pereunt non inficior morbum regium etiam posse prouenire vitio cordis, sed tamen prius corrumpitur temperamentum iecoris, quia iecur est imbecillius corde. Secunda dubitatio est de appoplexia, & resolutione vniuersali, & distentione, quæ videntur occupare totum corpus, an sint morbi corrumpentes totum? & dico quod non, quia hîc intelligit Hippocrates, quod succus corrumpat totum, non autem solus morbus: & ideo dupliciter non dicitur succus corrumpere totum corpus primum, quia in rei veritate non corrumpitur, nisi neruosum genus, & non totum corpus. sed quia corrupto neruoso genere perit sensus, & motus, idò cum pereat sensus, & motus in toto corpore, videtur totum corpus corrumpi, sed manet coctio, & calor, sicut prius: neque corrumpuntur ista, nisi per accidens, scilicet corrupta temperie cordis, vel propter consensum simplicem vnius cum altero, id est, cordis cum cerebro, quod & si procul sit, vt dicit Galenus 8. *de vsu. part. cap.* 3. tamen rei veritas est, quod statim communicatur vitium vnius cum altero, si sit magnum, sicut etiam docuit Hippocrates 2. *de par. c.* 7. 6 *Aph.* 48. de cerebro vulnerato, & vomitu bilis. Si enim statim consentit ventriculus aut iecur, quanto magis cor, quod consentit omnibus membris, & sedet, tanquam rex in corpore, vt nihil prorsus contingere possit, quin ipsum sentiat, imò si ipsum non sentiret, esset perinde, ac si non fieret: & hoc videmus in punctione minimi aculei etiam vrticæ, vel rosæ. Animaduertendum tamen est, quod & aliàs dixi Aristotelem non censere cerebrum esse factum tolum refrigerandi cordis causa, vt illi imponit Galenus, sed in tertio de part. Animalium, *cap.* 7. dicit quod ipsum, & cor sunt membra maximè principalia vitæ. Secunda causa est, quare non dicatur succus corrumpens totum est, quia non est succus, qui hoc agat per se, neque qui transmittatur per totum corpus, imò erit exigua portio aliquando, quæ occupabit ventriculos cerebri. Idem dico & magis de morbo comitiali. Non ergo hi tales morbi sunt communes toti corpori, ita vt corrumpant ipsum, sed corrumpunt operationem quandam, quæ est communis toti corpori, eo modo intelligendo vt dixi & hæc distinctio intelligitur à Galeno *primo de locis. & in Arte medica loco adducto, c. vlt.* Animaduertendũ tamen, quod distentio multum differt à resolutione, quia in distentione. verè implétur omnes nerui, & posset appellari succus corrũpens totum si nõ esset quod nõ corrumpit totũ corpus, sed solum neruos, & ideò totũ corpus duos habet sẽsus: vnum vt intelligamus totũ secundùm dimensionem, & hoc modo distentio occupat totũ corpus aliquando: nam est aliqua, quæ occupat solum vnam partem: scilicet posteriorem. Emprostotonum tamen nunquam vidi, & vix ratio admittit: opistotonum & distentionem non ratò, sed hanc sæpiùs, quàm etiam opistotonum, alio modo intelligimus totum corpus, id est, vnã quamque partem non solùm secundum dimensionem, sed secundum compositionem, scilicet, vt corrumpat ossa, neruos, carnes & reliqua. Succi ergo corrumpentes totum, trifariam intelligi possunt, vel vt corrumpant vim, quæ transmittitur in totum corpus, vt in resolutione vniuersali, & attonito morbo, & hoc modo non crediderim debere intelligi: quia neque succi ipsi corrumpunt præsentia sua, neque singulas partes. Secundus modus est, vt corrumpant totum præsentia sua, sed non singulas partes, in distentione hoc modo potest intelligi corrumpi totum: quia Hippocrates tractat res secundum sensum. De tertia interpretatione illa verior est, scilicet vt corrumpat totum, id est, singulas partes à capite vsque ad pedes: & hoc modo Elephantiasis dicetur fieri ex succis totum corrumpentibus, & quod iste sensus sit verior, apparet, quia intelligit de vera coctione, aliter nullus esset morbus, qui corrumperet totum corpus intrinsecus, & non extrinsecus. Morbi enim regij & febris etiam corrumpunt extrinsecus, sed non verè, & ideò hos intelligit per morbos corrumpentes totum corpus tantum intrinsecus: igitur tertius sensus solum est verus. Ex hoc patet, quod cum in apoplexia refrigeratur totum corpus, est signum lethalissimum, quia indicium est, quod cor est perfrigeratum, & noxa peruenit ad membra principalia vt enecta sint, sed & maximus calor, quia significat hominem suffocari ob impeditam respirationem, aut significat Phlegmonem fieri in corde: aut factum esse in cerebro. Circa hoc notandum est, quod succi corrumpunt bifariam totum corpus, & non ner-

ui

ui impediti, vt in resolutione. Primùm, quia succi sunt humidi, & nerui sunt membra, & solida. Secundò quia succi permeant totum corpus secundùm suam substantiam, & nerui hoc non possunt facere, sed solam vim transmittunt. Et ideò sufficit corruptio in altero genere earum, scilicet venarum, vel arteriarum, vt corrumpatur totum corpus, non autem neruorum.

LECT. XIX.

Super

TEXT. XIX.

Spontanei & non spontanei, nobis quidem spontanei, causæ verò non spontanei.

ANtequam ad Textus expositionem accedam, dicendum est de succis. χυλοὶ vocantur, & capiuntur pro quatuor humoribus Superiùs dictum est de his, sed quoniam quædam adiicit F. in expositione aliquid de eis dicendum est, priùs declarata textus sententia, quæ est eiusmodi: *Succi quidam spontanei*, id est, quo ad nos, qui causam eorum ignoramus: comparati tamen ad suam causam non sunt spontanei. Vt verbum *spontanei*, intelligatur, quod cur eueniat non habet rationem notam. Cùm ergo (vt dicebat Philosophus) causæ sint magis notæ naturæ effectus nobis, videbuntur persæpè, quæ eueniunt sine ratione euenire, ac sponte. quæ tamen verè eueniunt per causas suas, ita vt necessariò eueniant.

Ergo vt ad explicationem succorum deueniam, de succis cùm dixisset quod quidam corrumpunt totum, & quidam partem, & quidam intrinsecùs, quidam extrinsecùs, declarat quomodo id agant, vt etiam in sequenti textu quidam, quasi sponte generantur, quidam autem ex ratione manifesta, velut bilis in hyeme, & corpore pituitoso, ob magnam iram, aut cibos, quibus nasturtium multum, aut piper Indum sit mistum. Vel si quispiam tempore veris habitu sanguineo edat fungos salitos, & mala insana, & generetur in eo copia melancholiæ, & nesciat horum ciborum propriam naturam. Dicemus ergo hos succos esse, quinque generum. Primum est cùm substantia eorum est sub forma sanguinis, & in loco sanguinis, in venis scilicet, potestate autem sunt humores: & tales nutriunt propria membra, bilis pulmonem, melancholia splenem, pituita cerebrum, ossa neruos, articulos sanguis, iecur: & quædam nutriuntur à mistis, vt propria eorum natura mista est: velut renes ex sanguine bili admisto, cor ex sanguine admisto flauæ, & nigræ bili: Musculi ex sanguine & pituita: secundum est cùm humores sunt actu eiusmodi, & sunt alterius coloris, & non concrescunt: solus enim sanguis & etiam cum fibris concrescit teste philosopho. Et locus flauæ bilis est vesica eius, & nigræ lien, Græcè splen, & pituitæ (quæ plurima est) ventriculus primum, inde articuli, & cerebrum: & hi humores iuuant, & habent proprios vsus, & nil nocent, modò non exuberent. Tertium est cum substantia eorum est mutata citra putredinem, vt bilis flaua in luteam, & est cum colore proprio spoliatur: Exinde enim si magis vratur, transit in rubiginosam, seu ferrugineam, quod si etiam magis & parum splendida sit, & crassa in rubram: si autem tenuis, & splendida in viridem, & æruginosam: & quæ sic aduritur vix citra putridum calorem, aut auxilium caloris venenosi aduri potest: quoniam natura humana tantum calorem non admittit, qui sit proportione respondens calori viperarum. Et hoc modo transit ad nigrum, aut viride citra splendorem, per fæcem sanguinis exustam terream, vt hæc melancholia assata, aut bilis prassina, vel ratione assumptorũ ciborum, vt olerum agrestium, ratione coloris, & allei, ac cœparum ratione temperaturæ, & porrorum ratione vtriusque: vnde etiam nomen ab eo sumpsit: siquidem prassum apud Græcos porrum significat, & ita etiam mutantur cum coloribus sapores, est & glastea, & cœrulea, quæ ad melaocholiam attinent. Similiter & in pituita, quæ vel lentore sit mucilaginosa: vel densata redditur vitrea: vel siccata transit in tophum, vel superfrigerata fit acida, quæ autem miscetur terreo exusto fit salsa. Aceti autem sapor non est acidus: sed hic est, vt limoni, fructus, & quorundam malorum punicorum, & oxalidis: Aceti autem fit, & à calore externo, & frigore cum sit compositus, & est melancholia. Et si sit horribilis, & fœtidus est à putredine. His enim duobus coniuncta putredini ab his, quæ absque putredine fiunt, distinguuntur: Et ideò etiam salsa pituita quædam est à putredine vt in febribus, & vlceribus pulmonis, cum pus salsum expuitur: neque pus salsum est, sed pituita putrefacta. Fiunt etiam mistiones humorum quatuor pituitæ cum bile, & fit pallida: si vterque humor tenuis sit: vitellina si vterque crassus, quam notissimam appellat Princeps: multo inferior prauitate altera vitellina, quæ fit ex siccata flaua. Distinguuntur facilè cum hæc sit vitellina colore, & substantia concreta, scilicet: illa vt terra, lutea, diluta aqua: aut etiam sicca, quæ deterior est. Et miscetur melancholia pituitæ, & fit humor sanguini similis, sed splendore caret, nec est concreta. Cinereus purus fit exusta melancholia naturali, aut etiam bile ferruginea, aut rubra: sed si maculosus sit calor ex albo, & nigro, & non adsint signa caloris, melancholia pituitæ mista erit. Velut in tophis articulorum podagræ: secùs ratò citra putredinem inuenitur, quoniam duo humores crassi non benè absque calore magno miscentur. Tres etiam rarius tùm ob dissita loca generationis, tum (vt dixi) deficiente calore ob humorum crassitiem, miscentur tamen in podagra, & similibus, cùm fluant sub forma sanguinis, & tamen incalescunt atque putrescunt. Hoc genus humorum est absque vtilitate, & semper cum noxa etiam graui si plurimum abundat.

Quartum

Quartum genus est cum putrescunt humores, & tum fiunt omnes valde noxij. Et primum sanguis transit in vtramque bilem. Secundo de Differentiis febrium. Et pituita fit falsa, & corrupta, & flaua bilis gignit bilem fuscam, quandoque cineream, ferrugineam, rubram: Hæc est pessima, sed caue ne coloris similitudine decipiaris. Ex ferruginea autem fit æruginosa & atra: & cùm putruerint, & denuò miscentur succis aliis, quamuis finita putredine rursus putrescunt, vt tertio Prognosticorum. Neque enim absurdum est cinerem multum aquæ sordidæ mistum putrescere, cùm tamen humor in corpore relictus à putredine non possit assimilari cineri ab igne relicto. Et hoc est quintum genus putredinis, omnium pessimum, cum putridum denuò putrescit, & ei quandoque etiam venenosa qualitas adiicitur: cùm siccitas magna cum tenuitate substantiæ in ea fuerit, & ideò videant medici producentes morbos cùm ex prima putredine decidunt in secundam repetitam, & reduplicatam, quæ fit cum noua mistione. Ni nemo euadit ex illis, & est recidiua lethalis, longè diuersa ab ea, quæ fit ob crudos humores, denuò putrescentes, & in hac reflexa putredine necessarium est, vt sit calor tam tenuis, vt possit putrefacere cinerem illum, & ob id fit noua mistio. Ideò mira est vis huius putredinis, & in variandis coloribus, & substantiis, ac generibus animalium procream dis: adeò vt quemadmodũ dicit Philosophus, ac Theophrastus singulæ quæque species plantarum suam speciem animalis procreent, ita singulæ terrarum partes ranas, mures, mira serpentum genera, cum vermes, & quandoque etiam aliqua nobilia animalia, & in visceribus terræ proportione talia respondent, vt generentur infinitæ metallicorum substantiæ diuersæ, quarum numerus non potest diffiniri, nec vnquam descriptæ sunt: aut describentur. Est enim irritus labor comprehendendi omnia talia, quæ variantur, non solùm ob diuersitatem locorum terrarum, sed respectu profunditatis, & accidentium, quæ eueniunt indies, vt aquarum exactionis, cladis agminum locustarum pereuntium, gelu, piscium ex inundatione, & varietatis temporum in tot sæculis præteritis, & futuris tum natura loci propria montium, syluarum, paludum, insularum, littorum, & huiusmodi. In omnibus tamen his, memento, quod putrida omnis corruptio à calore cælesti regitur parùm aut multum, plùs ac minus, aliter non fieret adeò frequens in putredine herbarum, aut animalium generatio. Pari ergo ratione in corpore humano contingunt diuersa putredinis genera, & inaudita, per quæ humores permutantur: & non solum in quatuor humoribus, sed etiam in iecoribus, & vrina: vnde cum vrina retinetur corrumpitur, & sanguis simul, & humores ipsi corrumpuntur, & pereunt Et similiter fæx si liquida sit, & diutiùs retineatur putrescit, & generantur vermes praui, & symptomata prana. Et idem de pituita cum retinetur in pulmonibus post quadraginta dies putrescit, & facit genus empyematis notbum. Sunt autem verba Hippocratis in primo de Morbis, qui maximè legitimus est. [Fiunt præterea suppurati, etiam si pituita de capite delapsa, ad latus agglutinata fuerit, & putruerit: tunc enim latus inflammatur, vt plurimum, & patitur, quæ ex putredine suppuratur. Et Princeps, & cum retinetur pituita in pulmone, nec expuitur tussi: tunc iam putrescit, & fit putrida, aut hectica.] Idem dico de cerebro & accidunt putredines in humoribus mistis, & sunt deteriores aliis, & incerti exitus. Et omnis putredo humoris interna est, cum periculo mortis, & minus sæua est iecoris biliosi, pòst pituitæ & sanguinis, post bilis nigræ & flauæ, & quæ in vasis propriis vt lienis, & vesicæ fellis, & musculorum spaciis est minus periculosa: & etiam quòd non occidat, non potest esse sine noxa graui, quanto ergo magis, si acciderit putredo in membrorum substantia. Fiunt enim putredines admirabiles in membris ex humorum corruptione: & vidi mira in hoc: quidam enim habent membrum prorsus corruptum, vt in sphacelo, in quibusdam est vomica, in aliis est, sicut caro assata, denigrata: in aliis sicut caries: in quibusdam liuida tantum, in quibusdam caloris arundinei, in aliis mollis solum & flacida, in quibusdam pustulæ, in aliis tubercula, in aliis color viridis, aut niger apparet sine adustione: hæc sunt quæ vidi. Possunt esse, & alia vt lapilli, vermésque.

Circa modò spontaneorum humorum generationem intelligit de præternaturalibus tantùm: nam naturales habent causas notas. Eorum autem, qui præter naturam generantur, & sunt (vt dixi) tres ordines vltimi omnes quidem non possumus dicere spontaneos, velut si cui iuueni natura biliosо, quotidie se in æstate exercenti, vtentique multo pipere eueniat tertiana cum vomitu multæ bilis flauæ, atque secessu, tum demum sudore flauo: nam huic non dicetur euenisse succus spontaneus: sicut neque seni in ocio degenti, natura pituitoso vtente multis piscibus, & cibis ex farina, & lacte multa viscida pituita generetur: Idem degat in cubiculo humili, in quod radij solares non ingrediantur. Nihil ergo simpliciter casu, aut fortuna accidit, sed comparatiuè ad eum, qui non nouit omnes causas, vt bene sentit F. Nam si quis fodiendo terram thesaurum inuenit: casu dicitur inuenisse bifariam. Primum ratione sui, quia non ea mente fodit terram, vt thesaurum inueniret, sed quia conductus, vt domus fundamenta iaceret: alio modo comparatione suppositi, id est, fodiendo terram: in hoc enim non continetur thesaurus, sed in illo, quod foderet terram sub qua est, & thesaurus: tunc enim fossio illa est causa per se inuentionis thesauri: duobus ergo modis comparando fit, & admittitur casus, & fortuna: tertiò non datur.

LECT.

LECT XX.

Super

TEXT. XX. & XXI.

Causæ verò rursùs aliæ manifestæ, aliæ obscuræ.

CVm dixisset quod nihil potest dici spontaneum, id est, absque causa, licet nostri comparatione quædam videantur spontanea: docet quòd etiam eorum, quorum causæ sunt: quædam possunt dici non spontanea, quoties fuerint causæ manifestæ, & ideò ponit diuisionem causarum, dicens, quod earum quædam sunt manifestæ, & quædam sunt obscuræ. Et causarum sunt quatuor genera, vel rerum cœlestium, vel mortalium, vel voluntariorum effectuum, vel mistorum, & cœlestium causæ omninò obscuræ, quomodo enim secus esse potest? cum effectus ipsi nos lateant: Est & quintum causarum genus incorporearum rerum, adhùc longè hoc ignotius. Reliquorum trium bifariam vnumquodque diuiditur in generales, & proprios effectus, & de causis rerum, quæ à voluntate sola proficiscuntur, seu voluntate mista naturæ, non est hic sermo. Sed de his quæ à natura sola: harum generales causæ, velut cur pituita putrescat, notiores sunt propriis, vt cur in Socrate putruerit: tum quia generalia ex pluribus propriis colliguntur, tum quia magis ad mentem attinent, non coniuncta aliis accidentibus: velut in Socrate non solùm sufficit scire, cur pituenta putrescat, & febrem faciat, & appetitus cibi deiectionem, & horrorem, & inæqualitatem, & ab initio crudas vrinas, & capitis grauitatem, & cur sub noctem ingrauescat sed etiam cur sæpius refrigeretur, cur extremi digiti tantùm, cur toties recurrat? cur non sitiat prorsus? cur plurimum dormiat? cur suffocari videatur? cur vrinæ conturbentur, cum ante morbum clarè permanerent? Dico ergo, quod generalia sunt prius nota, quia sunt simpliciora: plus enim continet animal, quam corpus, & homo quam animal: & facilius est pauca quam plura comprehendere, tum quia cùm à propriis ad vniuersalia valeat argumentum, ideò si cognosco hominem, cognosco etiam animal: vt autem viceuersa non sequitur. At verò cum causa dicatur bifariam: nempe Symptomatis morbus: morbi autem causa propriè dicta, necesseque sit vno eorum admisso, reliqua adesse, possunt autem vtraque esse ignota. Nam dicebat Hippocrates *in libro de Arte morbi*, [qui ad interna obscuri sunt, qui ad externa manifesti.] Similiter ergo, & causæ. Quædam enim occultæ, quædam manifestæ. Quod ergo effectus sint manifestiores suis causis, & ideò morbi causis suis: symptomata morbis. Ratio est, quoniam ad effectum vnum plures causæ concurrunt: oporteret igitur scire omnes, & coniunctionem earum: at facilius longè est scire vnum, quam tot, & simul etiam iuncta, igitur effectus sunt notiores causis. Quod si quis dicat, quod pariter etiam eiusdem causæ possunt esse plures effectus, vtpote pluuiæ sunt eiusdem rationis: causæ autem eiusdem effectus necessariò sunt diuersæ. Habemus igitur quod effectus sunt notiores causis suis, & generales causæ propriis: igitur causarum aliæ sunt obscuræ, aliæ notæ. Sunt etiam causæ notæ vt causæ: & simpliciter: simpliciter nil prohibet esse notiores causas effectibus. Sol enim terra & humidum, & stercus auis possunt esse notiora planta, quæ nascitur ex stercore carduelis, qui deuorauit semen spinæ, ex quo orta est planta, sed non poterit esse notius semen illius plantę causa deuoratum ab aue illa, quod generaturum esset plantam illam: quia oporteret vt scirem, quod deuorauerit: quod rostro non comminuerit, quod in ventre, & intestinis non corruptum fuerit: quod in terram humidam ceciderit quod nec ab aue, nec verme, nec alio animali inuentum sit; quod non contritum fuerit casu aliquo; non tostum à sole; non ab imbribus antequam germinaret dissolutum. De causis occultis, quæ & spontaneæ vocantur, datur pulchrum exemplum in prima Aphorismorum: [In perturbationibus ventris, & vomitibus, qui sponte fiunt.] Genera autem causarum sunt plura externa, antecedens prima, antecedens non prima, & coniuncta, de qua solùm inter quosdam lis est. Antecedens non est, vt quidam putant omnis extra nos; nam affectus animi, cibi, potus, vigiliæ, motus numerantur inter causas antecedentes, & tamen manifestum est eas esse in nobis. Et vtrarumque adhuc aliæ desinunt, aliæ manent iam morbo inchoato; vt quis capitis dolorem à siccitate patiens, ob solem, aut vigilias; quid prohibet, quin adhuc sit in sole? vt rusticis, & militibus accidit; potest etiam esse, vt non sit in sole, nec iusto plus vigilet. Galenus quamuis multa de his scripserit, non ausus est ob difficultatem aliquid certi in medium afferre; ideò cùm posteriores nil plus sciuerint addere, neque in his, neque in aliis, quam Galenus dixerit, res adhuc iacet. Ea tamen sic se habet, Causa manifesta est, quæ vel ægro, vel aliis solo sensu dignosci potest: velut ira, vigilia, vulnus, copia cibi, metus, retentio fæcum & quia externæ causæ manifestæ erant, etiã manifestas externarum nomine appellarunt. Quamuis vigilia, metus, ira, manifestæ sint causæ, externæ autem minimæ: collocarunt eas sub externis, quia cum medicus non habeat, nisi tria genera causarum, quorum duo coniuncta, & antecedens, pertinent ad materiam morbi, coacti sunt has causas sub externis collocare. Conueniunt autem cum illis trifariam, primùm, quia sunt efficientes: sicut manifestè & non materiales: secundũ, quia sunt manifestè vt externæ: tertium vocantur externæ, quia sunt externæ morbo licet non ægro. Ita dicemus quod retentio fæcum est causa externa, seu manifesta doloris coli: fæces autem retentæ causa antecedens distentio intestini causa

coniuncta.

coniuncta. Solum restat hoc intellecto distinguendum inter causam coniunctam, & antecedentem primam, ex qua statim effectus profluit: & dico quod si separabilis est antecedens, prima est si inseparabilis coniuncta.

Notandum quod Galenus *sexto de vsu partium cap.* 12. proponit quinque genera causarum. Tria communia propriè tum Philosophis, cuius, id est, finis: à quo, id est, efficientis: ex quo, id est, materiæ: addit postmodum per quod, & secundùm quod. At verò per quod, & secundùm quod quale sit, non declarauit, vt verum videatur, quod ei obiicitur à Vesalio, scilicet, vbi ventum est ad difficilia, eum subterfugere rem: atque omninò indiscussam relinquere. Aut enim declarare debuit, quid intelligeret per quod, & secundum quod: aut omninò omittere eam diuisionem, & Philosophos, qui quatuor ponunt causarum genera tria, scilicet, illa prima, in quibus non differunt, causam autem, quæ est forma medicus non admittit, neque vllus alius artifex, eò quod ipsam facit. Proprium autem causæ est efficere non fieri. Præterea, quia causa est alia ab eo, cuius est causa. Nihil enim est causa sui, forma autem est pars effectus, quia est pars compositi. Compositum autem absque dubio est effectus ipse. Ergo forma non est causa effectus. Accedit quod causa præcedit effectum: ergo cum forma non præcedat compositum, forma apud medicos non meretur dici causa. Ad hæc facilè responderet Philosophus, quod causa præcedit effectum, natura non tempore, & hoc sufficit. Ad aliud quod pars potest esse, imò iure est causa totius, quia efficit, vt totum conformetur Sicut nasus est causa faciei, quia complet ipsam, & figuram eius, & exornat eam, quantò magis forma in composito, quæ est prior natura effectu. Ad primam diceret Galenus, quod artifex materiarius, vtpote habet inducit formam accidentalem, non naturalem, & ideò illa non est causa, puta scamni, sed eius figura, & ex consequenti accidens. Peccat autem in duobus argumentum de medico: primum quia forma, quæ inducitur à medico est naturalis, non accidentalis, scilicet sanitas, secundò quia non inducitur à medico, sed à natura. Est enim illud dictum omnium natura operatrix, medicus verò minister. Ideò Philosophi probant formam esse causam compositi, hoc modo, quòd præcedit aliquid, & adiuuat ad efficiendum ipsum, & per se est etiam causa per se eius, sed forma est eiusmodi ratione compositi. igitur forma est causa illius. Propter hoc igitur forsan intellexit Galenus per causam secundùm quam formam, & ideò non dicit quod sit causa secundum quam, sed dicit, & si velis recipere etiam causam secundùm quam, quasi dicat connumeratis omnibus causis, etiam de mente Philosophorum: vtpote causa secundum formam adhùc non habebis intentum. Iam ergo notum est quartum genus, per quod autem forsan instrumentum, aut viam intelligit, velut per asperam arteriam, defluit pituita in pulmonem. Animaduertendum autem, quod loco causæ secundùm formam medici habent tres alias causas, scilicet concausam, causam adiutricem, & instrumentariam. Propriè autem vt colligitur *secundo Artis cura. d.*, *in lib. de diff. medicis cat.* Causa est illa, qua manente, manet symptoma, seu morbus: dispositio præter naturam, & qua sublata auferitur, & ita intelligitur de efficiente, & secundum analogiam in communi, non de causa morbi tantum coniuncta, quia tota difficultas, vt aliàs dixi in contradictionibus, constat in hoc, quoniam si morbus est dispositio, quæ permanet, & causa coniuncta est in genere eius, quod efficit, vt declaratum est, ergo quod iam est, fit, & ita implicat contradictionem.

Ego omissis his, quæ minus necessaria sunt medico, aut saltem explicando huic loco. Reuertamur ad textus declarationem, & dicamus, quod vt habetur *in libro de Arte Pag.* 3. & 4. causæ quædam sunt manifestæ, quas vt diximus solemus appellare externas, licet non satis propriè: aliæ occultæ: harum autem duplex est genus: quia enim non fit curatio morbi, nisi sublata causa, vt Galenus ad Thrasybulum, & causa non potest auferri, nisi cognoscatur. Ergo causæ omnes fient ex occultis manifestæ. Dicit ergo Hippocrates non omnes æqualiter, sed quædam per sensum cum auxilio rationis, velut tumor è regione ventriculi: & vbi tumor, ibi morbus: & quia offenditur assumpto cibo. Ergo morbus est in ventriculo. Et ita æger percipit destillationem salsam, expuit cruenta exercendo. Ergo vlcus erit in aspera arteria, ex salsa distillatione. Istæ ergo erunt causæ notæ, licet ab initio obscuræ, dicit Hippocrates. Est postmodum tertium genus causarum obscurarum, quas sola coniectura assequimur, scilicet, per viam diuisionis ratione. Velut cùm dicimus hic patitur dolorem ventriculi, & non adest ibi tumor, neque flatus, neque ad tantum dolet: neque materiam excernit aliquam, quæ sit præter naturam: nec habet nauseam neque sitim: Ergo verisimile est cùm nec perculsus fuerit in loco, vt laboret intemperie frigida. Ista cognitio dicitur coniecturalis, in qua facilè est hominem falli: huius causa ego conscripsi Promptuarium, & vt solet dici ob hoc etiam ille medicus est præstantissimus; non qui non errat, sed qui minus errat Dicebat Hippocrates *in libro de Arte*: *Pag.* 5. medicus non errat in medendo, nisi quod non cognoscit causas quia occultæ sunt, & hoc est tertium genus. Vel dicit, quia non tempestiuè, & ita intelligit secundum genus causarum, non numerando genus coniecturale, quia illud est compositum ex secundo, & tertio genere, vt sit nomen homonymum. Quia coniectura quando est bona, tunc coniecturale debet referri ad causas cognitas ratione: cum autem homo decipitur, est in genere tertio, causæ occultæ simpliciter: imò est alterius, quia medicus tunc lædit ipsum ægrum grauiter, & quot eiusmodi sunt nostro tempore, qui partim imperitia artis, partim ex sectis: quidam enim profitentur, se sequi Galenum, aspernari Arabes, quos iusto iure non dico magis hos,

hos, quàm quoscunque, qui vt dogma tueantur, perimunt ægros pertinacia & insciti, oporteret more barbarico truncо ligni affigere. Ita more militari pœna paucorum sontium ad innumerorum innocentium, & totius humani generi salutem perueniret. Alij ob imperitiam Philosophiæ naturalis, Dialecticæ, & Mathematicarum mactant ægros, minore pœna digni: plurimi ob auaritiam atque ambitionem: quibus nescio, quæ pœna sufficere posset. Primum ergo genus causarum est manifestarum sensu, & ob has dicit Hippocrates medicus non errat. Secundum est manifestarum sensu, & ratione, & per has contingit, errare, sed minus. Tertium est earum quæ obscuræ sunt valde, & in his maximè dum properamus errant medici, & ægri moriuntur.

TEXT. XXI.

Et aliæ quidem validæ, aliæ verò inualidæ.

TExtus quandoque diuiduntur ob subiectam materiam, quæ diuisa est: quandoque ob narrationem, quæ nimis multa continet, vt in hoc, quem diuiuximus à præcedenti, quamuis sit vnus: & ideò in hoc docet, quod causæ quædam mutant hominem, sed obscurè, & hæ dicuntur inualidæ: quædam manifestè mutant, adeò vt sentiant: aliæ vt etiam ægrotent: aliæ adeò vt perimant. Et hæc diuisio non potest conuenire manifestis causis: ideò diuiditur solùm causa obscura: quædam enim est adeò obscura, vt effectus etiam sit obscurus: quædam verò cuius est manifestus: nam causa manifesta vix poterit esse cum effectu obscuro: effectus debet esse manifestior causa. Sed dices motus à cane rabido in interuallo, quo tendit ad rabiem, nec tamen quicquam sentit offensæ, habet causam manifestam, & effectum occultum. Dico quod non potest dici causa comparatione huius effectus, nisi constet de effectu. Bene poterit esse causa manifesta, comparatione aliorum, qui iam rabidi facti sunt ex morsu illius canis: vel ex alijs canibus, & cum coniectura, & timore huius, quem momordit, sed non poterit dici causa manifesta. Aut dic quòd hæc est causa manifesta & externa, ratio autem nostra fuit de causis antecedentibus, non de externis: nam æquè bene potest esse notus gladius, imò etiam magis, quàm vulnus. Ex quo manifestum, quòd Hippocrates voluit nos docere, quod sunt causæ validæ, etiam quòd obscuræ sint, quia hic loquitur de siccis, non inualidis, quæ possint esse manifestæ. Ergo diuidit causas tantùm obscuras, licet parum referat, si etiam de manifestis intellexerit. Verum facilius contradicere, quis tibi poterit.

LECT. XXI.

Super

TEXT. XXII. & XXIII.

Natura abundè præstat omnia omnibus.

NEscio quid in mentem venerit Galeno, cùm dixit non esse proprium munus explanationis declarare sensum, sed significata verborum: at non dixit obijcient aliqui pudore adducti: non dixerit? mihi sanè videtur dixisse. Cedam, modò fateantur ergo, hoc ad interpretem non solùm pertinere, sed magis pertinere vt sententiæ declarentur, quam verba. Nam verba ob sententias declarantur atq; quæruntur. Nemo ritè sententiã inter, retabitur, nisi sequentia antecedẽtibus cõungere nouerit, aut in eo genere libet sit, vt non artificiosè digestus, sed fortuitò congestus dicatur. Vt ergo quæ modò cohæreant sequentia antecedentibus intelligas, & sensum legentium eruere: debet supponere, vt oratio primum sit in genere earum, quæ ad materiam tractatam pertinent: secundum, vt quod dicitur eius, quod ante dictum est, sit aut expositio, aut vicissim ex illo doceri possit, aut causam reddat eorum, quæ dicta sunt, aut vt effectus ad causam sequatur. Vel sit ad tacitam dubitationem, quæ ex præcedenti oriatur responsio: aut membrum diuisionis tractatæ materiæ: denique vt sequentibus etiam verbis congruat. Vbi hæc tria sensus seruauerit, probari potest, aut si alter, melior tamen admitti. *Cur ergo dixit natura abundè præstat cunctis omnibus?* cùm de alimento loquatur, & nunc proximè de succis egerit, qui multis modis iuuant, ac nocent, vt intelligeremus naturam si relinqueretur suo muneri, nunquam aberrare. Errores autem procedere ex nobis: & vt euidentius constaret, etiam dum conamur auxiliari, nedum quando aberramus. Dixerat autem succos nocere intus, & extrà: docet quòd peccamus maximè etiam extrinsecùs, quamuis succi non peccent. Et vt bene animaduertit F. non loquitur hic, nisi de succis, vel de custodia à morbo, cui abunde natura sufficit: non tamen intelligendum est, quod ad sanationem, quorumcunque morborum vita sufficiat: nam non luxata, nec fracta, neque ad morbos in figura, & numero, & soluti continui cum partes multum distiterint, sed in his omnibus melius semper facit medicus, & persæpè sunt opera solius medici, vt docet in libro de constitutione artis medicæ. Forsan quis dubitare posset cur natura in mundo sufficiat ad restitutionem eius, & non sufficiat in exiguo animali? Respondeo, quod noxæ in mundo non possunt esse adeò magnæ comparatione naturæ generalis, & ipsius orbis mortalis, vt noxæ propriæ animalium comparatione eorum, & suæ naturæ. Vel dic quod in mundo

partes

partes reparantur in animali, oportet esse eosdem.

TEXT. XXIII.

In hanc verò extrinsecus quidem cataplasma, liniméntum, vnguentum: nuditas, & cooperimentum totius & partis caliditas, & frigiditas.

PRoponit Hippocrates causas, quæ nocent naturæ, etiam absque succorum vitio. Circa quas dubitabit aliquis cur tam diffusè, quasi oblitus solitæ breuitatis, & in tam exiguo opere locutus sit, cum sufficeret dixisse κατάπλασμα etiam pro quocunque, quod illinitur accipi potest: & ἄλειμμα etiam pro vnguento, & vnctione accipi potest. Dicimus Hippocratem tria præstitisse summa in hoc libro comprehensionem innumeratum regularum breuissimo sermone: & ob hoc commemorasse circiter CCCLXXX. res simpliciter, vt per illas insinuaret totidem millium coniugationes. Quapropter neque breuior in enumerandis simplicibus: neque prolixior in docendis coniugationibus esse poterat: in vno enim periculum erat, aut obliuionis, aut imperfectionis: in altero prolixitatis, aut superfluitatis. Aliud quod præstitit admirabile fuit, vt sub vno argumento speciali: siquidem alimenti totam comprehenderet medicinam, eiúsque partes: atque ita connexas. Vt vna ex alia oriri videretur. Tertium quanquam mirabilius vt omnium, quæ hominibus eueniunt, circa sanitatem & morborum causam in alimentum referat, velut illud [dispositio athletica non natura: habitus salubris melior in omnibus.] Id est, quoniam alimentum illorum excedit multitudine, & est imperfectius, igitur non adeò idoneum operationibus: Et rursus illud [lac & sanguis alimenti redundantia. Vnde licet, vnde oriatur, & quid sint scire. Et id ad formationem dies trigintaquinque, ad motum septuaginta, ad perfectionem ducenti, & decem.] Quasi dicat alimentum triplo maius, ac elaboratius exigitur ad perfectionem, quàm ab initio generationis quousque moueatur. Atque illud: [Naso bis quinque dies: maxillæ & clauiculæ, & costis duplicia: cubito triplicia, & brachio quadruplicia, fœmori quintuplicia: alimentum enim ex confractione ossium. Quid enim clarius?] Idest, Nasus cùm tenuis sit decem in diebus ab alimento restauratur: est enim leuis, & exiguo alimento indiget, vt conglutinetur: & ob paucitatem alimenti celeriter siccatur, vt consistere possit.

Hoc mihi reuocauit in mentem, vt aliquid de via doctrinæ huius libri tractarem, quam constat esse diuisionem, non resolutionem. Resolutio enim optima est ad inuentionem agendorum, tractatio tamen artis ac disciplinæ magis propria est diuisioni, quàm resolutioni. Non tamen hoc multum repugnat Galeno, qui diuisionem ad diffinitiuum genus traduxit, vt in Arte medica. Sed ponamus discrimen horum: iudicium autem legentibus permittamus. Namque in resolutione incipiendum est à fine, & redeundum est versus initium, cuius locuplex exemplum ipse Galenus posuit *in vndecimo methodi cap.* 4. *inde* 10. & 13. At in diuisione semper versamur circa subiectum, & subiecti partes, & principia, & alimenta, ac differentias. Diuisio etiam ipsa Hippocratis magis versatur circa res, & partes rei. Galeni autem Methodus ab initio fuit circa partes diffinitionis, quanquam postmodùm processu libri artis medicæ, & ipse diuiserit corpus humanum, & modos morborum: vt ea tractatio sit huic simillima. Differunt in hoc, quod illa præcipuè versatur circa diffinitiones: ideò clarior, & Hippocratis in hoc libro circa comparationes, ideò locupletior longè. Vtraque probanda. Cataplasma dicitur commune tribus, quæ Latini recipiunt pastilli, emplastra, malagmata. Differunt autem hæc inter se apud Celsum, *lib. 5. cap.* 17. quod pastilli constant ex siccâ materia, adiecto humore non pingui: emplastra aut pingue humidum recipiunt, velut oleum, resinam, aliqua autem liquabilem substantiam, velut ceram, adipem, lachrymam duram. Inter emplastra autem, & malagmata hoc interest, quod emplastra constant ex dura materia, & laboriosa contritu, vt quæ inflammationibus, & vulneribus imponi soleant, malagmata ex molli, & plerumque ex floribus, ideò etiam abundè trita esse censentur, cum mollia iam natura sint: nam cuti integrè imponuntur. Est præter id emplastrorum duplex genus quòd hæret, & vocatur ceratum, & quod non hæret, & est minus tenax, plerumque etiam liquidius, & appellatur communi nomine emplastrum. Quod ceratum vocatur magna industria indiget in conficiendo apud ignem: ne omninò non diffluat reliquiis humidi aquei superstantibus, aut friabile sit exusto pingui: Adeò vt hoc summum experimentum videatur periti, & exercitati vnguentarij. Sunt præter hæc quinque, perfusio, fotus, vnguentum, linimentum, & vnctio. Vt in vniuersum sint nouem. Sed fotus adhuc duplex est, qui madefacit vt cum oleo calidissimo, ex absynthio inquit Galenus 8. *Artis cur. cap.* 5. perfundendus est ventriculus: & qui non madefacit, vt cum in vesicis humor continetur. Applicantur & sacculi, & sicci. Sed reliquorum vsus est triplex, frigidorum, calidorum, & tepidorum: qui longè frequentior est, quod vis penetret magis medicamenti, & natura non percellatur. Dubium est, quod velit Galenus tepida applicari emplastra: fotum autem calidissimum. Ea adductus ratione, quod à tepidis actu exsoluatur calor: emplastra tamen tepida applicari iubet, vt calor intus reclusus confirmetur. Ergo dicamus quid possint emplastra: ea enim triplicem sortiuntur vim, vnam ratione eorum: ex quibus conponuntur iuxta eorum facultatem, quæ modò refrigerat, modo caefacit, aut humectat, aut siccat: alia quatenus

poros obstruit substantia maximè pingui, atque sic calorem innatum confirmat. Tertia quatenus calidum imponitur, sicque exsoluit naturalem calorem peregrino. Cùm verò calidius fuerit, eò magis exsoluit: at ergo oleum ex absynthio, & nardinum, & purpura maximè facultate ventriculo conferunt: sed ea facultas ad ventriculum peruenire non potest, quod multùm distet à ventriculi corpore, nisi sit feruentissimum: distantia eadem facit ne obsit calor ille, neque ventriculum exsoluat: non ergo feruentissimum apponitur, quia tepidum exsolueret, sed quoniam non iuuaret: potiùs verò ipsa caliditate exsolueret ventriculi robur. Atque hæc validior causa. Alia quæ licet minùs sit valida Galeno, tamen magis fauet. Est quod vt habetur *in libro de affectibus, cap.* 2. non solùm frigus, sed etiam immodicus calor poros occludit, atque ita calorem naturalem confirmat; vnde oleum feruens longè melius tepido erit. Omninm ergo horum causa, perfusio potentissima est, quoniam solet adhiberi calida valdè, & ex alto, & per longum tempus, scilicet à medio horæ seu à quarta parte saltem vsque ad duas horas, rarò tamen excedimus horam: sunt autem tria principalia genera perfusionum. Primum, quod fit cum aquis thermarum, quæ habent vires proprias sulphuris, aut bituminis, hæ dissoluunt, & mutant intemperiem frigidam, & humidam: aliæ salis quæ astringunt, & siccant, quædam æneæ, quæ resoluunt excrementa, auocant exteriùs & confirmant: aliæ ferreæ, & aluminosæ, quæ multum refrigerant, astringunt & confirmant: quædam gypseæ, quæ multum refrigerant, astringunt, & repellunt. Genera locorum quæ perfunduntur sunt tria, sutura in capite, & maximè coronalis. Dico potest etiam perfundi initium spinalis medullæ, & occiput vbi est locus cerebelli. Secundus locus est præcordiorum, qui periculosissimus est propter iecur & ventriculum, quæ membra non habent integumentum osseum, neque effatu dignum. Tertius locus est membrum patiens, vt crura, brachia: perfunduntur etiam renes, sed his, quæ refrigerant, & confirmant. Hæc minus periculosa sunt: medio modo caput. Pericula sunt quincuplicia etiam, si non erres in morbo. Primum si potestate calidissima sint, adeò vt ex perfusione cruris aliqui propè mortem deuenerint ex fluxu ventris cum febre. Secundum si calidissima actu, & diu adhibeantur. Tertium si frigida cerebra valdè, velut gypsea. Quartum si aberret in victu: præcipua tamen sunt in hoc venus, crapula, vigiliæ, & frigus. Quintum si corpus non fit exquisitè purgatum, dicebat Galenus *in decimo methodi cap.* 16. *in fine*. Ego verò nec eorum, qui ex putredine humorum febricitant, lauem quenquam, nec relaxantibus cataplasmatis vtar priùs, quam supernacua purgauerim: his verò euacuatis, non solùm audacter lauem, sed etiam cataplasmatis vtar: Ea verò est proportio profusionis ad cataplasma, quæ cataplasmatis ad infusionem seu incessum, scilicet balneum: nam lotio simpliciter parua res est, etiam in febricitantibus; balnei verò ad inunctionem. Memineris ergo ordinis huius. Redeo ad rem. Secundum perfusionis genus est ex aquis medicatis, velut lixiuio, sed hoc in vsu est quotidiano, iubet Auenzoar perfusionem capitis esse calidissimam, scilicet actu, non autem potestate, & ob id etiam neque diuturnam, & in loco calido. Fiunt ergo in huiusmodi perfusiones ex rebus medicatis, vt in capite mirto, santhalis, rosis, flore nymphææ: violæ in calida intemperie, nunquam omiseris chamæmelum, nec in frigida. In frigida verò thure, ligno aloes, amaraco, gariophylis atque huiusmodi vtuntur ad siccandum cinere stipitum fabarum, ita in membris naturalibus absynthio, chamæmelo, anetho, croco, amomo, santhalis, rosis, balaustio, cotoneis, lambrusca, nymphæ flore, menta. Tertium genus est, quod fit cum aqua frigida in capite post ablutionem, ex lixiuio feruenti, & fit super suturam coronalem: & plurimum confert in confirmando cerebrum: modus est perfusionis quatuor librarum aquæ è puteo, aut fonte haustæ, siccetur linteis siccis valdè, sed non calidis breuissimo tempore: profusio fit ita, & renes, & iecur, & ventriculus. Perfusio autem medicata fieri solet bis in die, per horam perpetuam pro vice: & tantundem ante cibum per dies xx). vt sint xlij. horæ. Et hoc in capite paulò plus aut minus, in Sauignano, qui conualuit ex asthmate. Sed quoniam dictum est, quod corpus oportet purgatum esse, benè fecisset Galenus, si hoc docuisset: namque si intelligit de materia febrem faciente, vbi purgatum fuerit corpus, iam febris cessat: nec video, quod opus sit cataplasmatis, deinde notas corporis purgati desiderarem. Corpus itidem bifariam purgatum dici potest, vel à malis humoribus, vel etiam à plenitudine. Ergo indicia vtriusque discere oportet in pulsu quidem, quia moderatus est, & æqualis, & validus. In vrinis, quòniam spuma non adest, & sedimentum modicum, & bonum, & vrinæ substantia, & color bona sunt in excrementis alui, pura concocta, non malè olentia, somni longi, & quieti. Neque desidia in mente, nec ignauia. Hæc enim pituitæ signa sunt, nec timor, neque tristitia: hæc enim melancholiæ neque iracundia, nec furor præterea leuitas spirationis, & totius corporis alacritas, & patientia summa ad labores, sine vlla læsione. Demùm ratio victus præcedens bona moderata, cum pauco potu vini, & ex bonis succis color corporis viuidus, & exterior cutis, nullis affecta iniuriis. Ex actione autem ipsa cum perseuerante medicamento, quod totum corpus expurgare solet, velut catapotiis potentibus, helleborismo, aquisue thermarum. Primùm quidem multum effluit, pòst parum: inde fermè nihil educitur, & vrina est bona cum pauco sedimento, & sine spuma, & corporis leuitas sentitur, & fames hæc signa sunt expurgati corporis. Quæ etiam interprætanda sunt in mediocribus purgationibus

tionibus sæpiùs exhibitis. Talibus igitur tutò adhibenda sunt de Galeni sententia eo in loco, qui Delio natatore indiget, aliàs dicemus, dum de cura febrium loquamur.

LECT. XXII.

Super

TEXT. XXIII. & XXIV.

VTilitates autem & commoda, & causæ imponendorum cataplasmatum, perfusionum, inunctionum, fotuum, & huiusmodi hæ sunt. Primum emplasticum dici haud obscurum est, quod lentum, ac tenax illiniri aptum est, vt medullæ, pinguedines, olea, butyrum, thus: inde addit quod oportet esse terrenæ substantiæ. Eius ergo proprium est vt obturet, velut primo de Medicamentis secundùm locos, & in quarto, vbi docet, quid sit emplasticum medicamentum, quod obturat meatus, & temperatum est, aut prope temperamentum, cui emplasticum opponitur, quod aperit, velut Samius aster, & cadmialota, ac pompholyx etiam lota, & cerussa tractat de his etiam, quarto de simplicibus medicamentis, vbi docet, quædam esse terrea, quædam aquea substantia: nec sibi contradicit, quod hic Samium asterem lotum inter emplastica: priore loco illotum, scilicet, inter emphrastica numerauerit. Declarat autem opera horum pulchrè secundo in sextum de morbis vulgaribus: dicens, talia impediunt, retinent, occludunt calorem ne diffletur, & ob id cogunt ipsos humores concoqui, nisi aut omninò sint praui, aut imbecillus particulæ calor: quo in casu non emplasticis vti oportet, sed concurbitulis cum profunda sacrificatione. Ergo vt ad propositum reuertar, etiam emplastica crassa substantia esse affirmat: Quinto Methodi: sicut ea traducit ad internum vsum, dicens, illa efficeret humores crassos, & lentos. Dicit præterea primo de Medicamentis secundùm genera, quod vix vllum simplex medicamentum potest efficere emplastrum pharmacum, enumeráque ceram, propolim, resinam, picem, ladanum, & cerussam, argentíque spumam: neque dicit herbæ ipsæ. Ab emplasticis emplastra deducta esse reor, in quibus plurimum ceræ recipi iubet Galenus, quarto de compositione medicamentorum, per genera, vt per emplastrum palàm sit illum intelligere ceratum. Ceratum igitur verè emplastrum est ad mentem Galeni. Etenim & in quinto hæc habet. Ad emplastri verò confecturam, vel ceram, vel resinam, vel omninò argenti spumam diutiùs coctam adiecturus erat: liquet tenax oportere esse emplastrum: cum argenti spuma, cum oleo decocta emplastrum efficiat: reparandæ cuti idoneum, quod adeò tenax est, vt non cadat à loco, donec cutis ipsa succreuerit. Videtur & idem sensisse in quarto cùm ait: [At quia emplastrum id facere proposuimus, manifestum est, quòd vnicuique ceram aut resinam, vel adhuc adipem, vel medullam admiscendam fuisse, ac si nondum ex his emplastri spissitudinem acceperit oleum etiam adiiciendum.] In confectione liquat ceram primùm & resinam superfundit argenti spumæ, & oleo simul coctis: his postmodum addit ceruſam, & calcem in liuorem redacta, aut alia, & ab ignea mouens, miscet in mortario superfundendo oleum, vt hæc tria in eorum compositione sint obseruanda: vt vis medicamentorum maximè integra maneat: vt omnia perfectè misceantur, & vt optimè hæreat. Idem clariùs in sexto ad emplastri formam pro materia non vtilitatis causa, cera, aut resina adiiciuntur, velut & oleum in aridioribus pulueribus. Solet aliquando ceruſa cum oleo & aqua, velut & argenti spuma coqui, vt sit primus ordo: secundus ceræ & resinarum: tertius reliquorum aridorum. Quæ igitur emplastra nos vocamus cataplasmata potiùs sunt, hæc cerata: & ideò non adeò formidanda: sed rarior vsus in internis affectibus, non negauerim fuisse etiam emplastra, quæ fasciis indigebant, vt hærerent. In vniuersum autem ex consistentia ipsorum sex differentias facit. Cereleon quod nos vnguentum solemus appellare, linimentum, post ceratum molle, post ceratum mollium mediocri substantia, inde amolyntum, id est, non coinquinans, quod tamen sine fasciis non bene hæret. Demum emplastra, quæ consistunt: id est, quæ sine fasciis adhærent, vt oxycrocium, & ceratum ex pelle arietis, & quæ sunt adhuc tenaciora: horum si velim per singula vires enumerare, labor irritus sit. Quandoquidem tot sint, quot in medicina scopi: præclaræ tamen sunt sedare dolorem, emollire, in pus vertere, saniem expurgare, consolidare, & roborare. Verùm (vt dixi) à substantia, quæ sunt crassiora, magis calefaciunt, & ob id periculosius adhibentur, quæ verò tenuissima, ideò etiam leuissima. Proprium & quorundam eorum, quæ meta syncritica appellantur, morbos quosdam curare, dum extrinsecùs auocant, quod quia nimis longè est à vi medicamentorum ebibitorum, ab eis sanari non possunt: Neque etiam manu cùm sint vitia profundiora, vel sub ossibus maximè, sub coxis nothis, aut pube, aut etiam per suturas (sed id rarius longè) capitis. In quibusdam per eiusmodi auxilia adeò confirmatur membrum vnum, vt aliud sanetur. Velut tussis per emplastrum capiti appositum, vomitus per emplastrum iecori applicitum, & capitis dolor diuturnus ventriculo. Frac. tamen omnia ad noxam interpretatur; dicens medicum, pro medico non haberi, si talia multa non adhibeat, quæ plus longè ægrum lædant, quam iuuent, atque hoc quanquam verissimum sit, haud tamen me piget hæc adiecisse. Debent autem apponi ad calefaciendum emplastra calida etiam actu, ad siccandum sæpiùs renouari: ad refrigerandum, quæ in cuti sunt, vel propè, vel etiam si solida laborent actu frigida:

profundis valde tepida admouenda. Ad confirmandum cerata, quæ assidue hæreant. Plurimus autem vsus est tepidorum, vt in dolorum sedatione. Nuditas extremorum maximè pedum, & hora somni deiicit functionem ventriculi, & somnum impedit, quia quicquid est vaporum malorum ad caput repellit, & dolores viscerum prouocat. Dicebat sexto Epidemiorum frigidum, valdè venas frangit, & tussim citat, vt nix glacies: & contorquet vt pherea & gongrone: (his longa, & rotunda tubercula post aures) simul causa duritiæ scilicet alui. [Constringitur enim corpus à frigore, & cruda retinentur, nec concoquuntur, cùm vel in frigido corpore, vel exangui fuerint: vel membrum, in quo est natura frigidum, vt prope ossa membranas: & articulo: vel in superficie corporis, & refrigeratio quæ in ventre sunt, durat:] Dicit ibi Galenus, quod id accidit ob moram partim fæcum, quæ siccantur, partim, quia calidum maius est contractum ob frigus externum. Mora sanè facit vt à calore siccetur, & à iecore trahatur humidum: sed cur moram trahant, ibi diutius fæces: hoc accidere putat ob musculos ani, à frigore contractos. Sed si musculi à frigore fierent ad retinendum validiores, hoc mirabile esset: tùm etiam, quòd materia eo confluente facilè dilatatur anus: vt non ob id retineantur fæces, sed quoniam natura torpet, & ob longos somnos, & ignis consuetudinem, & sanguis (quod maximum est hac in causa) intra contractus intendit venas, & musculos ani, quod propius experimento est. Dicebat ibidem si per calida naturâ sit cubile frigidum, in calido tempore crassam reddet. Nam hoc non ex natura frigoris, sed temperato calore cordis, & etiam propter somnum melius nutrietur, & carnosior euadet. Vnde rectè dixerat antea, [generaliter somnus in frigore vestibus contecto: naturalia enim membra gaudent calore, & ob id vestibus corpus contegi postulat] vitalia & maximè, quia illa in somno incalescere dicerat, mox refrigerari in cubili frigido. Galenus etiam putat sic perfrigerari vestibus, auocato calore exteriùs. Sed quorsum verba illa *dormiens intrinsecus calidior est*. Oportet enim eam, quæ secundum naturam est qualitatem conseruare, non euertere. Nam quod calefaciamus externam superficiem, hora somni, id accidit, quoniam iniuria aëris sit hanc tollere oportet. In somno ergo tres sunt scopi cor refrigerare, non à proprio calore retrahendo, sed peregrino: hoc significantius exprimemus, expurgare à fumo, id fiet per frigidum aërem: calefacere membra naturalia, & exteriora, quod fit in tegumentis. Ob id si quis hyeme multis contegatur vestibus, bene concoquet magis, quàm mediocriter: at si quæreremus solam transpirationem, à mediocri mole vestium meliùs concoqueret: imò neque à mediocribus, neque multis vestibus bene concoqueret, sed potiùs à paucis, sic etiam præcipit ad coctionem febrilem, corpus obuolutum pannis habendum, *quarto de victu in acutis tex. 44. & 59.* Cùm verò duo tribuisset mala Hippocrates, pedũ frigiditati, ascensum vaporum ad caput, læsionem coctionis ventriculi, & aliarum functionum, dolores variarum partium, & calorem ventris, tamen hæc augentur multò magis in febrientibus.

TEXT. XXIV.

Eadem ratione adstrictio, & vlceratio; & morsus, & molestia.

MOlestia solet antecedere, & consequi astrictionem, sicut morsus vlcerationem, humores, qui lædunt sua qualitate grauiter sicci sunt, si siccitas iungatur frigori fit terreum, & astringens, si calori igneum, & vlcerans. Fiunt ergo scirrhi ex astrictione tanto difficiliores ad curandum, quantò ad lædendum videntur lentiores, cùm ergo iam dixerit succos lædere caliditate, atque frigiditate, nil mirum est, si ob caliditatem fiunt mordaces, ob frigiditatem astringant: ex vno scirrhi ex altero vlcera oriuntur: ex quibus morsus, atque molestia imo, vt dixi hæc etiam ante illa vt pruritus ante scabiem, & à scabie. Et dolor ante phlegmonem, & à phlegmone, & vigilia ante febrem, & à febre: & cruditas ante coctionem vitiatam, & à coctione vitiata. Succi ergo hæc creant, & detrimenta hæc nocent. Vel etiam dicas, quod emplastra, & linimenta, & nuditas, & talia, quæ sub arbitrio voluntatis nostræ sunt calefaciunt, & refrigerant, & morsus creant, & molestias, & exulcerant, & astringunt. Vel (vt dixi) vt peccet etiam in calido, & frigido, & ob hoc sequantur hæc mala. Nam cùm quatuor proponantur emplastra, & operimenta, hæc pertinent ad causas, non ad effectus: quartum & vlcera, & talia ad effectus solum, velut & molestia. Tertium de calido, & frigido, & duabus primis causis, & quarto effectui, & vtrisque simul adnumerari potest.

LECT. XXIII.

Super

TEXT. XXV.

Intrinsecus autem; & quædam prædictorum: & ad hæc causa occulta, & parti, & toti, & alicui, & non alicui.

DIximus antea quod bifariam potest interpretari textus præcedens, scilicet, & vt refertur solum ad opera ipsius medici, & vt simpliciter, & potest etiam referri bifariam: vnumquodque eorum, scilicet & vt iuuant, & vt nocent: ideò vt

sint

sint quatuor modi, scilicet vt iuuant casu, vt nocent casu, vt iuuant exhibita à medico secundum rationem, & vt nocent perperàm exhibita, & dicit quod intrinsecus eadem possunt, & eodem modo quædam, quia & emplastra, & vnguentum, & nuditas, & cooperimentum pertinent solùm ad externa. Loco verò horum adiicit causam occultam, id est, vt exponit F. proprietatem, velut gratia exempli pulmo vulpis confert pulmoni hominis, & iecur lupi iecori humano, & ventriculus gallinæ, ac mergi ventriculo humano. Dicit autem quòd causa hæc occulta potest obesse toti, & parti: toti sicut napelus, & acconitum, quod interficit corrumpendo temperiem cordis, & iecoris, alia verò nocent propriè vni membro, sicut dabat exemplum Galenus de lepore marino, qui nocet pulmonis, & de cantharidibus, quæ nocent renibus, & vesicæ. Dicit ergo quod quædam nocent alicui, & non alicui: intelligit, quod illa quæ nocent à proprietate, non adeò nocent omnibus, sicut neque prosunt omnibus, quemadmodum illa, quæ nocent propter qualitates manifestas, quia omne frigidum infrigidat, & omne calidum calefacit, & omne astringens astringit, & hoc non solùm in hominibus generaliter, sed in quibuscunque partibus humanis, & non solum in partibus humanis, sed etiam animalium: at verò cicuta interficit hominem proprietate quadam, vt aliàs dixi, & non frigiditate, & tamen non interficit sturnos: & pro hoc experimento tuendo, quia putant, quod fiat à frigiditate. Auerroes præter cæteros, & alij inuenerunt miras fabulas ego aliàs demonstraui clarissimè quod opium, & cicuta manifestè sunt calida, & sunt somnifera, & occidunt proprietate quadam, & ideò quærendum esset primum, quid sit hæc proprietas? Verum quia aliàs declaraui suo loco dicetur de ea nunc quæramus, quonam pacto noceat vni, & non alteri? Et dico quod (vt aliàs declaraui) proprietas non est, nisi similitudo in qualitate cũ differentia substantiæ, & viribus pollentibus, & hæc proprietas duobus modis iuuat, & vno modo nocet. 2. *De generatione & cor. Tex.* 49. Dico ergo quod terra & aqua faciunt lutum, quia commiscentur secundum crassas partes, eadem si commisceantur, secundum eandem mensuram, & refrangantur, generabunt gratia exempli aizoum, plantam eadem mensura elementorum, si denuò refrangatur, & iterum misceatur à forma, & calore potentiorè, generabit iecur testudinis. Exempli gratia: aut ranæ eadem quantitate, misceantur eadem elementa atque iterum refrangantur, & fiant, quasi vltima substantia, fiet iecur humanum, dico quod iecur humanum iuuabitur à proprietate à iecore ranæ, & testudinis, & iecur ranæ, & testudinis ab aizoo, & ita aizoum bene proueniet in illo luto, & non in alio: hoc igitur est per similitudinem substantiæ, quia est, sicut oleum in comparatione ad ignem vnum est in potestate ad aliud: imperfectius ad perfectius: & propterea plerunque istę proprietates sunt inter similia, & in partibus, & in qualitatibus. In partibus iecur cum iecore, vt in lupo pulmo, cum pulmone, vt in vulpe ventriculus cum ventriculo, vt in gallina & mergo. Alij etiam dicunt in pisce mugile, & in cerebro vt cerebrum gallinæ: & in corde vt cerui, & in liene vt apri: & similiter laca conferet iecori, est enim rubra, & similis substantiæ, & causa, quare iuuant est, quia sunt similia in substantia, & proxima in tẽperamento, & recipiuntur vt similia, & vt similia iuuant, quæ verò nocent, sunt similia in substantia, & dissimilia in qualitatibus, & ideò recipiuntur vt amicus fallax, qui sub specie amicitiæ recipitur, & receptus nocet vt inimicus, & ideò substantia leporis marini est similis pulmoni humano, sed habet calorem putridum, & siccum, & ob id exulcerat, & frangit venas, & interficit. Et propterea dixi, quod illud, quod iuuat, iuuat bifariam, & similitudine substantiæ, & qualitatis: quod verò nocet: non solum vno modo, quia similitudine substantiæ nunquam nocet, sed qualitatum dissimilitudine, & maximè putridarum, & corruptarum, sub qua continentur venena vera. Iecur ergo lupinum (gratia exempli) confirmat iecur humanum, quia recipitur ab illo, & quia est densioris substantiæ, & vt ferrum comparatum ad plumbum penetrat in intima, & condensat substantiam iecoris humani, quia ipsum fuit factum à natura robustius in lupo ob incommoda, quæ passurum erat ipsum animal edere carnes crudas, & putridas iacere in terra, & luto parum dormire: adeò vt nisi illud membrum fuisset validissimum iamdiu deficeret species luporum, eadem similitudo gratia exempli, sed maior erit inter iecur humanum, & cichorium, & ita plura conueniunt proprietate alicui, velut iecur lupinum pro imbecillitate: testudinis pro macilentia ranarum, pro morbo regio iuxta qualitates. Nam omnes qualitates possunt conferre, & esse vsui præter putridas, sed non videtur Hippocrates, in hoc textu admittere qualitatem externam, quæ tamen est in iaspide appenso collo, vt testatur Galenus. 9. *De simp. medic.*

Dico quod Hippocrates locutus est de proprietatibus euidentioribus, illa verò, quæ exteriùs applicantur, minùs agunt. tum quia dissoluuntur à calore imbecilliore, tum quia adest intermedium cutis musculorum ossium, & ideo in longa mora putrescunt si dissoluantur: si non dissoluantur, aut dissoluta parum maneant, parum etiam agunt. Vidi tamen proprietatem cuiusdam rei, quæ appensa collo statim sistit omnem sanguinem, vndequaque fluentem. Sed redeo ad propositum, & declaro duo, quæ omiseram. Primum, quia dixi quod oportet, quod illud, quod habet proprietatem sit robustius membro, & dico quod secus esset alimentum: cùm ergo non potest vinci, agit in membrum, & fit medicamentum: alterum est, quod dicebat Hippocrates, quod non alicui, quia sicut homo facilè contrahit scabiem ab homine, non ab equo, ita inter homines aliqui habent iecur mixtum diuersa ratione à temperamento, adeò vt iecur lupi, non sit ei simile in substantia, nisi parum, & est procul, ideo

nihil agit in huiusmodi hominibus: & ita patet ratio, quare primæ qualitates, & secundæ, & tertiæ semper agunt, & in omnia & in omnes partes. Proprietates autem sunt fallaces, & fuit quidam, quod sine noxa sumebat auripigmentum, album arsenium vocatum, sub pondere vnciæ mediæ, & cum esset in vinculis damnandus morte, vt audiui, relatum fuit hoc Pontifici Leoni Decimo, & sumpsit experimentum solemne, quale solent sumere Principes in magnis rebus: & cum nihil passus esset, permutauit genus pœnæ. Sunt præter hæc multa, quæ agunt mira, & quia non sunt adeò comperta, referuntur falsò ad substantiæ proprietatem: velut illud de Pæonia. Nam Pæonia confert morbo comitiali, quoniam confirmat cerebrum, & est tenuis substantiæ valde, & plurimum vaporis omittit, & quod hoc non sit commentum, manifestum est: quia quæ proprietate agunt, ratiò nisi ad vnum comparata agunt, quæ verò agunt, iam plura non ex proprietate, sed ex robore virium id efficiunt, & ideò deceptus est Galenus, & in hoc, & in iaspide nam nesciuit, quod iaspis astringit manifestè sanguinem suspensus collo, & eadem ratione confert ventriculo, quia ob laxitatem, & pondus cibi, & potus, & tenuitatem, & quia est exanguis maximè gaudet astringentibus: & corallius valdè tuber magis iuuat, & creditur, quod exhilaret cor, propter similitudinem substantiæ, cum spiritu vitali: & hoc modo etiam confert ventriculo confirmando calorem & trahendo illum ex corde: ita dico de Pæonia, sicut de iaspide, non sicut de corallio, nam suspensa collo: mascula & collecta plena luna iuuat multum podagricos, quia consumit vapores, qui augent dolorem in podagra. Comitialis etiam fit à vaporibus, vt aliàs declaraui: licèt Galenus aliter sentiat, & talia videntur agere ab occulta proprietate propter compositionem multorum, quæ agunt à manifesta qualitate: & ita sunt tria genera agentium, à manifesta qualitate, ab occulta qualitate, & à natura propria. Et ideò dicam, quod accidit tempore pestis, iam fermè centum annis, anno scilicet M. D C C C. L X X V. narrabat mihi pater Facius Cardanus, quod homines moriebantur, vt solent ex contagio, canes non moriebantur, neque corripiebantur eo morbo, equi corripiebantur. & bubones emittebant, sed non moriebantur, & hoc erat, quia natura equorum erat similior humanæ, quàm canina. Ex hoc patet quod etiam quilibet homo habet quædam edulia, adeò sibi propitia, vt quàm diu vtatur illis, nunquam ægrotaturus sit nisi ex violenta causa alia, ex quibus læditur valdè: licet non calescat, neque refrigeretur. Est etiam consideratione dignum, quod omnia ista, quæ agunt à proprietate: agunt medio quatuor qualitatum, & illæ sunt instrumentum omnium operationum. Et sic dicas: Ergo non dabitur medicina temperata. Respondeo, quòd illæ qualitates agunt in corpus nostrum necessariò, quamuis sint similes in gradu, quia experimento videmus, quod si nos tangamus aquam tepidam, aut lignum tepidum, afficimur dupliciter. Primum quia creuit multitudo qualitatis. Secundò, quia illa qualitas non est naturalis, & insita nobis est naturalis, & ideò non possunt esse similes, in substantia, licet sint in gradu. Præterea adest raritas & densitas, & motus, qui variat eam, & vapores, & incrementum: quia primo est in potentia, & paulatim deducitur ad actum, ergo in tota actione est dissimilis. Adest etiam humida qualitas, & maior, vel minor, aut siccitas, & difficillimum est, quod conueniant exquisitissimè in gradu, & propter tot & tanta contemperata corpori nostro, agunt tamen in illud.

Alia dubitatio est, quam mouet F. quia videtur Hippocrates nolle quod medicus quicquam agat natura non impedita, quia ipsa non errat: neque errare potest, quatenus videmus quod lapis adeò rectè descendit ad centrum, vt nullus pictor posset tam rectam lineam effingere, cum sit vilissima res, quid existimandum sit de aliis. Propterea respondet quod intelligit de his, qui adhibent auxilia symptomatibus, quia non sunt adhibenda, nisi cum duabus conditionibus, vt prosternant vires, aut sint prostratura eas, & præter id, vt non pendeant propriè à morbo, veluti dolores à flatu, vel retentione fæcum, vel vigiliæ, vel effluxiones, & hic mos est nostrorum temporum, vt videamur agere aliquid symptomatibus, occurrimus & perdimus ægrum persæpè, velut si quis ex motu materiæ versus ventriculum in syncopim decidat, cùm deberemus prouocare vomitum, damus cibum, quò nihil deterius, & ita si ex vigilia deliret cùm deberemus prouocare somnum, crura lauare, madefacere caput: apponunt oxirhodina fronti, magis exsiccantes cerebrum, & vapores intrò trudentes. Vnde phræneticus fit: adducit me ad hoc non tam authoritas F. quàm quod videam Hippocratem in epidemiis nulla præsidia adhibuisse. Est etiam deterius cum adhibent perperam, vt videantur aliquid facere: & primum ostendo, quod auxilia plus nocent perperam facta, quam iuuent benè adhibita, & cur nam ponamus gratia exempli, quod aliquis adhibeat medicamentum calidum dolori calido, alius adhibeat frigidum in pari gradu: ille qui refrigerabit multò minus refrigerabit, quàm ille calefaciet: tum quia caliditas pugnabit cum frigiditate, & non cum caliditate, sed illam augebit, tum quia vbi etiam recederent æqualiter minùs distat calidum ab extremo caloris, quàm frigoris. Ergo proportione data maius erit incrementum caloris, quàm frigoris. Tertiò quia membrum est debile, & ideò magis læditur à simili, quàm iuuetur à contrario: hoc experimentum in debilibus, & magis perspicuum aqua. Quartò & hoc multum refert, quia in calefaciendo calefactum medicamento potestate, calido semper incalescit, sed in refrigerando persæpè repellimus, & augemus calorem constringendo ipsum, & repellendum ad membra nobiliora, & si adsit plenitudo Galenus prohibet apponi refrigerantia, vel etiam resoluentia, & hanc eandem sententiam repetiit *in libro artis*

artis Medicæ. Et generaliter dico, quod medicus quicquid facit, non impedita natura, semper malefacit & demonstratio hæc est natura. Non errat ergo, quicquid tu egeris ea non impedita est damnum ægri. Impedimenta sunt fæces, si non possint emittere, vomitus, screatus, obstructio, sanguinis multitudo, & eò magis in compositione, vt lapis luxatio, fractura de cibo, vel exigit, & tunc dicitur impedita natura, quæ persæpè non potest accipere, vel non exigit, & tunc vel est impedita, cum velit, sed non potest, vt cum pituita est in ventriculo, & debemus auferre pituitam, vel non exigit, quia natura est impedita non functio, vt in abscessu iecoris, vel febre, & non debemus dare. An verò Hippocrates loquatur de errore medici verisimile est propter præcedentia, quia est in sermone de his, quæ nocent continuato cũ verbis illis succi corrumpentes, & totum, & partem.

LECT. XXIV.

Super

TEXTV XXVI.

Euacuationes secundùm naturá ventris, vrinarum, sudoris, sputi, muci, vteri, per hæmorrhoidas: verrucam, lepram, tuberculum, carcinomata, è naribus, pulmone, ventre, sede, cole, secundùm naturam & præter naturam, horum discrimina aliis secundùm aliá rationem, aliquando etiam aliter.

SEx proponit in hoc textu. Primum est ratione eorum quæ expurgantur secundum naturam, & locorum, & sunt quinque, quæ secundum naturam euacuantur, stercus, vrina, sudor, pituita, & sanguis. Sanguis autem & pituita bifariam, pituita per nares, aut palatum, aut ascendendo per os. Sanguis autem in mulieribus per menses, & hæmorrhoidas in viris, per hæmorrhoidas, omnes istæ euacuationes sunt naturales, & per loca naturalia. Duo sunt discrimina, quia quædam sunt naturales in omnibus, vniuersales, & semper, & sunt priores duæ stercus & vrina: quædam vniuersales, sed non semper, ju omnibúsque vt sudor. Quædam vniuersales, sed non semper, neque in omnibus vt hæmorrhoides Quædam in omnibus semper, sed non vniuersales vt mucus, & sputum. Hæc enim solum euacuant à pectoris partibus, & à capite, non à ventriculo, vel iecore. Hinc colligitur quod hæmorrhoides sint naturales. Cur autem omiserit narium sanguinem, puto non omissum. Hæmorrhoides enim duo habent significata, sanguinis fluxionem vndequaque eueniat ex nomine ipso Græco deductum: & hæmorrhoides pro morbo ani, aut si velis illum intelligere, dicas sanguinem narium non esse naturalem. Dicuntur etiam secundum naturam bifariam, vel quoniam fiant ex ordine naturæ, licet non seruent modum naturalem, vt cùm expurgatur quicquid est superfluum: vel secundum naturam, id est, quod omninò necessarium sit per illas vias expurgari per interualla parua: Sed primus sensus est verior. Ob id non meminit de vomitu, quia non est exquisitè naturalis, cùm non sit necessarius corpori omninò naturaliter se habenti. Dicebat Galenus *octauo de Medicamentis secundùm locos. cap. 3.* Vomitus est ex genere supinitatum, quæ eueniunt, aut ob humorum prauorum offensam ad os ventriculi, aut ventriculi ipsius imbecillitatem. Est autem symptoma, dicebat Galenus *secundo de Symptomatum causis. Cap. 3.* simile vterino in partu, dum fœtum exprimit, quò ad motum, sed quò ad genus præter naturam similis in tussi, adeò vt velit quod assimiletur tussi, quia præter naturam sic ortui infantis, quoniam fit exprimendo, quod continetur in tussi, cùm per flatum exprimat materiam noxiam. Idem dixit in *libro de symptomatum differentiis: Cap. 6.* vbi docet vomitum, & fluxum sanguinis narium, & hæmorrhoidas esse præter naturam in eo, quod symptomata: nam naturalia sunt solum nostri corporis facultates, & functiones: cùm igitur symptomata non sint ex horum aliquo, erunt præter naturam. Sunt tamen, dicit secundum naturam ratione finis cum opportunè fiunt: quia ad leuandam naturam ipsam, à re noxia. Est igitur symptoma facultatis naturalis, vt in *secundo de symptomatum causis habetur, Cap. 4.* & expultricis. Dicebat in tertio eiusdem, velut & nausea. *Primo de Tuenda Sanitate In fine.* vomitus opponitur alimento, quod futurum est alimentum directè. Sicut hæmorrhagia ei, quod est veluti alimentum, & alimento propriè dicto fluor substantiæ. *In secundo* autem *de Alimentis Cap. 20.* tractans de Armeniacis, dicit, quod prauos humores confluentes ad ventriculum, aut infestos cibos, si supernatant per vomitum eiicit: sin autem resideant in fundo, per aluũ conciens diarrhœam.

Verrucam, lepram) ponit hic genera decubitus, dicebat Galenus *tertio de Crisi, c. 1. & sequentibus.* cùm natura perfectè dominatur materiæ, euacuat eam extra corpus, & de hoc dictum est aliter, traducit in aliũ locum, & tunc non perfectè dominatur. Dicebat *in libro de causis morborum cap 6.* traducit ad partes minus validas, & ideo persæpè ad cutim, post etiam ad articulos, & ad renes. Isti sunt loci in quos tutius natura transmittit humores conuenienter, cum ipsa non perfectè dominatur materiæ, vt ab Hippocrate primo Epidemiorum. Cruda verò & incocta, dolores aut recipuas, aut abscessus, sed si impediatur, tunc transmittit aliquando in locum nobiliorem, & hoc accidit, vel ob viam obstructam, vel motum diuersum: velut cum crisis fit per somnum, &

homo expergiscitur fortuitò: vt de patruo meo insigni Lacerdote Paulo Cardano, & ob id mortuus est. Vel dato medicamento aliàs deducente, aut exhibito cibo importunè, aut ex ira, vel mœrore, aut frigore. Ideò ibi subiungit aut mortem. Diximus alibi de causis, quare materia ad membra principalia, aut nobiliora feratur. Si autem sit mediocriter valida, facit (vt in textu) verrucas. Hæ sunt pustulæ trium generum simpliciter dictæ, & acrochordonæ myrmeciæ. Acrochordonæ sunt illæ, quas variolas nos dicimus, de quibus Hippocrates in *tertia Aphorismorum* enumerans morbos pueriles. Constat enim verrucas (quas nos vulgariter appellamus poros) non esse morbos pueriles, quin imò sunt contagiosæ illæ verrucæ, & aduenium tam adultis, & senibus, imò magis quam pueris. Neque etiam naturâ solet illis expurgare corpus. Hic enim adnumerat verrucas cum lepra hæmorrhoidibus, & cum tuberculis, & carcinomatibus, acrochordonæ etiam verrucæ cum dolore aduenium, vt Celsus docet in secundo libro, de quo miratur Ingrassius: quia Paulus dicit eas esse, sine dolore. Intelligens per illas tubercula illa lata in imo tendentia in acutum, quæ Celsus vocat thymia, quas Galenus dicit esse difficiles ad eradicandum. Acrochordones autem ob homonymiam vocis deceperunt plures: dicuntur enim ἀπὸ τῆ ἄκρου παρὰ εἰκόνα χορδῆς, id est, à corde extremitatis similitudine quam vocant pensilem. Quam nos sæpè vidimus latior in summo, tenuis in imo: & est plerunque sanguinea: cum alia sit acrochordona dicta, quoniam ἄκρα ἔχεται τῆς ἐπιφανείας τῆς δερμάτος, id est, extrema manifestè cutis occupet, atque hæc est, quæ pueris aduenit dolorifica, ac cretica, de qua hic sermo est, quæ hoc anno multos peremit pueros ob stultitiam medicorum, & pertinaciam quorundam Bononiæ, cum dicerent non pertinere ad medicos curare eas, & tamen cubabant medici, & dabant vinum: atque ita delata copia humoris ad cerebrum, perimebat eos: multos strangulabat iuxta sententiã Principis. Neq; verisimile est latuisse Græcos, quod omnibus aduenit. Procul dubio ergo acrochordona variola est apud Hippocratẽ, & celeriter abit cũ alia acrochordona Pauli, sit morbus, qui vix vnquam per se recedit, imo ne morbus quidem, sed fœditas quædam cutis. Cùm aliud genus cum febre plerunque aduenial, & acuta quamuis nonnunquam febre, & vbique in toto corpore aduenit, & contagiosus, & aliquando etiam pertineat ille, alius neque contagiosus, neque periculosus, neque cum dolore, nec cum febre, sitque diuturnus, neque omnibus: & neé in toto corpore, sed in paucis locis, & plerumque in solismanibus: præsertim sylvestri parte conspiciatur: & vt breuiter dicam Celsus meliùs, & breuiùs assecutus est sententiam Hippocratis, *in quinto libro cap.* 28. *Sec.* 18. distinguens huiusmodi pustulas, & verrucarum genera, seu similia verrucis in Acrochordonas, quæ dolorificè sunt latæ, in imo aduenium pueris, & rarò paucæ simul, & in saniem vertuntur. Et rarò fabæ magnitudinem excedunt hoc verum est. Sed admiratione dignum videri posset his, qui norunt variolas, nec ciceris magnitudinem æquare. Ideò mirum non est scientibus, quod faba antiquorum vix: lente maior erat. Nostra autem quam fabam vocamus, genus nouum est leguminis, ex Ægypto aduectum, ita error ex errore ortus admirationem patere posset, & sub his acrochordonis etiam morbilli continentur, quid clarius, hæ igitur sunt variolæ Arabum. Et myrmeciæ, quæ & ipsæ cum dolore aduenium, & latæ sunt in imo, sed non habent reliqua, quæ in acrochordonis, & clariùs assimilantur, & hi sunt pro tertia differentia: demum Thymia, quæ sunt verrucæ nostræ vocatæ porri. Dicitur autem verruca à Latinis editior montis pars, atque aspera, vnde verrucosa inæqualia θύμον Græce dixit, hîc vt de variolis in dubium verti possit, non in Aphorismis, vbi habet ἀκροχορδόνας, ibi enim variolas (vt dixi) intelligit, μυρμηκίας autem quasi formicas, si ad etymon respiciendum sit. De tuberculis docebat Hippocrates *secunda Aphorismorum*. [Vbi fauces ægrotant, aut tubercula nascuntur in corpore inspiciendæ sunt ægestiones, nam biliosæ fuerint, corpus vnà ægrotat: si verò similes sanis, tutum est corpus nutrire.] Ibi totam huius, & illius loci doctrinam Galenus aperuit, dicens. Animalium natura nonnunquam ex principalibus membris humores euacuat malos, alios per vrinam, & vomitus, vel aluum inferiorem excernit, alios per cutim extrudit, quos cum euacuare propter crassitiem non possit, ibi eos deponit, atque eo modo tubercula nascuntur in corpore. Tunc igitur considerandum est, ac distinguendum nunquid natura totum in partibus patientibus superfluum deposuerit, an adhuc corpus vniuersum vitiosis humoribus abundet, quod excrementa indicabunt, reliqua quæ sequuntur. Ideò hoc idẽ de acrochordonis, & hæmorrhoidibus, & sequentibus euacuationibus, quæ ad partes corporis fiunt est considerandum, an scilicet totum corpus expurgetur verè, ac perfectè, an potius natura id tentet efficere, & non possit. Si ergo purgaueris, vbi corpus est mundum, retrahes materiam vt in variolis, & carbunculis, & penè occides laborantem, aut si non purgaueris, aut euacuaueris cum corpus fuerit plenum, idem & deterius accidet. Et præcipua causa in tuberculis est crassities materiæ, nam si tenuis fuerit, vt in erisipilate, non fit tuberculum. Causa autem in illo non videtur crassities, quod extrudi non possit, nam excresceret in molem ac tumorem, retinetur tamen, quoniam prauitas humoris non patitur moram ad concoctionem. Videtur igitur mihi causa alia, scilicet non separati humorem, at hoc etiam contingit cum omninò malus est: quemadmodum in carcinomate. In eo enim materia est admodum crassa & praua, & ideò à natura nunquam subigitur, à medicamento tamen præparata expellitur. Malè vocant Latini cancrum, de quo aliàs sermonem habuimus. Est autem duplex vlceratum, & non vlceratum. Cancrum autem Celsus appellat vlcus serpens, præcipuè

quod

quod ab externa causa originem duxit, velut erysipelas, vlceratum, & vicus denigratum, & gangrenam, & phacelos, & æstiomenon. Duo tamen tantum illius genera facit. An verò carcinoma absessus seu tumor calidus sit, an frigidus: Videte duodecimo Contradicentium.

LECT. XXV.

Super

TEXT. EODEM XXVI.

LEpram) hic est quartus morbus seu quintus, qui ad decubitum pertinet, in quo immorari ob multiplicitatem sensus, vt vtile fuerit, ita circumcidere, quæ adiacentia sunt, & confusionem pariunt etiam viri est, non ad ambitionem scribentis, sed legentium, atque audientium commodo consulentis. Ergo lepra est morbus quidam apud Græcos cutaneus, velut scabies, dicturque à λέπος per syncopem, id est, adiecta. id est, squammosa ἀστὶς enim squamma est. Eiusmodi squammarum quædam sunt magnæ, ac rotundæ, vt in lichenibus, aliæ verò vt piscium modestatæ magnitudinis, tenues, & non adeò rotundæ, lepræ propriæ. Dicitur autem hoc nomen lepra, & vt homonymum ad interpretationem Græcorum, & Latinorum, qui è Græco verterunt, & Arabum, & eorum Latinorum, qui ex Arabica lingua transtulerunt. Idcò quæ apud Hippocratem Galenum, Paulum, & Actium, dicitur lepram orbus cutaneus de genere scabiei, aut cum maximè imperfectus: At apud Principem Rasin, Serapionem, Azarauium, de ipsa Elephantiasi, seu crassitudine totius corporis apud Græcos: sed forsan magis dicit secundum analogiam, verisimile est cum eandem habeat (ratione cutis) fœditatem asperam, & squammosam, in qua omnes conueniunt. Etsi licèt in aliis differant, hoc non efficit, vt nomen debeat dici secundum rationem diuersam, aliter animal diceretur æquiuocè de Elephante, & vermemam plurimum differret elephas à vermine, quam elephantiasis à lepra, & ita etiam corpus æquiuocè diceretur: maior est differentia corporum aliorum inter se, quàm horum duorum morborum. Sufficit ergo ad hoc vt non secundùm homonymiam dicantur, vt habeant aliquam rationem communem simpliciter, aut ordinis cuiusdam, non quod sit in eis ratio diuersa. Ideò relicta hac dubitatione, transeamus ad interpretationem ipsam huius nominis. Ergo ea duplex est iuxta analogiam, scilicet de lepra simplici, & media, iuxta quam etiam leprosi Iudæorum dignoscere qualis fuerit expedit, postmodum de Latinorum lepra.

Lepra igitur Græcorum est ex genere scabiei: eorum enim actum, quæ ad cutim secernuntur, & absceduntur: alia quidem non colliguntur efficiuntque pruritum, aut colliguntur, & faciunt pustulas, & asperitatem, non tamen exusta sunt, sed partim ichor, & efficiunt siccam scabiem, aut humoris sanguinei aliquid educunt, qui postmodum suppurat, efficiuntque scabiem latam, & pinguem, vocatam tanto fœdiorem visu, quanto priore minus molestam. Latæ enim pustulæ (vt inquit Hippocrates) non admodum pruriunt. Si verò cum his etiam materia aduratur, quæ ichoris habeat rationem, fit λέπρα; sed plorâ in qua apparent quædam similia furfuribus. Si verò quòd aduritur etiam pingue sit, nec sanguineæ partis expers, fit squamma, quæ crassior, grauior, durior, & splendidior furfure: & tunc vocatur lepra. Lepra igitur est pruritus cum asperitate cutis, & squammis. Hæc igitur est lepra simplex, vt dixi Græcorum, de qua semper intelligimus. Lepra autem ipsa ab initio subrubra est, & quasi rosei coloris: si autem perseueret, & maximè in corpore cachochymo, & exusto, & ætate post vigorem, & vtatur mala victus ratione, & præsertim, vt viuat sordidus, & in regione valdè inæquali, & tempore simili, fit rubra, & asperior, & cum pruritu maiore, & squamosis durioribus, & profundiora facit vlcera, & iam incipit esse media & alterius quasi generis. Si verò adhuc magis perseueret, cum iisdem adiectis, tum diuturnitate, tum quia putredo putredini superueniens, vt alias dixi in omni genere, & febrium, & tumorum deterius efficit, & genus sæpè mutat, fit nigra, & est media modi peioris, nondum tamen absolutè transiit, in aliud genus, sed est valde grauis, & fœda. Quod si adhuc perseuerent omnia, tunc transmutatur in albam, & tunc est alterius generis prorsus. Et albus color adeò videtur esse naturæ mediæ lepræ familiaris, & proprius, vt quidam confundant lepram cum leuce, quoniam (vt dixi) in hac media denudatur cutis, sed & in simplici lepra, vt infrà docebimus, verum in media hac absoluta multò magis. Et iam biennio præterito fui vocatus ad mulierem quandam, patientem hoc genus lepræ, & ego nesciebam, quod morbi genus esset. C. M. magnanimus qui me miserat aduocari, dixit esse lepram, ego non agnoscebam, assuetus solum cognoscere lepram simplicem Græcorum, & Iam Arabum, quæ Elephantiasis à Græcis vocatur, quæ plurimum differt ab hac etiam mediocriter in Elephantiasi vix adest pruritus, & hic adest non tamen magnus, iam victa natura. In Elephantiasi sunt tubercula sparsa per corpus, & in profundo in hac pustulæ, quæ tegunt maximam partem corporis, & non adeò profundæ, vt etiam consentaneum est. In hac præterea, & pustulæ, & cutis sunt albæ: in Elephantiasi nigra tubercula ipsa, & cutis, aut fusca. In hac etiam non est aspectus adeò horribilis, nec fœtor adeò magnus, nec forma adeò mutata ab humana, vt in Elephantiasi. Sed & in elephantiasi homini sunt propè cubitum, in parte superiore externa, quasi sub brachio glandulæ quædam duræ à magnitudine ciceris ad auellanæ quantitatem duræ in vno brachio, & deterius in ambobus, & quanto maiores: & est signum valde peculiare. Et non est in media vox adeò rauca &

corpus ponderosum, vt in elephantiasi. Et hæc media & multo sæpius simplex videtur in Italia. Elephantialis autem rarus, quamuis etiam viderim in Xenodochio Mediolani, sed frequens est in Gallia, & frequentior etiam in Hibernia iuxta angliam, dicunt ob esum lactis, & pascium simul, & multum. Et regionis intemperiem frigidam, sicut in Ægypto ob caliḋam. Ideo non debet dici in orbis ratus elephantiasis, nisi in Italia: sed lepra media est, in italia frequentior, simplex autem longe magis. Haliabbas autem cùm esset Arabs Græcissans, constituit elephanticum morbum quendam, & est tumor varicosus in pedibus (cui ego à iuuentute subiectus fui, cùm tamen solæ venæ non pes intumescerent) distinctum ab elephantiasi. Porrò elephantiasim apud Italos vocant indigenæ morbum, sancti Lazari ob parabolam Christi in Euangelio positam, de illo Lazaro paupere, qui viuens omnibus indigebat, & pessimis vlceribus scatebat, ac fœdis, quem mortuum excepit Abraham in sinu. Ab hac similitudine illud nomen sumpsit origi ē Ideò elephantiasis est carcinoma vniuersale, morbus pessimus, ac prope insanabilis lepra. Arabum plurimum differens à lepra Græcorum, de qua hic est sermo Cùm hic sit ex genere eorum, quæ abscedunt: elephantialis autem, quæ corrumpunt. Et est similis ei lues Indica, sed leuior. Lepra igitur simplex duplicem habet causam materialem, & efficientem: & quandoque confunduntur, vt secundo de symptomatum causis, & ideò medicus coniungit persæpè has causas vt in grauedine, dicimus, quod materia est pituita, & etiã quod efficiens est pituita: & in phlegmone efficiens est sanguis, materia est sanguis. Assumit ibi locum communem, vtpote cutim & humorem extimulantem? deinde distinguit in tres differentias iuxta qualitatem bifariam, tenuem & crassum, mordentem & saltum, iuxta multitudinem paucum & multùm: Iuxta motum immobilem & mobilem. Et si bene consideres, fiunt sexdecim coniugationes: quarum tamen ponit solum de quatuor exemplum, inter quas est illud de lepra, quod sit multus, crassus, salsus, & immotus: paulò antè verò dixerat, quod esset etiam nonnunquam lentus, & ideò hæret infixus ipsi cuti, vt id etiam coniectemur in lepra. Qui autem mordent humores in cute: idem in lingua assumpti, hi autem sunt acres acidi, & salsi, tum quod videmus vt dixi ab his erodi linguam, tùm quia impositi vlceribus mordent, tum quod his quibus vasa rumpuntur in pectore destillatio sentitur huiusmodi sapore imbuta. Ergo in lepra primum talis materia eò transmittitur, inde locus inficitur vt nutrimentum materiam similem generet. Dubium restaret de amaro, sed quia amarum sit trãsitu, ideò oportet vt fiat antea valdè salsum vt erodat vehementer, antequam fiat amarum: sed vix potest erosio, aut pruritus ab amaro incipere: sunt autem quædam in quibus causa agens est, valdè distincta materia, vt in febre calor distinguitur à materia, quæ persæpè frigida est: motus autem non ita, & multò minus quies, quæ potest reduci ad causam, sine qua non: habes igitur causas leprę.

Sed materia eius est communis tam quæ dicta est, quam etiam pituita Vide *in libro de Affectionibus Pag.* 10. lepra, scabies, pruritus, & impetigines, & vitiligines, & alopetiæ à pituita fiunt. Sunt autem magis defœdationes, quam morbi. Fauus autem & strumæ, & panī, & furunculi, & carbunculus à pituita fiunt, & morbi sunt vbi apparet, quam leuis morbus sit lepra Græcorum. Hic ergo materia communis dicitur genere, id est, pituita, vel alius humor, vel qualitate vt tenuis, vel crassa ex pluribus conditionibus communibus, fit propriæ materiæ determinatio, & hæc est in vsu apud medicos.

Quomodo autem lepra generetur dubium est, dicente Galeno *quartodecimo artis curandi cap.* 17. *in prin.* Harum quæ toto genere præter naturam sunt, triplex est differentia: quædam ex mutatione consistit solidarum partium: sicut myrmetia, etiam leuce, & vitiligo, & ossis caries (quàm sphacelon vocant) & elephas, & scabies, & lepra. Quædam cum prius omnino non fuerint, postmodùm sunt orta, velut meliceris & atheromata, steatomata, helmintes, ascarides, & ceria, & quæ in abscessibus inueniuntur similia ossibus, pilis, atque lapillis. intelligit quod ea, quæ gignuntur præter naturam omninò alia generantur ex alimento solidorum, alia ex superuenientibus, & sunt non omninò aliena à natura hominis licet sani: alia etiam toto genere velut lapilli, vel saltem loci vt ossa dentes pili in atheromatibus, & meliceribus, ac steatomatibus, quæ tunicula propria continentur, sed vt dixi lepra, & scabies primum quandoque fiunt ex humore influente, inde particula inficitur: plerumque ex contagio, & tunc variatur locus. Et serpit malum ob propinquitatem, donec totum corpus occuper. Inde ne omnia attingere velle videar, dubium relinquo cur in scabie, & lepra ex contagio contracta morbus nonnunquam transit ex manibus in pedes, medijs partibus non effectis: & tamen non ex vitio humorum intus prodit.

His visis quærendum est sub quo genere morbi contineatur lepra Græcorum? Apud Arabes, & Latinos cum Celsus eius non meminerit, & lepra etiam Iudæorum, an sit simplex, an media, an proprius elephas. Ingrassius vult quod contineatur sub albaras nigra, aut impetigine excoriatiua Arabum, & sub impetigine Celsi. Adducit autem duas rationes euidentiores inter reliquas de Celso, quod non nominauerit hunc morbum, & tamen cognouerit, & quod auxilia impetiginis sint eadem leprę Græcorum. Nos autem libenter ista pertransimus in quibus magna vis non est in diuersitate curandi, & coniecturæ probabili innititur. Si tamen aliquis ad psoram, aut scabiem lepram reduceret, etiam posset videri aliquid dixisse. Marcellus tamen *in libro de medicamentis cap.* 19. sæpè distinguit lepram, & elephantem, & impetiginem cùm sit author Latinus:

Latinus: & Theodosij senioris Imperatoris tempore floruerit. Et Plinius secundus *in quarto libro suæ medicinæ, cap.* 29. & Apuleius *de Herbarum virtutibus, cap.* 10. quanquam errorem in codice esse suspicer. Macer quoque sæpiùs meminit eius, & ipsi omnes antiqui authores. Neque enim Celsus vnus, quamuis celeber apud latinos totam constituit medicinam: nam Macer Ouidij amicus, erat, ideóque antiquior Celso: sed Apuleium Madaurensem etiam floruisse Galeni fermè temporibus, certum est. At de Principe cum constituat impetiginem morbum ex melancholia, *vt in septima quarti, & in cantica*, aliquid habet ambiguitatis.

De Hebræorũ autem lepra maior est difficultas. *In leuitico c.* 13. & 14. Moses septem considerat, quibus impurus seu leprosus discernitur à scabioso, aut morbo qui tametsi malus sit, non tamen communicatur supponens in omnibus albam factam esse cutem. Primam mutationem pilorum in album, aut flauum, & exiles fieri secundùm depressionem loci, tertium motum, quod morbus augeatur, & diffundatur, aut minuatur: cuiusque terminum septimum diem statuit, atque hunc sæpius repetit, si oporteat: quartum carnis rubræ speciem, quæ cùm pura sit lepram efficacem denunciat: quintum quod sit in toto corpore, vel in sola cute capitis: sextum in vestimentis eadem obseruat: septimum in domo, & parietibus cubiculorum, & laquearibus etiam, sed hoc minus. Ex quibus patet, quod cum albitiem supponat in omnibus, & velit adeò esse contagiosam, quod illud genus erat diuersum ab elephantiasi, in qua sunt peculiaria tumores duri, & nigrities, & à lepra simplici, quæ non est adeò metuenda. Quare concludemus Elephantiasis, & lepræ quoddam medium fuisse: vt sint sex genera præcipuè lepræ. Primum & simplex Græcorum: Medium quod in Italia viget. Iudaicum quod erat grauius hoc. & erat deductum ex Ægypto. Indicum quod vocamus morbum Gallicum, elephantiasim, quæ propria fuit Ægyptijs, & Arabibus vnde profluxit illa Hebræorum. Et speciale quod capiti proprium est, ex quo genere fuit mentagra, quæ mentem maximè afficiebant Plinij ætate, aut non multo ante: hancque lichen vocabant. Nam & Indica lues nostro tempore solet spoliare mentum pilis, & caput capillis, vnde irrisui habentur. In hoc igitur genere fuit, quam nos vocamus tignãm, non est hæc tyria, sed deterior capiti propria: cuius quidem tria sunt genera. Mitior quæ medicamentis sanatur meliùs quæ anulsis capillis, inde vbi sanguinauerit, illito acri medicamento, & quæ nunquam sanata est. Vt in Ambrosio Cauenago, quamuis egregio medico à fœditate tamen conualuit, sed non ab alopetia & phtiriasi. Atque in hoc genere ab aliquibus collocantur vulpina, quæ est alopetia, & leonina: sed hoc parum refert, cùm ob id censeantur lepræ species, quia contagiosæ fœdæ & diuturnæ sint. Communia igitur omni lepræ videntur propagari, contagio cibi, potus, osculi, lecti, veneris, vestium: denique cubiculi, & esse in summa cute cum asperitate eius, ac inæqualitate: tum verò fœda, maximè, cum verò profundius est vitium, etiam si lepra sit aliquid vltra habet, velut Elephas & Indica lues. An verò in quouis genere lepræ pruritus adsit, postquam putredo adest, verisimile est. Lædit enim quod corruptum est id, quod est sanum. Ideò non prurit si prorsus corruptum sit. Tum enim neque prurit, neque dolet, vel si nimio plus morbus in grauescat: tunc enim dolorem loco pruritus generat. In aliis excitat pruritum, in aliquibus leuem, in aliquibus vehementem, iuxta humoris rationem.

Concludo ex his, quod sunt quinque genera lepræ: Italica quæ Græcorum: Italica antiqua, quæ & mentegra, & ex natura Indicæ, quæ & ista satis leuis est. Nam illa quæ nunc habetur non est syncera, sed putredine fortuita facta, longè deterior media Iudaica, & Elephantiasis vera Arabibus, Ægyptiis, & Scotis, ac Hibernis, etiam Gallis communis. Et quod proueniunt illis ex intemperie aëris, victu prauo, & sordida conuersatione, & duobus vltimis occurrit Moses. Et sunt signa septem communia omnibus, cutis morbus profundus cum pruritu, asperitate que, & albedine, & squamis contagiosus. Oritur autem aliquibus ab initio natiuitatis contracta origine, vt maximè in his, qui ex coitu tempore fluentium mensium generantur. Vnde Azarauius, qui sint vnus e quinque principalioribus Arabibus sapientibus, licèt vltimus in ordine. Nam primus fuit Geber. Secundus Albucasis. Tertius Hasen, seu Auicenna. Quartus Auerroes, qui huius opinionem approbat, dicit quod qui generatur in prima die, qua prodeunt menses, corripitur lepra intra xij. annum, si secunda die à xij. ad xxiiij. Si tertia die à xxiiij. ad xxxvj. si quarta à xxxvj. ad xlviij. & eadem manet dubitatio, quomodo semina talis morbi possint tamdiu latere, & etiam vidimus de morbo Indico, quem reuerti post xxx. annos à curatione: Ingrassius se vidisse refert, ego sanè post xxij. & occidisse, qua in causa multi multa nugantur de semine illo morbi, qui tamdiu latet, vt tempore postmodum vires acquirat: sed hoc est absurdum, quoniam res contra naturam non potest tamdiu latere, quin resoluatur, & extinguatur, aut naturam dissoluat membri, in quo est. Contingit ergo quædam differri per multos annos quatuor modis. Primum secundum naturam, vt dens, qui mihi natus est xliij. anno, & adhùc est mihi in ore robustus, & est superioris mandibulæ: vltimus à latere dextro. Quoniam locus vel robustior fit, aut dilatatur foramen, vel materia accumulatur cessante incremento aliorum. Sunt autem multi modi in re naturali. Secundus est cùm morbus non latitat per se, nec est seminarium, sed vere morbus, verùm per aliquam effluxionem perpetuam, tollitur noxa illius materiæ, & ita illa pars inde videtur esse ac si esset sanus, sed non est inde impedita: effluxione fit morbus manifestus: & læsio etiam eius. Tertius est cum ex mutatio-

ne regiminis in victu, vel etiam ex successu ætatis debilitato loco, velut etiam in senibus gignitur morbus genitis humoribus vt in arte Medica tangitur *cap. penultimo* à Galeno: Et quia lues Indica propriè gignit morbos ex cruditate, ideò existimant morbos ex imbecillitate naturalis facultatis, esse ab illo morbo. Et tamen non sunt, licet sint ab imbecillitate contracta ex eo. Quartus est cum morbus adest, & tamen ob defectum instrumenti, non potest efficere noxam generando materiam illam. Velut si sit frigidus, & membra sint calida ob ætatem, victum, regionem, & huiusmodi. Et ad hoc faciunt circuitus planetarum, & septenarij annorum, & similia. Et ideò illi, in quibus tardatur lepra vsque ad xl. annos ex generatione, vel est lepra per viam decubitus, & ita fit hoc per primum modum: vel ob caliditatem, quæ non potuit efficere feruorem in humoribus, vel ob exercitationem, vel alia, quæ possunt esse plurima. Imò si ille vteretur optima ratione victus, nunquam aduenirent.

LECT. XXVI.

Super

EODEM TEXT. XXVI.

E naribus, pulmone.

HÆc est tertia pars, in qua postquam, docuit genera materiæ, quæ eiicitur, aut quæ per abscessus deponitur ad locum, docet modo per quas vias, & vnde deferatur qualiscunque sit, & proponit quinque, à quibus plurima materia excernitur, à naribus, quia totum cerebrum purgatur, adeò vt in grauedinibus quantitas sit præter fidem, quæ eiicitur singulo die: idem de pulmone omnia enim, quæ per pectus eiiciuntur, necesse est vt per pulmones deferantur, & Galenus recitat de illo, qui in aliquot diebus expuit, sex aut octo, vel etiam decem heminas puris, per ventrem intelligit superiorem, & per sedem inferiorem, & per colem vrinam: imò etiam semen, sed hic de eo non intelligit: reliquorum quantitas est incredibilis: si volumus etiam per sedem intelligere hæmorrhoidas, & per nares etiam sanguinem narium dubium non est, quin hoc etiam non sit verum: & ita per ventrem possemus intelligere inferiorem. Hæc omnia cum sint vera, possunt amplificari iuxta veritatem, vel contrahi ratione instituti, eius quod est exempla affert accommodata.

Secundum naturam, & præter naturam.

Hæc est quarta pars vbi hæc omnia, quæ dixit, & tres præcedentes partes declarat, quia & sudor, & sputum, & tubercula, & verrucæ, & sanguis è naribus, & pe sedem possunt esse secundum naturam, & præter naturam. Trifariam autem dicitur aliquid secundùm naturam, vel quia fiat à natura omninò nullo modo vexata, vt concoctio cibi: vel à natura, id est, in eius vtilitatem, vt tuberculorum generatio, concoctio materiæ febrilis: vel quoniam fit ab ipsa natura, licet vexata, vt distinguitur ille motus ab omninò præter naturali: velut expulsio acris humoris in ventriculo mordentis ante concoctionem: præter naturam omninò est ascensus vermium ad ventriculum: materiæ venenosæ ad cor: destillatio ob multitudinem materiæ præfocans: vt in rechmone morientium. Hæc enim sunt præter naturam propriam patientis, tametsi non sint præter sub hoc sensu, intelligendo per naturam, naturam vniuersalem, qua elementa grauia tenduut deorsum, & calida ascendentia. Secundus ergo modus secundum naturam dicitur à fine, non solum ab agente, sed quia non fit plenè, non dicitur naturalis multò minus tertius, quia non fit sine stimulo. Igitur vt perfectè dici possit fieri secundum naturam, quatuor requiruntur, quod à natura, tanquam principio, quòd ad vtilitatem propriam, & consequendum finem iucundum ipsi naturæ: quod plenè ipsum finem assequi possit, & quod sine stimulo alio externo natura ad id incitetur.

Horum discrimina aliis secundum aliam rationem.

Hæc est, quinta pars, in qua Hippocrates docet euacuationes consideratas fuisse alia ratione, quam quatuor prædictis, scilicet à substantia vt sanguinis, à modo vt decubitus partem vnam: at loco vt pulmone ab eo, quod est secundum naturam, aut contra, vel ratione modi, & tunc dicitur secundùm aliam rationem: aliis ratione diuisionis, & propter hoc subiunxit (aliis etiam aliter) & est sexta pars, ac si dixisset non solum hi euacuationes distinguunt in naturales, & non naturales ab hoc, quod sint eorum, quæ sunt secundum naturam, & per loca consueta, aut decubitus, sed accipiunt alias rationes distinguendi, hoc quod est secundum in naturam & præter naturam: alij verò etiam distinguunt rem ipsam, aliter vt mox dicemus. Et intendit, quòd diuisiones debent dari per opposita tam in rationibus, quàm in subiectis primum: secundum per opposita pertinentia ad artis finem aliter in primo contingit, vt vel idem assumatur bis, aut vt multa necessaria relinquantur, quia opposita sunt prorsus separata inuicem, & omnino inter se diuisa, vt ambiant totum genus, velut corpus in viuens, & non viuens, animal in rationale & non rationale. Ideo debent opponi per aduerbium, non. Et in secundo si quis peccet nihil confert ad artem, imo dicit Galenus in lib. de Sectis ad eos, qui introducunt, oportet vt sint vtilia ad assequendum finem. Quamobrem Galenus *quarto de simplicibus medicamentis in prin. cap. vltim.*

non

tis non admittit considerationem medicamentorum ex coloribus, sicut illam quæ est ex saporibus, & odoribus, quia non est vtilis ad inquisitionem virium medicamentorum, & facultatum earum. Tertiò vult quòd eiusmodi diuisiones sint per causas principales eorum, quæ à medico considerantur, id est, causam bene, vel malè se habendi: velut quod euacuationes sint secundùm naturam, & sunt semper bonæ: aut præter naturam, & sunt semper malæ. Et hoc proponit generaliter tam in sanis, quam in ægris. Cùm autem dixit secundùm aliam rationem intelligit, quæ sit extra genus, non quæ sub genere comprehendatur. Nam qui dicit hominem, non dicit aliud ab animali, sed qui dicit plantam.

Intelligit ergo primum quod aliud est naturale simpliciter: quod semper & omni homini vtile est, & proficiscitur ab ipsa natura, nullo modo irritata, vt fæces, vrina, mucus, sputum, sudor æstatis tempore, & vteri sanguis. Est postmodum naturale, quod est à sola natura, & ad finem bonum, velut hæmorrhoides, & verrucæ, & lepra: Tertiò quod est naturale ratione loci solum, & tunc non est verè naturale: quia per aluum & colem potest eiici etiam lapis, & sanies, & hoc non erit naturale. Ideò subiunxit talia vtroque modo eiici poterunt. Hic igitur primum intelligere oportet verba illa *Horum differimina aliis, &c.*) posse referri ad euacuationes, & ad secundum naturam, aut præter naturam. Sed posteriora cùm referantur ad res, intelliguntur de alia diuisione, vt dicemus. Ergo de omnibus, & primùm de euacuatione in prima Aphorismorum [Euacuationes non multitudine sunt æstimandæ, sed si qualia oportet purgari purgentur] Illi gaudebant multa euacuatione dicit Hippocrates, non à multitudine, aut paucitate sunt æstimandæ. Secundò cum dixit in quarta eiusdem [Deiectiones nigræ, & subiungit, & quanto colores plures praui fuerint, plures pejus, cum medicamento verò melius: & quanto colores plures non praui. Dicebant illi multitudinem colorum esse malam] Dicit Hippocrates non est hoc verum absolutè, sed considerare oportet an cum medicamento, an sine: & an colores fuerint praui, vt viridis, liuidus, niger, aut non praui, vt flauus, & albus, & pallidus. Deinde etiam ista non sunt dicenda mala, aut bona, nisi vt sunt naturalia, aut præter naturam substantia & loco. Tertium est natura humoris vtpote biliosæ excrementa, vndecunque veniant, dicit Galenus *primo Prorrhiticorum, Tex. & cap.* 18. & sumitur ab Hippocrate in textu, bona sunt si à consimilis naturæ patientibus proueniant, mala si à contrariis, & ideò per se possunt neutra appellari. Et in substantia crassa, & tenuia, vt ibidem: nam tenuia ab initio, & crassa in fine morbi, non mala, sed ex ratione, vt contra crassa ab initio, & tenuia in fine. Vel si copulentur conditiones non consequentes, velut illud æstuosi rigores, quadantenus pernicioſi: flammans quoque cum sudore facies in his mala. Talia enim sunt ἄξυνετα & etiam si incidant in crisim, nil absurdum significabunt: aliter poterunt etiam casu in vnum coiisse, & mortem significare, vt enim rectè dicebat Galenus talia nil plus significat, quàm tanto maiorem morbum esse, quo plura sunt symptomata. [Aut cum ea adiiciuntur, quæ nihilominus rem non mutant, velut illud nigra reuomentes, cibos fastidientes, deliros, in pube parum dolentes, quibus oculus ferox, & clausus purgare non oportet.] Dicit Galenus ibi neque vulneratos in corde. Et etiam illud in pube parum dolore incompositum est, siue non doleant, siue parum doleant, seu multum omninò morituri sunt. Quanquam quidam referrent ad vesicæ inflammationem cum delirio. Talibus ænigmatibus delectabantur antiqui, quos Hippocrates refellit.

Vel si referatur ad id, quod est secundùm naturam, non ad signum: velut Methodici, vt dicebat Galenus, de his quòd omnia referebant ad astrictionem, aut laxationem: vt *primo Methodi in libro de Sectis*, quanquam non ita intelligendum est simpliciter. Extant enim Chroniorum, id est, de morbis longis quinque libri Cælij Aureliani Sicensis, in quibus singulorum morborum ponit proprias causas, vt in primo libro doloris capitis recenset in solationem, & frigiditatem alibi percussionem, aut vulnus. Et ideò illud de laxitate, & astrictione solùm ad morbos materiatos traduci debet: in quibus parùm à veritate aberrabant. Nam seu quod vtile est fluat, seu quod inutile retineatur, fiunt morbi. Addebant insuper & causas alias causarum, adeò vt in generalibus parum delinquerent: verùm tamen dicit Galenus (& optimè) *in primo ad Glauconem, c.* 15. *p.* 6. multis erroribus plenas rationes sectantur, ideò homines interficiunt. Nimis enim malè agitur cum erroribus medicorum, vel leuissimis, vita periclitatur. Posset etiam interpretari de his, qui naturam, euacuationem spontanearum, & à medico factarum aliter interpretantur, velut Aretæus in secundo libro de cholera, dum declarat signa eius morbi, ponit tentiones in ore ventriculi, tormina ventris, nauseam, vomitũ bilis synceræ, vertiginem, singultum, conuulsionem ac tentionem neruorum, rigorem, liuorem, vnguium frigus extremorum. Sed subiicit quòd si malum ad perniciem tendat sudor, aduenit, & vrina ob conuulsionem sistitur, & atrabilis supra, & infra prorumpit, voce priuantur, & pulsus minimi, & frequentissimi euadunt, quódque grassatur æstate maximè, & Autumno, & in iuuenta. Hi ergo ex aliis etiam hoc venantur, scilicet an sit naturale, aut præter naturam. Ideò signa dicuntur bifariam præter naturam in sanis, & ægris. In sanis quæ morbum futurum indicant, licet non præsentem: at in ægris tristiam, vel quoniam sunt solum signa pathognomica, aut distinguentia morbum: & ideo hæc non debent dici secundum naturam, neque præter naturam, quia natura tum intelligi-

tur, cum morbo coniuncta. Secundò Critica, quæ etiam sunt indifferentia: possunt enim esse ad salutem aut mortem. Tertio salutis, & hæc sunt secundùm naturam: & mortis, & hæc sunt præter naturam.

Demum si considerentur signa aliter seu res ipsæ, id est, non vt sunt secundùm, aut præter naturam, sed hoc est extra finem medici, & pertinet ad philosophum naturalem. Vt si quis quærat de pituita, cur sit alba, sanguis ruber? quare moueantur humores leues ad superiora crassi ad inferna, vel vt Fracanzianus si relictis propriis circa euacuationes, vtpote concoctione, & tolerantia differat de die critica, de loco, & via euacuationis, aliquid dicet: non tamen primum.

LECT. XXVII.

Super

TEXT. XXVII. & XXVIII.

Vna natura sunt hæc omnia, & non vna: Multæ naturæ sunt hæc omnia, & non vna.

INtendit duplicem diuisionem, in contraria scilicet rerum, quæ sunt secundùm naturam, & euacuationum, quia mouentur ab vno principio, & est natura, quæ potest in contraria, vt dixi antea de attractrice, retentrice, expultrice, & hic cum loquatur de expultrice tantùm, dicit hæc est vna natura ratione actionis, ratione modi non vna cum expellat sursum, & deorsum, & per aluum, & vrinas, & intus, & extra, vt in sudoribus ad deiectiones comparatis. Ideò prohibentur vnum ciere dum natura alteri est intenta. Est igitur natura multiplex bifariam & ratione loci per quem expellitur, & ratione materiæ, quæ expellitur, vtpote bilis, & pituitæ. Sed in ea, quæ fit præter naturam, dicit, quòd sunt multæ naturæ, & non vna, & hoc non fuit animaduersum ab aliis: quia natura, quæ alio modo mouet, quam secundùm naturam non potest esse eadem cum priore, neque in modo, neque in materia diuersa, quia hæc differentia manet etiam si principium esset idem: sed est diuersa in principio, quia est natura mundi, quæ aduersatur naturæ propriæ animantium: dico non solùm animalium, sed etiam plantarum, & hæc est, quæ omnia ducit ad finem, & interficit. Hæc igitur natura in genere est triplex, propria animantis, & natura communis, & natura pharmaci. Neque enim illa est natura propria, cùm non sit ex animali, sed adueniat extrinsecùs, & noceat sæpè, & interdum interficiat: neque vniuersalis natura est cum non sponte moueat, & sæpè etiam iuuet: sed est quædam natura, seu vis addita medicamento per quam natura propria quodammodo mutatur in alienam. Adeò vt sint, natura interior propitia, & diuersa: & quæ aduenit extrinsecùs media, modóque propitia, modò aduersa in protrudendo.

TEXTVS XXVIII.

Pharmacia sursum & deorsum: & neque sursum, neque deorsum.

TRes proponit huius loci interpretationes: quarum prima est, quòd medicamentum aliquando per secessum purgat, aliquando per vomitum, & quandoque neque vno, vel altero modo, quoniam vel impedita: vel deprauatum medicamentum, aut nimis paucum, aut materia non præparata. Sunt etiam aliæ causæ, velut ex aëre frigiditas magna, calor, qui auocet extra humores, motus naturæ ad exteriora, velut in sudore, aut ad vrinæ vias, cùm in vomitu, & secessu materia, & ex circumferentia ad centrum, & ex gibba recoris ad cauam partem feratur: & virium summa imbecillitas, & robur, ac durities quædam ventriculi, & flatus validus ventorum, & maximè Borealium quod experientia sæpè didici. Et referunt quòd luna in fixis signis maximè tauro & leone, & iuncta erraticis grauibus, maximè Saturno, aut Ioui, vel stantibus, & ipsa motu tarda impedit purgationes.

Secundus sensus est, quòd medicamentum aliquando exhibetur per superna, aliquando per inferna, vt in clysteribus, & glandibus, quandoque neutro modo, vt cum vmbilico, & ventri superponitur: velut emplastrum de cyclamine, & cucumer anguinus hac in causa plurimum potest, inde scammonium, & helleborus, & quædam adeò valida sunt, vt in manu detenta purgent per aluum. Quædam etiam vt quotidiano experimento constat, licèt non adeò promptè, sed persæpè etiam post multos dies illita arteriis, aut etiam suffitu per os, & nares præcipuè attracta, quæ hydrargyrio constant.

Tertius sensus est magis artificiosus, & superioribus congruens, & est quòd cum dixisset in antecedentibus verbis, quòd natura euacuat per os, nares, ventrem, sedem, colem, sudorem, & medicus sit naturæ imitator, ideò expedit quandoque medico per superiora educere, quandoque per inferiora, quandoque neque per superiora, neque per inferiora, vt in sudoribus educendo, tamen aut prorsus non educendo, neque mouendo, & de hoc habentur duo Aphorismi elati in prima particula. [Quæ iudicantur, & iudicata sunt, nuper neque mouere, neque nouare aliquid siue medicamentis, siue aliter irritando, sed sinere. Alter quæ ducere oportet vndecunque natura repit per loca conuenientia eò ducere.] In his tota hæc sententia docetur seu aliter purgandum sit,

quàm

quàm per ſuperna, vel inferna, ſeu omninò purgandum non ſit. Et hæc eſt opinio Fracantiani & bona.

Hic relinquitur dubitatio cur medicamenta hunc magis, quàm illum humorem purgent? Primum igitur expedit ſcire, quomodo medicamenta purgent. Idque prius præmittendum à ſubſtantiæ ſimilitudine, quatuor genera effectuum in nobis contingere nutritionem, purgationem, robur membrorum, atque venenum: vt quaſi cum poëta dicere poſſimus.

Limus vt hic dureſcit, & hæc vt cera liqueſcit,
Vno eodémque igni.

Nam cum aliquid ſimilitudine ſubſtantiæ nobis perſimile eſt, maximè naturæ ventriculi, & qualitate, aut diſſimile, & poteſtate ſubactum, ſcilicet, vt ſubſtantia non ſit rudis, tunc eſt nutrimentum temperatum. Tria ergo ſunt, quæ neceſſaria ſunt ad hoc vt ſint nutrimentum temperatum, quod ſit ſimile in ſubſtantia, id eſt, æqualiter temperatum ex terreo, & aqueo, quod ſit beñe ſubactum, & refractum, & ita vt habeat partes aëris, & ignis, vt vocant, id eſt, humidum, pingue, bene concoctum, & vt qualitates ſint ſimiles, aut propè ſimiles. Si verò ſubſtantia elementorum æqualis fuerit, ſeu ſimilis, & elementa æqualiter ſubacta, & quantum oportet, ſed qualitates peregrinæ, vtpotè propter nimiam exuſtionem ſit nimis igneum, aut propter longam calidi in humidum actionem, pingue aut nimis terreum, id eſt, frigidum & ſiccum, quamuis elaboratum, & immutatum propter qualitatem agentis, ſcilicet, calidi acutioris, & cum motu, & mora, & quia nimis difflabile ſit, & euaporet, tunc dicetur alimentum inæqualæ, quod ſi fuerit miſtio ſubſtantiæ æqualis, & temperamentum etiam æquale, ſed non ſit elaborata ſubſtantia, & non adſit peregrina qualitas, tunc erit medicamentum vtile illi membro, & maximè ſi fuerit aſtringens pro membris naturalibus, aut odoratum pro animalibus, vel vitalibus. Conſtat enim quod membra naturalia parum delectantur aromaticis, ſeu odoratis, & quamuis adeò laudentur: videmus tamen quod iecur maximè confirmatur etiam teſtimonio Galeni 8. *de medic. ſecundum locos.* ab abſynthio, cichorio, carne limatiarum, & iecore lupi, quæ nullo modo poſſunt dici aromata, cùm careant odore prorſus, aut potiùs habeant prauum, quàm bonum contraria ratione cerebrum, & cor, quoniam quandam habent cognitionem, & ſenſu non carent, odoribus bonis gaudent, aſtrictione parum, aut nihil. Quæ enim aſtrictio poteſt conferre cordi? cuius oſa adeò ſunt patentia, & motus aſſiduus, & ſubſtantia tam dura, & calor adeò vehemens, idem dico de cerebro, ſed Galenus parum aduertens iſtam differentiam pronunciauit vtráque de vtriſque, ſcilicet, quod odorata & aſtringentia conferunt omnibus membris, quinimò etiam pulmo gaudet potiùs laxantibus, quoniam & operatio ſua id exigit, & plerumque repletus eſt peregrino humore, & plurimum appetit trahere, aërem: ſed deceptus eſt tamen, quia non animaduertit hoc diſcrimen, & etiam quia quædam quæ vtrumque habent omnibus conferunt, velut nux myriſtica & crocus, & xyloaloes, & gariophyli, & ſimilia, quorum partem nouit, partem ignorauit, conferunt omnibus membris ſine diſcrimine, ſed hæc Dialectica non eſt recta, quamuis compoſuerit ſuos libros numeroſiores, de demonſtratione. Quæ habent vtramque qualitatem, odoratam & aſtringentem, conferunt omnibus membris. Ergo omnia membra ab vtraque qualitate iuuantur, & ea gaudent. Verum enim eſt quod ſupponitur: falſum quod infertur: velut ſi duo fratres duas ament meretrices quæ ſorores ſint, quælibet illarum in ea domo libenter excipietur, velut propria amaſia, vel vt amaſiæ ſoror, non tamen ſequitur ergo vtraque, vt amaſia excipietur, quinimo oderit illam, quæ erit fratri, eò quod rem communem minuet. Solùm in ore ventriculi (& hæc fuit cauſa tertia erroris Galeni) hoc verum erit: quia os ventriculi, quatenus naturale eſt, exigit aſtringentia, quatenus animatum, ſentit enim famem, & percipit quid deſideret, & communicat cum corde, & cerebro vehementi ſenſu, & per neruos ſexti paris gaudet aromaticis, ſeu odoratis, & ideò valdè gaudet, & confirmatur ab habentibus vtráque qualitatem: velut ſunt illa quatuor quæ ſuperdixi, & præcipuè crocus, quia eſt magis mollis, & ſimilis cibo, & ideò talia medicamenta dicuntur conuenire, & ſi fuerint ſubſtantia ſimilia, quod tamen in odoratis vix vnquam inuenitur, dicuntur à tota ſubſtantia conferre, & propter hoc Galenus non potuit docere nos medicamentum, quod conferret iecori, aut ventriculo, aut cordi, aut cerebro vllum prorſus, neque temperatum, neque calidum, & ſiccum pro frigida, & humida intemperie membri, neque alterius qualitatis, imò multò minùs quod conferret trifariam illi membro, ſcilicet, ſimilitudine ſubſtantiæ, & aſtrictione, & vt odoratum, & ſi modo poteſt inueniri facilius eſſet in frigida, & humida intemperie alicuius membri, vtpote iecoris, aut cordis, aut magis oris ventriculi, quia odorata ſunt calida, & ſicca plerumque. Vnum eſt, quod medicamentum quod ſubſtantia eſt ſimile, eſt aſtringens, vel odoratum, & tunc eſt duplex, vel temperatum, vel intemperatum: illud quod eſt temperatum proprie dicitur conferre, & eſſe vtile à proprietate, quia non videtur multum iuuare à qualitate, quàm parum immutat, & non eſt perfectè ſubactum, neque refractum: aliter eſſet cibus purus, aut cibus medicinalis, aut vt dicunt medicina cibalis, quanquam iſta duo aut non multum differant, aut alia ratione, vt non ſit hic locus tractandi de hoc, quoniam non licet explicanti aliquem, aut horam declinare, niſi ad primum gradum, ſcilicet, vt explicet ſententiam, & etiam licet explicare, quæ conſequuntur ad illam, aut primo annexa ei affinia, antecedentia, vel conſequentia, ſed non licet tranſire ad tertium ordinem, ſcilicet annexa annexis. Hoc enim eſt aliud agere, & nos id vbique obſeruabimus. Si ergo medicina ſimilis in ſubſtantia,

id est, & æqualiter temperata, & non assimilata, neque refracta multum: quia (vt dixi) esset cibus, fuerit dissimilis in qualitatibus: tunc dicetur medicamentum vtile membro, ex eo, quod operatur per qualitates, & licet operetur per substantiam, quia tamen operatio per qualitates est maior & celerior. Ideò interdum non dicimus quod operetur à proprietate, non quia non habeat eam, sed quia talis operatio latitat sub operatione qualitatis, & vtilitas sub vtilitate, vel vt cichorium dicimus in iecore calido, & sicco, quod multum iuuat, quia refrigerat ipsum, & humectat, sed verè etiam agit ex proprietate, & iuuat etiam in iecore temperato, sed minùs & in iecore frigido, & humido: verum, quia quantum iuuat confirmanda ratione qualitatis, & potest esse, quin iuuet, aut noceat ratione qualitatis, & illud inuamentum non sit celerius, & maius, quàm ex substantia, ideò sequitur vnum pulchrum ex hoc, quod omnem medicinam, quæ à proprietate agit maximè ex his, quæ sumuntur per os: necesse est esse temperatam, aut prope temperamentum, non quod ita sit, imò multæ medicinæ sunt, quæ à proprietate multum prosunt, & sunt valdè intemperatæ, sed non possumus appellare medicinam, quæ à proprietate iuuat; quia si applicatur his, quibus non conuenit detrimentum est maius, & celerius à qualitatibus ipsis, quàm vtilitas à similitudine substantiæ, aut saltem æqualè. Sin quibus conuenit existimamus, quod propter qualitatem profuerit, & ita omnia medicamenta, quæ à proprietate iuuant solemus sub temperatis, aut proximis temperamento collocare, non quod ita sit, sed ob causam dictam. Si ergo talia medicamenta sint valdè subacta, adeò, vt solùm nutriant, excipiuntur à medicamentis etiam quod iuuent, & reponuntur sub nomine optimorum ciborum. Sin autem paululum declinent ab hac perfecta mutatione elementorum, vtpote quod sint in genere olerum, aut seminum, dicemus & appellare solemus cibum medicinalem, velut caro pulli in frigida, & humida intemperie, & est duplex aut enim qualitas est omninò similis, & substantia parum dissimilis: velut vua passa, aut qualitas parum declinat, sed substantia est omninò similis, vt caro pulli, & vtroque modo dicitur cibus medicinalis, aut stante similitudine substantiæ qualitas est valdè remota, non tamen adeò, quin possit nutrire, & tunc dicitur medicina, quæ est cibus seu cibalis, vt cinamomum, & crocus, & si sit temperata, sed remota natura, vt sunt omnes radices, dicitur etiã medicina cibalis, velut radix dulcis: nemo enim appellat medicinam simplicem, neque cibum medicinalem. Cùm enim sunt minus subacta, magis agunt medicamenti instar. Et ideo iecur lupi forsan non poterit dici, non solùm cibus medicinalis, sed neque medicina cibalis. Est ergo medicina, quæ à proprietate agit temperata, in qualitate similis in substantia subacta tantùm vt non noceat, & tam parum, vt nihil omnino nutriat, aut valdè parum ex quo patet quid sit venenum à proprietate, & est illud, quod est simile in substantia temperatum in qualitatibus primis nullo modo subactum, aut si sit subactum habens qualitatem annexam venenosam, id est, cuius origo est calor putridus, qui est contrarius toto genere calori naturali, velut fel carnis, piscis, vt dicunt, aut fel leopardi, aut lepus marinus: at venenum aliud quod non est subactum, est sicut metallicum omne, quod est simile naturæ humanæ, & quod habet tenuitatem substãtiæ cum densitate. Illud enim rapitur ad membrum ratione similitudinis substantiæ, & membrum non potest agere in ipsum propter densitatem, & ipsum agit in membra remouendo illi à propria natura, à qua dicitur genere, quia non est subactum, sed est metallicum, & elementare, & si habeat qualitatem prauam, tunc est venenum vtroque modo, velut auripigmentum. Sed si medicamentum non habeat similitudinem cum membro in substantia, sed cum humoribus, tunc erit medicamentum purgans ex eo quod non poterit subigi à natura propter densitatem substantiæ, aut propter qualitatem calidam, quæ impedit & maximè si magna fuerit, & ideo omnia medicamenta purgantia tria habent, similitudinem substantiæ cum humore, per quam trahunt, calorem per quam dissoluunt ipsum humorem, & liquefaciunt, imò separant illud, quod est in potentia, in sanguine, vtpote bilem, & deducunt eam ad actum: demum quia non possunt subigi, vel propter vehementiam qualitatis, vt in scammonio, vel ob substantiam, quæ non est refracta, velut in ligno viscì, vel ob vtrumque, sicut in radice cucumeris anguini.

Aliud quod necessarium est scire, vt aliàs à me dictum est: est quòd medicina non trahit per se aliquem humorem, sed membrum puta ventriculus infectus vi illius medicamenti. Et ideo prius oportet, vt inficiatur membrum vi illa antequam trahat. Cuius indicio est, quòd multi purgantur solo odore medicamenti percepto. Et quod si quis euomat post horã ab assumpto medicamento, totum medicamentum antequam deiecerit, attamen operabitur medicamentum illud, & ter, & quater, & quinquies perinde ac si nihil euomuisset. Et ideò cùm necesse sit, vt ventriculus sit imbutus ea vi, oportet vt medicina fit priùs deducta ad actum: & hoc à calore maximè cordis, qui habet vim mouendi: inde iecoris. Ergo sunt quatuor actiones ordinatæ in hac operatione medicamenti, deductio ad actum à caloribus impressis in ventriculum: attractio humoris ad illum: & expulsio, & attractio fit, per partes infectas à natura medicamenti, & expulsio per sanas. Et cum auxilio calorum diuersorum & etiam eorundem fiunt ciusmodi actiones.

LECT.

LECT. XXIX.

Super

TEXTV EODEM.

VT autem hæc omnia sic se habere ostendam, Hippocrates *in libro de Natura pueri Pag. 3.* (inquit) vnumquodque simile ad simile, abit densum ad densum, rarum ad rarum, humidum ad humidum, iuxta cognationem] *& in primo de Diæta. Pag. 4.* [Antequam misceantur, oberrant, velut ignota, postquam autem mista fuerint, se cognoscunt: concors enim concordi adhæret, & assidet discordia rebellant] Galenus qñoque *secundo de elementis cap. 5.* hanc sententiam vt Hippocratis enarrat, de purgantibus medicamentis, dicit apertè *tertio de Medicamentis simplicibus cap. 24. 25. & 26.* quod trahunt similitudine substantiæ. Et quod non trahunt, quia idem, sed quia simile, & (vt dixi) oportet vt sit perfectius. Addit etiam, quod aliquid est iam simile perfectè ad trahendum idoneum (hoc enim intendit per actum, & potentiam licet obscurè dictum) quædam imperfectè velut caustica intelligit, quod quædam vrunt statim admota, vt vrtica, & stella marina, & scillæ quædam non nisi à calore naturali elaborata, velut auripigmentum. Sed philosophi idem etiam, & melius exprimunt. Auerroës, siquidem *Quinto Colliget. cap. 21.* Attractio licet fiat à calore, tamen propria non est, nisi ob similitudinem mistionis elementorum in attrahente, & attractio, & hæc est similitudo substantiæ, vt magnetis cum ferrò.

Relinquitur postmodum vltima dubitatio, quare medicamentum purget per inferna, seu per aluum, aliud per superna, quoddam per vtrunque? Et quare in vno non in alio? Et quare in eodem diuersis temporibus diuerso modo? Et quare modo humores eiusdem generis; modo varios? Et hoc secundùm principia iacta, iam & etiam secundum Galenum, quia hæc principia non sunt diuersa, aut parum à Galeno, sed sua sunt imperfecta, quia non tradidit, vt sæpiùs diximus, nisi quæ accepit ab antiquis, nam præter modum operandi ipse, nihil de suo adiecit illorum inuentis. Dico ergo quòd medicamenta dicuntur solùm pugantia per aluum non quia semper id agunt, nullum enim tale esse potest. Sed quæ cùm purgant non mouent vomitum, vt rhabarbarum, & magis mirabolani citrini, & aloes, & generaliter mitia, & quæ astringunt tum leuientia vocata: quædam tamen possunt solum vomitum mouere, & non purgare per inferna, vt anethum: & quæcumque absque purgandi vi horrida sunt aut abominanda. Sic lauri folia, limaces terrestres, bulbus vomitarius, asphodelus, & huiusmodi, vt etiam narcissus, & glans vnguentaria, & asarum, semen carpamum, attiplicis, rapæ, raphanus, sal, flos myrticæ. Quædam verò vtrumque simul possunt, velut helleborus, & cucumer anguinus, & multa è violentis medicamentis, vt ricinus. Singula verò, quæ humorem vnum vomitu purgant, aut per aluum vbi vel praua sint, aut in copia magna sumpta vtrumque præstant. Sed proniora sunt, quæ purgant, vt vomitum prouocent, quam vt vomitum prouocantia per aluum purgent. Quærendum est igitur, cur medicina simul purget, & vomitum prouocet? Et cur medicina purgare solita vomitum prouocet solùm, aut simul cum purgatione. Princeps in quarta Primi inquit: [Medicina vomitum prouocans loco eius subducit aluum ob ventriculi robur, aut propter alui lenitatem, & fluxum ventris, vel non prouocat vomitum ob famem, aut difficilem naturam ad vomitum.] Addit quintam causam grauitatem, & velocem descensum: quæ poterat omitti: tum enim non est exquisitè vomitum ciens. Contraria ratione subiungit, quod purgans per aluum conuertitur ad vomitum ciendum, vel ob ventriculi imbecillitatem, aut alui siccitatem seu fæcum duritiem, aut quia qui bibit, illud abhorreat ipsum, vel quoniam iam nauseabundus est, & humorum natura ad hoc adiuuat: nam flaua bilis ad vomitum facilè parata est, reluctatur purgationi ob lenitatem: melancholia contra. Pituita media est. Et post dixit, quod medicina purgans excitat vomitum & morsum ventriculi, & palpitationem cordis, & syncopim, & sudorem ob oris ventriculi affectum: ideò coguntur nosmet vomitum prouocare, aut saltem adiicere astringentia, quæ inferiùs propellant.

Ergo vt primum definiam quæstionem: medicina purgans aluũ propter id primum, quod humorem, qui apertus est purgari per aluum mouet humorem melancholicum. Quarta Aphorismorum, & antea adducit tres proprietates ad hoc, vt medicina purget per inferna, quòd sint difficulter vomentes bene carnosi, nec tempus sit æstiuum. Quoties ergo medicina purgat humores contrarios, vtpote melancholiam, & flauam bilem, velut fumaria, tunc prouocat vomitum, & alium. Et magis, quæ violenter purgant tres humores, vt præcipuè cucumer anguinus, helleborus niger, & agaricum, & causa vomitus est ex natura patientis, aut multitudine humoris, aut qualitate, vel abominatione, aut flatu. Infantes maximè ad vomitum proni sunt contra senes, & causa est in infantibus paruitas ventriculi, & abundantia humidi, vt supernatet, & eruditatum copia, & quia non astringitur: senes autem habent amplum ventriculum robustum ob siccitatem: abundant eruditatibus & humido. Et qui sunt temperamento sicco ventriculi minùs vomant contrà, qui humido & consuetudo est maxima causa vomitus: adeò vt quidam vel minimo potu, vel quauis imitatione euomant, & cum consuetudo plurimũ possit in actionibus, naturalibus, & vitalibus, & animalibus, & vomitus sit res composita exactione trium virtutum. Nam de duobus manifestum est, quia est actio facultatis expul-

tricis,& naturalis,quoniam quandoque concitatur absque cogitatione à sola natura, & contentis: quandoque à sola cogitatione & absque natura, quandoque ab vtroque:ideò manifestum est, quod est opus facultatis naturalis,& animalis. De vitali patet ob palpitationē, & ideò fit à natura multis modis ex qualitate cum supernatat,vt pinguia, & ob id oleum, & pinguia excitant vomitum, & facilem. Cum enim ventriculus abhorreat illa, nec possint descendere. necesse est vt per vomitum talia expellantur:& propter id oleum, & pinguia cum iunguntur multo potui excitant vomitum fermè semper: alia sunt, quæ excitant ob impetum & leuitatem, velut biliosa. Vltimum est ex abominatione, nam cum ventriculus aliquid abominatur, confestim tentat expellere,at non potest per inferna, quoniam non potest se constringerē adeò celeriter. Et etiam quia pilosus est in superiore parte, id est, in medio:ergo in omni repentina expulsione concitatur vómitus:quia ambo foramina sunt(vt dixi) in parte superiore, vnum in medio, quasi & è regione fundi, aliud à latere dextrò, sed non in imo. Medicamentum ergo quod tenuia solum purgant & violenter,solum purgat per vomitum.At dices scammonium violentissimè purgat,& leuia quæque, & tamen nōn est vomitiuum ? Respondeo quod scammonium purgat nauseam mouendo,vt etiam Mesue affirmat 2. *Parue de medic.purgan. cap.*1. Et præsertim quòd moueat flatus copiam (& est quinta causa)cum ergo purget humores tenues, & cum multo flatu,& in magna copia, ac celeriter, vt potiatur violentissimum medicamentorum, ac quasi furiosum, ideò non potest esse sine vomitus voluntate:quia tamen purgat maximè peraluum, quærere oportet causam,quæ alia esse non potest,nisi quòd medicamenta eiusmodi primum exeunt, vt aliàs dixi. Et ideò concitant aluum, quia irritata facilè reliqua subsequuntur, & continuatur operatio medicamenti, & maximè adiecto aliquo, quòd roboret os vētriculi,& præcipuè à principio, quod facere debemus. Verùm Mesue vult *De purga.medic. Theor.*1. *cap.*2. quod medicamentum purgans solùm ducat ad intestina per se, ideò non laborat in reddendo rationem, cur etiam si bilem, & confertim & multam purget,non prouocet vomitum cum materia sit in intestinis. Nam hæc fuit sententia Principis, quam Mesue plurimis rationibus confirmat:quod materia à medicamento purgante per aluum ducatur ad intestina, non ad ventriculum. Prima quia humores cum sint graues, proniores sunt ad descendendum quàm ascendendum. Secunda.quia meatus à iecore plures sunt ad intestina, quàm ad ventriculum. Tertia quoniam natura intestina fecit ad euacuanda excrementa non ventriculum. Quarta quoniam (sed hæc malè intellecta est) membra nobilia essent proximiora, & lædetentur magis. Ego addo quintam,quod multi euomunt medicinam, & non humorem, sed postmodum per secessum euacuatur, & sentimus murmur post medicamentum assumptum in intestinis.Et licet vomitus persæpè associet dejectionem,ille contingit ob consensum ventriculi,cum colo intestino, quod superequitat ventriculum, & tangit ipsum, & ei connectitur: Ideò in transitu materiarum corruptarum per colum, ventriculi fundus læditur,& nausea prouocatur: quæ si perduret diutiùs, vomitus inde sequitur. Quod verò difficultatem affert est, quia vult quod medicamentum tam purgans per inferna,quàm vomitum prouocans,trahat dum est in ventriculo, & hoc est mirum, vt trahat ad intestina,& maneat in ventriculo. Omnis enim attractio est adsc,& similiter hoc est difficile, quomodo deiectorium fiat vomitorium, seu quia supernatet, aut quoniam agitet ventriculum, vel quia sit abominabile, (nam irritatio etiam ad hoc pertinet)nam cum materia sit in intestinis, non facilè poterit sursum trahi, & si medicamentum fit compositum, facile est reddere causas vtriusque, velut dictum est de ricino: habet enim vtramque partem. Sed si mutetur, aut prorsus, aut magis purgabit per vnam partem, quàm per aliam. Et etiam oporteret vt traheret alio more,& ad alium locum. Et rursus quia difficile videtur, vt vomitorium fiat deiectorium: quia trahet alio modo,& etiam ad locū,in quo non est ipsum medicamētum. nam habet duplicem difficultam, vnam vt trahat ad alium locum, quam vbi sit: sed quia hoc à natura esse potest cui omnia videntur licere: in hoc autem à casu fiet, & commutabitur natura,& hæc est alia difficultas, & ideo melius est vt assentiamur primæ opinioni, cui solùm repugnat, quod intestina non trahunt, sed intelligitur de vi attrahente per villos,non enim vllum membrum à quatuor facultatibus destitui potest: *tertio de Naturalibus facultatibus cap.*8. & ideo ventriculus validus est aptior vomitui, ratione eorum, quæ trahuntur ad ventriculum: & ineptior ratione iam contentorum in eo. Aliud est deiectorium, quod celeriter transit ad intestina,& post educit humores,& ideo antecedit illos vt dictum est:& Brasauolus testatur generaliter hoc ex Galeno, licet ille solum affirmet, id de colocynthida: Inquit enim, quoniam validum est medicamentum in purgando,ideo præuertit exitum.Sed animaduertite, quod Galenus hoc non dicit, quod præuertat exitum humorum, quem purgat, sed quod cum his, quæ purgat exiens: præuertit opus calefaciendi, & siccandi.

Concludo ergo quod medicamenta vomitoria sunt quæ non descendunt ob aliquam causam à ventriculo, & trahunt proprium humorem, & possunt trahere. Deiectoria quæ descendunt ad intestina, & trahunt: vomitoria & deiectoria, quæ partim manent, & partim descendunt ad intestina, & trahunt ad proprium locum. Mutantur vomitoria in deiectoria hominis, aut temporis occasione, aut casu, quoties manent in ventriculo, sed eo vsque trahere humorem non possunt. Et si partem trahunt, partem non:efficiuntur deiectoria & vomitoria. Deiectoria autem fiunt vomitoria quotiens retinentur in ventriculo, sed si descendant, non possunt fieri vomitoria, nisi ob fæces nimia

nimis ſiccas, aut aliquid aliud obſtruens, ſed vbi violenter nimis trahat, licet fiat vomitorium ob multitudinem humorum, vt etiam in eorum abundantia, tamen erit etiam deiectorium.

LECT. XXIX.

Super

TEXT. XXIX.

In alimento pharmacia optimum: in alimento pharmacia malum.

DVas huius loci fuiſſe expoſitiones, etiam antea commemorat F. Vnam quod in alimento ſi ſit vis purgandi, quandoque conferat. vt docet Galenus *ſecundo de alimentis cap* 22. Vbi reddit cauſam, cur aſtringentes fructus in fine cibi molliant aluum, maximè, ſi præceſſerint acria & nitroſa, ac ſalſa, vt garum, & radiculæ ſale conditæ: exemplo Protæ rhetoris, & ibi adducit etiam teſtimonium iuuenis, qui cum ex ſcamonio minimè purgatus eſſet, quinimo ventriculus intumuiſſet, & graueretur, exhibitis malis punicis, venter laxatus eſt, atque deiecit. Ergo ibi triaeduliorum genera (quorum meminit) obſerua: & ſexcuplicem etiam ordinem eorum ſalſa, & nitroſa, ſeu vellicantia, aſtringentia, & pinguia. Si igitur dicit nitroſa, & ſalſa primùm aſſumantur, inde pinguia ſeu carnoſa demùm aſtringentia, venter conſtricto ventriculi ore ſuperiore, inferiore autem laxato deiicietur. Si autem aſtringentia primùm poſt nitroſa, demum carnea: aſtringetur venter conſtricto inferiore ventriculi ore, non tamen vomitus prouocabitur. Si autem aſtringentia primum inde carnea ſumantur, demum quæ vellicant ventriculum, vomitus ore ventriculi ſuperiore moleſtia affecto, prouocabitur atque hos tres modos declarauit Galenus: ſed cum contingat hominibus in quemlibet modum incidere, ſeu fortuito, ſeu vt ſciamus, quid agendum etiam reliquos ex eiſdem declaremus: ſi ergo carnea primum aſſumantur, poſt nitroſa, demùm aſtringentia, deiicitur etiam venter, ſed non adeò vt in primo modo. Si carnea, poſt aſtringentia, demùm ſalſa, vt quibus nil eſt, penſi circa viram, ſed omnia peruertunt, vomitus prouocabitur & aluus etiam deiiciet: ſed non adeò vehementer vtrumque. Verùm ſi aſtringentia primum poſt ſalſa, demum pinguia, & carnea faſtidium patietur, qui ſic præter conſuetudinem cibos ſumpſerit, & cum hoc aluus non deiiciet. Conſtat igitur, quòd hoc aliquando erit bonum, aliquando malum ratione ordinis. Sed & ratione eius, qui aſſumit, vtpote in ſenibus in his, qui coli dolore, quiue flatu infeſtantur in ramice bonum erit: non quod hoc vnquam bonum ſimpliciter eſſe poſſit, (miſcere medicata cibis) ſiquidem coctionem euertit, ſed quoniam quandoque à maiore periculo nos tutos reddat, bonum dici poteſt: ſecus autem malum, vel ſimpliciter in ſanis, vel etiam deterius in habentibus viſcera debilia, vel ſi curæ ſit nobis vrinam prouocare, auertit enim. Sed & eſt alius ſenſus circa hoc: dicit vt non de purgantibus agatur, ſed his quæ calefaciunt, aut refrigerant, aut ſudores, vel vrinas prouocant, vel aperiunt obſtructiones, vel confirmant membrum. Dico eſt etiam tertius ſenſus, & eſt vt medicamento purganti, miſceamus cibum. Velut cum damus catapotia à cœna caſſiam lenientem, quam nigram vocat Auctuarius, ante cœnam, quo etiam modo damus medicamentum, & poſt cibum maximè ptiſanam, vt Hippocrates præcipit, *in ſecundo de Victu in Acutis. tex.* 12. Demum eſt vltimus ſenſus de his qui purgant, & nutriunt, atque id viciſſim ſuis interpoſitis horis, quem modum iuniores, & Galenus etiam vocant Epicraſſim.

Ex his omnibus F. recipit tertium, qui ſit conformis, vt dictum eſt verbis Hippocratis, & reddit rationem: nam ſecundus non ſeruat proprietatem verbi φαρμακίης quod eſt medicamentum purgans. Primus autem eſt indefinitus, vt omninò tam paucis doceri poſſit, cùm tot ſint, quæ iuuent, aut noceant, & etiam, quæ nil horum efficiant, quod minimè ſub dicto Hippocratis ſic intellecto: comprehenderetur igitur, relinquitur ſolum hic tertius modus: nam quartus non eſt comprehenſus in verbis Hippocratis, ſed quadam ſimilitudine trahitur à nobis ob præclaram vtilitatem, huc in diſputationem. Et quia dixi optimum eſſe pharmaciam in alimento, huic oppoſuit poſitionum, ſcilicet, malum, non ſuperlatiuum: reddit rationem ob egregias vtilitates, quas affert alimentum, poſt medicamentum, & enumerat eas: prima, quæ à Galeno refertur inter præcipuas loco adducto eſt, vt detergantur reliquiæ medicamenti, hærentes ori, gulæ, & ori ventriculi, ex quibus æger læditur, & appetitum cibi amittit, & ad vomitum, vel nauſeam irritatur.

Secunda vtilitas proponitur à Galeno ibi, & eſt, vt mala qualitas medicamenti, & à veneno, non multum abhorrens retundatur. Tertia proponitur à F. ſub nomine medicamentorum lenientium, ſed etiam maximè conuenit purgantibus validis, ſcilicet, vt calor ob cibum contractus ad ventriculum celerius deducat medicamentum ad opus, & ipſum medicamentum etiam euincatur à calore, nec adeo lædat ventriculum. Hæc vtilitas adeò magna eſt, vt ego ſoleam prædicere multis medicamentum non purgaturum, niſi à prandio, & cum non purgantur, do prandium etiam in medicamento valido. Quartam vtilitatem proponit generaliter F. vt videatur ſuauius, & hoc non intelligitur de ptiſana, ſed de his, quæ iam miſcuerat odoratis medicamento Hippocrates, ſed hic cum dictum intelligatur generalius, poterit accipi, velut cum medicamentum ſumitur cum aqua lactis, vel in motſulis cum ſaccharo confectis, aut melle. Et vt quidam cum vuis paſſis: & nunc eſt

in vſu

in vſu cum rhabarbaro : ſed tamen cum ſcammonio , aut helleboro non laudarem, quia ratione corticum : retinentur in ventriculo , & ideò mirum in modum nocent ei:at non ſic rhabarbarum retentum noxium eſt illi , ſed vel innoxium , vel ſalutare. In omni caſu tamen melior eſſet ptiſana. Quintam vtilitatem , vt ſit ſuauius receptum , & ita non commoueat nauſeam, & hæc eſt generalis , & ponitur à F. Sexta vtilitas , cuius non meminit , & eſt vt diu moram trahat in ventriculo , & ita perfectè expurget ipſum corpus , dum natura cupit retinere cibum , & ideò medicamenta ſic ſumpta, non fruſtrantur opere ſuo. Septima & vltima eſt, quoniam corpus humectatur ex eo:nam medicamenta exſiccant corpus trifariam , natura:pleraque enim ſicca ſunt rhabarbarum, agaricus , aloes & violenta vſque ad veneni etiam limites : & expurgando humidum,demum ob vehementiam motus. Ideò dixit Hippocrates 4. *Apho.* 19. [qui in medicamentis purgati non ſitiunt , non quieſcunt, donec ſitiant. Et ſimiliter recreantur ſpiritus ab illo cibo.] Propter hæc omnia dixit eſſe optimum in alimento pharmaciam:malum verò iſtud non perfectè declarat F. ſed non omnia poſſumus omnes. Inquit enim, quod vbi non expedit permiſcere medicamenta cibo , tunc trahitur cibus extra ventriculum, & hoc detrimentum, non eſt adeò magnum , vt vtilitas cum opportunè admiſcetur. Et colligitur hæc authoritas , *in primo de Victu in acutis tex.* 45. ab Hippocrate , vbi ſubluendum eſſe docet , ſed vera reſponſio eſt, quod Hippocrates diſtinguit tria tempora à medicamento ſtatim, & hoc vult eſſe bonum à fine operationis medicamenti, & tunc vult ptiſanam eſſe modicam in medio cùm medicamentum cœperit operari, non tamen abſoluerit, & tunc dicit eſſe malum, & hoc quia comparationes debent eſſe ad idem ſecundùm idem : & cauſa eſt , quia tunc cogitur retinere natura ob cibum , & expellere ob medicamentum, & humorem, & hæc ſunt contraria ideò deuitanda.

Sed emergunt hic duæ dubitationes : vna circa literam, alia acceſſoria, ſed valdè pulchra, quam nemo attigit, vel quod non animaduerterint , vel quod facilè illis ſolutio occurrerit. Prima eſt ergo , quæ dicta eſt, quare non vereatur in ægro Hippocrates ſubducere cibum crudum è ventriculo ? Dico quòd primum præſupponit eſſe ptiſanam ſolam , ſecundo præſupponit , quod debeat retineri , donec concocta fuerit , ideò ſubiecit. [Neque inſigniter minore quàm conſuetam eſt quantitate , non ergo eam contemnit noxam] nec textus nuper adductus facit pro illis : nam cùm aſſumpſerit cibum, tunc primum eſt ſi poſſit euomere. Iſtud ſupponit difficillimum in laterali morbo : vbi verò non poſſit , tunc melius multo eſt , vt incoctus deſcendat ex ventriculo in inteſtina , vbi non affligit ſeptum tranſuerſum, quàm vt maneat in ventriculo multiplici, cum incommodo difficultatis ſpirandi febris , & ſimilium. Aliud verò eſt vt non habenti cibum conſulat , vt capiat illum ſub ſpe, quòd ſi deſcendat ante coctionem, parum ſit nociturus , cùm hoc non dicat. Ideo propoſui difficultatem non vt intactam, ſed vt malè ſolutam ab aliis. Secunda ergo difficultas eſt , quare ptiſanam ſtatim à medicamento ibi, & non ptiſanam cum ipſo medicamento facit : quia medicamentum erat exiguum , & odoratum , & ſub forma boli, vbi ſi diſſolutum fuiſſet cum ptiſana : primam totius ptiſanæ ſaporem , & odorem corrupiſſet,& ita fuiſſet difficilius ad bibendum , ſecundò non eluiſſet ptiſana vim medicamenti , ſubſtantiam , odorem , atque ſaporem , vtque fuiſſet illo infecta , ſecus ſyncera hoc poteſt facere. Hic quæritur an bonum ſit accipere caſſiam poſt cœnam.maximè in morbis pectoris , idem de catapotiis?nam Hippocrates dabat poſt cibum non ante : dico quod ante vt inter cibum , & paulo poſt in his , quæ diſſoluuntur parum refert , & maximè cum ex motu , vel etiam decubitu omnia inuertantur : ſumpta autem poſt ſint odioſa , magis mouent nauſeam, nec caſſia adeò coctionem impedit : leniunt tamen magis pectus, quæ eiuſmodi ſunt, quoniam hærent faucibus , & arteriæ:ideò bibere poſt , non conducit : & quia aſpera arteria cohæret gulæ , & ideò deuorata reſudant , vt ex Platone , Plutarcho , Galeno. De catapotiis ſupernatent, à capite trahunt & coctionem , non adeò impediunt, non tamè bonum eſt,vt plena cœna, quemadmodum vſus eſt exhibeantur. Dat autem poſt Hippocrates,quia quod dabat erat molle, & validius , hæc duriora , & infirmiora, iſta purgandi caput : illa membra inferiora.

LECT. XXX.

Super

EODEM TEXT. XXIX.

Dictum eſt , quod huc pertinere poterat , id de Epicraſi , de qua dictum eſt in *ſexto Contradicentium,Com.* 35. & *in prima Aphoriſmorum,com.* 22. *in prin.* & nunc parciùs agendum eſt. Dico ergo , quod Epicraſis locum non habet in febribus ex auctoritate duodecim Methodi : at de alia,quæ habetur *in nono cap.* 10. *in fine.* cum ibi agat non ſolùm de febribus , ſed acutis, & continentibus , docearque intentionem curandi per miſſionem ſanguinis , videtur loqui ibi in febribus , adhibendamque illis Epicraſim : ſed certè in febribus nulla Epicraſis vtilis eſt : oporteret enim præuenire putredinem , atque putredinis noxam nutriendo, ſi nutritio vtilis eſſe deberet.Et ideò hic rurſus conſurgit duplex difficultas : vna quoniam in vna die , , imo in paucis horis vires augentur ex alimento, igitur melius concoquetur materia febrilis & ita euadent , qui ſecus euadere non potuiſſent cum terminus iudicationis ſit multo longior die vna , nedum paucis horis : & hoc habetur de vino *tertio de Temperamentis cap.* 2. *pri. ad Glauc.* & ita de ouis, & ſimilibus : ſecunda ratio eſt quoniam in ſyncopi exhibemus vinum

ſecundùm

secundùm Galenum, & cum offa panis, & hæc plurimum nutriunt, vt habetur ab eodem *primo de Victu in Acutis, cap. 14. com.* 23. 25. & 27. & vires restaurantur ex eo, & contingit nonunquam euadere ægrum, qui aliter non esset euasurus, & melius est præoccupare, imo dicit 12. *Methodi cap. 3. post medium.* est medici generosi, non permittere vt æger incidat in eam, sed præuidere, & occurrere cibum: administrando ergo talis victus ratio vtilis esse potest, & multò magis in febrientibus Dicet enim quis iure meritò (non loquor de necessitate, nam si non sit iuuaturus cibus, sed periturus omninò æger, Galenus iubet medicum abscedere) si tum iuuat adeò prostratis viribus, vt fermè spes non sit concoctioni, quare non multò magis iuuabit in viribus mediocriter defectis. Tertia ratio sumitur ex authoritatibus: omitto modò Principis, de quibus *in Contradictione:* & illa *primæ Aphorismorum, & primo de Victu in Acutis* [cibi (dicit) testiculi gallorum, alæ columbi, oua, & reliqua, quæ medici languentibus dare consueuerunt] de qua etiam dictum est assumo eam, *duodecimi Methodi cap. 6.* quam quidam magnificare se simulant, cum enim locutus esset, de exhibitione ouorum carneorum, & vini, subiicit tali affectu laborantis iuuenis, *in decimo libro cap. 3.* meminimus, quoniam vt dixi quotidie nutriui, idque ante accessionem potissimùm, ergo dicunt illi eiusmodi nutrimentorum ptisana sola nutritum esse, oportuit eum iuuenem: aliter extra propositum esset. Quarta ratio est, quod videmus multos ouis, carne contusa, vino, & pane pauxillo euadere etiam, quod ter, quater, ac sexies nutriantur in singulis diebus naturalibus: & cum peruenerint propè mortem: non cessante tamen ea victus ratione, prorsus restitutos, & conualuisse. Si ergo ex tanto discrimine profuit, & sustinuerunt, cur non iuuabit dum morbus, multò mitior esset, cùm apud te constet eò tenuius cibandum ægrum, quò morbus maior fuerit? At hic neque ad morbi magnitudinem, neque ad nutrimenti copiam, neque multitudinem quicquam potest accedere! Hæc sunt tria præcipua, quæ possunt adduci pro illis, qui medicamentis, & cibi copia vtuntur in febribus. Pro medicamentis & Epicrasi est hæc ratio: in lenta febre materia hæterogenea multa crassa, necesse est, vt accidat quòd in igne, vbi sunt diuersa ligna quædam iam propè sunt in cinerem conuersa, quædam ardent, quædam nondum sunt accensa: & in lebete, vbi multæ carnes ac diuersæ quædã coctæ, quædam crudæ, etiam quædam semicoctæ: at par periculum est, non educere concoctam & crudam, velle purgare, quod etiam facit natura, vt *in tertio Epidemiorum, parte prima*, proponit duorum agrorum continuata serie historiam Cherionis, viri qui ter iudicatus est, & euasit, & Eurianactis filiæ fœminæ, quæ ex eodem morbo his iudicata est, & obiit. Ergo cùm medicus debeat imitari naturam saltem rectè operantem, erit necessaria Epicrasis & huiusmodi curandi ratio. Dico ergo primum quod purgationes istæ, quæ adhibentur materia nondum concocta, neque turgente, euacuant materiam sensim, quæ etiam sensim, & per interualla aucta est ex erroribus victus: atque ita prohibent incrementum materiæ coniunctæ. Ergo duobus modis aberrantes, & dando qualia dare non deberent, & euacuando, quando non deberent, minorem erroremadmittunt quam si vno tantum modo peccarent. Nam si nutrirent, & non euacuarent, adeò augeretur materia antecedens, & inde coniuncta, vt febris omninò interficeret illum, si autem purgarent, nec nutrirent, impedirent coctionem materiæ, mouendo illam, nec educendo, & debilitarent vires, & educendo vtile siccarent corpus, vt *quarto de Victu in Acutis: tex.* 22. adeò vt æger futurus esset in longe deteriore statu, quam si non vsus fuisset cibis nutrientibus. Cum ambobus autem his superueniunt septem mala. Ex cibo duo certè labor virtutis & impedimentum coctionis, quæ pono pro vno supponendo, quod laborem restauret & æquet nutrimentum ex cibo sumptum: alterum est incrementum materiæ peccantis, & tertium obstructio (sed quia hoc non est necessarium, vt neque flatus, ideò non connumero, nisi hæc duo impedimenta coctionis quod semper adest & eundens) tum accessio ad materiam, quod potest esse non valdè magnum ex purgatione, vt docet *secundo de facultatibus naturalibus cap.* 8. in calido corpore, & multò minùs febricitante cibi potestate calidi, non in sanguinem, sed bilem conuertuntur? hi autem & calidi, & pingues, vt ardeant, & obnoxij putredini vt febrem augeant: & lenti, vt obstruant, & multum alunt, quod maximum est: nam coctionem impediunt, quia difficiles concoctu: quia multi alimenti. Nam plurimum difficile, & tarde subigitur in coctione tertia ad quam pertinet concoctio morbi. Constat enim quòd ratio victus non exigit carnes, aut oua, vel vinum in febribus. Secundò de diæta, de vino, quod est calidum, & siccum, & oua sint robusta. De carnibus comparat eas allio, *secundo de Victu in Acutis.* Vbi dicit non esse moderatam vt panem, & mazam sed turbare. Maza autem est polenta oleo mista, de qua aliàs & ex Athenæo. Vnde puto Matzapanum dictum, & est ac si dicas panem iucundissimum, & magnificum à Mattya, vnde *Machon Nil Mattya* mihi visum est iucundius. Attestantur ea, quæ Galenus scripsit *septimo de compositione medicamentorum secundum locos* de variis placentulis. Idem docet prima Aphorismorum, victum febricitantium proprium esse ptisanam.

LECT.

LECT. XXXI.

Super

TEXTV EODEM & XXX.

EX purgatione autem triplex malum impedimentum ex coctione mota materiâ: resolutio virium ex labore, & calore præter naturam incrementum, ex motu materiæ cum nixu facultatis. Alia etiam possunt sequi, velut obstructiones, tormina, calor ex medicamenti natura: sed hæc vt non necessaria, velut & vigiliæ, & appetitus dejectio omittantur. Ex natura temporis morbi duo symptomata coctionis, & crisis: si igitur hæc septem ægri vires validæ superabunt euadet æger, plerique tamen morientur, quia non sufficient. Vbi ergo euaserit illud tempus æger, aut materia erit ejecta per crisim, & ita prorsus seruabitur, sed languidis viribus admodum: sin autem solum febris fuerit diminuta, aut morietur etiam postmodum, aut transmutabitur morbus, & æger supererit, & erit valetudinarius. Et similiter vbi medicamentum non purgauerit, tunc hoc erit pessimum, & æger omninò morietur, quia absque vtilitate adiiciet illa tria mala, ergo tale regimen victus est omninò perniciosum. Nam vbi quis vtatur sola ptisana, vel lacte seminum, melonum: hora status non aderunt, nisi symptomata ea separationis materiæ & expulsionis: & ita si expellatur facilè expelletur, & vires integræ manebunt: si non expelletur, sanabitur paulatim, & certè: & rarò transmutabitur. Erit ergo hic ordo: Qui prorsus sanandi erunt cum crisi ex recta victus ratione, ex hoc mala vtrinque adhibita, scilicet, nutritione, & importunis medicamentis, vbi euacuauerint, (aliter enim si non euacuauerint, aut vnum ex his tantum adhibitum fuerit, vix vnum è centum seruari, atque ægrè poterit) non iudicabuntur, aut imperfectè, & sensim, magnoque cum labore perfectè sanabuntur. Qui autem per crisim imperfectam sanandi essent, sic curati remanebunt valetudinarij. Qui autem sanandi essent sensim, hi aut tum morientur, aut paulò post & sensim. Qui autem laboriosa crisi euasuri essent, hi vix cœpta ea interibunt, nullus ergo ex hac victus ratione, atque curandi modo, non grauiter lædetur. Ex quo patet, quod senum, & infantium & imbecillium, & mali habitus, qui hac curandi ratione à medicis instituentur, prorsus nullus euadet. Et ideò per hæc patet ad quartam rationem. Redeunt autẽ è mortis faucibus ob hoc, quoniam eò deuenire necesse est, illos ob malam curandi rationem, & morbi naturalem processum, nec pereant, quia vires (vt dixi) omnibus incommodis pares sunt. Restituuntur autem tum, quia finitò circuitu febris cum illa cesset, nutriuntur vt *secundo de Facultatibus naturalibus, cap.* 8. & quod prius erat damno vtile redditur. Ad secundum dico quod ipsum habet duo capita. Primum cur deficientibus viribus vtile sit alimentum, non deficientibus noceat: alterum cur vires ex alimento in paucis horis, manifestè augeantur? Et coctio si tardet propter vires, cur non iuuet hic cibus ad coctionem? Et responsio de syncope esset facilis, quia tum febris cessat, & corpus est refrigeratum: sed quia Galenus vult, quod ante syncopem exhibeamus. Respondeo, quod tria præsupponit, ibi, non esse phlegmonem in membro naturali, vt iecore, vel ventriculo, & deficere naturalem facultatem ex aliqua causa. & ægrum posse sanari, & in ho casu primum vult, vt succurramus quantitate, si per eam peccauerimus. Sin autem vi morbi sit, vt in febre est humoribus tenuibus *duodecimo Artis curandi, cap.* 6. dat alicam cum fructibus austeris. Connumeratur autem alica inter pleniora alimenta, & sic etiam interdum, & per interualla lutea ouorum, & testiculos gallorum, & cerebrum suillum, omnia quæ difficilis sunt resolutionis, & quæ maneant in ventriculo non obid. Si enim fieri posset, curaret, vt distribuerentur: sed si distribuerentur, etiam citò difflarentur, quòd esset contra primum intentum. At vbi os ventriculi flaua bile infestatur, & periculum sit, ne in syncopim deueniat, videtur contraria ratione vinum calidum exhibere, non astringentia & os ventriculi robustum reddentia. Id ergo forsan videtur periculosum in febre, & bile obsidente ventriculum, ne deducatur ad iecur, & cor. Præsupponit ergo vt febris nõ sit ualde magna, dicit & vires deficiant, aut defecturæ sint, & primum iubet intemperiem potu aquæ emendari, tum ad remouendum defectum virium, ob consensum oris ventriculi, potius eligit vinum potens ad vitandum præsens periculum, & auertendum bilem ad venas, & nutriendum corpus, & ita quatuor præsupponit, & duo alia considerat: supponit vt morbus sit sanabilis, vt vires deficiant ob consensum oris ventriculi: vt febris non sit valde magna, vt aqua sustulerit malam intemperiem è ventriculo. Tum considerat nutritionem & auersionem bilis à loco, qui adeò magnum habet consensum cum corde & cerebro, & cum his etiam adest vis concoquendi humores peccantes. Et hic quòd dat vina generosissima, & ideò contra morem medicorum nostrorum, qui dantes vina istarum regionum, quæ sunt leuissima toto genere, & vt vappa comparatione Phalerni Signini Marsij ex Italicis, & ex Græcis, Ariusia, Lesbia, quorum loco Prannium, aut Græcum, seu Romanium possemus dare. Et Italicorum amabile, Genuense, & Vernaciolam Benaci, & Trebiana Florentina, Nostri autem medici, & inter has vappas eligunt leuiores, & vt uocant oligophoras, & ita habentes damna vinorum. Vtilitatem autem nullam, dantque sæpius, & per totum decursum morbi, cùm Galenus exhiberet duntaxat semel aut bis. Ideò vides, quàm multipliciter peccent. Animaduertenda verò circa hoc tria sunt, *ex primo ad Glauconem cap.* 4. *iuxta medium.* Primum quòd cùm volumus nutrire celerius,

ac

ac distribuere, & in hyeme, & in frigidis temperaturis, & in senibus, & in assuetis bibere calidum vinum, etiam calidum actu debemus exhibere contra frigidum, secundum quod vinum cohibet fluxiones humorum ad os ventriculi. Tertium quod non est idem exhibere vinum leue, syncerum, hoc enim nocet, & non confert, & potens, calidumque (præcipuè autem eligit flauum, & tenue, & odoratum) mistum aquæ: hoc enim confert omninò, & forsan non etiam nocebit. Adiiciunt etiam quidam alium errorem, putantes nil interesse inter flaua vina, & nigra decepti authoritate Galeni *quarto de simplicibus medicamentis, cap.* 24. cum dicit. Multo minus ex coloribus de medicamentorum facultate colligere quid valeas, cum in singulis coloribus calida, sicca, frigida, & humida medicamenta inuenias, sed manifestè coarguuntur, ex *secundo de victu in Acutis tex.* 34. vbi præsupponit ambo vinosa esse, sed solùm colore, differentia, albo, & nigro. Valde enim dicit mutabunt corpus. Regula ergo Galeni intelligitur de natura simplicium diuersi generis, & dignoscendi per causam: at in eadem specie color plurimum potest in ostendendo naturam rei, velut inter helleborum album, & nigrum, non tamen docet causam, vt sapor. Ad tertium dico ea verba esse inchoatiua, non continuare sermonem sed referenda illuc. [Qui prætenues succos habent, & syncope, ob id laborant, quod initio sint cibandi:] non forma proximè præscripta, sed vt iuuenis ille decimo Artis curandi cum alica, & granis mali punici solum: eo enim vt testatur contentus peruenit ad diem xj. quo vinum addidit ob syncopem. Ad id de nutrimento dico, quòd ante syncopim, & extra periculum, si detur plus est iactura in incremento materiæ, & impedimento coctionis, quæ non auxilij in augendis viribus. At in necessitate ob facultatem vitalem, vel cadentem, vel mox casuram, debemus exhibere non vt bonum, neque tutum, sed vt necessarium eligendo minus malum. Ideo concedo, quòd nutritio poterit præcedere coctionis finem, & cetera. Et ex hoc intelligitur error medicorum cui libenter fauent vulgares, dum gloriantur. De auctis per cibum, & potum viribus cum talis lætitia sit vana. Vident enim iuuamentum, sed non cognoscunt detrimentum. Ideò postmodum succedunt vrinæ malæ, & æger tendit ad interitum. Et ideo si subtraxeris alimentum, persæpè non potes illum seruare, & alienum errorem falso tibi impingunt: & ob id ab huiusmodi sociis oportet cauere.

De coctasi ob rationes dictas est admittenda etiam in aliquibus febribus longis, sed & in his rarò, nec tamè sequitur vt dandum sit se vinum, aut carnes, vel oua, sed ptisana augenda, & si non sufficit, vide quid dicat Gal. in hoc casu 1. *de V su in acutis. com.* 27. Quod si æger ptisanam, & mulsam fastidierit, pisces saxatiles sunt, maximè idonei, ex aqua, porro, anetho, & sale, modicóque oleo parati: & ex non saxatilibus aselli, sed ante coximeli propinare oportet.

Explicato primo & principali sensu, tanquam difficiliore ad persuadendum, transibimus ad secundum de medicamentis, quomodolibet euacuantibus sudorificis vrinam prouocantibus, aut vomitum. Nam talia etiam cum cibo sumpta, vel sub forma cibi melius operantur. Difficulter vomentibus veratrum cum ptisana dabitur: minus enim vellicat ventriculum, & exquisitiùs purgat. Et quæ sudorem mouent, aut vrinas (vt dixi.) Tertium est de sanantibus vlcera, & putredines membrorum interiorum, vel exteriorum, aut etiam nodos, & durities, vt in lue Indica Extenditur quarto ad intemperies ad obstructiones. Demum etiam ad dolores & vriginem: Liquet ergo, quod non ob solam tenuitatem victus tales sanantur, vt quidam putant de Indica lue: imò quanto plus cibi, & potus medicati sumitur, tanto celerius, facilius, & melius, sanantur modo non incurrant cruditatem. Causa igitur huius est assiduitas assumptionis medicati cibi, & potus cum multitudine: & quia non solum tollit intemperiem, sed mutat substantiam, quæ est subiectum intemperei, & quia non est periculum ne cibus, aut potus à medicamento dissideat: vltimo quia ad vnguem conueniunt, & in idem.

TEXTVS XXX.

Malum & optimum ad aliquid.

COmparatiua, & superlatiua omnia sunt etiam relatiua: illa igitur trifariam dicuntur, simpliciter, maximè superlatiua, & plenam retinent significationem, quia ad omnes refertur, vt Achilles fortissimus, id est, hominum: ad aliquos relata, aut comparatiua sine positiuo ad relatiuum referuntur: & ita nihil significant, vt Achilles Græcorum fortissimus, supponere oportet, quòd Græci fortes sint. Vnde canis dissimus coruorum, nihil significat. Et ita dicit Philosophus *in Prædicamentis cap. de oppositis in diuisionis membro primo, quod est de Relatiuis*, duplum non est, nisi dimidij duplum. Et ita dico maius non est magnum, sed solùm minore maius. Ad positiuum suum vt optimus bonorum, aut optimum cum de malis mentio facta est, vt hic: & retinet mediam vim. Significat enim in eo genere optimum aut meliorem. Vt si dicas Romani multi fuêre, Natica tamen optimus vir fuit, id est, bonus, simpliciter, & ad Romanos comparatus optimus. In quo sensu nunc loquitur Hippocrates 1 *de simplic. medic. c.* 38. Sêsus ergo vt etiam F. exponit eiusmodi est: medicamêtum, & alimentum possunt referri multifariàm ad hominem (nam ad illum omnia referri debent) & ad hominem hoc morbo: puta tertiana laborantem, & ad hunc ipsum hominem laborantem, & in tali occasione, scilicet, æstate, die, ætate causa, in initio accessionis optimum vomitus: in statu sudor: in declinatione cibus. Admonet secundo ob id, ne existimemus transeundum more empiricorum ad similia auxilia: quandoquidem nihil sit absolute tale, sed ad hunc hominem morbi speciem, & occasionem. O quot nunc medici improbi in hoc

peccant, obseruantes benefacta eruditorum medicorum, quæ illi sine ratione imitantes, deturpant attem,occidunt miseros suæ commissos fidei. Nihil enim dicit Hippocrates est simpliciter tale. Hortatur igitur Hippocrates,vt solum vtaris cura rationali, non experimentis : & auxilis securissimis , vt si iuues optima , dici potuerint si noceas non pessima , sed solum mala. Et circa illud de experimento aliàs dixi, quod quidam se interfecit experimento , quod didicerat in quartana cum rediisset assumptis farciminibus , & vino potenti plurimo in die accessionis, cum antea eodem præsidio ab eodem morbo esset liberatus:nec intercessissent duo, aut tres anni. Et ideò bene dixit Princeps [& experimentis, quæ non sunt secundùm rationem , non est credendum , etiamsi mille fuerint.]

LECTIO XXXII.

TEXTVS XXXI.

Vlcus , crusta sanguinis , pus, ichor , lepra, furfur , capitis manantia vlcera,impetigo,vitiligo , ephelis , quandoque quidem nocent , quandoque autem iuuant,quandoque neque nocent, neque iuuant.

NOn satis rectè inducitur hæc sententia à F. sed clara est , cùm egisset superiùs de his , quæ possunt esse secundum naturam & præter naturam , ibi (euacuationes secundum naturam) & post de ea , quæ est præter naturam , ibi (in alimento pharmacia optimum) Hic demum agit de his electionibus , quæ fiunt omninò contra naturam, quia sunt morbificæ : & declarat idem, quod in aliis duabus, scilicet , quod possunt esse bonæ , & malæ , & neutræ. Præponit, quod noceant antequam,quod iuuent, quia sunt per se contra naturam , & causæ morbificæ : non vt alimentum , quod est secundum naturam , & medicamentum , quod semper adhibetur vt iuuet. Sed cum enumeret vndecim ex his : omnes tamen sumit, tanquam leues affectus. Breuiter ergo exponemus, quid sint , vt non augeamus rem in immensum : secuti F. vt possimus docere, illud quod est necessarium:& ab eo tangitur, scilicet,quando euacuatio ad cutim sit bona, aut mala , aut neque bona , neque mala , & hoc est vtile ad prædictionem , & rursus quando debeamus prouocare materiam ad cutim, & quando non. Vlcus ergo est solutio continui in parte carnosa. *Tertio Artis curandi cap.* 1. Et fit pluribus ex causis, erosione fracta , suppuratione, vulnere veterascente. Similiter crusta seu escare , fit ex exustione , cur à causa interna , vel externa, velut, igne & quandoque à medicamento, vnde escharotica medicaméta. Et plerumq; sine his cum obducitur vlceri , loco carnis ob siccitatem solam,nam cùm dico vstionem vltra siccitatem , intelligo etiam caliditatem. Pus est propriè sanguis coctus à calore præter naturam , & naturali , hoc ipso vincente : vt sanies præternaturali Ichor triplex est naturalis , & est aquea pars in sanguine, & est totidem generum , quot sunt humores in eodem. *Sexto Epidemiorum Par.* 1. *comm.* 39. & omnino præter naturam cum à calore putrido nil agente , vel non manifestè calore naturali exit materia tenuis,prorsus olida , vt in multis elephanticis , & lue Indica. Et is , qui ex ambobus caloribus vincente , & qui est præter naturam , vocaturque sanies. De lepra satis , superque antea dictum est : illud solum admonuisse velim non esse adeò lepram leuem , vt putant morbum , ac differentem ab elephantiasi, vt credunt isti noui medici Grammatici, quandoquidem Galenus hæc dicat *sexto de compositione medicamentorum* per genera, de Diabotano emplastro loquens [Eadem medicaminis potentia strumis medetur. Verum , quia quædam detersoria continet, ideò quoque lepras. Purgat etenim consilium in hoc affectu,est cutis induratam summam partem, veluti deglubere : id quod ea efficiunt , quæ præterquam quod supra modum siccant etiam detergent. Nam si cutis vitium in naturalem habitum redire posset, nemo exsiccatam supra modũ siccaret. Quoniam verò, quod leprosum iam est curationem vllam habet. Proximum fuerit (qui in omnibus insanabilibus morbis communis scopus est.) incurabilem partem ex corpore excindere. Excinduntur autem nonnunquã ferro, nonnunquàm igni, interdum medicamento, vel adurente , vel detergente simul, ac digerente , quemadmodum est , quod commemoratũ fuit.] Itaque sileant hi Grãmatici , quibus habemus gratias , quod in vertendo (qui bene verterunt) labores hos susceperint , Galenumque minori cũ labore legendum integrè nobis tradiderunt. Cæterum qui sine artibus iam dictis,loqui in medicina ausi sunt , tantum abest , vt quicquã contulerint in rem , vel etiam consentanea rationi dixerint, vt ipsam disciplinam prorsus euerterint,& in prius chaos iam redegerint. Vnde magna ex parte à Gal. & Orbasio post Hippo. exempta fuerit. Quis enim solum verba præcedentia contemplatus , non existimet lepram esse aliquem morbum grauissimũ , qui solum eiusmodi auxiliis curari possit.cum tamen non plus velit,quam quod iu callis,& nodis quod iam euictum (est videmus) non amplius posse ad benignum,& naturalem statum medicamentis reduci. Furfures capitis porrigo,à Græcis peruasit (Paulo Æginata teste *lib.* 3. *c.* 3. leuissimus est affectus , & qui extra omnem exulcerationem accidat,quem ego sæpius sum expertus. Manantia capitis vlcera plurium sunt generum, & inter reliqua , quod nostra ætate tineam vocamus,neque propriè est alopetia, neque ophiasis,sed illa compræhendit,estque contagiosus morbus. Cadunt ea in parte capilli,aut praue affecti,ratique nascuntur vlcera, sanies,tumor proserpens,omnia valde fœda ; nec vllum præstantius auxilium, quam

post

post lotionem radicitus capillos singulatim euellere, vt sanguis fluat, inde medicamentum exhibere ex his, quæ agrestis, & efferæ impetigines, & lepras curare solent. Impetigo duplex, vt in introductorio simplex, & quæ fœtri potest, alia quæ difficilis est. Vtraque est morbus cutis cum squammis, & pruritu, & asperitate serpens orbiculatim, hic tamen habetur in textu λειχὴν. Celsus quatuor eius enumerat species, vltimamque ex eis ponit insanabilem. Vitiligo alba, & nigra fœditas cutis illius mutato nutrimento. Vide Galenum *primo de Naturalibus facultatibus cap.* 11. Ephelis est asperitas quædam ac duritiès mali coloris, quæ plerunque in facie oritur. Cum etiam aliàs alibi, vocant hãc maculam solarem. Hippocrates *in libro de sterilibus pag.* 2. Ἐν γαστρὶ ἔχουσιν ἐφήλιδα τῷ πρόσωπον ἔχουσι, Id est, quæ in ventre habentes maculã solarem in facie habent. Vnde modo intelligitis, quid sit hæc macula solaris, cuius toties Hippocrates meminit. Sanguinis non meminit F. Et cum sit in Græco codice, & Cornarij interpretatione, non tamen videtur ad propositum nisi per sanguinem intelligamus cùm manet, & erumpit ex cute: vel cum maculæ ex eo corrupto apparent, liuores vocant Plebs morsum mortui. Et sunt maculæ sanguinis concreti, velut etiam in flagellatis. Dubium non est ipsum loqui hic de cutis defœdationibus tantùm, aut morbis leuibus illius.

F. Ergo iure distinguit de eiusmodi euacuationibus, dicens, quod si fiant à natura dominante materiæ, id est, materia concocta, quod est clarius tales bonæ sunt: indicant enim naturam prædominari, sicut in Aphorismo. [Erysipelas verti ab interioribus ad exteriora bonum, sed quandoque malum indicant, quinto Epidemiorum, cum exissent Euphranori, postridie febricitauit. Pherecidi autem etiam cum accedissent, septimo Epidemiorum mortuus est ipsa die, quæ fuit nona] Dicit enim Hippocrates, Interpuncta cutis sub pilis. Et post Timonactis filio bimestri pustulæ in cruribus, coxis, lumbis, & imo ventre, cùm tumoribus valdè rubicundis: hic mortuus est sine febre ex conuulsionibus, & sacro morbo: sed tamen illis sedatis, dicit. Critoni Primo Epidemiorum pustulæ nigræ circa malleolum, cum tumore laxo, obiit secunda die. Et in secundo eiusdem. Fiebant autem in Perintho in febribus æstiuis circa septimam, octauam, & nonam diem asperitudines in cute miliaceæ, & culicũ morsibus, maximè similes, non valde prutiginosæ: hæque perseuerabant ad iudicationem vsque. Et nulli masculo erupisse vidit ex mulieribus autem, quibus contigerunt nulla periit. In sexto autem loquitur de his, quæ neque obfuerunt, neque profuerunt. Simonis exemplum adducens. Rursus *in libro de vulneribus capitis iuxta finem*: Quam os capitis quomodocunque fractum, curatum fuerit tanquam sanum, vt nec perforetur, nec radatur, & ad suppurationem deuenerit, exieritque sanies: tenax, fulua sub liuida, & os corrumpi incipit, in lingua pustulæ oboriuntur, & desipiens æger moritur. In *coacis* etiam *præditionibus*. Quibus in febribus continuis pustulæ per totum corpus erumpunt lethale, si non purulentus absessus, fiat. Maximè autem circa aures is accidere solet. *In primo* rursus *Epidemiorum* de Sileno loquens: [octaua sudauit per totum sudorem frigidum, papulæ cum sudore rubræ, rotundæ paruæ, velut vari, permanebant non abscedebant: mortuus est in vndecima, cùm esset annorum viginti.] His pro fundamento acceptis, non solùm vt veris, sed etiam manifestis sensim tentandum est, vt veritatem eruamus. Nam cum pustulæ prodeunt ipsa actione, duo perpetuò significantur adesse humorem prauum, & superari à natura, non perfectè. Nam si perfectè superata esset à corpore, non in partem corporis eam secreuisset: velut vomitu sanguine narium, atque huiusmodi (amoueo, nunc impedimenta extrinseca, frigus, timorem, & talia) igitur non exactè concocta est. Hoc autem vel ob calorem innatum, imbecillem, vel materiæ naturam, aut vtrumque. Oportet igitur hoc non solum, sed omnia animaduertere. Caloris quidem imbecillitas vel per se, vel loci ratione, vt cum materia est extra venas, procul à fontibus, & origine calotis, in loco exangui, aut frigido. Et ob id podagras sæpè pustulæ consequuntur. Materiæ causa, vel quia crassa, vel quia lenta, vel quia exusta, vel quia serosa, vt in scabie, vel quia putrida, vt in empiemate, & vulnere capitis, osse corrupto: vel quia venenosa, vel quoniam multa. Et ideo si æger sit iuuenis, vires validæ, morbus acutus, neque ob vires, nec ob lentorum, aut crassitiem istud accidere potuit. Neque etiam ob serosum humorem, vbi verè acuta, & continua sit. Considera igitur colorem earum, & symptomata, & vrinas. Hippocrates ergo non tractauit de solis vestigiis hic, quia quæ accedunt, & recedunt, per se non significant, cùm possint accidere ex sola causa exteriore: reliqua possunt habere originem ab ea sed ab illa primum contingere non possunt. Quæ autem manent sub vitiligine, vt squammæ, sub impetigine continentur. Proponit ergo quinque ordines eorum, quæ in cute apparent, quæ separata natura sunt, & sunt duo crustæ, & furfures: Quæ coniunctæ sunt cuti, non tamen efficiunt cauitatem, aut tumorem, & sunt tria, impetigo, vitiligo, lepra. Quæ sunt cum corruptione cutis à natura exeuntium nomen habentia, & sunt totidem sanguis ichor, pus. Neque enim contingit plura imaginari. Quæ mutant compositionem in defectu, & est vnum, sed diuiditur in duo vlcera sicca, & manantia. Quæ mutant in augmento formam cutis, & sunt pustulæ. Nam de tuberculis, & abscessibus agere non poterat, quoniam eis non conuenit illud. Quandoque neque iuuant, neque nocent.

LECT. XXXIII.

Super

EODEM TEXT. XXXI. & XXXII.

ERgo vbi apparent pustulæ, habemus humorem corruptum, & mediocriter cuictum à natura, & ita de aliis, sed hic præcipuus erit sermo de pustulis, quia sæpè solent erumpere in acutis morbis. Nec aliud erit iudicium de vestigiis illis similibus maculis pulicum, si illa sint deteriora, quia nunquam boni aliquid attulerunt, cùm natura nihilo plus se exoneret: mali autem plus sæpè. Cum ergo apparent, malum significant, & tunc aut perseuerabunt, & augebunt, aut si statim abscedant facilè redibunt. Cùm natura imperfectam tentet crisim idque primum. Secundo considera an sint ex natura acrochordonum maiorum, aut minutorum: quidam volunt appellatas esse sub nomine ἐξανθημάτων, scilicet, exiguas, quas morbillos dicimus φλυκταινίδας, magnas scilicet variolas. In his necessitas spectanda est potiùs, quam quærenda causa. Hæc duo genera non occidunt, nisi vel infeliciter natos, vel malè curatos quibusdam oculum corrumpunt cum imbecilli in capite oculus fuerit imbecillior. Sed si non naturales pustulæ sint, considerabis multitudinem, colorem, odorem, tempus, mutationem, & si pruriant. Et nigræ quidem cum acuta febre ab initio mortem celerem nunciant. Et cum viribus validis, quantò plures, abundantiam enim venenosi humoris ostendunt, in imbecilli, autem paucæ, paucæ enim prodierunt ob virium imbecillitatem. Si autem vigoris tempore considera signa coctionis, & iudica. Neque est spes in eis, quæ in magnis tumoribus cum in illis natura se exonerat. Ex malisque vrinis in bonas facta mutatione, si vires constent, & locus impedimento non sit multi seruantur. Sin autem ex causa derivationis ex loco putrido, vt in vulnere capitis, in vteri & vesicæ corruptione mortem prænunciant. Si verò morbus non dissoluitur, & signum lethale adsit, tunc mortem violentam declarant, si plurimæ fuerint: si paucæ celeriorem oc virium imbecillitatem. Habet enim pustula duo contumaciæ signa, & quoniam è corpore pelli non potest, & quoniam cogi. Causa enim cur postularum materia spargatur, non tam quærenda est, quàm cur in bubonibus, & aliis colligatur. Et bene fecisset Galenus cum docuit, quomodo fiant tumores in libro de Inæquali intemperie, si etiam docuisset cur fiant. Ergo præcipua causa est dolor, & lentor; nam pustulæ fiunt, vel ob ichores, qui non concrescunt, vt in scabie, & vt dicebat Galenus de humore tenui, qui educi per tussim non potest, quia non cohæret simul: vel quia calor externus aduocat ad cutim, vt in æstate epinictides, quas vocant Mediolanenses, *soffersu*: Arabes plantam noctis, vel ob vehementiam caloris interni aduentis, vt circa carbunculos, vel ob vehementem putredinem, vt dixi. Et pustulæ fiunt ex materia, quæ iam actu est humor potiùs, quam sanguis, quia est iam in venis prope cutim. Et fit in cuti: abscessus autem in musculis etiam quod attingant cutim, & ex sanguine non ichoribus præcipuè, neque humoribus. Et causa magna abscessuum est dolor, cum fiat in musculis densis, & dolorosis, ac membranis: at in cute non est dolor ei comparandus ob laxitatem eius, ideò non trahitur materia multa aliunde ad locum, & remanent pustulæ, nec augentur: & etiam pustulæ fiunt repentè, quoniam materia est tenuis, & aquea: & abscessus sensim, & indigent multò maiore tempore. Et princeps satis bene intellexit causam horum, licet non perfectè distinxerit: sententia enim eius est, quod tumores differunt à pustulis ratione materiæ bifariam, simpliciter, seu per se consideratæ, & in comparatione ad locum: per se quidem, quia pustulæ fiunt à materia tenui, quæ est vapor: vt in Epinyctide, & idem dico de sudaminibus, & benat noctis: aut materia serosa, & aquea, vt in sahaphati, impetigine, & scabie, & eiusdem generis sunt pustulæ ascriticorum ab initio, vel ex sanie tenui, vt dictum est in vulneribus capitis, in lingua, in empycis, in extremitatibus, & circa pectus, & in ascite iam diuturna. Et licet materia pustulæ necessariò sit tenuis, non tamen repugnat, quin etiam adsit portio crassa, & terrea, etiam vt in sahaphati & impetigine, vt à Principe ibi, & colligitur à Galeno *primo de tuenda Sanitate*. Comparatione autem materiæ ad locum, quia in tumore locus est præparatus ante materiam: in pustulis autem materia ante locum, vt ab eo habetur in primo libro: vel ob imbecillitatem, vel calorem, vel vtrunque ob calorem, vt in dolore, in exercitatione vehementi ob æstum, vel emplastrum: ob imbecillitatem vbi sanguis multus effluxerit, & hæc est præter naturam: alia naturalis triplex, vel ratione naturæ, loci, vt cutis & anus: vel quia parata sit ad hoc, vt carnes glandosæ in ore: aut quia facilè natura eò mittit, vt in carnibus glandosis, quæ sunt iuxta membrorum reflexionem, seu plicas: velut in inguine à iecore sub alis, à corde post aures in cervice Debilitas autem naturalis contingit ratione loci laxi, vbi sunt cauitates, & exanguis, & humidi, & frigidi, & in infimo loco positi. Ex calore autem, & imbecillitate, vt in contusione, & ruptura ossium, & musculorum, & distractione ligamentorum, vt in tortis: ibi, enim adsunt dolor, calor, imbecillitas, & omnia mala. In pustulis ergo non est præparatio loci certi, sed in genere totius cutis, aut vnius partis, satis amplæ, vt cruris, aut brachij. Si ergo pustulæ apparent, & morbus alleuiatur, tunc considera an grauius se habeat die sequente, tunc hoc est signum roboris virtutis, Sed morbi maioris: & æger morietur, nisi fiat mutatio alia in modo expellendi. Pustulæ etiam, quæ sunt cum prurito sunt meliores,

ac

ac tutiores, quam quæ prorsus sine eo sunt. Cúmque ad pustulas succedit suppuratio melius est. Et si colligatur materia, & transeant in tumorem, vel vlcus, tunc securitatem ostendunt ex regula generali.

TEXTVS XXXII.

Alimentum non alimentum, si alere non potest, nomine alimentum, re autem non. Opus alimentum, nomen autem non.

HOc ex textu, si diuidendus esset liber, inchoare secundum liceret, nam cum in præcedentibus de commodis primis alimenti egisset, hîc ad secundaria transit: distinguens nomen alimenti, quoniam velut & medici, & iurisconsulti boni & artifices, alij quidem tales nomine appellantur, re non eiusmodi sunt, alij autem re ipsa tales sunt. Dicebat *in libro de lege Medici imperiti, In prin.* qui ex composito personam medici induerunt, similes sunt his, qui in Tragœdiis introducuntur. Quemadmodum enim illi figuram quidem, & habitum, ac personam eorum, quos referunt habent, illi ipsi autem verè non sunt: sic & medici nomine, & fama quidem multi: re autem & opere valdè pauci. Atque in hoc discrimen est hominum à rebus. Nam res inanimatæ bifariam solùm dicuntur, vt alimentum nomine solum, & re: at medicus trifariam, opere, doctrina, & solo nomine. Quidam enim intelligunt, & operari nesciunt, qui quasi medij sunt inter medicos veros, & fictos. Nam medicum qui nesciat docere, & qui operari sciat, non licet inuenire. Porrò alimentum dicitur, quod nutrit, & ob opus ipsum, quia alit, non ob nomen ipsum. Ad quod non nutrit, duplex est, vel quia genere tale sit: at hoc absurdum est intellexisse Hippocratem, vt velit vel nomen consequi alimenti, quæ extra eius rationem sunt: velut testas, lapides, ferrum, ligna: intelligit ergo, quod alimentum verum transit ad alimentum solo nomine comparatione hominis, in quo munere suo non fungitur: quoniam nomen illud ab opere dematum est: quo cum destituitur etiam nomen amittit. Destituitur ergo trifariam, vel semper, vel ad tempus, vel occasionem. Semper, velut qui non possunt bibere vinum, aut edere caseum: aut in quibus etiam quòd non abhorreant nihilominus non concoquitur. Ad tempus autem velut panis infanti lugenti lac non est alimentum. Et similiter dum quis ardente febre laborat, farcimina non sunt alimentum: & lactuca in ventriculo frigido valdè. & hoc pertinet ad vitium sumentis. Pro occasione autem cùm quis immodicè repletus est: aut euomit, aut non bene coctum edit: aut ob exercitationem, aut nimium parum, non concoxit. Ex quo patet hic accipi alimentum sub significato triplici, de quo supra, vel quod alit: vel quod est velut alimentum, vel quod est futurum alimentum, singula singulis referendo. Velut dicemus, quod lactuca infanti non est futurum alimentum, neque ei, qui immodicè habet refrigeratum ventriculum, sed solo nomine talibus est alimentum. Et iam sumpta, & non potest conuerti in sanguinem, non est simile alimento. Et ei cui conuersa est in sanguinem, nihilo minus propter leucophlegmatiam, in corporis substantiam non potest transire: dicemus non esse verum alimentum. Et sufficit tamen ad hoc, vt sit alimentum re, & non solo nomine in generali: vt vno ex tribus modis verè tale sit. Id est, secundo si non primo: aut saltem tertio si non secundo.

LECT. XXXIV.

Super

TEXTVS XXXIII. XXXIV. & XXXV.

In pilos alimentum, & in vngues, & in extimam superficiem, ex intrinsecùs aduenit.

DOcet, quonam pacto dicatur verè alimentum, & vult nos docere Hippocrates, quod etiam horum est alimentum, licet enim non verè nutriantur, quia verè non viuunt (est autem alimentum, quo pars viuens robur, & incrementum suscipit) quoniam alimentum modo re sit alimentum, ad præsentem tractationem attinet. Pilos sanè non viuere omnes fatentur, sub quorum nomine capilli etiam continentur. De vnguibus autem quòd non viuant, satis dubium est, *Secundo de temperamentis c. 2. in princi.* adnumerat illos ossibus, & cartilaginibus. Dico vt habetur *in libro Artis medicæ c. 9.* capillorum, & vnguium nullum est regimen, sed sola generatio. Et de capillis seu pilis manifestum est: de vnguibus autem est magis dubium, cum videantur esse partes, vt dixi nostri corporis, & pati morbos, velut dolorem, attritionem, prurítum, inflationem, scissuram, scabiem, excoriationem, & morbum peculiarem: cum scindantur, & pungant carnem, & appellat autem muris, sed debet potius dici dens muris, quia est res valdè acuta, pungens, & erodens. Et sic appellauit Rasis, a quo sumpsit Princeps. Verùm ad hæc omnia diceret Galenus, quod hi morbi non sunt, sed causæ morborum, vt communicantur, vel carni subiectæ, vel à latere vnguium, vel radici. Et quòd non crescunt, nisi in longum, idcò non verè crescunt, cùm verum incrementum sit in omnem partem, vt habetur à Philosopho: sed huic aliquis posset obiicere de dentibus, qui viuunt, & sentiunt, & non crescunt, nisi in longitudinem. Et si dicat, quod ab initio, vel aulsi crescunt, verè idem dicam de vnguibus: constat enim ab initio, vel si excidant, & renascantur crescere non solùm in longitudinem:

sed dilatari,& ex tenuissimis, velut tela araneæ crassescere. Ideò hoc habet aliquam difficultatem. Satis constat,quod vt dentes se habent ad ossa, ita vngues ad cartilagines: sunt enim similia substantia vtráque, & ambo semper crescunt in longitudinem: & cadentia renascuntur. Galenus tamen vult *in secundo Anatomicarum aggressionum, cap.*11, quod radices vnguium verè viuant, & nutriantur,& quòd ad ipsas veniunt, non solùm venæ & arteriæ,sed etiam nerui,adeò vt præditæ sint non leui sensu. Et sic intelligendus est in Timæum Platonis, cùm dixit quod veniunt venæ ad vngues, id est, earum radices: accipit enim ibi, vt liquet vnguem prototo,vngue scilicet, & eius radice. Neque vos lateat Galenum primo de vsu partium multa de vnguium vtilitate dixisse contra Aristotelem:velut contra Platonem, & Erasistratum de illarum substantia: sed nimis longum sit illius disputationes prosequi, velim duntaxat sufficiat horum incrementa, etiam fieri per incrementum successiuum non per ingressum,& veram nutritionem,sed hoc duntaxat discrimine, quod pilorum, neque substantia, neque radix verè alitur, & crescit: nec vllæ sunt illis venæ, aut arteriæ,aut nerui delegati, sed vnguium radici: scilicet non vnguibus:& sunt connexi ligamentis, dicit Galenus in Secundo Anatomicarum aggressionum, articulo secundo, & eius ossibus, sed vnguis ipse non est vllo vinculo coniunctus ossi, aut carni, sed solum firmiter adhæret. Et cùm dixit in extimam superficiem,ostendit extremam partem corporis in profunditate, sicut etiam de pilis: at vngues apposuit tanquam extrema in longitudine,scilicet pedum, & in latitudine, scilicet manuum.

TEXTVS XXXIV.

Extrinsecus nutrimentum, ex extima superficie ad intima aduenit.

OStendit aliud genus alimenti, de quo nondum sermonem habuit, & magis occultum,& est, quod corpus nostrum trahit circumcirca per oscula arteriarum aërem ambientem: vnde *tertio de naturalibus facultatibus.c.*14. Arteriæ omnes,quæ ad cutim finiuntur, dum dilatantur externum aërem attrahunt. Et rursus Arteriæ trahunt ex propinquo quod leuissimum est: leuissimus autem est spiritus, inde aër,demum sanguis planè absolutus, attenuatúsque. Spiritum trahunt ex corde,quæ illi proximæ sunt,aërem ex cute,quæ in ambitu: sanguinem tamen ex osculis venarum (sibi conterminarum tamen) ex corde. Et in primo libro contra Erasistratios de venæ sectione: Erasistratus affirmat cuncta animalia per cutim secundum quòd magis, aut minùs de raritate participant respirare, quòd si ambiens calidum fuerit, & quis plurimum se exerceat, cùm multum defluet ex substantia, si frigidum,& homo quieti se dederit parùm. Idem *decimo Artis curandi c.*8. *post pr.* meminit huius transpirationis,dicens, eam non esse vtilem ad refrigerandum cor eo, quòd sibi præeludat viam, aër frigidus densando corpus. Ægros tamen ponendos in aëre frigido ob respirationem, quæ fit per os, corpus tamen integendum pannis, ne frigore aëris meatus occludantur. Meminit huius *primo de Tuenda Sanitate, c.*12.*iuxta finem c.*2.*in principio*,appellans transpirationem,& perspirationem sensum latentem. Meminit & octauo Methodi,sed non ita,vt de inspiratione agat: verum sola expiratione:cùm palàm sit vnam ad alteram consequi, velut etiam in corde, cùm ergo in pulsus extensione impleantur arteriæ, notissimum est, tum debere aërem perarterias in ambitu totius corporis trahi. Sed & in *sexto de locis Affectis, c.*5.*post.pr.* dum de hystericis agens inquit [Pereunte ob vteri affectum spiratione, cum corpus vniuersum refrigeretur (id enim manifestè videtur) fieri potest, vt nulla prodeat ab ore spiratio,quamuis ea,quæ in arteriis fit, nequaquam intercipiatur.] Sed & infrà Hippocrates meminit eiusdem, dicens [Raritas corporis ad transpirationem,quibus plus auferetur, salubrius & reliqua.] Et rursus, & paulò pòst: [Principium alimenti spiritus. nares,os,guttur,pulmo.& alia transpiratio.] Cuius & præsentis,omissa media, meminit citatis verbis Galenus *libro de vsu respirationis,cap.*5. Quid ergo dicendum nunc,nam & tum locus superierit.

TEXT. XXXV.

Confluxio vna, Conspiratio vna, Consentientia omnia.

TRes intelligit partes nostri corporis, de quibus *sexto Epidemiorum*, continentia contenta, & permeantia: scilicet, membra, spiritus atque humores. Confluxio, id est, humorum translatio, ex quouis membro, ad quoduis membrum. Neque hoc mirum est, cùm venæ continuæ sint, & per vniuersum corpus spargantur, nec intercipiantur, nisi in septo iecoris. Et de illo videmus in morbo regio, vt testatur Galenus in libro *de Purgantium medicamentorum Facultate, cap.*2. Si ergo vi medicamenti quis liberatur ab eo morbo, qui in cute est, manifestum est humores illos permeare ex gibba iecoris, ad intestina per cauam, quando nulla alia via sit, quæ si adesset, non solùm proposito nostro non aduersaretur,sed ipsum confirmaret.

Conspiratio vna.) Istud transfertur ad spiritum,quoniam omnia simul spirant, nam & cerebrum, qua parte non admittit arterias, etiam ipsum perspirat.

Consentientia omnia.) Hoc refertur ad membra, vnde in libro de locis in homine: Si quis minimam partem corporis, malè afficere velit, totum corpus sentiet, qualiscunque

que ea tandem fuerit: quoniam minima quæuis pars corporis omnia habet, quæ maxima. Et quicquid minima pars pertulerit ad gentilitatem refert: vnaquæque scilicet ad ad suam cognatam. Intendit, quod quælibet pars cùm recipiat venas, ac arterias, & quod præcipuum est neruos communicat totum id vniuerso corpori: vnde totum afficitur. Et licet hoc facilius referetur ad animam, quæ afficitur particula quauis affecta, vnde postmodum totum corpus, huiusmodi tamen contemplatio esset magis naturalis, quam medica: & ideò minus communis. Nam Hippocrates intelligit non solùm de sensu, vt pote dolore, & voluptate, sed calore, & frigore bono, habitu, & malo pinguedine, & macie, quæ sunt res magis ad medicum spectantes.

Possumus & interpretari de tribus membri ortis venis, scilicet, arteriis, & neruis, vt per confluxionem intelligat eam, quæ per venas fit, vnde transeunt humores: conspirationem eam, quæ fit per arterias, & consensum, qui fit per neruos. Et redit res ad idem. Philosophus hoc videtur intellexisse *secundo de partibus Animalium: cap.* 1. dicens omnia in animali sunt propter vnum finem Elementa ob similares partes, similares ob instrumenta, instrumenta propter vnum finem, & operationem. Et ideò omnia consentiunt in vnum, sed hoc est ratione finis, hic autem Hippocrates intelligit, non solùm de fine, sed de forma.

LECT. XXXV.

Super

TEXTV XXXVI. & XXXVII.

Iuxta quidem omnium membrorum compaginem omnia: iuxta partem verò partes vniuscuiusque partis ad opus.

SEx proponit totum & partem, & partem, ac partes eius partis, & compaginem ac opus. Duas autem suscipit interpretationes: primò, est vt totum compaginatur ex partibus, & opus suum ex earum ópere proficiscitur: ita pars ex suis partibus compaginatur, & opus suum ex illarum operibus proficiscitur. Alia interpretatio est subtilior, vt totum ex partibus compaginatur, ita cuiusque partis opus ex partium operationibus constat. Quoniam scilicet patientibus partibus totum pati necesse est, vt antea dixit: sed non est necesse patientibus particulis, partis pati partem ipsam totam: quia totum est magis vnum, compatatum ad partes, quam partes comparatæ ad suas particulas. Iam redeo ad singulorum disquisitionem, vt primum omnis compago in idem consentiat: fieri enim nequit, vt ob id animus noster non indiuiduus sit, & quin vniuersæ partes vt dictum est, non in vnum coeant. Libet duo ex pluribus loca citare. Vnum iam dictum ex secundo de partibus animalium, alium ex libro de Mundo. Simul quoque docendum propono, an totum afficiatur parte oblæsa. Nam si totum eodem modo afficitur, vt pars quid differet læsa primo pars à non læsis. Vtpote cum pes à spina pungitur, si manus eodem modo afficitur, quid differt manus à pede. Deinde id experimento repugnat. Dicendum ergo primo iuxta sententiam Philosophi *in libro de somno, & vigilia pag.* 1. [quod sentire non est animæ, nec corporis proprium munus (nam eidem & habilem facultatem & actum tribuimus) liquet sensum, qui vt actus est motum animæ esse opera, & commendatione corporis factum. propterea eiusmodi res, neque animæ propria est, neque in animum vllum corpus sentire potest, quod etiam alibi dictum est,] quantò magis de sensu doloris, qui ad animam ipsam non peruenit, secundùm eos, qui animam in corpore esse non censent: aut ergo ad vitam peruenit, aut ad animæ limites per corpus: aut ad ipsum hominem, vt peripatetici affirmant. Homo ergo sentit dolorem totus, non in qualibet parte, vnde constat ex omnibus partibus compaginatum, aliter non per singulas partes sentiret, sed tamen non communicat operationem hanc vnicuique corpori, sed principio sensus, quod est indiuiduum. Et ita in opere non agit per vnamquamque partem, imò solum per destinatam ei officio, videt per oculum, aut oculos, & ambulat cruribus, compago ergo est vna in toto, opus autem non per singulas partes fit. Contrarium verò accidit in partibus singulis: nam opus quidem est vnum, compago non vna. Videt oculus ad hoc, iuuat humor crystalloides, tenuis tunica, cornea, & retina, & quæcunque aliæ partes, non tamen si dolet cornea, totus oculus dolet, nisi per consensum multum aucto dolore, quoniam operatio quidem vna est, & ad eam concurrunt omnes partes oculi, compago autem diuersa. Sensus autem ipsorum verborum est clarus, velut ad totius hominis perfectũ opus concurrunt omnia membra corporis, ita ad partis opus singulæ particulæ illius partis.

Alterum quod proponebatur est animus incorporeus: nam si corporeus esset, velut punctum, atque ita nullas haberet vires: vel extensus, vt in pariete candor: atque ob id neque simul afficeretur, neque totus homo, sed pars post partem: at videmus totum sentire, & simul, causam autem sentimus, velut frigiditatem expandi: ac quæcunque frigiditas sentitur, tota simul sentitur, vt palàm sit animam nostram esse vnam, & incorpoream, velut & scientiam. Compago verò hæc in vnum coit, idque sensus principium statuitur ab Aristotele, cor scilicet, id est, quod est in corde.

Nunc videamus, quæ dicat Philosophus in secundo de partibus Animalium: Proponit enim primum quod triplex est compositio in nostro corpore similarium ex elementis, instrumentorum ex similaribus, totius ex instrumentis: sed Auerroes malè inter-

fœtatur, primam faciens elementorum ex materia & forma, secundam similarium ex elementis: tertiam instrumentorum ex similaribus. Verùm decipitur, sic enim essent quatuor compositiones, & in prima etiam dicit melius esse forsan, vt non ex elementis, sed ex qualitatibus dicamus esse compositionem: cum ergo hoc dicat, bifariam excludit compositionem, illam, tum quia elementa commemorando docet illa esse partes compositi, non componit: tum etiam, quoniam qualitates non possunt componi ex materia, & forma, cum sint accidentia non substantiæ. Redeundo ad propositum: subiicit philosophus, quod sensus consistunt in similibus partibus, ideò exigunt earum temperamentum, quoniam patiendo fiunt. Operationes autem ab instrumentis, & hoc idem fatetur Galenus *in primo & secundo Methodi. cap. 6.* Ob id ergo omnia opera partium, fiunt per opus partium illarum. Et circa hoc scire decet, quod functiones partium sunt duplices: vna quidem ad actionem, id est, principale opus, alia ad vsum, id est, ad commodum, *decimo septimo de vsu partium, cap* 1. & *secundo Methodi Medendi cap.* 6. & de actionibus, quæ sunt sensus dubium est, an sint instrumenta partis principalis? Galenus enim in secundo loco tribuit visionem, oculo scilicet toti instrumento, & crystalloidi, seu parti principali. Aristoteles tribuit etiam parti similari non oculo, sed actiones instrumentis, velut deambulationem cruribus. Dico ergo, quod partes in instrumento quadrifariam factæ sunt, aut actionis causa, vt crystalloides, ad visum, aut melioris operationis, velut vuea, vt cogat species visus: aut conseruationis, vt venæ, & arteriæ, & nerui, aut tutelæ, vt palpebræ, quædam plurium causa, vt tunica alba. Et primum etiam membrum posset diuidi in recipiens, seu subiectum, & deferens virtutem animæ, vt neruus, seu nerui. Et hoc tantum refert, vt multi dubitauerint, quoniam videmus, quod vis etiam incorporea exigit medium, vt vis à cerebro ad oculos per neruos transeat: etiã dubium est, an mutet illud medium, an non. Et tertium est, an eadem deferatur, an multiplicetur: velut calor diffunditur in medio, & multiplicatur: vnde fit, minor in amplo spacio: & hæc est causa, quod conclusus excoquat difflatus extendatur, & remittatur.

Alia authoritas habetur *in libro de Mundo cap.*7. his verbis [Natura diuina ab vno, eodémque motu simplici primo vim suam immittit, in ea, quæ sunt primo continentia, ab illisque subinde ad ea, quæ longius atque longius absunt, quoad permeauerit per vniuersa, quippe alterum ab altero motum ipsum quoque aliud mouet cum mundo: cùm vnumquodque interim agat conuenienter constitutioni suæ, nec tamen eadem sit via omnibus, sed diuersa nonnullis etiam contraria. Et tamen singula quæque non ipse perficit, sed velut regem quendam magnum functione propria administrare omnia, atque absoluere, non tamen deceret his, quæ caperet ipsum astare, & curatoris officio fungi, multo minus hoc Deo conueniret. Verum vnumquodque suæ propriæ functioni præest, velut in regno Duces, Quæstores, Cursores, Venatores, Iudices, Munerarij, Coactores, atque eiusmodi.] Similem huic dixerim policratiam humanæ compaginis: cum anima vna sit atque individua, & incorporea per calorem, qui semper mouetur, velut per cœlum Deus cuncta simplicissimè gubernans, cumque in illo diuersa ratione partes etiam agantur: ita & calor alius in corde, alius in iecore, alius in cerebro, atque diuersus omninò in testibus: quæ autem subiecta sunt diuersa præparatione solis, ac stellarum, & similitudinis ad suam originem diuersam obeunt functionem, velut si vni, & eidem soli multa frusta vitri figura, & substantia diuersa exponantur: reddent in pariete diuersas, ac dissimillimas formas, non solùm figura, sed etiam coloribus, & magnitudine. Hæc igitur est humanæ compositionis forma exemplaris.

TEXTVS XXXVII.

Principium magnum ad vltimam partem peruenit: ex vltima parte ad principium magnum peruenit, vna natura esse, & non esse.

PRincipium magnum exponit F. calorem naturalem, qui peruenit ex intimis cordis, ad circumferentiam seu cutim. Ad partem vltimam, scilicet, ad manus, & pedes, & ex vltima parte, scilicet, regreditur ad principium magnum: quia spiritus ad cor perueniunt, atque hæc est expositio F. bona: & fundamentum habet in verbis superioribus (confluxio vna.) Alia expositio clarior ex verbis illis (consentientia omnia) ex corde omnia distribuuntur in vniuersum corpus, & ideò in ita totum corpus: sed facies maximè rubescit, in timore impallescit: contra externa, dolores, frigus, timor, venena omnia perueniunt ad ipsum cor: & videmus, quod cute vulnerata à serpente, vel minimũ homo perit: & ita corpus perfrigeratur. Et hæc est sententia, quod per spiritum genus alimenti, sicut per cibum, & potum inficitur corpus, & hoc vitiato primo principio illius, id est, corde: Eodem modo ex vna parte vitiatur per eundem cibum, & potum. Primum principium, id est, iecur inde totum corpus.

Vna natura esse & non esse) Exponit F. per vnam naturam constat esse, & non esse, seu referas ad spiritum vt in prima expositione, seu ad causam, quoniam est primum cor, quod viuit, & vltimum quod moritur: per hoc principium magnum constat esse, & non esse. Et declaratur etiam à Galeno *quinto de locis. cap.*1. Istud autem iure constat, quoniam si vita est per cor, aut calorem, mors etiam est per ablationem eius. Dubitare licet an posset intelligere animam, sed cùm

cum hic liber sit materiarius, non erat hic locus disputandi de anima: satis enim constat cor esse hoc magnum principium: & in illo, atque calorem naturalem, ideò cum seclusa contemplatione animæ, totum possit intelligi hæc dubitatio ad præsentem locum minimè pertinebit. Non enim obscurum est Hippocratem dicere *in libro primo de diæta*, Animam suas ipsius partes circumambulare, augmento & decremento indigentem

LECT. XXXVI.

Super

TEXTV XXXVIII. & XXXIX.

Morborum differentiæ in nutrimento, in spiritu, in caliditate.

POstquam egit de signis, & rebus naturalibus, ac non naturalibus, quod ad medicamenta attinet, incipit tractare de rebus præter naturam, & spiritus quidem hic, Græcè autem πνεύματα: vt duo illud significet apud Galenum: nam in septimo de dogmate Hippocratis, & Platonis quærit an sit substantia animæ & dicit illum esse in ventriculis cerebri. Vnde liquet, non accipi ibi πνεῦμα pro respiratione, sed pro corpore sanguineo, & vbi comparat illum aëri, appellat eo modo, vt in *tertio de Facultatibus naturalibus. cap.* 14. Clarius autem Hippocrates per τὸ πνεῦμα semper respiratum aërem intelligit, non corpus illud sanguineum, tenue, ac quasi spumam: sed cum vult hoc ipsum nominare, appellat calorem naturalem, seu innatum. Manifestum est ergo hîc loqui de causa morbi, non subiecto, quoniam aër non potest ægrotare, vt neque nutrimentum, neque caliditas. Quibus visis dubium non est, quin sententia sit eiusmodi: Morborum differentiæ fiunt à nutrimento, vel à spiritu, vel à calore. Et habetur quid ei simile, *secundo de Humana natura*: Morbi fiunt hi quidem à victu, ij verò à spiritu, qui dum viuimus introrsum fertur. Vbi Galenus exponens per victum dicit possumus & cibos, & potus solos intelligere: & cum his motiones & lauacra, & vigilias, animique affectus & huiusmodi: sed quamuis secunda expositio melior sit: prima solum hic ad propositum. Solùm restat difficultas de caliditate: nam hæc ad alimentum minimè pertinet? Dico quod hæc quæstio non me fatigat, vt F. vel illos, à quibus sumpsit, qui per spiritum, non aërem, sed partem tenuiorem, atque calidiorem ipsius sanguinis interpretantur. Tunc enim vel inordinatum Hippocratem fateri coguntur, qui à partibus ad ea, quæ non sunt partes à substantia ad accidens transiuit, vel si per caliditatem, intelligit naturalem, ab eodem scilicet spiritu ad eundem, scilicet calorem naturalem transierit nugacem. Nobis autem non ita: enumerat enim causas effectiuas, morborum proximas, scilicet aut alimentum corpulentum, ideſt, cibum & potum: vel non corpulentum, id est, spiritum seu aërem, vel solam qualitatem. Et ita vides ordinem seruatum. Et de primis quidem est hoc discrimen, vt habetur *in secundo de humana natura*, *tex.* 3. aër enim est causa morborum generaliter vagantium, sed & aqua, verùm non adeò, sed in vna regione: cibus autem sporadam, & eorum, qui singulis quasi fortuito aduenium. Calor autem bifariam est causa morborum: vno modo vt est in aëre, alio modo vt est in nobis: vt in aëre, quoniam (vt dicebat philosophus *quarto Meteororum cap.* 1. calor ambientis consumit, & corrumpit humidum proprium rei, vt hominum animaliumque ac plantarum, tum carnis magis, ac butyri, eoque corrupto fit ineptum ad nutriendum calorem proprium ipsius rei: extinguitur ergo calor ille, & humidum corrumpitur, & euanescit, atque ita oritur putredo, retento humido corrupto: & refrigeratio euanescente calore proprio, & exsiccatio euanescente humido. Et hæc est causa morborum vagantium. Calor autem in nobis efficit morbos sporades, & vnicuique proprios dicebat Galenus: sed si connumerare voluero, quos morbos creat caliditas, necesse sit vt totam hûc conferam medici, nam præcipuos tamen effectus docebo: aut enim per se simpliciter, & sunt duo calefacere, & colliquare ex primo fiunt ephemeræ, *ex Iano Arisi curandi*, ex colliquatione tria sequuntur, vel enim dispergitur materia, & cum motu, & fit lassitudo, *vt tertiò de Tuenda sanitate. cap.* 5. *cap.* 11. *pag.* 3. Vel fluit in locum vnum, & fit tumor phlegmon, vel simile vt secundo de differentiis febrium: vel non mouetur, & distillatur, & si cerebrum petat, facit insaniam, & dat exemplum de carbonibus, *primo prorrhetici*, aut feruntur ad membranas: & loca tensioni obnoxia, procreantque dolores, vt 1. *ad Glauconē c.* 15. *in prin.* colligitur, & prima & tertij: sed si in loco proprio maneat, nec dissoluatur putrescit. At verò aliud est opus caloris, vt est qualitas, atque ex ea accenduntur vehementissimi dolores, *secundo de Medicamentis secundum locos. cap.* 1. Ita sunt illius præcipua opera septem, & maxima: vt non mirum sit Hippocratem illam adiunxisse, quasi esset sensus: Morborum causæ effectrices, ex alimento sunt, nutrimentum & aër, & præter id etiam, extráque horum numerum caliditas.

TEXTVS XXXIX.

In sanguine, in pituita, in bile, in succis.

ENumeratis causis morborum efficientibus, enumerat materiarias causas, non subiecta, vt alibi docui. Cùm enim morbus sit in subiecto, in quo est sanitas, & sanitas est vbi & anima, scilicet, in parte animata, humores autem non sunt animati, nisi forsan sanguis, non possunt esse subiectum

morborum.

morborum. Vnde possumus rectè dicere bilis putrescit, non bilis ægrotat, sed dicimus mens, cor, ventriculus, spiritus ægrotant. Verum hæc omnia rursus ad alimentum sub tertio significato, aut saltem sub secundo pertinent. Dictum est enim, quòd textus ille bifariam potest interpretari: atque hoc modo tota hæc series, præterquam de caliditate ad alimentum pertinet, tam ex causa agente, quàm materiaria. Diximus etiam, quòd medicus hoc habet præcipuum, vt confundat causam materiariam, cum efficiente, vt in hoc præcipuè casu. Dicimus enim bilem esse causam febris efficientem, & materiam illius.

Sed de succis dubitat Fracantianus, cùm tamen res sit satis clara: nam per succos quinque potest intelligere, aggregatum ex humoribus: & qui ex sanguine fiunt, inter quos principales sunt: humida vtilia: humida imperfecta, humida inutilia, incorrupta, & corrupta. Vtilia humida, vt aliàs sæpè visum est, sunt plurium specierum humidum primum membrorum: humidum quod est alimentum, humidum affixum, humidum agglutinatum, humidum appositum: humidum in cauitatibus membrorum sparsum, & in osculis venarum, vt sint septem. Imperfectum autem est chylus: inutile, sed non corruptum ichores, qui sunt in sanguine, & excrementa, non corrupta mucus, saliua, & similia. Medulla est in genere huius, quia est duplex, quæ est superfluum alimenti ossium, & quæ est vtilis, vt transitura in alimentum eorum. Corrupta autem & inutilia humida, sanies, pus, ichores, qui cum fæcibus deferuntur, sputa purulenta, & quicquid est simile.

Sed iam videamus discrimina morborum, ex causis ipsis, & primùm efficientibus. Dico ergo quod morbi ab aëre sunt velocioris exitus in vtranque partem, seu ad mortem, seu ad salutem, adeò vt pestis illa, quæ desæuiit per totum orbem ab anno salutis M. CCC. LVI. ad annum M. CCCC. L. interficeret in tribus diebus cum quodã sputo sanguinis: & Anglicana interficitur in vna die. Secũdo finiuntur in breuiore tempore, & ideò prior durabat solùm. Quinque mensibus in vno loco, aut circa, & post permeabat in aliam prouinciam, vt refert Matthæus villanus, *in historia Florentina*: & ita de sudore Anglico qui permeat etiam de vico in vicum, & de via vrbis in viam. Et nisi ita foret desolarentur loca. Ex quo colligitur, quod in huiusmodi peste, quæ à vaporibus, seu aëre proficiscitur, seu generali, seu propria aliqua causa vt clade, vel alia causa, de qua dicemus infrà, si quis progrediatur orientem versus seruabitur sed homines timent, & fugiunt ad quamcunque partem præter illam, quæ secura est. Nota etiam quòd cum cœlum habeat duos motus, vnum velocem ab oriente in occidentem, alium tardum ab occidente in orientem: ex his duobus motibus etiam consurgit alius processus pestis à meridie in Septentrionem, posita origine motus à meridie tanquam oriente, cum erraticæ sint in meridiei parte, deferetur ergo versus septentrionem. Quarto quoniam obseruatum est, quod hic transitus fit ab oriente in occidentem. Causam esse reor motum elementorum similem motui cœli, vt etiam videmus in mari. Quinto eiusmodi morbi non possunt adeò vitari, vt qui proueniunt ex alimentis: quoniam aër ingreditur occultè ob sui subtilitatem: & habitare loca alta, aut vti magno igne, & perpetuò est præcipuum auxilium: quia vt declaratum est à nobis aëris substantia non putrescit ob tenuitatẽ, & ob assiduum motum, & quia non potest habere causam illum ambientem ob magnitudinem, & ob lumen, quo nunquam caret die Solis, noctu lunæ, & stellarum.

Est etiam notandum quod aër, efficit morbos in corporibus nostris trifariam, vel ex temporum malo habitu, vt si assiduis pluuiis succedant æstus immensi sine flatu: eleuantur enim vapores plurimi, qui putrescunt, & de hoc locutus est Hippocrates. Secundus modus est à concursu syderum maleficorum, propriè & præcipuè cum deliquiis luminarium: & vocatur influxus & occulta ratio. Et hoc fuit notum experimento anno M. D. XXIX. vbi per totum orbem fuerunt morbi pestiferi, quorum exemplum in posterum nunquam defuit ex coniunctione erraticarum, in signo piscium anno M. D. XXIV. Et de hoc locutus est Ptolemæus *in secundo Apotelesmatum*, & nos *in libro de Erraticis*.

Est etiam tertius modus, cum aër corrũpitur in vno loco, & non in alio, inde per cõtagium vicini populi inficiuntur: velut nostris temporibus in Turcarum regionibus, & in Germania, & hęc corruptio ortũ habet primum à cladibus, cum hominum corpora non sepeliuntur benè. Et etiam à locustarum putredine decidentium in infinita multitudine, dum per ventos deferuntur. Tertio ex locis, vt specu Ansancti ex terræmotu, & exhalatione. Quarto ex maris inundatione: præsertim cum multitudo piscium, & magnorum in littore relinquitur. Quinto ex immunditie, vt apud Turcas. Vltimo ex ratione victus, vt apud Germanos, postquam cœperunt edere carnes, & oua, & caseum cum piscibus quotidie, nunquam fuerunt immunes à peste. Et quoniam hæc pestis est maximè contagiosa: quæ autem prouenit à cœlo, minimè seu parum media est, quæ fit à qualitatibus aëris: & hæc quæ prouenit à cibis, potest reduci ad primum membrum ratione causæ: ratione familiaritatis. Ideò de ea in sequenti lectione agam.

LECT. XXXVII.

Super

EODEM TEXT. XXXIX.

ET iam dictum est quod pestis, & morbi fiunt à cibis. Et circa hoc notandum, quod vt habetur in libro de Cibis boni, & mali succi morbi ex fame vniuersali etiam fiunt vagantes, sed differunt ab ijs, qui fiunt

fiunt ab aëre : quoniam licet conueniant cũ eis in hoc, quod totas prouincias amplectuntur, & multitudinem populorum : & sint pestiferi : & sanabiles, vt qui ad cutem tendunt, & medij, & quod sint contagiosi, vt non differant inuicem his causis, nihilominus differunt in hoc, quod morbi ex ciborum caritate, & penuria annonæ sunt magis dissimiles inter se, quam hi qui ab aëre proueniunt. Et primùm, quia diuites sunt plerunque immunes ab hac calamitate. Secundò, quia vt ibi narrabat cibi multis modis distinguuntur, qualitatibus primis, calidi, frigidi, sicci, humidi, temperati, proximi temperamento, immoderati: deinde saporibus acres, amari, salsi, qui omnes sunt valdè mali : inde acerbi, & astringentes tũm acidi, & austeri. Idem dico de odoribus, quamuis omnes enim eiusmodi cum malè olent, praui sunt : & incocti, etiamsi qualitate parum differant. Et à substantia lenti, friabiles, crassi, tenues, aut mediocres. Et à proprietate medicamentosi, ac venenosi, vt ex cicuta, & ferula. Vnde ibi notandum, quòd aliqui contradicebant Hippocrati, negantes quicquam facere ad sanitatem victus rationem, nec demiratur de illis, qui nacti ab initio prauos doctores, & illis adhærentes, nolent in senio ob dedecus relinquere sectas : & etiam ne viderentur, eousque decepisse clientes, & quia à lucro destituerentur. Atque in hoc genere reponit omnia fata, non multum elaborata, vt pauci alimenti, & excrementitij, & mali, & difficilis coctionis. Hoc docuit *in primo de Naturalibus Facultatibus cap.* 10. cætera ibidem vt dixi.

Ideo quæritur an vitæ humanæ competant olera, & præcipuè lactuca, beta, blitum, borago, & endiuia ? istæ enim sunt magis innoxiæ. Et ex fructibus vuæ, ficus, amygdalæ, auellanæ, pineæ, & pistaciæ? Dein quod nutrimentum sit meliustan caro, an oua, an prannia, vua, sicca, an torta : ex amygdalis cum saccharo, vt de pane non quæram tanquam fundamento ? Et primum Hippocrates *sexto Epidemiorum Sec. 5. Tex.* 21. (inquit) [cibaria imbecillia breuem efficiunt vitam.] Ibi Galenus exponit per cibaria imbecillia olera, & ex fructibus (inquit) plurimi : nam dubium non est, quin per imbecillia cibaria, non intelligat eos, qui parum nutriunt. Quamuis paulò pòst videatur velle intelligere eos cibos esse imbecilles qui citò descendunt. Hoc autem non est idem : nam parum nutriunt radices omnes, vt quæ concocti parum retineant, & tamen tardè descendunt : vt contra ouorum vitelli celeriter distribuuntur, tametsi plurimum nutriant. Certum est imbecillem cibum dici posse, vel qui parum nutriat, vt dictum est: vel qui friabilis sit, aut tenuis ad modum alimenti, vt *in libro de cibis boni, & mali succi. Et in tertio c. 5. de Alimentis.* Cibi friabiles quantò sunt salubriores, tantò vitium robur imminuunt, sed hoc est verum de his solùm qui sunt tenuis alimenti, esse tamen cibos crassi alimenti, & friabiles docet *tertio de Alimentis cap.* 27. crassos enim multum nutrire dicit. Præterea *in secundo de Alimentis cap.* 29. dicit: cichorium homines fame adactos edere, & enumerat illam inter agrestes plantas. Et *in libro de Cibis boni & mali succi cap.* 8. Succi maximè, & omninò mali sunt olera omnia agrestia, quæ vocant: lactucæ id genus chondrilla, scandix, gingidium, seris, cichorium Est autem tam seris, quam chondrilla cichorij species. Et *in octauo de compositione medicamentorum secundum locos cap.* 8. cichorium mandunt rurales, crudum, & coctum. Vt non existimet esse cibum communem, nedum ciuilem. Erasistratus autem vtebatur, & bis cocta cum oleo, sale, aceto, non acri in cura ægrorum, non vt cibo sanorum. Et *in octauo de Simplicibus medicamentis*, dicit esse frigidum, & siccum in secundo ordine, Attamen vsus obtinuit vt ea assiduè vescamur. Commendatur ad iecur, ad ventriculum, & à Dioscoride & a Galeno, qui fieri potest, vt adeò noxia sit, cum tantùm conferat membris naturalibus ? Et de Bata Oribasius *in primo & secundo Euporiston, & in secundo Collectanorum* ad iecoris obstructiones, lactucam reposuit inter media edulia. Viri sancti in eremo, cum solis oleribus victitarent, ad centesimum annum peruenerunt. Idem argumentum, sed euidentius in genere nucum amygdalarum, pistatiorum, & pinearum, quæ optimè ad vitam conducere videntur : post quam Indi ad longissimam cum earum consuetudine perueniant. Afri quorum aër est deterior palmarum fructibus viuentes ad centesimum annum. Nuces ergò pineas omnibus præfert Galenus *secundo de Alimentis, cap.* 17. dicens, boni multi, crassique sunt alimenti, sed difficile concoquuntur : amygdalas autem omninò improbat pistacia, vt medicamentum laudat, non vt alimentum. Attingamus tertiam quæstionem carnes præferuntur apud Hippocratem secundo de diæta, ouis à Galeno potius : *secundo de alimentis cap.* 10. De passis vuis hæc habet in genere : Nil refert quòd magnæ sint, aut paruæ, sicut nec cuius coloris sint, sed saporis: quæ autem passæ sunt plùs nutriunt, quam recentes. Et dulces atque astringentes plùs prosunt ventriculo, videtur autem eò, quòd minus nutriant, & quòd minus etiam similes sint humanæ naturæ. nam substantia carnis carni similior est quam vuæ carni, quòd pòst habendæ sint carni. Ideò altius rem considerem. Nam & pisces magis dissimiles nostræ substantiæ sunt, ipsi tamen magis, quam caro laudantur pro alimento, vnde tertio de alimentis, [Piscium saxatilium alimentum non solùm est ad concoquendum facilè sed etiam saluberrimum. Et ante parum alimentum quod ex piscibus prouenit, sanguinem gignit consistentia tenuiorem, quam qui fit ex pedestribus animalibus, adeò vt non affluenter nutriant, & celerius discutiatur. Pelagiorum medius est sanguis natura, & propinquus ei, qui fit ex pane præparato & perdicibus adeò vt videatur pisces auibus, & pani componere, & præponere quadrupedibus :] quod expressè docet in *libro de Cibis boni & mali succi, cap. 9. in princ.* Vbi inquit : Auium & piscium propemodum

pemodum omnis generis succus bonus est. Ibidem quoque docet, quoniam mens sua est, quod non adeo copiosè alant, qui friabiles sunt, quoniam molles, quòd qui duras habent carnes, si niue circundentur friabiles euadunt, velut saxatiles. Vt enim parum nutrimenti exhibeant, facit vt mollis sint carnis, & friabilis, vtrumque etiam facit ad coctionis facilitatem, *tertio de Alimentis cap.* 30. vt verò sint inculpati his, & ante in locis adductis, facit vt sint genere tales, vt saxatiles, & vt degant in alto mari: vnde Pelagici vocati, qui ferme omnes culpa vocant, & quoniam sunt facillimæ coctionis, saxatiles: vt *primo de Alimentis* Ideò dantur ægris primum & ante carnes, vt *septimo Artis curandi*, & in vlcerosa lassitudine, cõparans illos ptisanæ & aubus monticolis. *Quarto de tuenda sanitate: cap.* 6. & ibidem etiam in phlegmonosa dicens: Quod si carnes gustare velit, dabit oniscos, seu asellos, & pisces saxatiles. Concludendo ergo alimentum, quod ex piscibus sumitur est melius, quam quod ex carnibus, & facilioris coctionis comparando genus ad genus, & speciem ad speciem, nisi quod non est adeò stabile, de mente Galeni. Sed id supplet facilitas. Et in pluribus casibus est etiã longè melius, vt in supercalefactis ex exercitatione febre: & in imbecillibus, ac etiam in his, qui pleni sunt sanguine, adeò vt ex tot exceptionibus fiat vna regula generalior, quam illa ex qua exceptiones sumuntur. Et etiam de bonitate loquendo absolute generalis, nunc veniamus ad Hippocratem

In secundo de diæta Pag. 4. non laudat quicquam absolutè, sed solùm comparatiue præter Cyceonem ex lacte, hoc enim ad nostrã opinionem accedit, aliàs declaraui, quid esset Cyceon, & amygdalas: De his enim inquit (Amygdalæ æstuosæ sunt, verum probè nutriunt.) Quam etiam laudem nucibus communibus præbet, & addit quod aluum mouent. Rotundæ autem, id est, auellanæ similes dicit eas esse amygdalis. Cum ergo ptisanam alias solum pro ægris laudauerit, dubium est, quin nucum genus optimum non sit ad nutritionem. At castanearum, & pinearum, & pistaciorum, non fecit mentionem. Quæ reliquit sciens, illa improbasse videtur, quæ non nouit tractanda, sunt ratione consimili, qua reliqua. Igitur quod ad Hippocratem attinet, nucum generi laus tribuenda est. De vuis autem siccis, non meminit: quoniam nondum puto notam fuisse suo tempore Prannicam, & demiror de Galeno, qui differentiam nolit esse inter paruam, & magnam: nam parua si non siccetur bene putrescit: si bene, acida & insuauis, & inutilis redditur: magna verò pinguis siccata bene, optima est. Demiror hominem, qui etsi vera diceret, tam supinè res tractandõ, tamen occasiones errorum, & grauium (vt hic) præbet. Debuit enim pluribus, vbi de vtilitate hominum agitur: vbi confondere opiniones antiquorum, arctius, Aristotelem imitando, quem pro exemplo si proposuisset, & gloriæ suæ magis, & posterorum vtilitati consuluisset.

Ergo vt ab initio rem tanti ponderis resumam supponere oportet, cibum eum debere dici vtiliorem, qui diutius vitam producat, & hominem seruet incolumem: & si etiam robur addat postmodum, etsi bonum habitum præstet, neque enim dubium est reliqua esse pro nugis habenda. Posthabenda etiam duo vltima, si cum primis haberi non possint. Sed & illud cibum non posse esse præstantissimum, qui ad speciem vnius rei solum pertineat, velut gobium, aut pineas: tum quia homo posset in pluribus regionibus eo carere: tum quia non rectè accommodasset, natura communibus vsibus specialia præsidia. Tertio, quod homo indiget elaboratis igne, & non potest vti crudis, vt verè hoc docet Hippocrates *in lib. de veteri medicina. Pag.* 2. & 3. Ibidem etiam præsupponitur, quod cibus bonus est ille, qui neque meracus est, nec in eo exuperant qualitates excellentes, vt amari, dulcis explicat salsi, acidi, acerbi, fluidi: quod si exuperet voluptatis gratia (inquit) turbatio accidit in corpore citra secretionem. Ideò si mediocria sint, velut panis, & maza talibus commodè vtemur: aliis redundando mistione contrariorum, & coctione, ac subigendo multo igne, & aqua. Obseruandum est deinceps etiam ex animalibus, quæ nam sint viuaciora vt in genere eorum, quæ viuunt terræ nascentibus. Camelus ad centum annos peruenit, Elephas ad ducentos, dicit alibi Aristoteles ad trecentos: at nos vtimur communibus, & ab omnibus concessis, vt omittamus, quæ de cerno referuntur: at animalium, quæ carne viuunt nullum est longæuum, non leo, non panthera, aut tigris, aut pardus, vel lupus, aut vulpes, aut quicquam horum, quod tamen posset referri in penuriam victus, satis est constare rationem. Forsan ergo melius esset, vt dicamus hominem (quod aliàs docuimus 9. *De Hist. Animal. cap.* 12.) esse gennus coæquale vniuerso animalium generi, & ob id, quosdam vesci carnibus commodius alios natis è terra similes equis, & bobus, atque elephantis: alios piscibus, similes anatibus, & fibris: & generaliter tamen eos, qui vescuntur animalibus cõmodè satis longiori tempore viuunt, alij non id agunt, tanquam vtilius, sed vt necessarium, & breuiorem ob id vitam habent, quanquam enim omnes homines cum in septimo ordine sint mistorum omnibus animalibus, natura coæquentur, & eorum imaginem referant, tamen ob mistionis, & refractorum, elementorum naturam, in hoc conueniunt, vt omnibus vesci possint. Et ideò homo est maximè pamphagus, adeò vt referant certa historia: Indòs quosdam edere pediculos, & lendes, & sordida quæque: gentes tamen, & familiæ, & homines diuersi diuersis gaudent cibis, vt hi vix sine animalium carne, illi sine fructibus alij sine oleribus, alij sine piscibus viuere possint. Quinimò plura sunt genera hominum, quam animalium omnium cæterorum: quia sicut ex equa & asino mulus, & ex lupo & cane lycisca, & ita in paucis animalium speciebus commiscentur, vt mista species oriatur, ita hoc est frequentissimum in hominibus, cum fermè coniuncti ob similitudinem corporum, & tempora gestationis

ſtationis vteri æqualia in omnibus, omnes illæ ſunt ſpecies (vt ita dicam) permiſceantur. Et ideò mirabilia in hoc genere contingunt. Et euidenter apparet in his, qui ſunt diuerſarum gentium. Dico ergo in ratione ciborum, quod & aliàs dixi nucum genus, maximè amigdalæ & auellanæ, & pineæ melius nutriuunt carnibus. Et pro vitæ longitudine, & ſalubritate: maximè ſi cum ſaccharo conditæ, coquantur in torta, quam vocamus marcipanum. Dicebat Auenzoar in teſtimonium amygdalarum, quod ipſæ nutriunt cerebrum, cum ſaccharo, & ſomnum prouocant: & facilè efficiunt ſputum, & leniunt dolores pectoris. Ad cauſas veniamus, ſapor earum eſt maximè temporatus, velut & pinearum, ſed hæ magis oleoſæ putredini omninò innoxiæ, in omnibus vidiſſe me memini, præterquam amygdalis, & ciceribus inter legumina, vt etiam lapides cariem vermium ſentiant, ſed fac vt ſubeant etiam vermes pro monſtro eſt, qualis ergo cibus à putredine magis immunis habetur amygdalas, aut quis temperatior? Alimentum ſolidum, quod ex ſubſtantia colligitur: eſt duræ concoctionis ventriculo, ob pinguedinem odioſam, contuſio, coctioque facilè reddunt: ſaccharum oleoſam naturam temperat, vt faſtidium non afferat: at oleoſum illud eſt, quo maximè nutrimur, ideò tale alimentum cum pane optimum eſt: & quodcunque cuique gratum ac conſuetum.

Quod ad olerũ vſum attinet mollia quæque, quæ non nigricant, vt lactuca, borago, endiuia, lupulus etiam, & odorata, lenia vt fœniculus, roſmarinus, menta, & ſpinoſæ: vt cardui, item hortenſes cultæ, & gratæ vt melliſophilon, bibinella, crudæ bonæ ſunt: aſperiores, ſed non valdè agreſtes, vt beta, blitum, malua, vrtica, atriplex, paſtinaca, coctæ ſunt ciborum medicinalium loco: at agreſtes crudæ, vt lapathum vrtica: medicamentoſa vt cicuta, ferula, dracontium, perſicaria omninò ſunt noxiæ etiam coctæ. Sed & omnes cum præfame in vſum veniunt, non ob id ſolum, quod homines his vrantur, hoc enim parium eſt, ſi ad reliqua conferatur, ſed quod vſu neceſſariorum careamus, velut panis, carnis, oriæ. Aliud autem eſt per ſe obeſſe, aliud vices alterius non ſupplere, quod perſpicuum eſt in oleribus contingere. Secundo, quod plus edimus ex eiuſmodi vt purus cibus, ac merus euadat, quo in caſu præter id, quod damnetur ab Hippocrate, vt dictum eſt, ſcimus quod etiam panis puri copia quamquam adeò laudati noxia eſt. Demum quod non vicem obtineat medicamenti, cùm ſit cibus, vnde neque iuuat, vt cæteris miſcetur cibis. Hæc omnia cùm non aduertiſſet Galenus innoxios cibos nimis impenſè damnauit: quibus ſi quis pro ratione vtatur, & moderatè & opportunè, & coctis præcipuè, aut paratis tantùm abeſt, vt noxam percepturus ſit, vt etiam ab eis plurimum iuuetur. Et quantò magis conſuetus ad eos fuerit, quod apertum eſt argumentum, tales eſſe bonos, & veros cibos, ac de vnoquoque & generaliter & ſpecialiter *in libris de Tuenda ſanitate* dictum eſt.

LECT. XXXVIII.

Super

TEXTVS XL:

In carne, in pinguedine, in vena, arteria, in neruo, in muſculo, membrana, oſſe.

RElíquum eſt vt explicemus, quod ſupererat de cauſis materiariis morborum ſumptis, ab alimento, ſed prius diſtinctiones alimentorum partiri oportet, durus, mollis, pinguis, friabilis, boni ſucci, mali ſucci, craſſi, tenuis, facilis coctionis, difficilis coctionis. Multi nutrimenti, pauci nutrimenti: Verum vt dictum eſt hæ ſex diſtinctiones primum reducuntur ad quinque: nam boni alimenti, & mali: inde diuiditur en craſſum & tenuem. Et friabilis opponitur tam lento, quam pingui, vt ſint idem. Iam facilis, & difficilis coctionis reducitur, vt dixi, ad mollem, & friabilem, vel pinguem, & durum. At ſi durus erit, & friabilis, aut mollis, & lentus, erit medius in facilitate. Erunt igitur quatuor principales diuiſiones ciborum, pinguis & friabilis, durus, & mollis. Boni & mali ſucci, plurimi & pauci. Rurſus ſub illo boni, & mali ſucci continetur excrementoſus, & non excrementoſus. Et ita habes has differentias diſtinctas, ex quarum confuſione tum nominum varietate, nec non interpretum inconſtantia, doctrina reddita eſt adeò perdificilis, vt vix intelligi poſſet, nunc ad rem redeo.

Febris ex ſanguine duplex eſt: vna cùm putreſcit, alia antequàm putreſcat. Conuenunt inter ſe, quòd ſunt continuæ ſine exacerbationibus, & multò magis ſine acceſſionibus: ſed quæ à ſanguine nondum putrido, fit media, eſt omnino inter ephemeram & putridam: primùm quidem in ſubſtantia, ſcilicet ſuauitate caloris: ſecundò in ſignis concoctione vrinarum ſymptomatum leuitate. Tertiò, in proprietate, quoniam cum ephemera ad declinationem eadem die properet, putrida autem ſemper ad ſtatum vſque augeatur, ſynochus (ſic enim appellatur) tres habet ſpecies: vnam ephemeræ, quaſi ſimilem, quæ ſemper minuitur: alteram putridæ, quæ perpetuò augetur, tertiam quæ manet in eodem ſtatu: quæ tamen rarò reperitur æqualiter à putridæ, & ephemeræ natura remotam. Quartò in mutatione: nam ephemera tranſit in putridam, & in hecticam. Putrida mutatur in hecticam, & hæc frequentius, & fermè in putridam eiuſdem generis permutatur. Sed & media in periculo, & in longitudine, neque enim cicura eſt, neque vna die finitur, ſed in quarta, vel ſeptima. Pulſus quoque medij quaſi ſunt: & hæc eſt verè febris ſanguinis: nã de alia ſolet

dubitari an detur. Synocha autem est, quasi media in omnibus, inter synochum & putridas ab aliis humoribus. Nam & exacerbationes habet, sed obscuriores his, quæ ex certo humore fiunt, nec semper eisdem diebus, sed synochæ aliæ tertianis, aliæ quartanis, aliæ quotidianis similes sunt, cùm in illas tendant. Vnde etiam mediæ sunt hac ratione, & symptomatibus, & periculo. Tertianæ verò quæcunque, & quæ ex bile fiunt, maiorem habent pulsus inæqualitatem, calorem, sitim, oris amarorem, vigilias, capitis dolores, deliria, nonnunquam etiam vomitus, cibi fastidium, inquietem, at nil est certius signum, quam siccitatis magnitudo, & calor mordax. Melancholiæ autem calor minor, & solidior siccitas, & inæqualitas corporis in tactu, neque sudant in continuis, & sunt tristes, & vigiles, & ad cataphoram proni, & corpore graui, & hæc febris est quieta exterius, interius conturbat, & fermè semper occidit: Et vrinæ & lingua fuscæ si non nigræ. Et flatus abundat & vinum desiderant: & præcordia dura sunt, aut tument. Et non multum sitiunt, sed tamen os siccum: & sicut in bilioſis fiunt exacerbationes de tertio in tertium diem, ita in melancholicis de quarto in quartum, aut duobus se subsequentibus diebus, tertio autem alleuiantur, sed sunt magis obscuræ. Et pulsus magis profundi, & inæquales, quorum initium & finis medio euidenter sunt velociora. Et accidunt magis autumno & in primis senibus, & subnigris hominibus benè habitis, & qui cibis delicatis, & crassis vsi sunt, ac vinis potentibus, aut nigris, solitis præterea, vigilibus ac prudentibus. Cúmque ex his, qui non ferro, neque vi pereunt duæ quintæ partes obeant ex erroribus: medicorum. Cùm pauciſſimi admodum sint eruditi, dico vel mediocriter, & ex his, qui eruditi multi, nolint studere: plerique etiam ex his, & vix vnquam nonnisi serò ad ægros aduocantur: inde errant: astantes ægri mandata transgrediuntur: pharmacopolæ decipiunt, necessaria desunt, aut talia non sunt, qualia esse deberent. Reliquarum trium partium, quinta pars rursus debetur imbecillibus, & morbosis decrepitis infantibus, quos sacer morbus, aut vermes quasi tumultuariè perimit cachoëticis regio morbo laborantibus, vrinæ, vrigini, comitiali, vertigini, nephritì tabi, cuiuscunque generis enterocelæ, epiplocelæ, podagræ, & generaliter valetudinariis: atque morbosis. Alia quinta pars residui debere abscessibus internis, rarò cognitis. Nam potentes ob crapulam, & libidinem, ac vigilias cum curis, & potu vinorum potentiorum, inde fluxiones properant, à quibus abscessus fiunt in iecore, pulmone, renibus, mesaræo & tumor durus, vesicæ, fellis, concluſa bile, vice fungitur abscessus, occiditque egregiè: tum verò & in cerebro, & in membranis iecoris, demum in liene, qui non adeò semper occidit, sed eo frequentior tamen est quam in aliis partibus. At pauperibus ob crapulam multam vigilias labores, cibos crassos, & lentos, ponderum gestationem, casus, contusiones: paruam sui curam non solum dum sani sunt, sed etiam cum ægrotare cœperint, etiam vsque ac multos dies potum multum aquæ, & prauorum vinorum, sicut egregiorum (vt dixi) diuitibus non solùm ob voluptatem, sed ita perperam consulentibus medicis, qui minus malum maiore compensant. Alia quinta pars debetur huic febris generi, ex qua fermè intereunt omnes principes, & sapientes, & purpurati, cordatique viri tum ob temperaturam membrorum principalium, tum ob victus rationem. Alia propemodum quinta pars ex pestilentibus constitutionibus aboletur, in qua tamen & abscessus, aut febrium genus dictum falso pestilentiæ nomine, pleróque cum exanthematibus perimit. Superest fermè quarta pars residui, id est, totius XV. partes, ex LX. quarum decem, vt ita dicam, & sunt totius summæ pars sexta fluxus cum febre occidit: quoniam & laxando præ imbecillitate pereunt, & retinendo ob febris feruorem. Moriuntur ex hoc iracundi, mala victus ratione vtentes, soliciti, ebrioſi, potatores, vigiles, mali animi, tum decrepiti, & qui in igne versantur. Reliquam totius summæ partem, quæ vigesima restat doli, & venena occidunt.

De pituita autem febres continuæ, tum alij morbi accidunt, sed febres rariſſimè, nisi in Infantibus, aut mulieribus quibusdam bene habitis. Nam cum pituita sit frigida, & sit fundamentum naturalis caloris: naturalis vix potest putrescere ob duplex obstaculum. Et ob id verum est, quod solet dici, eiusmodi febrem vix inueniri: sed vt de sapientibus, qui togam ferunt, ex habitu plures nomine tales appellantur, pauci sunt alij alterius generis: ita de pituitoſis febribus, plures nomine sunt: quanquam enim quotidie exacerbentur, tepidæ sint, fastidium pariant, anxietatem, deiectionem, appetitus inæqualitatem, pulsus: hæ tamen ex pituita vera non pendent, quinimo illæ sunt mitiſſimæ æquales, & etiam breui terminari solent. Sed neque in iuuenibus, neque in senibus accidunt. Hi enim crudum gignunt humorem, non pituitam cùm sicci sint, & non concoquant, vnde rarius morbi aduenium illis ex pituita, quam ex sanguine. Iuuenes bene compoſiti pituitam nonnisi concoctam gignunt, humor autem concoctus bene nullos morbos creat. Sed neque malè diſpoſiti: hi enim generant humorem crudum. Sed humor crudus, vt dixi ad succos pertinet. Ergo per succos intellegere potest morbos ex humoribus compoſitis factos, poſſunt autem esse duo, & ita contingere sex etiam morbi, aut tres, & ita quatuor: aut omnes, & ita vnus: vt sint omnes morbi compoſiti vndecim. Modi autem compoſitionis sunt plures. Primus cum qualitas generis vnius alterius subſtantiæ copulatur: velut bilis crassa, notæ tertianæ materia, nusquam vt multi putant, pituita bili mista: sed bilis subſtantia pituitoſa; cum subſtantiam bilis calor naturalis colliquare, & attenuare non potuit: vel quia imbecillis quod peſſimum est: vel quia alimentum crassum,

crassum, vt in calidissimo corpore, caro, cete: vel in imbecilliore natura, cœpe, vel ob impedimentum: vt his, qui à cibo se exercent frequent. ssima sit, ac peculiaris febris, & gulonibus, ganeonibúsque. Cumque frequentior sit pura, oportet multas esse causas, à quibus generetur, multisque modis generari. Secundus est cùm propè miscentur, atque putrescunt, vt in duplici tertiana duplex bilis, in hemitritæo bilis, atque pituita. Tertius cùm procul duæ materiæ, aut similes. quod frequenter accidit, putrescunt vt in duplici tertiana, quartanáque multiplici: aut dissimiles, quod rarò, vt si tertiana cum quartana misceatur. Quartus cum in eodem loco permistæ fuerint, vt in continuis frigorificis. Dicemus autem de his in sequenti lectione.

Sed de succis vtilibus, vbi corrumpantur siquidem absque febre fiunt genera leucophlegmatiæ albæ, & nigræ, & impetiginum, vt *in primo de Naturalibus facultatibus* est. visum est. Constat autem ex tam multiplici eorum genere diuersa esse hydropum subcutaneorum genera: sed si putrescant à calore que sicco absumantur, dubium non est, quin hecticæ species generentur. Et siquidem humidum illud, quod resudat ex sanguine consumitur, pinguedo, & caro. Discrimen autem est à succedenti; nam primam hecticæ speciem secunda & tertia consequeretur, si consumeretur humidum, totidum ex venis, cum sit aliorum materia? cuius tamen oppositum contingit, vt scilicet secundam prima: & tertiam secunda, & prima consequatur) nam cum calor est in carne alimentum quod ei aduenit consumitur; atque ideo caro, & pinguedo: facilius est autem carnem accendi, quam solida, & quod calidior sit, & molhior, & ad illam plus sanguinis aduenint: vnde ex putridis febribus, in quibus sanguis concalefactus est, & exsiccatus, accenditur facillimè, primum hecticæ genus. Secundum verò est, cùm cauitates solidorum accensæ sunt, ob carnium vicinam: nam alimentum, quod ad illas defertur absumitur, sed antequam absumatur reluctante ipsorum membrorum substantia aliquid ægrè adiungitur, ex quo nutriuntur, sed tenuiter: atque ob id ex secunda in tertiam speciem, adeò facilis est transitus, vt vix liceat, vel à re subiecta, vel ab euentu vnam ab altera seiungere. Maximum tamen est cum ipsa solida membri substantia, & cordis cartilagines, atque membranæ, non solùm aduenies humidum, sed proprium ex quo constant, exurunt. Differunt ergo hecticarum genera inter se non propriè ob humidorum species, quæ absumuntur (quanquam id vt accidat eis sit necesse) sed ob loca ipsa, quæ accensa sunt scilicet caro, solidorum cauitates, atque substantiæ. Et ob id non totidem hecticarum species, quot vtilium humidorum, sed tres tantum iuxta membrorum partium nostrorum. Imperfectum autem humidum chylus, & ipse cum putrescit, leuitatem intestinorum efficere solet, & sanguis corrumpitur. Non tamen efficit febrem, nisi communem, id est, ephemeram, quæ facilè transit in hecticam post septem dies; qui terminus est, quo protrahi vita potest ex iam parato sanguine, eadem & minora sunt cum exuritur, aut in humidam materiam transmutatur: aut in flatum, aut crudum humorem. At de his posterius agemus, neque enim huc omnia congerere oportet, sed vniuersalioribus debemus esse contenti.

Ichores autem totidem sunt, vt aliàs dixi genere, quot humores sanguinis pituitæ vtriusque bilis sexto Epidemiorum, vnde illis putrescentibus febres intermittentes generantur, velut ex humoribus ipsis continuæ. Quilibet autem ichor suo humori respondet: vnde accessiones tertianæ, quartanæ, singulis diebus tum circuitus habentur. Sed & in medulla, & mucis, & saliua morbi accidunt multitudine primũ (nam paucitate vix dicere possumus, vt ad materiam referatur, sed potiùs ad causam referendum) inde corruptione, demum putredine, & si ex motu obstruat dolorem vel inferat: quibusdam medulla putrefacta (quasi incerta causa) putrescit os, & neque os dolet, sed membrana, quæ ipsum circumdedit, & motui sunt. Tres huiusmodi vidi. Accidere solet ex lue illa Indica.

Corrupti autem ichores, qui cum fecibus deferuntur & sanies, & pus iam adepti sunt transmutationem, & ichores quidem secundùm naturam, reliqua præter naturam, quibus si alia eueniat transmutatio ex mora corrumpuntur, & in deteriorem qualitatem transeunt: & ichores quidem putrescunt, & male olent: sanies autem magis putrescit, & deterius olet, quàm prius, mutátque colorem, & substantiam: Pus verò solum erodit circumuicinas partes, inde permistione facta iterum, deteriore modo computrescit, & sequuntur febres lentæ, velut & ad saniem, & dolores, & persæpè mors, vt periculum æquè ferinè sit, seu cruda dissecces, seu matura non incidas, ob quod Hippocrates conscripsit Aphorismum.

LECT. XXXIX.

Super

EODEM TEXTV XL.

DE venis primò continuandi sermonis causa agemus: vt autem aliquid valdè abstrusum, & quasi aliorum principium inuenias; quale est hoc, duorum præceptorum meminisse oportet à philosophis traditorum. Primum est demonstrandi, atque id est, definitio. Dicebat enim Philosophus: diffinitio, aut demonstrationis principium, aut ipsa demonstratio sola positione differens, aut demonstrationis conclusio. Alterum est, vt quod dicitur sibi consentiat, & omnium, quæ in ea re contingunt rationem reddat. Quod cùm etiam de Diffinitione deinceps affirmet post, non mirum esse debet, cùm vt dixi diffini

diſſimitio, quaſi medium ſit in demonſtratione, & ipſa demonſtratio. Inuenire autem medium, vel quatenus ſimplex docuit in primo Priorum: vel vt compoſitum, quod vt dixi, eſt demonſtratio in poſteriorum ſecundo Generaliter autem id in artibus, vt aliàs dixi, & ſcientijs ex finis reſolutione, ſed in artibus actionis, quam Galenus pulchrè docuit *in libro de Conſtitutione Artis Medicæ à cap. 14. ad finem.* in ſcientijs contemplationis, hoc autem trifariam per mechanica, coniecturam, & caſum: præcipuè in Mathematicis: & mechanica alia quidē per ſe, alia per coniuncta: vt in menſuris per pondera. Specialiter autem vnumquodque per ſuam methodum, vt ſi naturalia per principia, & cauſas, & elementa, quibus fiunt, atque conſiſtunt quæri debēt 1. *Phyſicorum tex.* 1. Igitur quod primo propoſitum eſt, quot modis, & qualitatibus humorum compoſitio fiat ad compoſitas febres inueniendas: vtque ex febriū natu a. & modis humorum compoſitio inueniatur. Cùm ergo omne problema (vt ex Ariſtotele docui) ad medium reducatur, vel quod ineſt, vel non ineſt, manifeſtum eſt omnia quæſita ad primum principium deduci, vt ſint, vel non ſint. Ex quorum repetitione compoſita cognoſcuntur. Optimum igitur erit iſta diuidere, & ſcire quales ſint febrium per humores, compoſitiones, vnde etiam, quot intelligemus. Et quoniam hoc ſcire per principia oportet: oportebit hæc ipſa in principia diſſolere, quorum vnum eſt quod febres aliæ ſunt intermittentes, aliæ continuæ: inde cognoſcere, quomodō vnumquodque g nus fiat. Principia autem, quæ accipere oportet, & quæ notiſſima ſint, aut ex ſenſu accipere debemus, aut ex communibus ab intellectis, aut proprijs quod difficillimum eſt. Ex communibus duo ſunt genera, quorum vnum eſt axiomatum, aliud demonſtrandi modi, quorum vtrumque notiſſimum eſt. Velut & ex ſenſu: conceſſa enim ſunt hæc ab omnibus: propria autem alia à prioribus accepta, alia vt cum his coniūcta, alia ratione demonſtrata, vt Auerroes *primo cœli 1. Paragraph. ſumma* 9. dicens, quędam demonſtratione cognoſcuntur, quæ imaginari non poſſumus, vt quod extra cœlum, neque vacuum ſit, neque tempus: Quid plura in Mathematicis? Plura talia oſtendunt Geometræ, de angulo maximè periferiæ circuli, & dimetientis, aut contingentis. Talia ergo demonſtrantur per ea, quæ repugnant. Oportet autem omnia ad vnum deducere, & in naturalibus aliqua accipere veriſimiliora, tametſinon ſint demonſtrata, cùm ex his nullum ſequitur abſurdum, ex oppoſitis autem, tum alijs multa. Dicemus ergo primum quod febrium continuarum materia in venis contenta eſt: nam hoc vt axioma ab omnibus receptum eſt. Quodque pars materiæ in intermittentibus extra venas eſt, dum proceſſerunt ſentium enim notum, & enomunt ichores humorum, quos iſti falſò humores appellant: & ego cum puer eſſem iam, tamen demirabar oſtendentibus mihi medicis, tanquam humores, cum mihi aquoſum quiddam videretur. Et quod materia, quæ extra venas putreſcit febrem ſolùm diariam facit. Tum primum, quia id ex his, quæ in ventriculo continentur inſpicimus, tum etiam quia ſola qualitas ad cor prorepere poteſt, cum extra venas eius ſedes ſit. Et ſerò tranſirent vapores ad ipſum: vnde cum non ſit ibi fomes putredinis, erit omnis intermittens compoſita ex duabus febribus: vna ſimili ephemeræ, ex materia, quæ eiecta eſt extra venas: altera quæ putrida eſt, & in venis materiam contentam habet, quæ plerunque finem accipit intra viginti quatuor horas, cùm pars illius prius eiecta ſit. Vnde non ſolùm pauciot eſt, ſed etiam robur virium motus is atteſtatur Et quòd materiæ huius pars ſaltem in venis paruis continetur, neque enim ex magnis in muſculos vniuerſos tranſmitti poteſt, niſi per paruas. Cùm ergo modicus horror ſolum circa ſpinam dorſi ſentitur, eſt febris continua: quoniam ibi magna arteria, & vena ſubiacent, à quibus vapores exeuntes, mordenteſque muſculos, & per cutim etiam tranſlati horrorem modicum efficiunt. Neceſſe eſt etiam aliquid huius vaporis in arterias tranſire tum ob anaſtomoſin, tum per cor delatos. Ab initio quoque in omnibus febribus vnus calor accenditur: neque enim plures accendi veriſimile eſt: & ſucceſſio compoſitarum, id docet. Quamobrem ſecunda febris proprio calore, & prioris conſtat, ideoque ſæuior eſt: mitior tamen videtur, quoniam craſſior, aut frigidior, aut magis concocta, aut à corde remotior, quas ob cauſas tum ſerius accenſa eſt. Prior autem ſæuior fit accedente prognata, caliditate ipſi priori cum conduplicatur. Quo fit vt etiā ſanguis in arterijs quandoque accendatur, quamuis calidior, purior, ac in perpetuo motu, vt ex arterijs apparet tum perflatus, velut etiam cor. Si igitur materia in paruis venis intermittentium tempore tota fuerit, febris ad finem peruenit; ſi non, non. Nam neceſſe eſt, vt aliæ partes in continua materia accendantur, & vt febris continuetur. Quòd ſi materia tota in paruis venis ſit, non neceſſe eſt ob id febrem finiri vnde fiunt febres lentæ. Quæ vix typo carere poſſunt, cum pars tenuis adeò proxima muſculi à calore etiam ipſo attenuata, ægrè poſſit contineri, vt non ſpargatur ſuper muſculos. Horrificarum igitur febrium duplex genus, aut cum materia ſimul in paruis & magnis venis continetur, quod indicium eſt multitudinis humorum, aut cum in magnis tantum, in quibus pars tenuis à craſſa ſegregatur. Diſtinguit autem locus horroris vnam ab altera. Sedes quoque diſtinctas oſtendunt ſudorum, & dolorum, & tumorum loca, & ſymptomata propria partium & fæces, quæ diſcretos humores habent, quamuis confundantur in exitu, non tamen miſcentur, & vrinæ, quæ euariant, & per dies, & per horas. Cùm ergo in ſimplici tertiana notha fœcum conſiſtentia vna ſit, nec à putredine diuidatur, erit (vt dixi) humor vnus. In hemitritæo autem materia non vna eſt, ſed in venis paruis, quocirca &

typus

typus adeſt vtriuſque, & die quo geminantur febres, tres fiunt annotationes ſingulæ ſingulis febribus propriæ, tertia ex vtraque mixta. Etenim in adoleſcente illo tertia hora diei die prima quotidiana acceſſio incepit: Quarta hora ſecunda die: ſecunda hora die tertia: quarta in aurora: tertianæ autem die prima in hora prima, tertiæ autem diei hora quinta. Quintæ quarta hora: quod pituita per calorem attenuaretur, reliquum bilis ob euacuationem tenuioris partis craſſiùs redderetur. Vnde idem eſſe non poterant, ni idem ſimul craſſius, ac tenuius ſimul fieret. Non me latet erroris aliquid in illis numeris intercedere. Ex materiebus autem miſtis febres fiunt horrificæ, quæ neque vna ſunt, & ob id diuerſas habent acceſſiones, neque diſtinctæ: nam non vt hemitritæi fines diuerſos habent febres eiuſmodi, quæ autem diuerſas ſedes habent, non vna commiſcent acceſſiones, velut (dixi) in hemitritæo. Et tamen in venis paruis ambæ eſſe poſſunt, velut in duplici tertiana. Et in diuerſis genere venis, vt maximè cerebri pectoris, aut naturalium membrorum. Dubium verò relinquitur, an fiat febris ex ſanguine in arteriis contento? & dato quòd fiat, an vita diu ſtare poſſit cum ea? Et dico concludendo, quod fiunt ſex genera febrium ratione partis, quæ cordi communicatur: aut enim materia eſt in venis paruis, & in ambitu corporis, vel extra venas, ſicut ſolus calor communicetur cordi, & eſt Ephemera: aut in venis paruis interioribus, & nihil emittitur, & eſt febris continua lenta: aut emittitur materiæ pars, & eſt intermittens: aut eſt in venis magnis, & eſt continua, vehemens, & in iſtis tribus generibus tranſmittitur vapor ad cor ipſum, vel materia putrida eſt in corde, & arteriis, & eſt peſtilens. Quamvis Galenus velit adeſſe propriam quandam qualitatem, ſed poſtquàm admittit, quod ſit in humoribus cordis, quorſum adiicere aliam conditionem: Sextum eſt cum calor eſt in ſubſtantia cordis, & eſt hectica: in hectica autem peſtilenti calor eſt ab humore putrido in corde, ideo compoſita. Contingunt & communes illis ac arteriis morbi obſtructiones, & compoſitiones, & ſoliditatis, diuiſæ, & intemperiei. Sic & in aliis partibus, quas enumerat, velut oſſibus, carne, & pinguedine. Notandum tamen quod horum membrorum quadruplex eſt genus: quoddam eſt omnino ſimpliciſſimum, vt caro & pinguedo, quæ non conſtant aliquibus partibus propriis, neque alienis, neque alias continent. Quædam continent alias, ſed alterius generis, ex ſe tamen non ſunt compoſita, vt oſſa, quæ continent medullã, velut oſſa magna, & craſſa: vt brachiorũ, & crurũ, quædam non continent, vt vocata ſeſamina, & ex magnis oſſa capitis, niſi dicamus cerebrum eſſe illorum oſſium medullam: quod falſum eſt, cum neque ex eo oſſa illa nutriantur, & intercedant inter oſſa, & cerebrum membranæ, quæ non intercedunt inter oſſa, & ſuas medullas. Et oſſa naſi, & aurium. Sunt quæ componuntur ex ſimilibus, vt venæ, arteriæ, membranæ: nam ſubſtantia harum, non eſt diuerſa à ſubſtantia totius. Sunt quæ ex diuerſis componuntur, ſed occultè vt nerui: conſtant enim medulla ſua, & membranis. Demùm ſunt muſculi, qui verè componuntur ex carne, & ligamento, hæcque partes per ſe ſunt: ad vtilitatem autem venæ, atque arteriæ accedunt tum nerui, non vt ſolùm ſentiant, ſed vt magis obediant motibus ſuis. Cur ergo cum ex tot componantur inter ſimplices partes hos adnumerauit, quoniam vbique inueniuntur, & ſunt partes communes, vt nerui, oſſa, membranæ, venæ, non autem habent locum certum, vt ea, quæ enumerat in ſequenti.

Notandum quod hæ partes non ſunt cauſæ morborum vt dicæ priores, ſed ſubiecta, quia omnes ſunt animatæ. Dubium autem eſt, quid ſit primum animæ ſubiectum an ſpiritus, an partes ſimilares, an inſtrumentum. Galenus videtur ſentire, quod animæ rationalis ſpiritus, aut cerebrum: ſed diſtinguit cum dixit ventriculi ſubſtantia: cerebrũ enim eſt membrum organicum, de hoc aliàs ſermo habebitur. Satis conſtat vnam tantùm eſſe animam, & partem vnam ſimilarem, recipere primùm vitam, vt eſt pars inſtrumenti, quod primum viuit, & eſt cor cuius ſpiritus eſt primum, in quo operatio vitæ manifeſta ſit, vt alias de imagine in pariete ex vreo per ſolis radios reflexa.

Dubium etiam eſt aliud, quia in vena, & arteria: accidit mala compoſitio, & ideò videntur membra organica potiùs, quam ſimilaria: ſunt enim obnoxia anguſtiæ, dilatationi, & obſtructionibus, & hoc tangitur à F. Reſpondeo, quod ratione compoſitionis, & officij ſunt ſimilia, & ideò apud philoſophos ſic appellantur: non enim componuntur ex diſſimilibus, neque habent actionem: ratione autem morborum à medico connumerantur inter vtrunque.

LECT. XL.

Super

TEXTV XLI.

Cerebro, ſpinali medulla, ore, lingua, gula, ventriculo, inteſtinis, ſepto tranſuerſo, peritonæo, hepate, liene, renibus, veſica, vtero, cute, hæc omnia ſingillatim, & particulatim.

ENumerat quindecim mẽbra verè organica, & propria morborum ſubiecta, quæ cum prioribus explent numerum xxxiij. Horum ergo primum eſt cerebrum, quod multis morbis ſubiicitur, dicebat Hippocrates *in libro de glandulis, pag. vltim.*

& violentissimis, acutissimisque, ac maximè lethalibus idem aiebat *in libro de Sacro morbo pag. vltim.* Quod ad hoc igitur attinet membra sunt in quadruplici differentia: quibusdam enim contingunt rarò morbi, sed lethales vt cordi: quibusdam frequentes, & non lethales, velut ventriculo, intestinis, & vtero: quibusdam neutro modo, velut articulis. Contingunt autem morbi his in compositione, in temperatura propriè contingit membris compositis ob simplicia ex quibus componuntur: quare intemperies sunt primo in similibus partibus, & mala compositio aduenit primò instrumentis: & hoc quia caro non dicitur immodica, aut pauca, nisi comparatione cæterarum partium: soliditatis autem diuisio est communis vtrisque. Et sunt etiam morbi per consensum cum mala qualitas, aut vapor transmittitur, & secundarij cum materia. Et aliud morbi genus parum consideratum à prioribus cum membrum non recipit auxilium suum à corde, quale recipere deberet & similiter à iecore. Nam videmus, quòd ex tristitia, aut timore vehementi homo non concoquit, non læso ventriculo, vt sint verè sex genera morborum per se in substantia, ratione materiæ, ibi genitæ, ratione transmissæ aliunde, & vocatur fluxio: ratione vaporum, ratione solius consensus, vt patiente ore ventriculi cerebrum, & quia destituitur solito præsidio, vt si ad ventriculum cor, aut iecur sanguinem, & calorē non transmittat.

Spinalis medullæ proprij quidam morbi sunt præter communes, vnus est fluxio à capite per quam fit tabes occulta, dicit *lib. de Locis in homine pag. 5.* inde ex luxatione vertebrarum iactura magna, gibbus repandus, vrinæ suppressio, de quibus in lib. de Articulis.

Ori accidunt morbi plures præsertim autem hi sunt dentium: & aphtæ, & angina, & glandularum abscessus, & vlcera in palato per quæ aliquando, & sæpè excidunt ossa, vt in lue Indica: præcipuè vt Regi Gallorum Francisco primo, & illustribus mulieribus, & labiorum tumores. Peculiare medicamentum eius vlcerum est: Difriges (inquit Galenus) adeò vt eo solo persæpè sanauerit illius vlcera: & columellæ præcisæ cicatricem induxerit. Et addit, quod medicamenta oris deb ent esse similia medicamētis pudendorum: quia vtraque sunt calida, & humida membra valdè, ideò sunt similia, & eadem conueniunt, vtrisque. Dicebat præterea *sexto de Medicamentis secundùm locos cap. 1.* medicamenta, quæ applicantur ori non debent esse valida, nec in sua via, nec vlla venenosa qualitate prædita, & facilè est vniuscuiusque reddere rationem.

Lingua) Hoc est membrum, quod licet contineatur in ore, propter nobilitatem, tamen seorsum meretur vt de eo fiat mentio. Contingunt ei tres peculiares morbi, qui nulli alij membro, & quartum etiam vidi in Augusto Corbeta patritio vrbis nostræ: scilicet, vt nullum perciperet saporem. Cùm enim lingua sit instrumentum saporum, per neruos tertij, & septimi paris ex offensa illorum ablatus est totus gustus, & sentiebat odores, & non percipiebat sapores: & percipiebat ex pipere dolorem: sed non saporem. Et hoc docet esse verum, quod aliàs diximus sensū noxij esse in toto corpore. Et ideò istæ duæ quæstiones non conuertuntur inuicem: an omnis sensus fiat per neruos, & an totum corpus sit sensile. Secundus morbus est vinculi cōnexio sub eadem per quod homo ab expedita, & perfecta locutione prohibetur, vnde fiunt trauli, & balbi, & batti, & hæsitantes. Trauli seu blatti, qui non possunt proferre voces, maximè quæ per r, r proferuntur, batti qui sæpiùs b loco aliarum litterarum proferunt, seu quia commutent alias in eam, seu quòd in illa ipsa hæreant. Balbi autem seu pselli, qui literam, aut syllabam prætermittunt. Ischnophonus seu hæsitans, qui connectere syllabas promptè & expeditè non potest. Eisdem contingit vt a literam sæpiùs repetant, & ei inhæreant, quòd hæc sit prima in omnibus linguis Græca Alpha, Hebræa Aleph, & apud Latinos ob facilitatem, vocantur ob vitium vt Dores Platystomi. Sunt & alia duo vitia circa locutionem magis propria, cum mutila profertur littera vltima, quod vitium obscuritatis non parum affert sermoni. Apparet autem manifestè in his, quibus dentes priores cecidere. Et patri meo vt naturale fuit vitium, & etiam ob casum dentium, & mihi quidem, sed vt audio perexiguum semper: neque nunc auctum casu dentis dextri superioris: quod enim hiet, & ea parte os non adeò exactè inflecti potest: alterum cum incipere non queunt, vbi cœperint loqui expedijè loquuntur, atque in hoc à superioribus distinguuntur. Tertium est ranula lapis, qui sub lingua oritur, vt Augusto castri Sancti Petri: cui me præsente forma, & magnitudine similis è linguæ radice eductus est: leui negocio, cùm ante loqui vix posset: locúsque doleret. Quartus est tumor siue abscessus, quem etiam Galenus vidit *libro de Differentiis morborum cap. 9.* videturque, dicit, nec dolor, nec sensus, priuatio, nec scirrhus, aut œdema, vel phlegmon, sed solum peculiare incrementum.

Gulæ peculiaris morbus quidam est non posse deglutire, Meminit de illo, 7. *Aeth. cap. 8.* qui cum aquam frigidam confestim bibisset in eum morbum incidit, ex quo tandem mortuus est.

Ventriculo peculiaris morbus fames vaccina, canina, amissio appetitus. Nam peculiares operationes, aut compositiones consequi solent. Nulla autem est peculiaris vis ventriculo, nisi fames vt animalem consequitur vim, aut sitis. Nam nunc pro vna habentur, vt ad alimentum referuntur, quòd tam ex cibo, quam ex potu desumitur.

Intestinis peculiaria sunt tinesmon, ileon, & coli dolor, communis autem cholera. Nam cum eorum operatio sit excretio duri excrementi, cùm hic appetitus manet irrito effectu molestissimus est, & prohibet somnum, & tristariam debilitat vires vigilia,

vigilia, & surgendo, & compressione musculorum ventris. Ideo somnus conciliandus, tum conuenit præcipuè quies: non ita in diarrhœa, & refectio. Sed & loca inflammantur, ob nixum. Est autem tinesmus duplex notus à materia acri externa, qui facilè curatur, & ab inflammatione difficilis. In hoc casu ex regula generali ob partis ignobilitatem, & symptomatis magnitudinem, conueniunt quæ stuporem inducunt. Cholera est affectus tam ventriculi ob vomitum, quam intestinorum ob ventris fluxum. Ileos est dolor vehemens ipsius intestini longi: & est notus ex fœcibus, humoribus, flatu, & verus ex inflammatione vomitus, fœcum, & proprius huic illi accidit, cum auxilia non prosunt, & obstructio est perfecta, vel excedit: vnde triplex in ea, quæ excedit adest dolor maximus propter extensionem. Cholica est minus sæua: quia intestinum est latius, breuius, crassius, minoris sensus, propius ano: deterius in hoc, quod est cauernosum non æquale, quod magis communicat iecori, & ventriculo: quod oportet causam esse maiorem. Ideo etiam ob primam harum causarum frequentius redit, quam ileon, & frequentius etiam illo aduenit ob pecum duritiem.

Septo transuerso peculiaris morbus, licet rarus est: hectica de qua Galenus decimo Artis Curandi, vbi duntaxat semel vidisse absolutam, inchoatam sæpius, marasmum nunquam testatur. Cuius dicit signa delirium, & pulsus duritia, & attractio præcordiorum sursum, & superinspiratio vt in flentibus, vt tamen hoc tum pulsus natura differat ab eiusdem inflammatione. Sed & aliud peculiare est symptoma risus, quod indicat titillatio illum excitans. Ipsum autem respirationis eius, quæ secundum naturam est tam admirabile instrumentum, vt hucusque humanam cogitationem effugerit.

Peritonei autem propria quædam sunt ex illius fractura frequentius ex dilatione vt fiant genera herniarum. Epiplocele, & anterocele. Sed & defluxus humorum hac causa fit, & circa hæc: verum non ita cessat ac redit: cum ergo inflatur spatium, quod est supra os pubis, & extenso homine, supino tumor cessat, & redit tunc si sentitur superius, rugitus est enterocele: si plenitudo absque rugitu epiplocele. Si nulla plenitudo, sed tumor rotundus solum est, aitirocele nuncupare potest: estque principium vnius earum, quæ dictæ sunt, quanquam Paulus nescio, qua ratione in sexto libro confundat illam, quæ fit in vasis ipsis, quæ alterius est generis, cum ea, quæ est principium, vt dixi epiplocelis, atque anterocelis. Et illarum duarum clara est ratio, descriptio atque causa, & dixit Princeps quod ramex, qui accidit supra vmbilicum est malus, licet ab initio non videatur doloroſus, & hoc quia ingrediuntur intestina gracilia in locum ipsū, & ideò sex retinetur. Sed huiusmodi rarò accidit, nec suscipit incrementum velox. Et hæc sunt vera, sed quod in scrotum descendat intestinum orbum oporteret vt esset semper à dextra, & quod esset magnum in hominibus, sicut in suibus. Ideò dico quod quandoque contingit: sed frequentius descendit pars coli intestini, aut ilei. Et verumetiam est, quod inquit enterocelem, & epiplocelem: quamuis paruas esse magnas ob curationis difficultatem, hydrocelem autem, quamuis magnā facilè sanari. De hepate morbi proprij eius sunt regius, & hydrops. Cum enim propria eius functio sit generare sanguinem, is vel fit aquosus, vel crassus nimis, & fiunt genera hydropis ascites, & leucophlegmatia alba, aut nigra: vel exuritur & fit regius morbus. Aliter vel transit ad naturam excrementi aquei, vel fœcis, & fit hydrops, aut bilis flauæ, & fit morbus regius, & redit ad idem.

Liene) Huic membro nihil peculiare accidit, quoniam neque est membrum commune toti corpori ratione operationis, vt iecur, & ventriculus: neque ratione operationis cuiusdam propriæ, vt septum transuersum: nec quia contineat vt peritonæum: nec vt via velut intestina: nec ratione constructionis, vt spina dorsi, nec ratione proprietatis vt renes, de quibus mox dicam.

LECT. XLI.

Super

EODEM TEXT. XLI. & XLII.

REnibus ergo peculiaris morbus est generatio lapilli, arenæ, pilorum, & vermium, quoniam ad generationem horum necessaria est materia, & efficiens causa, & propinquitas, tempus & impedimentorum ablatio, & materia est terrea, & aqueæ bene commista, secundo de generatione & corruptione. Et hæc habetur in vrina, quoniam pars crassa est separata, & ob viæ longitudinem bene permiscetur: & agens est impressio caloris, quæ fit à magnitudine eius, & mora, & modo: magnitudinem efficit substantia carnea calida, sanguinea: moram angustia meatuum, quæ etiam est causa vt retineatur, & exsiccetur: Nam ab humido multo impediretur generatio lapidis: vt ergo meatus est causa separationis, & vt excoletur, & angustus vt retineatur, & ob propinquitatē calor magis imprimat: densitas autē substantiæ renum, & altitudo, latitudo & lōgitudo, vt magis imprimatur calor. Igitur in renibus fient maximè lapides, ac duri, adsunt enim tres primæ causæ excrementi via & meatuum angustia, & caloris impressio. Et secundæ sunt materia tenuis, & bene mista, & meatus vt percolat, & vt angustus retinet, & vt est causa actionis caloris ob propinquitatem & complexum, & in rene natura seu substantia sanguinea, & densa, & magna, vt sint octo causæ secundæ, voco causas primas, id est, remotiores: secundas effectui propinquas, cum ergo nullibi sint omnes, hæ ideò nullibi tam facilè & tam duri lapides generabuntur. Generantur ergo, & in iecore, & in pulmone, sed in iecore, non adeò retinetur materia, nec est

ſeparata ab humido, & ideo in auibus & animalibus terreis, vt ſunt boues ſenes, magis generantur in his locis. In pulmone non eſt adeò via excrementi terrei. Generantur etiam in inteſtinis, ſed non eſt facta ſeparatio craſſi, & via eſt lata, vt non adeò retineatur, nec locus eſt calidus, nec natura ſanguineus, nec mole craſſus, nec denſus, nec applicatio tam apta: & etiam in veſica felis: ſed quoniam ibi ob ſitum, & in orbo inteſtino retineri diu materia poteſt ob longam moram, cùm neque calor, neque materia deeſſe poſſint in humano corpore, frequentius generantur quàm alibi. Et longè frequentius generetur in orbo inteſtino ſi magnus eſſet, & quotidie non humectaretur: & niſi generationem eius præueniret generatio vermium, quæ impedit generationem lapidis, ideò frequentius generantur lapides in veſica felis, ob id, quàm in orbo inteſtino. Et cum ibi generantur, fiunt dolores prorſus inſanabiles ob ſitum, quoniam nonniſi caſu eiici poſſunt. Rarius ergo etiam in ventriculo, in cerebro autem an poſſit generari certum eſt, quod vix. Centemanus tamen Deſdrenſis affirmat Miſum à pranno pſcilem, medico magiſtro ſuo magnitudine, & forma prorſus fructus mori, cum illis granulis colore cinereo ad pullum tendente. Et adducit multos huius teſtes in libello de lapidibus in humano corpore inuentis. Dicebátque patiens dolore caput ei maximè: contraxiſſéque eum dolorem ex eſu mori fructus. Quod per abſurdum quaſi videtur, ſed forſan, ſic imaginabatur ob præſentiam lapidis, ſicut in morſis à cane rabido. vel quod proprietate fructus ille id in eo potuerit.

Veſica) Duobus peculiaribus morbis obnoxia eſt vrigini, atque lapidi magno. Nam lapis, qui in ea concreſcit, & durior eſt, & longè maior lapide renum, & non ab eiſdem cauſis fit: quanquam nonnulli credant, non fieri lapidem in veſica, niſi qui prius à renibus originem habuerit. Præter id lapis in ea augetur, ob veſicæ calorem, ac paruitatem, vt in pueris, ſicut dicebat Hippocrates, tum calorem vrinæ. Vrina enim feruida facilè gignit lapidem: & cum diu retinetur: velut in his, qui aſſiduè ſcribunt. At vrigo multiplex eſt, ſed præcipuè diſtinguitur duabus rationibus: quædam enim eſt in præputio, quædam in ipſa veſica. Alia etiam eſt cum vrinæ interceptione, alia ſine, quæ omninò ſit abſque impedimento vix eſt inuenire cum natura metuens ob dolorem retineat eam. Et quandoque prorſus intercipitur, quandoque guttatim mingitur. Diximus de tribus ſpeciebus aliàs iſchuriæ, cum ſupprimitur dyſſuriæ, atque ſtranguriæ, cùm guttatim dyſſuria dolorem potiùs habet. Hic ergo duo potiſſimum conſiderare oportet: primum cur doleat aliquibus intùs, quibuſdam ſumma virgæ pars? Simul & illud videndum, quare cum vlcus intra veſicam ſit, aut in illius collo, cur doleat extrema pars eius? alterum eſt de cauſis vriginis, ſeu flagrantis vrinæ. Quæ poſſunt eſſe materia acris eo defluens, atque hæc poteſt eſſe ſalſa, aut acris, aut qualis aceti, acida acri admiſta: vel vlcus in veſica, aut ſcabies, aut lapis, aut caro in collo. Cum autem fuerit carcinoma, iam aderit præter vriginem dolor intùs, & punctio vehemens, vel vt ex ictu gladij. Et etiam retentio vrinæ ob tres cauſas metum naturæ excernentis, impotentiam ad compreſſionem, & ſi ſit in via: at hoc non eſt ſemper. Et cùm vlceratur fiunt vrinæ fœtidæ, & praui coloris, & vita illorum eſt miſera. Quibus autem vlcus adeſt, vrinæ ſunt cum multo ſedimento, & fœtido: & fœtor eſt triplex: vel cum expurgatâ vrina, & colata, quod relinquitur ſuper carbones malè olet. Et hoc eſt initium: vel cum malè olet expurgata vrina, etiam non adhibito igne, & hoc eſt, incrementum morbi: vel cùm olet etiam cum ipſa vrina, & tunc veſica ipſa putrefacta eſt magna ex parte. Et vrinæ vlceris, & ſcabie, ſunt turbidæ ſemper, quia ſunt miſtæ ex materia, quæ non eſt obediens naturæ, velut ſedimentum, ſed ſolùm deſcendit excrementum. Si verò ſit vlcus, adeſt pruritus in pectine: & ſi ſit magnum, & malum etiam dolor. Et ſi vrigo ſit ob lapidem, retinetur quandoque vrina, & exit arena, aut retrimentum. Et lapis aſper etiam vlceris eſt cauſa, præſertim in his, qui prauo vtuntur regimine, & maximè in equitantibus laboriosè. Et proprium lapidis ſignum eſt retineri vrinam, & repentè excerni. Id. ò mictus frequens eſt ſignum lapidis, ob veſicam læſam: & cauſa, quando fuerit nimis frequens, quia euacuat vrinam, quæ eſt impedimentum generationis lapidis. Lapis tamen veſicæ non eſt ex genere eorum, qui in montibus generantur: quia gignitur in loco humido, neque eorum, qui generantur in imo fluminum, cum generetur à calore, illi verò à frigore. Et ſi ſit ob carnem additam, vrina retinetur, & retenta putreſcit, & acuta atque acris, & ſalſior redditur: cùm iam natura ſua ſit ſalſa. Sed cauſa, quare dolor ſentiatur in præputio, & non in loco vlceris eſt multiplex. Prima quoniam nos declarauimus, quòd vrigo non eſt affectus vllius partis internæ, præterquam ani oris, & membranæ primæ ventriculi, ideò veſica hoc morbo affici non poteſt, ſed ſentit dolorem loco vriginis, præputium etiam eſt pars valdè ſenſilis, & etiam, quia in illo eſt cauitas, in qua remanet aliquid excrementitij, quando vitium eſt in illis partibus: ideò exulceratur locus ille, & cum tranſit dolorem, ſeu vriginem infert. Velut aqua ſuper vlcera, & quanto magis vrina ſalſa, & iam ob affectum corrupta. Demum, quoniam in aliis locis exprimitur, & ob ſitum, & ob muſculos, & loca ſunt calidiora, & calidum obtundit doloris ſenſum. Sed in virgæ foramine non eſt calor. Cur autem in quibuſdam dolor intùs, in aliis vrigo extrà, in aliis vtrunque ſentiatur? vt in carcinomate maximè cauſa videtur offenſæ magnitudo in interioribus: hoc enim perſpicuum eſt, ſed vbinon

sit grauis offensa loci, tunc ob dictas causas sentiunt eam in præputio. Quod si materia valdè praua, & locus etiam mediocriter affectus in vtroque loco. Antequam enim homo ad grauissimum affectum perueniat in vesica moritur: vt colligitur tertio Prognost eorum.

Vtero) Morbi peculiares vtero, sunt iuxta operationes quatuor: emittit menses, semen commiscetur in Venere, & concipit. Est etiam quintus vt motum habet solus ex interioribus, & ideò quidam dixerunt esse animal. Cum enim sit reuinctus ad lumbos, & latera descendit vt in Venere, & partu prolabitur, ascendit, & ita tot fiunt morborum species, quot situs sunt præter naturam illi valdè incommodi, imo ipsi mulieri. Et mensium quidem ratione tres, corruptio, cessatio, & abundantia: & ex corruptione propria prouenit sterilitas: ex retentione omnes genus morborum prauorum: ex fluxu mors causæ. Retentionis sunt, aut in loco, aut supra locum: & plerunque contingunt, aut obstructis venis, aut constrictis. Quæ duo mala habent causas: vnum crassitiem aut lentorem humorum, altera cicatricem, frigus, ac similia. Sed fluxus immodici longè plures sunt causæ calor, dilatatio venarum, sanguinis acuitas, ac tenuitas, & multitudo. Motus etiam magnus ossium, & loci imbecillitas. Corruptionis calor obstructio, & eruditas. Et hæc possunt contingere superius, vt in renibus, & iecore, & in ipso loco. Sed ex semine duo si retineantur, fit hysterica passio, si effluat eroseo loci sterilitas. Quod ad venerem, impotentia, quæ contingit ob constrictionem loci, aut impedimentum, aut obliquitatem. Sterilitatis, quoniam quædam non concipiunt, aliæ non ferunt, aliæ in partu moriuntur. Vnde oritur disputatio, an liceat in huiusmodi mulieribus facere abortum: & dubium non est, quod eiusmodi mulieres, non debent nubere: & si nupserint, vbi conceperint (dum tuto, possunt) abortire ante fœtum animatum, post non licet. Primum enia Dei gratia magna est: deinde quia posset abortire: per se, & etiam quia non sunt facienda mala, vt eueniant bona, dicit B. Augustinus. Et in isto casu posset extrahi infans, & viuere, sub hora partus: vt dicunt de authore eius nominis Cæsare: nam Cæsari Dictatori non euenit, cùm ad matrem dixerit, aut videbis hodie me Pontificem, aut non videbis, vt à tam infausto nomine nil bonum sperari posset, quod postea contingit. Dicunt etiam de Edoardo Sexto Anglorum rege, qui parum tamen vixit: aliquos tametsi referant super vixisse vsque ad ætatem perfectam. Circa motum dubium non est, non tamen multum mouetur, præcipuè ad superiora: Primum quia est reuinctus ad coxendices, & pudenda. Sed neque habet, quo sustineatur: & cogeretur sustinere intestina, quibus substat, & secum trahere intestinum rectum, & vesicam. Videntur tamen ascendere cùm inflatur, & hoc bifariam, vel naturaliter in prægnantibus, vel præter naturam in ascite vteri, & magis etiam in tympanite. Et hic est vnus modus. Secundus cum ex motu pellit intestina superiùs, & ita efficit præfocationes. Tertio cum per vapores hoc agit.

Cute) huius partis sunt omnes morbi, & nullus ei peculiaris. Subiicit autem, quod hæc omnia sigillatim, & particulatim, id est, quoniam vni, & non alteri possunt euenire, sed particulatim, id est, quia proprios habent quosdam morbos, quos nuper explicauimus.

TEXTVS XLII.

Magnitudo ipsorum magna, & non magna.

ID est morbi, licet in locis periticulosis magni semper sint, vt ipsemet dixerat in libro de Capitis vulneribus: Nullum capitis vulnus leuiter contemni debet: & ita de corde. Tamen dicit magnitudo hæc potest esse magna, & non magna, id est, respiciendo affectum. Propterea dicebat Galenus *quarto Artis Curandi: cap.6.* vlcera dicuntur (cæterisque affectibus id conuenit) magna, vel ob particulæ nobilitatem, vel propriam magnitudinem, aut quod sint cacoëthæ. Et hoc etiam attigit F. in commento. Et magnitudo morbi dicitur multipliciter præter id. Primo simpliciter vt vulnus in corde, ex quo nemo vnquam euasit, & de omnibus inueniuntur aliqua narrata admiranda, de hoc autem nullum. Secundo dicuntur comparatiuè ad vires. Morbus magnus, qui vires excedit, qui vincitur, non est magnus sub eo sensu. Tertio morbus dicitur magnus per se solùm, vel vt intelligitur cum omnibus, quæ sibi præter naturam coniuncta causa, scilicet & symptomatibus. Difficilis autem distinguitur à magno, cum etiam comprehendat eum, qui difficulter sanari potest. Et rursus eum, qui mortem non minatur, velut cæcitatem, adeò quod magnum propriè intelligitur de eo, qui est aptus mortem inducere. Et circa hæc obtinuit vsus de eo, qui breui posset afferre mortem, aut qui omnino afferret mortem, licet serius, & solemus de hoc simpliciter loqui, dicentes, quoniam est magnus morbus: de illo autem comparare ad ægrotantem, dicentes, quod laborat magno morbo. Ideo quæritur verè cui morbo magis competat hoc nomen magni, an qui celerius potest interficere, an qui est magis insanabilis? Et dico, quod verius huic: ex communi tamen vsu loquendi illi. F. animaduertit, quod in qualitate potius dicitur intensa caliditas, quam magna. Quoniam est proprium quantitati: qualitas autem intensa potiùs dicitur.

LECT. XLII.

Super

TEXT. XLIII.

Signa, titillatio, dolor, ruptio, mens, sudor, vrinarum subsidentia, quies, iactatio, visa, imaginationes, morbus arquatus, singultus, comitialis morbus, sanguis syncerus, somnus.

POstquam locutus est de morbis, transit ad eorum signa, & enumerat quindecim ex eis pro exemplo F. in commento ponit viam cognoscendi locum affectum, & hoc docuit Galenus in opere de locis Affectis, sex libris comprehenso, inde Affectum de hoc non fecit specialem mentionem, sed tamen tum in eo, tum in libris de differentijs Febrium, tum de symptomatum causis. Nam quid aliud causæ symptomatum sunt, quam morbi ipsi? ob id nos de illis xi. libris egimus in opere de signis, & causis morborum. Similiter dicit etiam differentiam affectus ostensurum, & magnitudinem, adeò vt non supereſſent, nisi tria cognoscenda, scilicet causa morbi, tempus, & motus. Nam symptomata, quasi per se cognoscuntur. In vniuersum ergo omnia, quæ cognosci debeant in ægro ex rebus præter naturam sunt septem morbi differentiæ: morbi magnitudo, tempus, locus, motus, & causæ. Sed videamus de quatuor illis, quæ ipse pollicetur se docturum. Dicit ergo morbos, qui sunt in exterioribus partibus, facilè dignosci tactu & visu. Et de hoc dixit Hippocrates, quòd facilè dignoscuntur in *libro de arte pag.* 4. subijcitque facilè posse eiusmodi morbos curari, non quia leues sint, sed quoniam perfectè nobis cognitum sit, quibus possimus occurrere. Neque tamen eos esse, cuivis volenti cognitos, sed erudito valdè per disciplinam, & natura ad hoc bene apto. Dignosci autem & visu, vt colorem, & tactu, vt calidum dicit frigidum molle ac solidum, & vtroque sensu, velut dicit tumorem. Sed de occultis, qui non sunt in ambitu, sed in ventribus, aut prope ossa, ait illi sunt difficiliores F. Dicit internosci ex actione læsa, præcipuè ex dolore, sed dolor apud Galenum aliud est ab actione læsa, tumore, excrementis, partibus ipsis ab adnatis, vt fungis in vulnere, membranæ cerebri, & crusta in vlcere, asperæ arteriæ. Ab eo quod continetur contentum, vt pulmo si videatur, vel eius pars pectus, si omentum peritonæum vulneratum esse conspicuum est. Loco etiam inde symptomatibus præteritis, non solùm præsentibus consideratis addes, & rationem victus præteritam, sub quæ non solum, & cibi, & potus, sed etiam somnus, vigilia, motus, & rationem, quæ ab enumeratione membrorum diuisionis conficietur, vt in vniuersum sint vndecim, quæ magis exemplo deprehenduntur, quèm si multis verbis, id docere contendam. Oportet autem (vt & ibi testatur) tria ad hæc præscire, dissectionem, inde connexionem ad reliqua, tertiò actionem, & vtilitatem ipsius membri. Exemplo igitur suo vtamur. Est aliquis qui mingere non potest. Primum scire oportet, quænam membra necessaria sint ad reddendam vrinam, iecur conficit. Nam vidimus puerum, qui totam vrinam reddebat per aluum. Secundum est vena caua, per quam defertur? tertium sunt renes, quartum sunt vreteres, & si libet addamus, & emulgentes: sextum est vesica cum collo suo, septimum est penis. Si ergo vrina suppressa est: & vitio penis, aut vesicæ accidat, tumor in loco apparet, & mingendi voluntas eximia, & exiguus dolor primum, inde etiam extensio magna percipitur. Iam ergo ad penem, & vesicam res reducta est, sed non sit in pene vitium, velut si liberè semen prodierit, non tumor, non vlcus præcesserit, iam ad vesicam solam redacti sumus. Si ergo vesica in causa est, locum habemus affectum, scilicet ipsam vesicam, & affectum ipsum vrinæ retentionem. Supersunt causæ ipsius affectus, & partes ipsius vesicæ. Cum ergo vrinæ exitus naturalis sit, oportet vt si retineatur, vel vt meatus sit occlusus, vel ipsa se vesica comprimere nequeat, hoc vnum habet modum, scilicet resolutione. Oportet igitur supplere eam vim. Erecto enim ægro vt stet, vel vt sedeat pronus in anteriorem partem, sic vt collum vesicæ ad inferiora tendat, comprimemus vtrinque vesicam, fungemurque vice naturæ vesicæ, & musculorum epigastrij præcipuè illorum quinti paris, qui sunt in infimo ventris, & si vrina prodeat, habebimus & speciem affectus, id est, læsionem in tota vesica, & causam eius: siquidem resolutionem virtutis motricis. At verò si non prodeat, obstructio est in collo vesicæ. Habemus ergo partem propriè, quæ laborat; & quomodo collum vesicæ propter obstructionem. Rursus igitur quærere oportet diuidendo eas, quæ meatum obstruere possunt: hæ sunt caro, quæ subcreuit lapis, & quæ sunt ex horum genere, vt pote arena: tertio sanguis, & quæ sunt ab illo, sicut sanies crassa, crusta, ex vlcere, & hoc est quartum. Quintum humor crudus, seu crassus, seu lentus, oportet igitur hæc inuicem distinguere, vtpote, quoniam si præcesserit, vlcus, poterit esse caro, quæ subcreuerit, & si mictus sanguinis, ex renibus, vel vesica, trumbus, & si vrina mordens, & valdè tenuis, aut cum arena lapis, vel arena. Et in hoc casu mutato situ, guttatim saltem vrinam reddunt, & humor crassus, vel vrina crassa præcesserint, verisimile est ab humore crudo obstructum esse locum. Considerabimus ergo, & rationem victus, & reliqua, & immittemus, catheteram, seu fistulam argenteam obliquam, vt tandem sciamus causam obstructionis. Nam si liberè ingreditur

distin

cathetera, & ſtatim mingit copioſè ſignum eſt lapidis, aut ſanguinis. Oportebit ergo diſtinguere & ſi mingit, ſed non libere, & vrinam craſſam eſt humor crudus, & ſi cum dolore magno ingreſſa eſt, eſt vlcus & eſchara, & ſi non poteſt ingredi, & nõ ſentitur dolor, & antea minxit ſemper magis tenuiter eſt ſcirrhus, & ſi non poteſt tranſire, niſi cum magno dolore, & tamen nullus præceſſerat dolor. & vbi ingreſſa eſt exit vrina copioſa cum ſanguine: eſt caro, & ſi dolores maximi præceſſerunt, & ingreditur, cum dolore maximo, etiam, imo non poteſt ingredi, tunc eſt carcinoma, & eſt peſſimum. Rurſus quæremus cauſam cauſæ per conſenſum: veluti ſi ſuppreſſio fuit ex reſolutione: an facta ſit reſolutio in toto, vel in medietate, & eſt clara cauſa: aut ſi non in toto, an percuſſus fuerit circa lumbos in ſpinæ dorſi: an ceciderit ex equo, aut aliter? an paſſus fuerit magnum frigus in pedibus & circa illas partes, an vſus fuerit balneo frigido valdè, aut ſæpè? Et ſimiliter ex adiacentibus partibus, vbi ſuppreſſa ſit, ex obſtructione: an laboret febre vehementi cum dolore in parte prope veſicam. Nã poſſet eſſe inflammatio in ea, vel in recto inteſtino, vel in vtero, vel in virga, quæ omnes partes adiacent ipſi veſicæ, aut collo eius: vel in muſculis, qui ſunt propè collum eiuſdem.

Et ſimiliter ſpecies doloris, & ſpecies læſæ actionis, & eorum quæ exeunt, ſignificat ſupra ſpeciem affectus, & ſuper cauſam velut dolor acris valdè, & pungens, & mordens ſignificant id fieri à bile, & ſi ſit intolerabilis, nec vnquam ſit ſine illo cum mingit, & non mingit libere, & ſentit pruritum in oſſe pubis, & mingit ſanguinem, aut ſaniem, aut pus, ſignificat vlcus ex humore bilioſo, & ſi non mingit ſaniem, neque ſanguinem, neque pus, ſed tertimenta, & quaſi furfurem, & farinam cum dolore vehemente, ſignificat ſcabiem, & vlcera ſordida. Et ſimiliter conſiderare oportet tineſmonem, quia illud ſignificat leſionem particulæ. Et ſi dolor ſit grauis, erit ab humore crudo, & ſi ſit acerrimus, & perſeueret cum pondere & tineſmone, ſignificat carcinoma: & ſi ſit irritatio leuis, & titillatio: & dolor non vehemens, neque perſeuerans, ſignificat cauſam eſſe ex vapore. Magnitudo autem affectus eſt per ſe. Nota primum, deinde ex difficultate ſanationis cum auxilia non proſunt. Tertio ex ſymptomatibus ſuperuenientibus. Quartò & vltimo ex cauſæ magnitudine, ſi illa innotuerit, omnia hæc per ſe nota ſunt præter tertiũ, ſcilicet de ſymptomatibus ſuperuenientibus: veluti ſi ad ſuppreſſionem vrinæ cum dolore, ſtatim ſequatur febris, vigiliæ, ſitis, delirium, initium conuulſionis, iam non cogitabimus de carne ſuperaddita, neque de carcinomate, aut lapide, ſed de inflammatione veſicæ. Et ſimiliter ſi ſine febre ſequatur refrigeratio & ſudor, & ſyncopis ex ſuppreſſa vrina, tunc dicemus cauſam ſuppreſſionis eſſe ſanguinem, & grummos. De reliquis neceſſariis non eſt locus hic, ſed declarabimus textum.

Titillatio ergo ſignificat vaporem, aut pus, aut excrementum moderatum, & poteſt bifariam intelligi, vel pro leui velicatione, vel etiam pro quodam deſiderio, vt in ventre. Dolor malam intemperiem aut ſolidi diuiſionem. Ruptio fit in carne, vel neruoſa parte, & ſignificat cauſam antecedentem, vtpote percuſſionem, aut humorem acrem præceſſiſſe, aut diſtentionem à flatu. Mens cum læſa eſt, ſignificat primum principium, id eſt, cerebrum (nunc loquor ſecundùm medicos) eſſe affectum. In hoc conſiderandum eſt an adſit febris, an non? ſi non adeſt an ſit cum multitudine ſermonis, an cũ ſtupore, an cum ira & motu vehementi? ſi cum ira, & motu eſt furor: & fit à bile non exuſta: & ſi terminatur in timorem ab exuſta: & ſi verba ſolum ex melancholia, & ſi citra verba, eſt ſtupor, & ſignificat apoplexiam ſuperuenturam, aut lethargum. Si autem fuerit cum febre, tunc eſt delirium: & ſi ſit cum furore, tunc aduertendum eſt, an ſit vehemens? & ſignificat materiam biliоſam, & phrenitim: & ſi ſit vehemens, ſed non perſeuerat: ſignificat vapores biliоſos, & eſt minus malum: & ſi ſit ſine furore, & cum febre, quaſi lenta, eſt deterius: & ſignificat aliquem abſceſſum in capite ex pituita, aut melancholia. Deinde dicit de ſudore, vbi ſudor, ibi morbus dicebat Hippocrates: 4. *Aph.* 83. & adeò conſiderandum eſt, ſi ſint in parte ſola, vtpote circa caput (quod pauci medici animaduertunt) ſignificat ibi eſſe morbum, aut ſecundarium, ideſt, per vapores. Aut ſi cum his adſint grauitas, & dolor, & moleſtia magna, & perſeuerent ſymptomata, tunc ſignificat ibi adeſſe etiam cauſam morbi. Et ſimiliter ſi fuerit multus, multitudinem materiæ: & ſi paucus paucitatem: & ſi frigidus, imbecillitatem caloris naturalis, & ſi calidus magnitudinem caloris naturalis, aut præternaturalis Et ſi iuuetur bonum: & ſi exſoluat vires, malum. Et ab initio morbi bonus ſudor minus bonus, in fine autem malus ſudor eſt deterior. Generaliter deterior in principio conſiderant etiam odorem & colorem.

LECT. XLIII.

Super

EODEM TEXTV XLIII.

VRinarum ſubſidentia) Hic paululum eſt immorandum, & eſt ſextum ſignum. dicebat igitur *in Prognoſtico*, 2. *lib. tex.* 26. quæ vrina, quæ perſeuerat bona cum bono ſedimento ab initio vſque ad finem morbi ſignificat ſalutem. Et cùm aliàs ſit à nobis declaratum, quòd ſedimentum gignitur in ventriculo: inde neceſſe ſit excoqui in iecore & venis: quia actio naturalis ceſſare nõ poteſt, vt colligitur ab Auerroë, ſecundo de Anima, & eam ſequitur effectus ſemper, modo non deſit mora, & patiens ſit aptum ad ſuſcipiendum: igitur omne ſedimentum, præterquam in fluxu vrinæ, vel defectu naturalis facultatis, vel ſi non ſit naturale, recipit aliquam coctionem. Vel igitur coctio vitiatur in aliquo membro, vel non vitiatur. Et ſi non, ſignificat incolumitatem ventriculi, & veno-

ſi

si generis, & ideò cùm non indigeat tertia coctione, ideò in hectica sedimentum apparet concoctum: Sed quia ille calor etiam est in venis, Ideò in fine secundæ speciei cum iam venæ sint vitiatæ subsidentiam necesse est fieri, non absolutam. Et ideò non erit boni coloris, quoniam solidorum substantia iam est permutata. Quærendū est igitur primo, an talis concoctio attenuet, vel in crasset: & dico quòd coctio naturalis attenuat: dictū enim illud philosophi *quarto Meteororum cap.* 2. in hoc consistit, quod coctio calefacit, & exiccat resoluendo humidum aqueum, ideò quod relinquitur est crassius. Quomodo autem id sit intelligendum, visū est in contradictionibus, *t.* 11. *lib.* 24. & nunc diligentius declarabimus. Dico ergo, quod coctio omnis condensat, quia fit à calore sicco, licet enim elixatio fiat à calore cum humido coniuncto, quatenus tamen coquit est siccus ille calor. Ideò dicit frixa licet coquantur à calore, humido iuncto, sunt tamen sicciora assis: & dicit etiam elixata interius sunt sicciora. Et ob id subiicit propterea elixatio est concoctio, in qua humidum eius quod concoquitur extra trahitur, quod autem relinquitur coquitur. Atque in hoc differt à leui coctione, quoniam totum manet humidum, leuiter coctum: in elixatione paucum sed coctum. Et intendit quod in omni coctione humidum quod concoquitur efficitur in magis pingue, & densius, velut oleum. Si tamen intelligatur id, quod elixat cum aqueo pingui, potest dici tenuius. Et hæc est sententia Aristotelis, scilicet, quod calidum siccum magis concoquit, quam trahat, humidum magis trahit, quàm concoquat. Dico ergo, quod sedimentum si coctum non sit, non est adæquale, neque pingue, licet videatur crassius, non est tamen crassius sub eo sensu, sub quo accipit Aristoteles. Adeò vt si apponeretur igni, citius euanesceret, quam concoctum, vt videmus de oleo in comparatione aquæ: omitto modo secretionem. Si ergo sedimentum est crudum ob primam coctionem, necessario est etiam crudum in omnibus aliis. Ideò quibus ventriculi vis valdè est debilitata in eis sedimentum vrinæ est valde crudum, inæquale, iacens. Oleum enim quamuis, vt dixi, aqua multo sit crassius eidem tamen superstat, & in pondere leuius est vt referunt, qui de mensuris agunt. Ergo trifariam vrina se habet malè ad sedimentum: velut non adsit, vel vt præter naturam adsit, vel naturale, sed non elaboratum. Id verò trifariam rursus, vt in elaboratum, vt minus, vt prauè, in substantia quoque, aut in colore. Ergo primum si defuerit, aut necesse est non generati: aut genitam non transire, aut transeuntem consumi. Si igitur non generatur prostratam fundi ventriculi concoctricem significat: & ideò non separatur, quia non est vtile, nec trahitur à iecore, sed transit cum fecibus. Tùm verò, & circa ventriculum dolores, & vomitus, aut impotentia retinendi cibos: vt in leuitate intestinorum: & vrinæ ipsius pallor, & substantia quasi aquea, & totius corporis macies aderunt. Sed finge corpus satis carnosum, vrinam multam, & quasi subuiridem sine subsidentia: hoc non potest contingere sublata vi concoctrice in ventriculo, neque etiam ex obstructione circa iecur: sed oportet illam esse circa renes, prauam, & malam: aut siccitatem vehementem, ibi: nam si corpus nutritur iecur bene habet. Erunt ergo dolores circa renes, aut siccitas immodica: vt partim renes trahant ante tempus vrinam multam, partim vt transire non possit, partim vt consumatur. Sed fac, vt vrina sit boni coloris, & substantiæ, sed sine subsidentia: calor rubeus hominis aut febris tertiana, tunc quis dubitat, quin huiusmodi subsidentia non genita sit? sed calore dissipata, & consumpta. Id verò accidit in ieiuniis, & cum calidus fuerit ventriculus, iecur, renes. Sed fac vt vrina sit boni coloris, & ratio victus moderata, nec febris tam ardens, vt ob calorem possimus imaginari consumptam subsidentiam: tunc dubium non est, & maximè, cum antea subsidentia apparuerit, deinde repente cessauerit, quin hoc ex obstructione accidat. In obstructione ergo repentè desinit, in consumptione breui, sed non repentè. Primum enim fit pauca, deinde exigua, post nulla. In imbecillate ventriculi & in leuitate intestinorum propriè, aut in vomitu paulatim desinit, & pauca fit, & pallida. Cùm verò cum his remanet, indicium est non totum excerni, sed quasi oneratam facultatem reiicere. Si verò sit substantia præter naturam nullam vidi, quæ cum naturali esset præter arenas, & sanguinem: & hoc, quoniam vel quod subsidet est ex humore, vel membris? si ex humore, cùm iam transmutatus sit in rem præter naturam, & causa illa sit potens, deest materia, & efficiens subsidentiæ naturalis: igitur nulla eiusmodi esse poterit.

Et similiter si ex membris calor præter naturam, & morbus adeò magnus, erit vt vel corrumpat naturalis subsidentiæ materiam, vel absumat, vel prohibeat. Minimè ergo est mala in his casibus, vbi aliquid vtriusque fuerit, & naturalis, & præter naturam. Præter naturam dico furfuraceam, vt farinam, squamosam, & vt frustula parua carnis, vt etiam grumi. Quæ verò est cum sanguine, vt dixi, vel arena, vel pilis, vel vermibus, plerunque est cum subsidentia. At imperfecta subsidentia, est vt dixi in colore rubra, flaua: isti colores ferri possunt: pessimi sunt cœrulei, nigri, virides, & lucidi cœrulei properant ad nigritiem, nigrities est pessima cum malum significat. Sed non semper significat. At viridis si sit euidens, est deterior, liuidus autem semper peior, sed non celeriorem nigro significat mortem. Oportet autē comparare huiusmodi colores ad substantiā contenti, & vrinæ, & tempus morbi. Contenti quidem: nam quantò crassius fuerit & vrinæ substantia tenuior, & morbus magis processerit, eo deterior, contrario mitior. Si verò quod subsidet fuerit ex turbulentia vrinæ? tunc erit secundùm naturam, sed diuisum ad minima. Illud indicat calorem præter naturam validum, & si perfectè separetur, naturam concoquere: demum locus subsidentiæ cū ipsa bona, vel mala fuerit, quanto propior imo, eo celeriorem exitum significat.

ficat. In ſupremo ergo, ſeu nebula, ſerò, id eſt, circa ſtatum in morituris mortem, in ſanandis enim: quoniam omnes ſanantur in ſtatu, ſtatum tardum ſignificat. Si verò ſit encorema in morituris, in incremẽti ſine vel medio: in ſanandis acutem morbum, & ſtatum ob id non valde tardum, in imo, ſtatum celerrimum in ſanandis, in morituris mortem in principio morbi, aut in initio incrementi ſignificant. Dixi proterea, quòd omnia mala ſigna deteriora ſunt, & ſecuriora ad malum, quanto magis morbus proceſſerit. Bona autem etiam meliora: ſed tamen ſi ab initio incœperint, & perſeuerauerint adhuc meliora.

Quies & iactatio) Hic aſſociat ambo contraria, quoniam non eſt, niſi vnum vni contrarium, & non eſt, ſicut de vrinæ ſubſidentia, quæ multifariam poteſt eſſe mala. Quies ergo ſemper bona eſt, modo ſit vera quies, quoniam etiam in attonitis eſt inquies interior: ideò duplex eſt inquies: vna manifeſta, iactatio, clamor, ira, dicit Hippocrates: alia, qua quieſcunt, ſed interim mouentur, & agitantur, aut dentibus ſtrident, aut conuelluntur, maléue ſpirant, ſuffocantur. Et quis eſt qui non vidit paulò poſt morituros quieſcere: & oculis intentis intueri? Dicebat Galenus etiam in quiete laborant muſculi: & cùm tenduntur eò magis. Et ideò eſt falſa quies: vt etiam ſomnus, qui eſt cataphora: & fames vaccina: & falſa declinatio: & quodlibet horum eſt deterius manifeſto malo, inquiete, ſcilicet, vigilia, inappetentia, & vigore morbi: Ex his enim plures ſeruantur, ex illis nulli, aut fermè.

Viſa) Imaginationes ſeu φαντασίαι. Apud nos viſa vtrumque ſignificant: propterea quòd imaginationes ad concubitum, & pollutionem referuntur. Et videre quidem mortuos, & diu colluctari cum illis verbis, aut corpore, & geſticulatione, mortem prænunciat. Præter enim id, quòd vident, quæ non ſunt, atque delirant, melancholiam oſtendit, quæ ſi ſuccedat manente febre parua, ſpes eſt ſalutis. Nam iam euictus eſt humor à ſiccitate, & feruore febris. Quin etiam ſi iam diu mortui ſunt, procul reuocantur imagines: idque peius eſt ſi nuper, iam in eo, quod naturæ proximum eſt graniter delinquit, & memoriam defeciſſe, aut corruptam eſſe oportuit. Hæc magis verenda, vt dixi ſi ſtudiosè, ſi diu, ſi cum terrore accidant. An verò præter id aliquid etiam ſi non naturale in huiuſmodi dubium eſt. Occupauerunt enim mortales hac omnes occaſiones, & quidam ad conuerſationem totum trahunt, alij ludibria viſus eſſe creduntadeò vt iam deſierint eſſe, quia contemnuntur, non contemni cœperint, quia deſierint. Et forſan quod ſimilitudo rei eſt, cauſa in imaginando, velut dictum eſt de lapide mori in cerebro, & canum rabidorum morſu, & quorundam etiam ſerpentum: aut iuxta Principem operatio cauſa euentus, & cum poſſint eſſe tot cauſæ huius rei, non debemus negare illam, quia cauſam neſciamus. Cum experimentum oſtendat omnes fermè, qui ſtudiosè hoc agunt, & loquuntur interire. Maximè cum non in vigore ſymptomatum hoc acciderit. Sed quoniam neque omnes qui viderint moriuntur (aliqui enim quos vidi euaſere) neque qui pereunt omnes vident: nec cauſam habet hoc per ſe ſaltem manifeſtam, ideo id ſignum eſt ab authoribus prætermiſſum. Circa tamen viſa alia dicebat Galenus *in libro de Præcognitione cap.* 13. ad poſthumum cum iuuenis febre acuta laborans proſiluiſſet è lecto, interrogatúſque cur ita reſpõdit vidiſſe ſe ſerpentem rubrum, per laquearia repentem, & ob id timentem, ne ſupra ſe decideret effugiſſe periculum, vnde Galenus confirmatus eſt in prædictione, quam de fluxu ſanguinis è nare dextra fecerat, quæ & ſucceſſit coram aliis medicis. Et ob id illo erumpente, ſtatim dilapſi ſunt. Eadem, ſed leuiora etiam per ſomnum, quæ propriè magis viſa appellantur.

LECT. XLIV.

Super

EODEM TEXT. XLIII.

Morbus Arquatus) ſeu regius, ſeu icteros, de quo librum quartum de dentibus ſcripſimus, & morbi, & ſigni nomen obtinuit. Hic ergo vt eſt fœdus color in cute, ſeu flatus, ſeu niger, ſeu ſubuiridis ſignum dicitur: vt ex corruptione ſanguinis proficiſcitur morbus, vt ex inflammatione iecoris, aut obſtructione cauſa morbi. Et ne præter morem aliquid repetam, tranſibo ad ſequentem, qui eſt ſymptoma præter naturam, & ſignum ſcilicet ſingultum. Ideo conſiderandum, quod ſigna morborum ſunt trium generum: quædam pura ſigna, vt malus color, malum ſedimen vrinæ: quædam ſunt ſigna ſimul, & cauſæ, velut vigilia, dolor, quædam ſigna ita quod ſunt morbi, vt comitialis, & arquatus. Quædam ſigna & morbi, aut ſigna, & cauſæ, aut cauſæ ac morbi reſpectu diuerſorum: vt durities in iecore eſt morbus, & cauſa alterius velut aſcitis. Et ideo oportet primum ſcire de ſingultu, ſub quo genere contineatur. Et rurſus meminiſſe oportet diuiſionis ſignorum in demonſtratiua, & prognoſtica. Et demonſtratiua quidem alia morbum, alia ſpeciem morbi, alia magnitudinem, alia tempus, alia motum morbi, alia cauſas, alia locum, alia verò ſunt prognoſtica. Et horum quędam ſignificant ſalutem, aut mortem: aliæ ſanitatem, aut morbum: aliæ longitudinem, aut breuitatem, *vt in libro Artis Medicæ habetur c.* 82. *&* 83. Demonſtratiua autẽ in tria genera propria præſentium, enameſtica præteritorum, & futurorum, quæ non ſunt prognoſtica, vnde non dicitur prognoſticum, quia ſolum ſit de rebus futuris: imo dicit ibi, quod cum prædicunt incerta, pertinent ad prognoſticum. Quæ ergo ſequuntur ad morbi eſſentiam, etiam quod ſint futura, vtpote quod ſiticr, & de hora acceſſionis, & quod eſt in incremento febris, ad demonſtratiuum genus ſignorum pertinent. Sunt ergo propriè prognoſtica, quæ ſumuntur non ſimpliciter ab

his, quæ insunt morbo, quæ dicta sunt, genus, species, seu differentiæ, magnitudo, locus, tempus, motus, & causa. Sed si camparauero hæc, aut aliqua ex his ad vires, maximè tempus anni coctionem, ætatem, temperaturam, formam, ad solitas operationes, vt à toto pendent, vt possim dignoscere crisim, aut non salutem, aut mortem, morbum grauem futurum, aut leuem, longum, vel breuem: quomodo soluetur, aut morietur erunt signa illa prognostica. Solum signa coctionis, & cruditatis sunt ambigua, ac quasi medij generis: cùm tamen fiat coctio, & cruditas ex comparatione facultatis, ad materiam morbi, & tendat ad cognitionem salutis, aut mortis longitudinis, ac breuitatis, & crisis, & periculi, & similium talia signa pertinebunt magis ad prognostica, quàm pathognomica. Si autem considerentur ex se, pertinebunt magis ad pathognomica, quia declarant qualitatem materiæ, & ita conditionem præsentem vnius ex his septem: vtpote tempus ipsius morbi. Reuertendo ergò ad propositum dico, quòd singultus est solum signum, vt tamen comparatur ad causam, potest esse causa. Et non est absurdum, quod species contineat, quod non continetur in genere. Vnde homo dicit capacem rationis, & subiectum legibus, non autem animal. Singultus ergo à longa febre, vel à siccitate aliud significat, quàm simpliciter. Est autem motus inordinatus ventriculi: & pertinet ad facultatem naturalem, dum violentum quippiam patitur, & propriè ad expultricem illius, vnum quodque enim membrum habet tres facultates, & vtitur illis, & etiam propriam, vt colligitur à Galeno primo de locis. Et ideo cum naturalis transmissa sit, à iecore tamen illam dicimus esse magis propriam membro: quia illi per se inest, nam membrum absque dubio non viuit, nisi per arterias, quæ sunt in illo, vel propinquæ illi & non sentit sensu, qui cognoscat eodem modo, nisi per neruos, qui sunt in eo, vel illi propinqui: sed nutritur tamen etiam vinctis venis magnis, quæ diuiduntur in paruas à quibus nutritur, quia facultas est in membro insita, licet nutrimentum sit ex venis. Et ideò nutritur illis vinctis, quàm diu suppeditant alimentum contenta extra venas: Et hoc ex Galeno. Morbus autem comitialis est ex genere conuulsionis, & est totius corporis conuulsio, cum motu dicit, id est, non ex genere distentionis, *in empros thotono tertio de locis Affectis cap. 7. in princip.* Et habet duplicia tempora accessionum, quæ breues sunt valdè vt in libro de totius morbi Temporibus: & tamen totus morbus est longus sui natura, *vt primo de crisi cap. 4. in fine.* Duo ergo obseruare oportet circa hoc, quæ in prima authoritate partim habentur, scilicet, comitialem morbum esse triplicem ab absentia in cerebro, & à consensu propriè ventriculi, sed & cuiuspiam alterius membri, vt ibi docet exemplo. Et quod facilè trãsmutatur in melancholiam, quod ego vidi in Ludouico Bossio, adolescente patritio: & ideò sunt signa, & quandoque vicissim contingit: & adducit testem Hippocratem. Similiter huiusmodi morbus, quandoque transmutatur in paralysim, dicebat Princeps prima tertij. Dico & in attonitum, & carum, & catalepsim, & similia.

Sanguis syncerus. De hoc habentur plures differentiæ à loco, præcipuè naribus, ore, no, ex his enim locis fluere solet, tùm à pudendis mulieribus, & ex causa diapedesi, erosione, ruptura. Item cum tussi, vel vomitu, & sine. Et ab hæmorrhoidibus, qui non est commistus, & à iecore, vel liene. Præterea cum dolore, absque dolore cum febre, & sine febre. Dicebat ergo Galenus in primo Epidemiorum: (Eorum, quibus fluxit sanguis purus, & floridus, neminem mortuum vidi.) Dicebat Hippocrates *quarta Aphorismorum par. 1. com. 18.* (Sanguis quidem qualiscunque fuerit supra malum, infra autem nigra deiecta bonum est.) Hæc differentia est a loco. Sed in septima particula aliter se habet, inquit enim. (Quicunque euomunt sanguinem, siquidem sine febre salutare, si autem cum febre, malum. Hic ponit duas differentias à loco, & à modo. Sic in illo Aphorismo eiusdem particulæ. (A sanguinis sputo puris sputum malum. Tria ponit, locum, modum, & mutationem.) Et rursus in quinta. (Quicunque spumosum sanguinem expuunt, his ex pulmone eductio fit.) Et illud rursus quartæ. (Si sanguinem mingant, aut grumos, vel stillicidium vrinæ habeant, & dolor in imum incidat ventrem, & pectinem, & semen circa vesicam, labor est. Et si sanguinem aut pus minxerit, aut squamulas, & grauis odor adsit, vesicæ exulcerationem significat.) Sed cùm dixit hic sanguinem syncerum, non eo modo intelligit, id est, rubrum & floridum, sed ad differentiam puris. Intelligit enim *per sanguinem syncerum* qui ex venis profluit Nam plurima eiusmodi prodeunt, quæ parum, aut nihil significant. At sunt primum egestiones nigræ, qualis est sanguis, de quibus egit *in quarta Aphorismorum text. 21.* & qui prodit cum muco è natibus, & ex abscessibus. Nam de his non intelligit: non quod talia non significent, sed quoniam sunt signa confusa. Eruptio enim sanguinis ex venis puri, id est, non aliis materiebus misti aut putrefacti in duo capita redigitur, scilicet, naturæ se exonerantis opus, & hoc est bonum: aut corruptionem vasis sanguinem continentis, & hoc est valde malum. Pro natura tamen loci ex quo exit pessimum est, si ex pulmone, inde cerebro, post iecore. Deinde si ex vase magno, tertiò si per erosionem magis, quàm si vas casu fractum sit, aut ob plenitudinem. Et notanda est etiam diuersitas sanguinis ex vase: vena scilicet, & arteria. Et venæ quidem rubet magis densus, minus autem calidus: contra verò arteriarum calidior, tenuior, & magis flauus: atque adeò, vt non ruber esse videatur. Quantitas quoque consideranda, maxima semper mala. Comparari debet paucitas multitudini. Paucus enim fermè semper est malus, quia auxilium afferre nequit, multus autem bonus, vt esse potest, ita etiam noxius. Cum febre ergo multus per loca conuenientia semper bonus: sed (vt dixi) nimius aut cum dolore capitis, qui non cessat pernitiosus. Nam quos-

dam

dam vidi sic periisse, velut cum sudore. His enim duobus modis frequentiùs pereunt. Alij cum vrina: alij cum vomitu, alij cum alui iectione. Sed vomitus in nauseam totus degenerat fluxus ventris, in tinesmonem verum, cum hoc aliquid excernunt. Pancus cum febre, sanguis bifariam deterior, nisi solum indicet.

Somnus) est ex his rursùs, quæ non solùm significant morbum, sed etiam sunt causa morbi, aut salutis. Vnde quod ad signum præstat habemus *secunda Aphorismorum* 1. 2. & 3. plura de hoc. Et ideo hic considerandum, quot in generibus somnus comprehendatur: Et rursus, quid sit potissimum in eis, dico ergo quod somnus, & vigilia possunt esse signum solum, vt sunt moderata: sed vt sunt operationes læsæ, aliquando etiam sunt morbi. Dicemus ergo quòd simpliciter somnus est tantum signum, & ita vigilia: sin autem lædatur, vt sit non qualis, aut quantus esse debet, & non tamen lædat operationes alias, est symptoma. Cùm autem lædit operationes alias, vtpote coctionem, aut quod faciat vertiginem, quàm sæpe vigilia facit est morbus. Et si dicat, quod non possit esse morbus, quoniam est vna ex sex rebus, non naturalibus, igitur non potest esse morbus. Dicam primùm, quòd lapis in vesica, & in renibus est morbus, & tamen non est pars nostri corporis, erit ergo morbus dispositio facta per lapidem. Aut quod est morbus, vt proficiscitur à natura, non vt est in facultate medici: vel dic, quod dantur symptomata, quæ lædunt aliam operationem. Melius tamen est vt dicamus, quod quemadmodum ephemera à calore solis est morbus, non tamen calor, ita resolutio spirituum aut intemperies facta ob somnum, vel vigiliam, est morbus non somnus, aut vigilia. Et somnus signum est frigidi, aut humidi, aut resolutionis caloris: vigilia autem contrariorum. Sed de his dilucidiùs in sequenti lectione ac commentario.

LECT. XLV.

Super

TEXTVS XLIV.

Et ex his, aut aliis secundùm naturam, & quæcunque alia huiusmodi, & in detrimentum, & in iuuamentum procedunt.

S*Ecundùm naturam*) dici potest verè naturaliter: & ab anima, quæ nostrum corpus regit, qualiscunque illa sit: seu à calore naturali, & huiusmodi actiones, nisi sint coactæ, semper sunt ad bonum: quia diriguntur à mente. Alio modo dicuntur naturales, vt ab arte distinguuntur, & hoc modo est duplex natura in nobis: vna quæ est ab anima vegetatrice: & hæc vt dixi semper facit ad vtilitatem nostram, alia est natura vniuersalis ab elementis, quæ ab anima Mundi gubernatur: & hæc est causa omnium malorum: vtpote casus ratione grauitatis, cruditatis, ob elementa frigida: febrium, & vigiliarum ob partes exustas. Et sub hoc sensu capiendo naturam ipsa est in iuuamentum, cùm natura propria dominatur: & in detrimentum cùm à natura Mundi. Coctio iuuat, cruditas nocet: vigilia iuuat, dormiendi impotentia nocet. Motus iuuat, inquies nocet, somnus iuuat, caros nocet. Ergo qualia signa sint vtilitatis, aut detrimenti, oportet intelligere. Signa ergo demonstratiua, de quibus hic loquitur, sunt sex generum. Aut enim sunt pura signa, vt res naturales subsidentia in vrina, bonus pulsus, vigilia, somnus secundùm naturam: aut sunt symptomata, quæ significant læsam operationem: non tamen sunt læsæ operationis, vel quæ lædant aliam operationem, vt qualitas, aut exiens mutatum. Aut sunt læsa operatio, vt stridor dentium, cæcitas: sed tamen, quod operationem non lædit: aut sunt læsa operatio, & possunt lædere, sed non semper, vt dolor, & vigilia. Nam parua non lædunt, magna lædunt coctionem, robur virium; & talia: ita vt non lædant, nisi magna. Vel lædunt semper, vt conuulsio: est enim læsa operatio: & est morbus semper, quia lædit operationem. Aut sunt morbi, & morborum signa: vt febris in morbo laterali. Et ita vrina est in primo genere: & difficultas spirandi in quarto, & dolor, ac tussis in tertio, & si deliret in secundo, habes omnia vnico in exemplo.

Quibus propositis considerandum in superuenientibus, de quibus tractat hic, & per exemplum *in septima Aphorismorum ab initio ad* 27. *Aph.* Primùm an morbus morbo superueniat, an signum, an symptoma an talia superueniant symptomati, an verò transmutetur? Et de signis ac symptomatibus: signa; quæ non sunt symptomata, semper sunt bona, quoniam secundùm naturam vt symptomata mala, quia sunt præter naturam. Sed valde malum est cùm morbus magnus, morbo magno superuenit, interficit enim, quia languidas vires inuenit, & duplicatur morbus *lib. de Affectionibus pag.* 7. Nihil verò refert, an transmutatus sit morbus, an superuenerit, ita vt transmutandus. Cùm ergo transmutatus fuerit, aut transmutatus sit, iam habenda est. Primum ratio eorum, qui communicăt in materia, nam hi efficiunt solutionem prioris morbi: igitur si cum hoc materia prodeat extra corpus? Prorsus liberabitur, si non communicant in malum, est huiusmodi mutatio: Si autem non prodeat extra corpus, tunc considèranda est vtriusque morbi magnitudo, ab essentia loco, & diuturnitate. Exemplum ergo eius cum prodit *in sexta Aphorismorum* 11. & 10. [In melancholicis, & vitio renum laborantibus, hæmorrhoides supernientes, bonum.] Hic vnum duobus postponit in alio exemplo duo, vni in insanientibus, si varices aut hæmorrhoides superuenerint, fit insaniæ solutio. Et similiter fluxus sanguinis narium in ardentibus febribus, *primo Epidemiorum par.* 2. *text.* 63. multos liberat. Si verò (vt dixi) non communicent in materia, tunc est malum, velut sexta

Aphorismorum. (A morbo laterali, vel pulmonia, habito alui, profluuium aduenies, malum.) Nam materia, quod in pectore est educi non potest, ea via, quamvis in lippientibus profluat. Vnde illud ibidem. (Lippientem alui profluuio corripi bonum.) Quandoque etiam vicissim. Velut *in quarto Aphorismorum Aph.* 17. (Quibus bilioſæ deiectiones superueniente surditate cessant, & quibus surditas superuenientibus biliosis deiectionibus cessat.) Eadem verò ratione, si prope locum defluxus fiat transmutatio, velut in Aphorismo sextæ particulæ. (Ab aqua intercute habito, si aqua è venis in ventrem defluxerit soluitur morbus.) Neque enim existimandum est, quod persolui morbum dumtaxat, intelligat cessare primum manente secundo, tum quia illud per se perspicuum est, tum quia per absurdum, & Hippocrate indignum, vt pro salutari mortiferam laudaret mutationem. At verò forsan illud mirabile videbitur propè. (A longo alui profluuio habito spontaneus vomitus superueniens morbum soluit.) Eadem enim ratione de liberatione intelligendum est. Causa ergo est, quoniam alui profluuium ob diuturnitatem est deterius vomitu, quē præsupponit futurum breuem. Ideò fit transitus à maiore morbo ad minorem. Sed & quandoque non habita ratione magnitudinis essentiæ symptomatis, connumerauit inter bona signa mutationem, quæ ad bonum est comparatione causæ eiusdem, quoniam est mutata in melius, & est subtile inuentu, vt cùm dixit ibidem. (Qui in febribus ardentibus tremores fiunt, delirio soluuntur. At verò si symptoma in melius commutetur, quanto tutior erit mutatio) vt cum dicit: A singultu habito, sternutatio superueniens liberat.

Quandoque morbus morbo superueniens, aut symptomati curationem affert, iuxta illud. (Quibus dolor circa hypochondrium fit absque inflammatione his febris superueniens dolorē soluit) Et similiter in secunda particula. (Febrem conuulsioni superuenire melius est, quàm febri conuulsionē.) Et idem fermè habetur in quarta partticula, & euidentius. (Qui à conuulsione aut distentione neruorum tenetur, febre superueniente, liberatur.) Quandoque etiam symptoma est signū & causa mutationis loci, & morbi, velut in eadem particula. (A febre ardente habito rigore superueniente, fit solutio.) At febres diuturnæ dicebat Hippocrates *in tertio Prognosticorum tex.* 27. & 28. continuæ maximè transmutantur in absceſſus præcordiorum, aut ventris. Et intermittentes in quartanam, & si adsint alia signa, vel differentiæ transmutantur in alios absceſſus: velut in eadem particula cùm dixit. (Lassitudinem habentibus in febribus, in articulos, & circa maxillas potissimùm absceſſus fiunt. Et post quibus febres longæ his tubercula, vel labores in articulis fiunt.) Vnde videtur contradicere iam dictis à se, sed hic loquitur de febre longa, etiam ab initio, id est, miti. In Prognostico autem de ea, quæ est longa per transmutationem ex acutā. Causam huius transmutationis declarauit *in eodem libro* 32. & 33. Scilicet laborem, seu lassitudinem, Vnde dolor, & calor, quæ trahunt materias ad locum. Labor enim calefacit locum, & debilem reddit, & doloroſum, quæ omnia ad fluxionem humorum pertinent. Similiter transmutatio loci, vt ab intus ad extra, aut contraria ratione bona valde, aut valde mala. Vnde illud sexta Aphorismorum. (Erysipelas ab exterioribus verti ad interiora, non est bonum, ab interioribus autem ad exteriora bonum.) Et paulò infrà. (Ab angina habito si tumor fiat in collo bonum: foras enim morbus deducitur.) simile illud: (Quibus tumores in vlceribus apparent, non conuelluntur, neque insaniunt valdè, verùm euanescentibus, &c. Et transmutationes rursus affectuum, & non locorum simplicitet considerandæ sunt) vt quinta Aphorismorum. (A quartanis capti, nō admodum à conuulsione capiuntur. Si verò prius capiantur, & quartana superuenerit, liberantur.) Vterque morbus durus, difficilis, longus, intermittens tamen quartana, quia mitior est bonum est. Quandoque breuitas vtilis, diuturnitas mala, vt in sexta Aphorismorum. (Lienosis difficultas intestinorum superueniens bonum. (Et antea dixerat.) Quicunque lienosi à difficultate intestinorum capiuntur, iis superueniente longa difficultate intestinorum, aqua intercus, aut leuitas intestinorum, aduenit, & moriuntur.) Quædam tamen habent difficilem rationem velut illud. (Quibus ex stillicidio vrinæ ileos superuenerit in septem diebus pereunt, nisi febre superueniente satis vrina fluxerit) sed de hoc aliàs diximus.

At de asthmate, aut tussi, si quibus gibbus fiat, quod ante pubertatem debet mori, istud rationem habet, quoniam morbus est in compositione, & in loco prope cor, & pulmones, & à magna causa. Vt etiam illud à materia sumptum. In morbis periculosis ad hæc periculosi decubitus apoplexiam corporis, aut conuulsionem, aut furorem, aut cæcitatem significant. Materia enim illa contumaciſſima est, ideo non potest, nisi grauia mala efficere.

Transmutatio verò morbi ad locum omnino diuersum, quandoque est euidentis vtilitatis, vt peripneumonia ad aures, alia ad cruta humilius, de qua secundo Prognosticorum agit: est bona euidenter, modo non sit additio: aut quòd materia non transierit ad parotidas, sed ad cerebrum potius, inde redundet in illas. Et huius indicium est maximè, quod iam transmutata, & in pus cōuersa est. Secundus modus vt ex morbo maiore in minorem, sed tamen vtroque exitiali. Vt *de Angina in Peripneumoniam* vt tertio Prognosticorum: vide quid dicat quinta Aphorismorum. (Quicunque ab angina liberantur, iis ad pulmonem vertitur, & in septem diebus pereunt: si verò hoc effugerint, suppurantur satis, intelligis periculum, nam ne tum liberi sunt.) Tertius modus est cùm in deteriorem: velut in eadem. (Quicunque morbo laterali laborantes, in quatuordecim diebus non repurgantur, ad suppurationem vertuntur, deterior suppuratio, quò ad difficultatem sanationis quam morbus lateralis.) Inde subicit (Quicunque ex

morbo

morbo laterali suppurrantur, si in quadraginta diebus non repurgantur, in tabem transeunt.] Quædam verò habent signa transmutationis, aut quod morbus morbo superueniat, velut dicebat Hippocrates de febre in regium morbum, quarta Aphorismorum; si in Critica die à septima inchoando fiat bonum, & si non dextrum hipochondrium intumuerit. Antea verò dixerat iam esse malum: Manifesta autem sunt, quæ à præternaturali statu, ad naturalem reducunt [Velut illiud mulieri sanguinem euomenti mensibus erumpentibus, fit solutio, aut cum ad minus malum, velut menstruis deficientibus sanguis è naribus fluens bonum.] At verò valdè malum cum geminatur morbus, & morbus symptomati superuenit, velut in illo [Quibus tormina, & circa vmbilicum dolores, & lumborum dolor, qui neque medicamento, neque aliter soluitur, his in hydropem siccam firmatur.]

LECT. XLVI.

Super

TEXT. XLV. XLVI. & XLVII.

Labores totius, & partis.

TRia sunt, quæ ordine se habent labores: & sunt imago doloris: lassitudines & sunt dolores exigui, maiores tamen laboribus: & dolores, qui sunt lassitudinibus maiores, quod ergo dixit de vno, de omnibus intelligitur. Et propter hoc F. cum in textu posuerit labores in cõmento, exponit dolores, sed seu consulto, seu manus menti non consenserit, parum refert. Significat & labor actionem ipsam vt ab Hippoc. habetur, & in hoc sensu accipit Gal. *secundo de Tuenda sanitate Aph.* 49. laborem, pro exercitatione. Est & quintus sensus, quem declarat Galenus *octauo Methodi ex Aphorismo primæ particulæ c.* 2. vbi morbus peracutus est, statim extremos habet labores, id est, omnia quæ hominem offendunt. Vbi notandum quod ad propositum vestrum est, Galenum seipsum sub persona Methodicorum laudare mirum in modum, de excellenti ingenio, de eruditione, de Methodo singulari, de paternis diuitiis, & optima institutione: illos autem (vt nunc aliqui faciunt) fortunam accusare, vt se excusent. Dicit ergo Hippocrates, quòd possunt labores esse totius & partis. Et idem dicendum ergo de doloribus & lassitudinibus. At per totum potest intelligi vt nulla pars vacet: & hoc esse non potest, nam ossa, venæ, cor cerebrum, non sentiunt laborem, & multa alia: vel per totum intelligimus à capite vsque ad pedes: & hoc in istis verbis non satis conuenit, vt de cute capitis, intelligit ergo vt Galenus *in Arte Medica per totum cap.* 50. congeriem musculorum: vbi dicit, quòd totius temperamentum sequitur temperiem cordis, & iecoris. Nam si per totum intelligeret etiam testes cerebrum, & pulmones, sibi in paucis verbis contradiceret, & etiam quia experimur hoc verum non esse. Dicamus ergo quòd hic per totum fermè idem, non tamen exquisitè intelligit, quòd ibi. Et distinguit tribus comparationibus penes subiectum, penes magnitudinem, & penes vtrumque. Vnde Galenus alias lassitudinis differentias ponit, tertio de Tuenda sanitate, tendentem & vlcerosam: tendentem & phlegmonosam simul: vlcerosam & phlegmonosam, & vlcerosam tendentem, ac phlegmonosam, vt sint in vniuersum septem differentiæ. Earum tres simplices, & quatuor compositæ, ergo quæ sunt totius lassitudines seu labores, seu dolores, deteriores sunt, quàm quæ vnius particulæ si spontaneæ sint; si autem ex exercitatione minus, quanquam vt dicebat Galenus *in libro de inæquali intemperie cap.* 7. eiusmodi exercitationes immodicæ cum fuerint, soleant excitare inæqualem intemperiem in toto, & causa est, quoniam membra exteriora magis exercentur interioribus, & ex exterioribus magna paruis, & magna etiam diuerso modo inter se. Spontanei autem labores, & magis morbo procedente in toto corpore, cum auxiliis non leuantur, morte portendunt. Cùm enim lassitudo in toto corpore fuerit necesse est, aut totum corpus laborasse, aut ex venis in totum effluxisse aliquid, aut laborare primum principium, propter quod doleat. Si ex venis lassitudo est, sectione venæ mitigabitur, si ex labore, causa latere non potest. Idem si percussus fuerit: cum ergo neutrum horum acciderit, primum laborat principium, scilicet, cor vt in hectica longa, aut cerebrum cum conuulso, aut distinctio incipit. Si ergo febris adest siccati sunt musculi, non enim soluitur morbus, vt dicit Hippocr. 2. *Aph.* 26. quinimò potius febri talis distentio superuenire consueuit. Et ideò initium est hic dolor conuulsionis, aut distentionis futuræ. Vnde mors sequitur: inde subiicit.

TEXTVS XLVI.

Et magnitudinis signa alterius quidem ad maius, alterius verò ad minus.

HOc habet duplicem sensum, vt pars alterius ad maius, totum alterius ad minus: id est, labor in toto signum est magnæ noxæ: in parte autem minoris. Et quantò magis in exigua: vt maioris in maiore. Et sensus alius est labor etiam in vtroque, potest adesse cum magnitudine, aut paruitate, vt magnus in toto, & magnus in parte, & exiguus in toto, & exiguus in parte. Dignotio horum habetur ex sequentibus, cùm dixit.

TEXTVS XLVII.

Et ex vtriſque ad maius, & ex vtriſque ad minus.

EX hoc apparet, quod intelligit in præcedenti, quod totum eſt ad maius, & pars ad minus, quoniam læſio eſt maior in maiore, minor in minore: & hic dicit, quod præter id leſio in vtroque poteſt eſſe magna, & poteſt eſſe parua, & ideò primus ſenſus eſt verior, & eſt etiam iuxta mentem alterius explanatoris: Quæ ergò pertinent ad primam diuiſionem, ſunt totum & pars. Et ad partē magna parua: Principalis non principalis ignobilis: magni ſenſus, & parui facilis corruptionis, & difficilis: demùm quæ cõſentit cum aliis nobilioribus, & quæ non conſnetit. Iuxta ſecundã differentiam autem magnus labor paruus: Diuturnus breuis: Continuus intermittens acris, velut pungens, ac mordens, & qui praua qualitate caret ſymptomatibus, & qui leuiter fertur, ſymptomaticus qui vigilias, ſudorem, inquietem, vomitum, vel nauſeam, aut excretionem alui, delirium, deiectionem virium. Et ſi hora ſomni adueniat, vt in morbo Indico. Dicemus ergo de ſingulis laboribus, & cauſas, & ſigna, & effectum, quantum ſatis eſt. Nam diſtinctè eſſet velle conficere librum.

Dico ergo, quod ſi affectus ſit in parte magna, ita quod eam totam occupet eſt magnus, vt dicebat Galenus *in quarto Artis medendi, cap.6.* & ſimiliter ſi ſit in parte nobili, & ſi ſit cacoethe: ſed hoc pertinet ad affectum vt tamen eſt in parte ſenſili, valde pertinet ad primam diuiſionem. Et ita etiam de conſenſu, vt ibi dicit. Et hoc modo etiam ſi vulnerata eſſet arteria, aut vena magna. Vnde plus refert vulnus in arteria, quàm in vena ſimili ob ſanguinis impetum, & etiam quia difficilius curatur. Quod ad partem autem, quæ facilè corrumpitur, ſunt humidæ molles, in quas excrementa influunt, & quæ ſunt cum exiguo calore. Velut carnes glandoſæ, mamillæ, perineum, & poſt anus, ſed magis inteſtina. & veſica. & etiam gula. Et ideò labores in his facilè corrumpunt partem, & difficilis ſunt ſanationis: ſed in articulis, non ſunt facilis corruptionis, facilè tamen in eos fluxiones fiunt, & ideò etiam illud conſiderandum. De alia diuiſione omnia fermè ſunt manifeſta per ſe, aut ex præcedentibus: vtpote magnitudo affectus, diuturnitas, continuitas, ſeu quod ſit breuis, vel intermittens, & ita de acri. Vel non poſſumus addere cauſam, & coniuncta, ſed mittamus hæc, & conſideremus laborem ſymptomaticum, & qui prohibet ſomnum, quare dolores eiuſmodi hora ſomni adueniant, vt ſolent in Indica lue. Et dico quod humor hic eſt ex natura pituitæ, & ideò exacerbatur quotidie, & quia eſt humor crudus, ideò eſt etiam particeps melancholiæ, quare noctu magis affligit, tum etiam, quoniam à calore diei diſſoluitur vapor in nocte retinetur: tum quia propter horam ſomni retrahitur ex conſuetudine ad interiora, & ita magis affligit, & quoniam in ſomno partes exteriores ſunt frigidiores, vt dicebat Hippocrates *ſexto Epidemiorum: Part.4.tex.14.* Hi autem labores ſunt in parte exteriore corporis: Hæ ſunt cauſæ præcipuè cur ea hora magis affligat. Nam frigidas partes frigidus affectus, frigidiore tempore magis affligit. Symptomaticus autem labor ſeu laſſitudo ſit, ſeu dolor per ſingula diſtinguendus eſt, oſtendendo cauſas, & effectus eorum, nam de cauſa vigiliarum, vbi ſit labor (de hoc enim tanquam obſcuriore ſermo habendus eſt) quoties induxerit vigilias, maius longè malum eſt, quam ſi ex dolore, contingant. Et ideò timendum eſt in huiuſmodi, vel de ſiccitate, vel humorum commotione: labor enim humores commouet, & vigilias, & ſi fuerit à cibo, tunc efficit eruditates, ſecus autem potiùs facit ſomnum, vt videmus in ruſticis aſſuetis. Hi enim à labore, & maximè ſuccedente cibo, & potu ſomno corripiuntur, & profundè dormiũt. Cauſa eſt duplex, reſolutio ſpirituum, & calor capitis, qui trahit humidum ſupra. Sed prior cauſa eſt potior, & maximè ſi corpus ſit boni habitus, & ſi fuerit in loco libero & aprico, nam dormiunt etiam in meridie. Ergo ſi non dormiunt: vel vapores ſunt acres, vel caput exſiccatum. Ita ab eiſdẽ cauſis iuxta diſpoſitiones varias, corporis varij, imo contrarij effectus, procedunt. Si ergo labor fuerit cum perturbatione corporis, ſignificat motum humorum. Si autem animi & imaginum ſiccitatem capitis, & ſi incidat, quaſi in ſomnum, ſed non corripitur ab eo, ſignificat humores acres Et ad hoc ſequuntur laſſitudines ad ſiccitatẽ capitis dolor, & Ephemera, vt quarto de victu in Acutis, augeturque vigilia. Ad commotionem autem humorum dolores, atque inflammationes, ſed & febres, vt *primo de Febrium Differentiis habetur. cap.2.* Eadem dico de inquiete. Si autem ſudor multus profluat, non iam calido corpore, conſiderandum an calidus, an frigidus, an in vniuerſo corpore, an in parte, & qua, & plerunque fit cum imbecillitate virium. Solet autem hæc ſequi, vt *in ſecundo de victũ in Acutis. tex. & com.47.* Fit etiam ob id ſudor, vt dixi, attenuato ob laborem ſanguine, & moto ad partes externas apertiſque cutis oſculis, vnde obnoxij reddũtur reſolutioni, & morbis repentinis. Aliqui tamen hac via expurgantur. Quod ſi defectio virium laborem ſequatur cum ſudore, minus periculoſum eſt ob manifeſtam cauſam, abſque verò obſpiritum reſolutionem, aut obſtructionem iuxta cor, aut in aliquibus venis, aut arteriis, aut pulmone. Præſertim autem talia contingunt ob collectos humores, iuxta os ventriculi: vnde difficultates ſpirandi, palpitationes cordis, deiectiones & vomitus bilioſi, anxietates, & nauſeæ, & ſimilia venenis, & quandoque mors. Quandoque retentis, nec diſtributis humoribus, præſertim ſi vigilia adſit delirium, & comitialis morbus, atque hæc omnia ex labore, maximéque in inſuetis, mollibus & bilioſis, vt nil ex magna laſſitudine non ſperare poſſis: præſertim ſi cum

ira,

ira, aut triſtitia animi fuerit, atque vigilia, à cibo, aut copia cibi, & vini ſubſequente, nec quicquam melius eſt in huiuſmodi: quam ſi decubitus ſequatur ad articulos, & inflãmetur tibia, aut aliqua pars ei conſimilis, quandoquidem ſectio venæ parum tuta ſit: ſecurius medicamentum ante febrem. Balneum quoque vtile eſt, quies, altus ſomnus, frictiones, quæ corpus alleuient. Periculoſiſſimum contra cum laborantes ſpiritus difficultate premuntur, & altius ſuſpirant. Periculum enim eſt inflammationis circa cor, vel etiam in ipſo corde, aut venarum tumentium in illis locis: oportet autem maximè conſiderare modum laboris. Nam qui grauis eſt, maximè facit ad debilitandas vires, qui velox ad corpus inflammandum, quòd diuturnius ad atræ bilis generationem, dicebat Galenus *quarto de tuenda ſanitate cap. 4 circa medium.*

LECT. XLVII.

Super

TEXTV XLVIII. & XLIX.

Dulce non dulce: dulce ad potentiam ſicuti aqua, dulce ad gûſtum, vt mel.

QVoniam docuit detrimenta ex alimento, & extendit ea vſque ad detrimenta morbis proxima, & ſigna eorum, hic incipit tractare ſpecialiter, de qualitate alimentorum, & ſimpliciter, & per ſe, & comparatione ad naturas, & modum adminiſtrandi, velut de dulci. Inquit primum, quod alimenta quædam ſunt dulcia, quædam non. Inde ſubdiuidit dulce in id, quod eſt eiuſmodi verè: & eſt, de quo guſtus diiudicat, quod tale ſit: & dat exemplum de melle: ita dicere poſſumus de lacte: & de ſaccharo, quod ea ætate ſaltem apud nos ignotum erat: nam de Indis non dixerim. Et expoſitio F. in hoc non eſt ad mentem Hippocratis, vt per non dulce, dulce poteſtate intelligat. Nam eſſet ſuperfluum, quia in tanta breuitate quælibet verba ſuum proprium ſenſum habere debent: conſtat enim, quod id, quod ſolum potentia eiuſmodi eſt, non tale eſt. Deinde vbi relinqueret tot alia amara, ſalſa, acida, pinguia cum de dulci, & inſipido ſolùm mentionem ſic exponendo faceret. Ideò cùm clara ſit litera, potiùs exponamus eam iuxta ſenſum reliquorum verborum docendo, quomodo aqua dulcis ſit poteſtate. Quærendo primum cur aqua omnium facillimè, & maximè edulceſcat: imò nec ab aliis ſaporibus adeò inficitur? Secundum de tribus dulcibus principalibus, & eorum differentiis, tum etiam reliquis dulcibus omnibus. Etenim vult, quod nos nutriamur ſolùm dulcibus, id eſt, ſuauibus, ſub quibus comprehenduntur dulcia ipſa pinguia & inſipida.

Circa primum conſiſtit demonſtratio in duabus propoſitionibus: inſipida facillimè, & maximè dulceſcunt, quam propoſitionem declarabat Philoſophus *in ſertio de Anima, tex.* 1. oportet recipiens eſſe denudatum à natura recepti, id eſt, à toto genere recepti: & ideò ſi aliquid debet recipere ſapores, oportet vt ſit prorſus inſipidum: & ſi debet recipere odores, vt ſit prorſus inodoratum: & ideo pigmentarij ſeu vnguentarij vtuntur oleo balani, quoniam habet duas conditiones optimas. Prima quod eſt expers omninò odoris. Secunda quia minimè ranceſcit: & ideò per primam conditionem integerrimè recipit odores, & facillimè: & quemvis, quantumvis exiguum: & per ſedem retinet illos quandiu. Et ideò vocatur glans vnguentaria, non quia redoleat, ſed quoniam aptiſſima eſt ſuſcipiendis odoribus atque ſeruandis. Hanc ergo propoſitionem probat Philoſophus hoc modo: quia dicit: Si enim non ſit nudum à natura recepti: ſed ſit ibi, aliquid intus impediet, & obſtruet, quod recipitur, & quod recipi debet. Sed dicetis contra, quia candidum, vt paries maximè recipit colores, & tamen candor eſt color, quia nigrum eſt priuatio eius, & nigrum non recipit colorem vllum, & ideò domini Philoſophi cogitent ſuper iſta propoſitione. Et forſan dicendum eſſet, quod hoc non eſt ratione priuationis, ſed eſt ratione ſubiecti: quia nigrum eſt, quod nullo modo recipit lucem candidum quod maximè recipit lucem, ex quo oritur duplex ratio ſolutionis. Prima quoniam nigrum non recipit colorem, quia non recipit lucem, quæ eſt facilior receptu, & neceſſaria ad illuminandos colores, quia omne coloratum oportet, vt ſit lucidum: lux enim deducit colorem ex potentia ad actum: album ergo cùm ſit maximè lucidum, facillimè recipit omnem colorem, non quia recipiat, ſed quia facillimè oſtendit, & deducit ad actum ob lucis magnitudinem. Secunda ratio eſt, quoniam nigrum eſt opacum, & denſum: cuius indicium eſt, quoniam lucem non recipit: album autem eſt rarum, ſed rarum facilè recipit, denſum difficillimè: ergo album facillimè recipiet colorem, & nigrum difficillimè. Et ideò manendo in principiis, reſpondendum eſſet, quod neque album, neque nigrum verè ſunt colores, ſed album eſt copia lucis: & ideò ſol videtur eſſe albus (quamvis non ſit coloratus) propter multitudinem lucis. Et idem dico de luna plena luminibus, quæ in nocte videtur candidiſſima, & tamen non eſt colorata, vt dixi. Nullum enim immortale eſt coloratum: eſt enim color paſſio miſtorum, & immortalia ſunt ſimplicia. Secunda propoſitio eſt, aqua eſt maximè inſipida, quia eſt ſimpliciſſima. Cùm enim ſapor fiat ex miſtione, propter vnumquodque tale eſt (aliter tamen interpretata propoſitione) & illud magis eſt. Cùm ergo ſapores fiant propter miſtionem maximè miſta, & vt ita dicam elaborata, maximè erunt prædita ſaporibus: & ideò etiã ſimplicia, & minimè miſta, minimè ſapore prædita: ſed aqua (vt dixi) eſt ſimpliciſſima, ergo maximè inſipida & inodora. His duabus propoſitionibus conſtitutis ſequitur tertia planè. Ergo aqua eſt maximè

TEXTVS XLIX.

Signa vtrorumque vlcera oculi, & guſtus, & in his magis, & minus.

IN expoſitione huius textus nutat F. in rei veritate, difficillimus eſt, niſi percepta mente Hippocratis. Nam videbatur ad differentiam dulcis actu, & poteſtate ſufficere guſtus: deinde etiam ſi vellet addere vlcus, non opus erat oculi exemplo. Hæc torſerunt illum, cum tamen clariſſima ſit ſententia. Inquit enim Hippocrates, eſt dulce actu, quod cognoſcitur à guſtu: guſtus autem non poteſt iudicare aquam eſſe poteſtate dulcẽ, ſed ſolum hoc quod non ſit actu dulcis: vt ergo cognoſcamus, quod aliquid tale ſit poteſtate, id eſt, prorſus inſipidum dicit experiare in vlcere oculi. Nam vlcera ab actu dulcibus morſum ſentiunt. Vnde Galenus *ſexto de compoſitione medicamentorum ſecundùm locos: cap.* 2. dulcia enim detergunt. Sic & vinum dulce, quod eſt in quarto ordine mordet, & quia auſterum, & quia dulce, & ſaccharum, & lac, minus tamen lac, quia eſt inſipidum. Sed oculus etiam eſt pars maximè ſenſilis: ſi non alio oſtendatur experimentum, id docet, quod vel fuſtuca maximam excitat moleſtiam, ſed hoc dixit *in ſecundo de M. dicamentis ſecundùm locos, cap.* 1. *ſec.* 7. *in fine.* & clarius in quarto cùm refert quoſdam maluiſſe mori, quam perpeti dolorem oculi per vnam diem. Et aſtipulantur ei quod refert Plutarchus in vita Artaxerxis de illis damnatis, quos cibum ſumere cogebant. At dices: Frigidum vlceribus mordax, igitur & aqua dolorem inferet. Dico quod vides principia noſtra eſſe veriſſima: quia aqua tepida lenit dolores eorum, etiam in vlceribus: actu frigida infert. Et hoc, quia (vt alias ſæpe dixi) aqua frigida poteſtate non eſt. Sententia ergo eſt, quibus ſuccus aliquis tepidus vlceri oculi minimè dolorem infert, id poteſtate dulce eſt, quia omnes ſapores mordent, maximè acris, acidus, & ſalſus: poſt aſtringens & amarus omnium minimè dulcis, & pinguis: dulce poteſtate, ſeu inſipidum ſi tepidum admoueatur haud dolorem excitat.

LECT. XLIIX.

Super

TEXTV L. & LI.

Dulce ad viſum, & in coloribus, & in aliis miſtionibus, dulce magis & minus.

POſtquàm declarauit duo genera dulcis poteſtate, quod cognoſcitur tactu, quia in hoc eſt excellentior guſtu. Nã guſtus non adeò percipit aquam puram, cùm ſapor obſcurus valdè fuerit vt tactus. Et ideò cũ laudemus aquam puram, docuit nos reconditam doctrinam eius cognoſcendæ per tactum magis, quam per guſtum: & ratio eſt, quoniam ſunt in duobus generibus, hi ſenſuum: ſenſus enim guſtus eſt in genere dignoſcendi, & ideò non eſt adeò exquiſitus, tum quia non eſt hoc adeò neceſſariũ, tum quia multis modis poteſt impediri. Cum enim eius medium ſit ſaliua ſecundo de Anima & ſaliua à cerebro, à ventriculo, & à pulmone, à naribus, à cibis & potibus poſſit vitiari, tum etiam propriis vitiis oris, ideò ſenſus ille tactus facilè etiam falli poteſt, & perſæpè aberrat, & rarò in minimis collimat, & percipit: at ſenſus tactus, qui pertinet ad dolorem, in huiuſmodi caſu afficitur ab omni minima differentia, & ideò docuit per proprium inſtrumentum ac modum: & eſt ac ſi diceret cum aqua, vel alius ſuccus, non mouet dolorem, tunc eſt dulce poteſtate. Nam de dulci actu guſtus nos reddit certos. Subiungit modo de dulci ad viſum: & poteſt habere duas interpretationes. Prima eſt: quod ſit dulce ad viſum, id eſt, quod cognoſcamus etiam dulcia colore, aut ob alias permiſtiones, velut aquæ cum melle: & quod poſſumus coniectari ſaporem ex accidentibus. Aliter & eſt magis ad rẽm, quod vnumquodque magis tale eſt cùm maximè retinuerit accidentia illius propria. Et eſt ac ſi dicant dulciſſimum eſt mel, quod etiam debet eſſe maximè acre *libro de cibis boni, & mali ſucci, cap.* 12. hoc ex octo coniecturis intelligemus: Quod flauum tenax & odoratum, *quarto De tuenda ſanitate, cap.* 6. non tamen admodum tenax, nec redoleat thymum, & quod eſt perſpicuum: *ſeptimo Methodi. cap.* 6. *Pag.* 2. Collectum tamen vbi abundant herbæ odoratæ vt thymus, meliſſo, phyllum, ſeu ãpiaſtrum, nardus, iuncus, odoratus, rõſmarinus *tertio de Alimentis. cap.* 39. Et quod ſit ſubſtantia inter craſſum & tenue mediocre, *primo de Antidotis. cap.* 2. Optimum autem dicit Hymetium poſt Thaſium, inde Atticum ibidem. Vbi etiam dicit habuiſſe mel acre, & amariſſimum, quanquam optimum, ſed ſola vetuſtate tale euaſiſſe. Quodnam autem ſit Hymetium, docuit *in libro de Theriaca cap.* 14. ad Piſonem dicens, mel Himetium eſt, quod naſcitur in colle Atticæ, quod etiam ſuo tempore rarum erat. Noſtra autem ætate optimum mel ex Hiſpaniis aduehitur: ſed magno prætio, quinquplo ſcilicet maiore, communi. Poſt orientale, quod ex Xantho inſula, & Illyrico. Hiſpanum denſum, ſuauiſſimũ atque dulciſſimum, ac tenax. Aſtringit eo dum vt ventriculo, & hærniæ non parum vtile ſit. Et lac quod eſt candidiſſimum, & in miſtione vtpote aquæ & mellis, aut ciceone, cum fuerit flauum, valde tunc etiam exiſtimabimus, quod ſit etiam valde dulce, & ſi parum parum: & vbi aliquid eſt dulce, vt lac, quanto fuerit candidius, tanto erit dulcius. Et ita dignoſcimus Marzapanos bonos, quia ſunt candidi intus valde, & fragiles, & ſpendidi in ſuperficie, velut vitro contecti. Nigri autem, & tenaces, ſunt praui,

&

& ex sacchato impuro facti, tum etiam pauco. Nam amygdalarum substantia tenacior est. Saccharum enim præter illas quinque differentias locorum, alias quinque recipit differentias. Nam quoddam est vt flos eius, & sine alumine concretum, & hoc est optimum & saluberrimum, tam ventriculo, quam renibus, & vesicæ. Aliud est candidissimum, & ipsum, & splendidius priore præparatum cum alumine, quod est inimicissimum ventriculo, & membris vrinæ generans lapidem. Tertium est, quod extracto primo, denuo coctis arundinibus extrahitur exprimendo vehementer: & est tanquam saccharum, sordidum minus, dulce minus, candidum, conforme ei, quod in textu generaliter innuit. Quartum fit cùm magnæ parti huius aliquid ex arundinibus nouis admiscetur, sicut in lora nostra, & in his, qui faciunt craspiam appellatam, ex vino veteri additis recentibus vuis: & potest appellari refectum suauius tertio sed longè vtilius secundo. Quintum est, quod fit ex recrementis arundinum: & est saccharum rubrum, quod vendunt pro saccharo S. Thomæ, sed est centuplo deterius. In saccharo autem S. Thomæ est pars candida permista, & alia etiam per se, & est mundius, & suauius. Et est mirum, quod cum antiquis copia mellis satisfecerit, cum saccharo carerent, nunc cum saccharum vndique adueharur, & longè maiore quantitate, quam mel, nec mel defecerit, quoniam cera & mellis prætium parum creuit, non possunt tamen supplere duo nunc, vt olim mel solum. Cuius causa est triplex: prima luxus immoderatus nostri temporis, & incredibilis. Secunda lex Maumethi quæ cogit ad aquæ potum, quæ nunc proculdubio occupat maximam partem orbis. Igitur saccharum, seu sacchar (vtroque enim modo scribi potest) & est duarum declinationum saccharum secundæ, sacchar tertiæ. Sed & saccaron à Plinio vt sit tertiæ declinationis vicem subiit vini: & arundo vitis. At quàm succosior est fructus vitis, medulla illa candida, quæ non absimilis est multum sambuci medullæ: & planta vitis vna mille arundinibus ob ramos æqualis est. Nimirum igitur si hæc permutatio penuriæ potius, quam abundantiæ occasionem dedit. Tertia est multitudo hominum, maxima cum iam totus orbis, & zona torrida, & poli, & montes aridi, & deserte insulæ inhabitentur. Solùm in insulis (non scopulorum ariditas, non fructus maris, non solitudo paruitas deterret homines) miseros & agrestes à cultu earum timentibus iniurias, & sæuitiam Pyratarum, multo magis quàm cæli, vel aquarum, aut terræ, vel aëris. Piscibus enim vescuntur, commutant eos cum tritico, vino, melle, lignis. Naues & vna merx omnia exhibet vigilantibus, solertibus, ac duris hominibus. Accedit huic causæ argenti, & auri abundantia ob Indias detectas, & auri fodinas, argentique immensam copiam, adeò vt nunc iam nulli aurei in commercium veniant, præter Philippeos Hispanos. Hæc igitur est causa prætij immensi sacchari. Sed dices color de natura non indicat, *quarto de simplicibus medicamentis cap.* 23. Respondeo bifariam. Nam sæpe solemus respondere multis modis, quoniam nulli responsioni confidimus. Idque ambitiosi & vani hominis est, vel quia causæ omnes satisfaciunt, velut in præsenti proposito, ne longius vagari cogar. Primum color non certam, licet afferat rationem temperaturæ, & virium aliquid tamen facit licet minus quam odor. Sapor enim est in primo ordine. Qui enim fructus maturi sunt dulces, vbi maturauerint dulciores euadunt. Quicunque igitur minùs virides, ac quasi rugosi, nam & per colorem, & rugas, & formam, & accidentia externa, vt vno verbo dicam comprehendit. Exemplum igitur in moris, quæ nigerrima sunt, & nigerrimum habent succum dulcissima sunt, & persica, quæ candidissima, & rubicundiora, & cerasa quæ maximè rubicunda, non alba, aut viridia, dulciora, & chrysomella, quæ crocum referunt, & vuæ nigræ nigerrimæ, & citreæ colore saturo, & quæcunque colore aliquo gaudent, vbi minimè dilutus sit: omnia eò dulciora euadunt. Hæcque ratio coniecturalis est, & tamen valde vtilis. Vnde pessimi fructus sunt, qui attectati tunica sordida, & vlcerosa, molles colore suum perfectum, & saturum non habent. Præter id enim, quod immaturi sint, sunt etiam marcidi, quamquam ad incolumitatem vt fructus maturus eo melior est, quò recentior & ex ramis nuper decerptus. Alia verò ratio demonstratiua est. Nam procedit ex suppositio, si sit dulce album aut flauum, & plus fuerit de flauo, aut albo erit etiam dulcius. Et ita cognoscimus marzapanum, an habeat multum sacchari ex colore, si sit candidior, splendidior, fragilior, & in crustas magis concreuerit. Et medicamenta fricando super palmam si sint crocea, quando debent habere crocum: nam tum sunt perfecta: aut non: si desit.

TEXTVS LI.

Raritas corporis ad transpirationem, quibus plus aufertur, salubrius, densitas corporis ad transpirationem, quibus minùs aufertur, insalubrius.

Hic textus adducitur á Galeno *in primo de Tuenda sanitate cap.* 10 & sententia eius clara est, prima fronte. Raritas corporis facit ad transpirationem, & ideò quibus plus auferrur salubrius, quoniam scilicet fumi illi, qui concluſi accendere possunt, corpus exhalant, & ex his accenduntur primùm ephemeræ, inde putridæ, vt declarabat Galenus *octauo Methodi medendi cap.* 2. per contrarium densitas, retinet excrementa, ne

difflentur, quæ cùm sint calida, accendunt febres. Est autem densitas multiplex, alia quidem naturalis, quæ minus nozia est cum corpus minus assuetum scit excrementa illa progignere, & ideò tales sunt robustiores, etiam tum ob soliditatem membrorum, tum quia minus lædũtur à causis noxiis externis, velut frigore, vaporibus, sole, ventis. Verùm tota vita tamen magis sunt obnoxij morbis dicebat Galenus *in libro de optima nostri corporis constitutione cap.* 4. Corpora duriora, & densiora à causis externis, sunt tutiora: ab internis autem laxa & mollia, & adducit hunc textum præsentem, & interpretatur ipsum: Dicit, quia ibi loquitur de corporibus non simpliciter, sed ad alimenta comparatis, quorum excrementa lædunt magis corpora densa, & dura, quam mollia, & laxa. Quæ verò aduentitia est densitas, aut raritas magis lædit, & minùs iuuat: lædit quidem raritas resoluendo corpus, adeò vt interficiat, sicut habetur à Galeno *duodecimo Artis curandi cap.* 6. Densitas verò parit febres, vt dixi. Ipsa autem densitas comparatur trifariam aut medicamento emplastico, obturante meatus ipsos: vnde etiam oleum in hoc nocet, & quæ connumerantur à Galeno *quarto de Simplicibus medicamentis c.* 5. Amylum, Chondrus, terra Cretensis, & Cimolia, & terra Fullonum, & etiam Samius Astèr, ceruſſa ponpholix, calx, & cadmia, sed hæc vltima lota. Similiter & à frigiditate, & ideò à ventis frigidis, & à calore: vnde etiam à sole. Illud quoque animaduertendum, quod vt habetur in eodem octauo Methodi: Qui laborant febribus, etiam ephemeris, ex eiusmdi stipatione cutis, maximè indiget inter reliquas causas sectione prompta venæ; aliter transit in synochum, & si diutius protrahatur, etiam in synocham. Sic & de ratione excrementorum illud considerare decet, quod dicebat Galenus *decimo Art. cur cap.* 2. de illo iuuene macilento, bilioso, qui se exercuit immodicè, & iratus est, & paulo post incidit in febrem, quoniam talia excrementa duplicia sunt. Sicut etiam dicebat Aristoteles de euaporatione terræ. Alia sicca, alia humida, (sed non necessario calida, quia terra non est calida per se) quarum vna est causa pluuiæ, alia ventorum. Et eodem modo in hominibus fumosa illa eueporatio, alia calida, & sicca, quæ est apta ad progignendam hecticam, nisi ephemera illa probè curetur, alia calida, & humida, quæ generat febrem putridam, & hoc est consideratione dignum.

LECT XLIX.

Super

TEXTV LII.

Qui probè perspirant, imbecilliores, & saniores, & facilè conualescunt, qui malè perspirant, antequam ægrotent, robustiores ægrotantes autem difficulter conualescunt. hæc autem, & toti, & parti.

DEclarat differentiam inter imbecillia corpora, & ægrotatiua, vt ita dicam seu morbosa, & similiter inter robusta, & sana, & proponit tres conclusiones in singulis, licet secunda de densis corporibus sit paulo magis obscurè dicta, more antiquo, & præcipuè Hippocratis, & dicit, corpora quæ probè perspirant, sunt imbecilliora, & tamen sunt incolumiora, & si ægrotent facilius sanantur, corpora autem densa sunt robustiora, & facilius ægrotant, & postquam ægrotauerint, difficilius sanantur. Palam est autẽ, quod si corpora rara sunt salubriora cum non possint referri ad moderata, vel etiam si referantur, quod sunt salubriora densis, ergo densa morbosiora. Densum ita diffinitur à Philosopho in prædicamentis, cuius partes sunt propinquæ inter se. Rarum cuius distantes. Idem dicebat *octauo Physicorum tex.* 55. Densum & tatũ videntur principia omnium aliorum, & maximè eorum, quæ inuicem permutantur. Dicit enim densitas est causa grauis, & leuis, & mollis, & duri, & calidi, & frigidi, & congregationis, ac separationis. Quæ enim densa sunt, grauia sunt, & dura, & congregata, & raritas est causa oppositorum. Et ex hoc textu habetur, quarè densa sint robustiora. Sunt enim magis congregata, & durà, & grauia: Quamuis Auerroes dicat, quod hæc non est sententia Philosophi, quia vult principium esse à quatuor qualitatibus. Verum quod apparet ex experimento, & quod est magis receptum apud medicos est, quod densa difficillimè patiuntur, & rara facillimè. Et est considerandum etiam quod Philosophus decima Problematum ait, corpora puerorum esse densiora, & similiter mulierum, & certè ipsa sunt insalubriora, sed minimè sunt robustiora, & ne quis credat hanc sententiam esse solius Philosophi: est etiam Galeni *in secundo de temperamentis. cap.* 5. Et propterea dicendum est, quod corpora dicuntur bifariam densa, quod & aliàs dixi: vel quia sine meatibus, & his opponuntur rara secundum cutim, & talia corpora sunt insalubriora, & etiam imbecilliora, vel densum intelligitur, quod est contestum ex tenuiori substantia, & magis compacta: vt aurum in comparatione ad plumbum, & eiusmodi densitas facit ad robur, & sanitatem etiam, & ideò Hippocrates intelligit de densitate secundi modi generali. Et circa hoc haud decet præterire duo, quorum meminit Philosophus in *quinto de generatione Animalium. cap.* 3. Primum est quod cutes dicit in senescente ætate fiunt crassiores, & duriores, quia exsiccantur, & ideò fiunt magis terreæ: non declarat tamen causam, quomodo fiant crassiores. De raritate autem manet dubitatio, quia in quantum refrigerantur senes, densior fit cutis: quantum euanescit humor fiunt rariores, & propterea voluit declarare, an iuuenes sint rarioris cutis, an senes. Aliud quod dicit pertinet ad ea verba. Hæc autem

&

& toti, & parti. Scilicet quod capitis cutis est crassissima, & humidissima, & reddens rationem, quia tenuissima, imo ob id deberet esse densissima, quia humido repletur. Ideo animaduertite, quomodo Antiqui brevitate plura comprehendebant, & causam etiam reddebant simul. Est ergo sensus, quia rara est, id est laxa, ideo multo repletur humido, & ob id dicit capilli hominũ crassissimi sunt, quia cutis crassissima est, & humidissima. Difficile autem esset ariolari, quorum comparatione intelligat capillos esse crassissimos, cum constet pilos animalium multorum esse crassiores capillis humanis, sed non sunt serendæ difficultates præter propositum. Deuenio ad rem. Hippocrates intendit, quod qui probè perspirant, id est, qui raram habẽt cutim hi sunt imbecilliores. Ostendo quia fit maior resolutio quotidie, quam in alijs. Ergo fiunt imbecilliores data paritate in reliquis. Cùm enim exhalet calor, licet malus semper etiam aliquid de bono, secum exit *sexto Aphorismorum com.* 27. igitur fiunt imbecilliores: perspiratio etiam multa fit magis ex tenuibus humoribus, sed qui habent tenuiores humores, sunt etiam delicatiores, & imbecillíorum virium: Ergo manifestum est quod dicitur ab Hippocrate. Secunda conclusio similiter est perspicua, quoniã qui multum perspirant, his corpus refrigeratur ab aliena caliditate. Ergo sunt tutiores à putredine *quarto Metheororum cap.* 1. & etiam, quia euacuatur humor noxius, & corpora redduntur sicciora, & ideò minus obnoxia morbis. Tertia conclusio similiter patet ex eisdem. primum quia pleræque febres acutæ terminantur per sudorem, & qui habent raram cutim, tum ob subtillitatem, tum consuetudinem: in his natura transmittit materias illuc: ergo facilius sanantur. Tales etiam non adeo læduntur ex aduentu noctis, & frigoris ob raritatem cutis, & ideo non eis contingit adeò augeri febres, & periclitari. Adest & tertium commodum, quia frictiones plus iuuant eiusmodi, laborantes, ideò maiorem sentiunt vtilitatem, quam reliqui. Adducitur tamen authoritas Hippocratis in oppositum à Fracantiano ex *sexto Epidemiorum Par.* 3. *tex.* 1. [Cutis raritas ventris, densitas cutis colligatio carnium incrementum, ventris torpor, omnium confusio.] Et ibi Galenus adducit tertio hunc locum præsentem, & duas expositiones adducit, quarum vna est simplex, vt omnia separatim intelligantur, & eam reprobat propter interpositionem illorum, ventris densitas cutis colligatio, ac si sensus esset, oportet considerare cutis raritatem, aut colligationem, & ventris densitatem, & carneum incrementum, sed recipiamus eam, quæ verisimilior est, & est quod cutis raritas solet afferre ventris densitatem, quoniam difflata humidiore parte, venter restringitur & siccatur. Vt contra constrictio cutis, seu densitas est causa incrementi carnium, tum quia minus euacuatur, tum quia calor redditur robustior: sicut dicit Hippocrates in textu. Et Fracantianus exponit, quamuis Galenus conuertat ordinem, & causam in commentario illo. Dicit enim, quod accidit cutis densitas, propter incrementum carnium, & non incrementum carnium, propter cutis densitatem: Et similiter torpor ventris, scilicet, imbecillitas eius in concoquendo est causa confusionis, id est, omnium malorum. Dicit ergo F. quod textus præsens hic, quem exponimus, intelligitur solum de comparatione corporis ad alimentum, quia sermo est de Alimento: in Epidemiis autem simpliciter, quia corpus densius est, etiã carnosius, & ideo simpliciter densius est robustius. Sed hoc fatetur iam hic Hippocrates in textu, indiget excusatione. Similiter respondet idem aliæ obiectioni, quia corpus temperatum est salubrius, eo quod habet raritatem cutis. Dicit quod est verum comparatis omnibus causis, tam internis, quam externis: nam corpus temperatum sic est salubrius, comparatione tamen ad alimenta, corpus raræ cutis est salubrius. Sed possumus aliter respondere, non violando propositionem illam, corpus temperatum habet omnes operationes meliores, quàm intemperatum: neque contrahendo ad id, vt simul omnes operationes intelligantur, & omnes causæ contrariæ, & hoc consideratis duabus propositionibus, quarum vna hic est ad propositum, quoniam comparat corpus rarius, non ad corpus moderatum, sed ad iusto densius. Præterea in secunda propositione quæ est extra textum est, quod non intelligitur hic, nisi de compositione cutis, & non de temperamento: licet enim corpus raræ cutis sit salubrius, etiam moderato in raritate, & densitate ratione raritatis, non est tamen salubrius ratione temperamenti, quia vbi illa raritas prouenit à nimia caliditate, & siccitate naturali, vel etiam à temperie calida, & humida tales facilius ægrotabunt, habentibus moderatam temperiem, & densitatem, non propter densitatem, sed propter temperiem ipsam. Audacissimus quidam interpres simul, & imperitissimus ausus est mutare textum Hippocratis cum nullus sanus vir vnquã ausus sit hoc facere: poterat illum Galenus monuisse, qui toties & Dioscoridem, Hippocratis expositorem, & Zeutidem, & alios reprehendit, quòd ausi sint mutare Hippocratis literam, vtque iudicio valuit, quantum quisque alius (nisi quod gloriæ nimis fuerit appetens) ità & in hoc rectè, & passim in exponendo Hippocratẽ literam nunquam mutat, sed quomodo forsan suo iudicio melius legi possit, docet. Hoc sanè prudentis viri est, & acuti, & moderati mutare autem literam amentis, rudis, & de se vana opinione plurimum præsumentis. Sed ad rem redeo. Illud restat difficile, quia si cutis raritas facit ventris densitatem: Ergo corpora erunt morbosa. Dicebat enim Hippocrates *in libro de Aëre, Aquis, & locis, Sec.* 3. *tex.* 5. quod alui astrictio est causa multorum morborum acutorum, & generationis lapidis in vesica, & istud pendet ex alimentorum concoctione, non ergo videtur dissolui contradictio. Et ideò magis ad rem, quia medicum non decet esse sophistam, neque euadere rationibus, quæ vtilitatem medendo non afferant. Dico ergo, quod raritas cutis si immodica sit, densam aluum non efficit, & tales sunt sanissimi, & satis etiam moderati habitus: si

autem

autem nimis excedat, vt in quibusdam, qui perpetuò sudant, in his sit dentitas ventris, & fiunt macilenti, & morbosi, & maximè si exerceãtur, & præcipuè in adolescẽtia & iuuentute: nam perueniunt ad hecticam, sicut contingit de illo Hieronymo in domo Barbianorum comitum adolescẽte, qui adeò benè pila parua ludebat, quem ego puer agnoui. Omnis enim excessus prauus est secundùm Hippocratem, & ideò benè dicebat *in libro de veteri medicina pag 6.* [Natura nostra gaudet mistione, quoniam omne immoderatum abhorret, nec aliquid tale patitur, aut sustinet.]

LECT. L.

Super

TEXT. LIII.

Pulmo contrarium corpori alimentum trahit, alia verò omnia idem.

DVplicem nacti sumus in hoc exponendo textu difficultatem: primam ex rei ipsius, & verborum Hippocratis obscuritate, & perplexo sensu: alteram ex Fr. expositione, quæ cùm multa bona contineat, omitti non debet: cum imperfecta sit & implicata nobis. Laborem non leuem iniicit. Eodem autem difficilis ei vita est, vt illi acciderit, quòd his, qui multis peccatis, & grauibus ex hac vita discedentes, desperant de venia illorum apud Deum: quodque est infirmi, & defectus in eis Deo tribuunt. Inquit enim in fine commenti: (Sed hæc sententia maximè difficilis & dubia esse videtur.) Verùm ei potuit videri meritò difficillima, quoniam cum nimis multa in vnum congessisset, non potuit ordinem in illis inuenire, tùm quia (vt dixi) nimis breuiter illa complexus est. Et ideò contingit illi iuxta Poetæ sententiam.

Dum breuis esse labore
Obscurus fio.

Tum, quoniam non calluit illam Dialecticam, adeò dilucidam, & robustam (vt ita dicam) quam nos inuenimus, & euulgauimus. Et maximè in ea parte, quæ ad ordinem pertinet, quæ omnium sanè est difficillima: de qua in Memoriali vberius, quam alio loco egi. Et ideò textus non est adeò difficilis, vt intelligi non queat. Nam cum sint tria genera difficilium rerum. Vnum quod, & primum, & maximum est, est quod est sensibus incognitorum, tam exterioribus, quàm interioribus: imò & repugnantium, de quibus egimus *in libro de Proportionibus parte* 2. velut Quid sit extra cœlum? Nam si dicas nihil, statim quis dicet, cur ibi finem accepit? si quis ibi prope ita fuerit, vt eo manum extendat: vbi erit illa manus? si cœlum mobile? non erit ergo prius vltimum: Deinde quid extra illud & rursum renouabitur dubitatio. Si corpus inmobile? quid agent? Deinde si & ipsum finem habebit, quid deinde extra illud? Si infinitum, aut omninò inutile, aut ab infinitis regetur, & inhabitabitur? imò necesse erit, vt sint infiniti, qui regant? Et etiam cur tam modica portio mobilis facta est? Si incorporea ibi solum sint? quid agent? & quid proderit eis esse ibi? Si vacuum? quid in eo? & cur tantùm inanis, cùm tam paruo corpore? Eadem quòd non sit, nisi vnum incorporeum, & quòd sine numero, & tamen plura & infinita. Secundum genus difficillimum est, in quo à primis suppositis ad vltima innumera sunt media, vt in illa propositione. (Corpus duodecim basium pentagonarum.) Tertium est cùm fiunt comparationes plurimæ diuersarum, & maximè rerum non perfectè notarum: hoc enim est obscurum non per se, sed ratione eorum, qui non tractant rem, vt tractari debet. Et ideò primum genus nunquam ad facilitatem deduci potest, cùm neque exemplo vllo mansuescere possit: & perpetuò cogitationi, & vi imaginandi repugnet. Secundum etiam difficile semper manet, quia licet aliquantulum possit decurtari, non tamen ita, vt ex memoria valida, & magna multitudine rerum imaginatarum, non indigeat. Et ideò semper remanet arduum, obscurum, atque difficile. Et maximè adueniente senio, cùm eiusmodi vires redduntur imbecilliores: & apud illos, qui occupatam mentem, ac sensus in negotiis habent. Sed in hoc tertio genere plurimum valet industria, & diligentia, & exercitatio in Dialectica. Nam cum inceperis distinguere singillatim, & significata, & rationem quorumcunque, statim elucescunt comparationes illæ, & quæ veræ, & quæ falsæ, seu inutiles, & quomodo vnaquæque earum debeat intelligi. Ex quibus simul collectis sensus proprius, verus ipsius textus deprehendetur.

Primum ergo oportebit declarare, quomodo pulmo trahat aërem: Et quare, finis ratione? inde qualis natura sit aëris? & quot modis contrarium intelligatur? post alimentum, quomodo corpori dicatur contrarium? Et rursus an attractio hæc intelligatur simpliciter? an quia id optimum sit, & eo gaudeat? Et vt generale ad species sit referendum. Velut si dicamus nix est alba: hoc est verum generaliter, quia eadem ratione: Alio modo si dicas animalia cognitione prædita sunt. Hoc distingui debet, quia aliqua sensuum exteriorum tantum, vt limaces, alia interiorum etiam, vt canes, alia etiam mentis, vt homines. Et potest etiam extendi ad singula: vt animalia alimento vescuntur. Pulàm est, quòd vnaquæque species suo & etiam, vt toto, velut pane & vino: alia vt parte, velut carne: alia vt in quibus aliquid continetur, quod etiam ægrè conficitur; vt truncis arborum, & surculis. Demum etiam videre, quomodo arteriæ trahant aërem, & sanguinem, & cor: quod tangitur à F. licet videatur omisisse de corde: forte, quia est eadem ratio in vtrisque. Vt sint octo quæsita. Et in vnoquoq; non solum declarandum est id ipsum, quod proponitur, quot modis accipiatur, sed etiam suum oppositum. Vt cum agitur de contrario, etiam de simili agendum sit.

Dicamus ergo primum, quod est facile: scilicet, quomodo pulmo trahat aërem: & est iam superius declaratum: scilicet, ratione continuitatis corporum: seu ne detur vacuum. Nam in hoc concordes sunt medici. Seu hoc fiat pectoris vi attrahente, similiter partes pulmonis secum, seu proprietate pulmonis, & quamuis causa hæc sit remota, multum tamen referret scire eam, vt infra docebimus: sed quoniam tot sunt à nobis necessariò tractanda, ideò, prætermittimus illam. Secundum est, cur pulmo, id est, ad quem finem trahat aërem? Et de hoc quod cordis ratione, & spirituum superius dictum est: sed quoniam agentia naturalia agunt etiam propter se, vt declarabat Galenus *tertio de facultatibus naturalibus cap.*13. de ventriculo qui licet seruiat iecori, tamen primum seruit, & concoquit cibum sibi, ideò dico, quod pulmo est calidus, & spongiosus, ideò cupit semper aërem attrahere. Et ob id pulmo læditur, & á calido aëre, quia non perfrigeratur: & á frigido, quia cùm sit nimis tara substantia, læditur à frigido aëre. Et etiam, quia impletur ob propinquitatem fuligine cordis perpetua. Ideò trahit aërem.

De Aëre omittamus nugas quorundam, qui volunt aërem esse natura calidum, quoniam videmus, quòd in actionibus suis refrigerat, vixque calefacit imbutus calore solis. Et si adducant Aristotelem, dico: quòd ille intelligit illas quatuor coniugationes, vt sunt in mistis: ita vt per aërem intelligat humidum, pingue, quod est calidum, & humidum. Hocverò quod est infrà, quod respiramus, & qui ad respirationem facit, frigidum esse fatetur. Inquit enim primum *in libro de Respiratione pag.*7. *pag.* 8. [Quapropter necessariò commoda refrigerationis adhibenda sunt, si eiusmodi ignis salus defendenda est: per hæc enim talis interitus propulsatur: Iudealiquantò pòst subiicit. Huiusce rei causam illam ponimus, quod pulmones adiunguntur causa refrigerationis, quam flatus ipse præstitutus est. Post autem subdit hæc pulmones certæ spirationis causam sustinent, quòd fungosi formentur, & inanibus fistulis cauati adhæreant. Hæc item pars omnium quas viscerum appellatione signamus, multo constat sanguine. Quæ igitur tale viscus adipiscuntur, celeri indigent refrigeratione: quod ipsum vitalis ignis momentum parum sit atque intus ob caloris, & sanguinis copiam, qua versus peruagetur: vtrunque aër facilè præstare potest: nam cùm tenuem habeat naturam, omnem in partem celeriter penetrando refrigerat.] Eandemque sententiam rursus pauculis interpositis repetit. De contrariorum autem natura quarto loco dicendum est: & Philosophus *quinto prima philosophia*, & *decimo eiusdem cap.*10. & 6. proponit, quòd conueniunt in his tribus, quòd maximè distant, in eodem genere seu specie sint, seu subiecto, seu potestate: quòd vbi vnum est, aliud esse nequeat. Nec est vt disputemus an priuatio, & habitus sint contraria: quoniam istud ad propositum nostrũ non est. Hæc igitur sunt tria genera contrariorum in genere, velut album & nigrum: quæ autem subiecto, & potentia putat Auerroes esse eadem his, quæ sunt in eodem genere. Satis autem constat oppositi significationem magis extendi, quia ad contradictionem: vt est & non est: & est album, & non album: & ad ea, quæ sunt vt habitus, & priuatio: & ad relatiua, & ad contraria ipsa. Et in eadem specie contraria dicuntur velut masculus & fœmina. At contrarium hîc intelligere oportet medico sensu, quod omnia hæc habet, & suum contrarium expellit, vt prima Problematum calor, & frigus. Quanquam Hippocrates *secunda Aphorismorum*, intelligat de his etiam, quæ habent vim naturá oppositam directè, vt plenum, & vacuum, quæ non commiscentur, non vt album & nigrum, amarum & dulce: hæc enim minus sunt contraria pleno, & vacuo. Et miscentur dicebat in Prædicamentis contraria, quæ necesse est, vt vnum eorum insit, medio carent: vt sanitas & morbus: par & impar in numero: quæ non est necesse: medium habent, vt album & nigrũ: studiosum & negligens. Accidit autem vt substantiæ ipsæ, velut excrementa in libro de longitudine & breuitate vitæ, dicantur contraria ratione qualitatum, quæ contrariæ sunt: quando vna agit in aliam, aut habent principium actiuum, vt calidum, & frigidum, vel voluntarium, vt homo homini. Ideò album, & nigrum contraria non sunt. Nam neque ratione substantiæ: cum ei nihil sit contrarium: neque qualitatum, cùm vnũ non agat in alterum: propterea ignis, & aqua contraria dicuntur: nix autem, & calx, & olor, ac cotuus non. Eo igitur modo melius est intelligere nomen contrarij, quàm vt apud philosophos: neque etiam vt accipit in Aphorismus. Patet enim quòd sic etiam reliqua alimenta sunt his, quæ nutriuntur, contraria. Contrarium igitur contrarium expellit, & ex contrario fit omnis mutatio multifariam. Primum ex priuatione, quia album ex non albo: secundò quia vno inducto alterum hebetescit, vt ex candido nigrum, dum fit, & antea fuscum viride pallidum. Tertio cùm vnius aduentus plenè tollit aliud, vt inanitio & repletio. vbi enim repletio est, cessat inanitio: & contrario etiam mõdo. Nulla enim pars est simul particeps verè vtriusque contrarij, quia non commiscentur. Quarto modo cum vnum expellit aliud, & hoc est proprium primis qualitatibus, & luci, & tenebræ: Sed hæc sunt opposita, vt habitus & priuatio. Cum ergo caro ex pomo generatur dupliciter, ex contrario fit, vt substantia caro, ex non carne: accidentia autem ex non calido calidum, & ex frigido calidum. Quod ergo contrarium ex contrario fiat, trifariam què intelligi possit, seu vt Aristoteles inquit, quod omnis mutatio ex contrario fiat, seu motus, seu generatio, seu incrementum, vel decrementum, seu condensatio, aut quod aliquid dealbetur, aut denigretur, mutata qualitate, vt, ex materia seu termino à quo significat generaliter verũ est: ex lursum magis ad minus: aut ex non carne caro: aut à maiori ad minus, à densiori ad minus, densũ

vel

vel rarum: à non carne ad cárnem: ab albo ad nigrum, vel cùm à non adeò nigro ad magis nigrum: & ita generaliter quod mutatur in aliud antea non fuit idem. Ex contrario autem alio necessario, nec habente medium, & ita fit semper ex ægro sanum, aut ex sano ægrum: sed simpliciter non ex ægro magis minus, aut contra. Si autem medium habet, & est necessarium, non ex contrario propriè, vt ex viridi fuscum, ex mediocri gnauus, aut ignauus. Sed si non sint necessaria: non etiam fit, si priuatio solùm opponatur, vt ex musico, non musicus, vt nec ex cæco videns, sed in necessariis vna sola est mutatio ab habitu ad priuationem, non à priuatione ad habitum: vt duo desint, & quòd non ex contrario, sed priuatione, & quòd à priuatione ad habitum, quem iam possedit, non sit regressus. Multò ergo minus in generatione, quoniam substantiæ nihil est contrarium. Si autem ex causa efficiente dicat, multipliciter peccat, qui dicit contrarium ex contrario fieri. Tum quia à simili, non à contrario, nisi fortuito vt in antiparistasi: & neque à contrario in actu priori, neque enim album à nigro denigratur: imo neque semper frigidum à calido incalescit, sed etiam à motu, à putredine. Verius autem dicemus, si ex potestate ac forma significet, vt ex potestate calido frigidum incalescit, & ex potestate nigro album denigratur: idque est quod Aristoteles vocat contrarium exitio esse contrario in libro de breuitate vitæ. Nam frigidum à calido potestate necessariò corrumpitur si corrumpatur, quia in contrarium vertitur: igitur quod vertit tale est potestate. Non frigidum à calido actu, vt igne semper incalescit, sed à putredine, aut motu, aut aliquo tali, velut constrictione, quæ omnia palàm est potestate esse calida. Et horum etiam quædam actu talia sunt: sed hoc necesse non est. Dicimus aliquando etiam quædam ex contrariis fieri, vt generaliter ad ea, quæ faciunt, non ad rem quæ fit referuntur: velut in primo de generatione Animalia alia generantur ex masculo, & fœmina distinctis vt animalia, alia coniunctis vt plantæ. Ita etiam à calido & frigido pugnantibus, generantur fulmina, & venti, & colores. Vel à calido, & agente humido, vt matèria: quæ non sunt contraria sua ratione, sed solum vt agens & patiens: velut Auerroës *quarto Meteororum*. Et vt breuiter dicam, fieri ex trifariam dicitur, vel vt à termino: vel vt à causis inuicem comparatis, vel vt à causis effectio comparatis. Primis duobus modis, omne, quod fit ex contrario vt album, ex non albo, vel ex agente, & patiente, tertio modo ex simili actu, aut potestate. His igitur visis cum contraria dicat Hippocrates, intelligit quæ natura apta sunt se destruere, vt calidum & frigidum hic. Et quia dicit, quod trahit: gaudet eo, vel necessitate trahit. Si motu pectoris, id est, necessitate: si sua natura, quia gaudet. Ideóque melius est dicere, quod propria natura. Et hoc, quia dicebat Galenus *sexto de tuenda sanitate, cap.* 3. quòd moderatè contraria conseruant, ne quod excedit vlterius prolabatur. Sed in pulmone cum intemperies sit naturalis gauderet aëre calido, quia naturale simili gaudet, & ob id ab immodicè frigido læditur, sed iuuatur ab aëre frigido, vt incalescit à fuligine illa: gaudet ergo, & similibus, & omnibus his, quæ apta sunt ad similem statum reducere, atque in eo retinere: igitur gaudebit contrario suo naturâ, & in eo casu conseruabitur, vt contrarium illud est contrarium etiam alteri causæ corrumpenti ipsum: & ideò læditur ab aëre calido, & iuuatur à frigido moderato. Et sic per accidens conseruatur à contrario, non per se, & eatenus, quatenus solum aër frigidus prohibet noxam fuliginis calefacientis. Aër ergo frigidus est per se contrarius pulmoni, calidus non per se: sed tamen magis nocet calidus, & si non per se noceat: quoniam celerius agit, & etiam, quia actio eius non retunditur à vapore, nec ab alio vt frigidus.

LECT. LI.

Super

EODEM TEXT. LIII.

QVintum quæsitum fuit, quomodo alimentum dicatur corpori contrarium? Et an æqualiter? nam Hippocrates cum dicat infra principium alimenti spiritus constat, quòd vult alimentum aëris esse magis contrarium corpori, quam cibum, vel potum: & quòd experimento apparet, & ipse testatus est *in tertia Aphorismorum, tex.* 54. ætates gaudere contrariis temporibus, potiùs quàm similibus, & ideò aëre. Et Aristoteles in primo de Generatione cùm dixit, Generationem fieri ex contrariis: quia tum nihil præest, insinuauit idem in nutritione: quoniam quod nutritur, rationem habet agentis, alimentum passi. Philosophus *octauus Physicorum text.* 55. *seu cap.* 7. clarissimè loquitur dicens. [Contrarium namque contrarij dicitur nutrimentum esse] Additur autem alimentum omne cum sit simile simili. Sit igitur alteratio necesse est, ea mutatio, qua ad contraria proficiscitur. At verò si mutatur, oportet vt sit quod mutat, & ex potentia calido calidum actu facit. Patet autem id quod mouet, non se habere simili modo, sed interdum esse propinquius ei, quod permutatur, interdum remotius ab eodem.] In his ergo verbis dubium non est, quod alimentum non sit contrarium, antequam permutetur ei quod nutrit: hic ergo cum appellet simile in membris aliis à pulmone, vel intelligit de alimento vero, quod plane est simile, vel quod verisimilius est propter succedétia: cùm dixit: [Principium alimenti humidi, & sicci os gula: patet quod intelligit & per alimentum futurum alimentum.] Alimentum igitur necessario partim simile, partim contrarium dici debet: maximè, quia naturaliter trahitur, nec sic traheretur, nisi simile: quia attractione naturali, vt ostensum est, non trahitur, nisi simile à simili: igitur alimentum in eo quod trahitur est simile: in eo quod mutatur necessariò est contrarium: præter,

aërem. Nam hic etiam in eo, quod trahitur est contrarius, vt dixi, quia non trahitur naturæ propriæ vi, sed continuitate corporum, seu ne detur vacuum, vt intelligat ab his, qui in nostris libris Physicis non sunt exercitati. Iuxta hoc ergo inuentæ sunt diuersæ opiniones: prima, quod sit simile in substantia, & contrarium in qualitate. Et in hac est Fracantianus. Secunda quod sit simile in qualite contrarium in substantia: quia penes substantiam fit mutatio ipsa in nutritione. Tertia quòd sit simile in substantia simul, & contrarium, quia non idem: & adducunt rationem, quia magnes trahit ferrum, quod est simile in substantia, & contrarium, quia agit in ipsum, & non agit in alium magnetem, seu lapidem Herculeum. Et maximè, quod alimenta illa trahuntur, quæ sunt simillima. Quarta quod sint similia in mistione elementorum, & non in eodem ordine, velut aliàs dixi de luto metallico, lapide, metallo, planta, animali, exangui, & sanguineo, demum homine ipso. Et videtur quod prima opinio falsa sit: quoniam non trahitur, quod est dissimile in qualitate, sed potius simile. Præterea sic terra, & lutum, & metallica alerent, & caro aleret boues: sunt enim aut esse possunt similia in substantia, & dissimilia in qualitate. Et venena, & carnes serpentum alerent. Deinde quomodo homines, & boues plantis alerentur? Neque daretur medicina temperata. Secunda verò opinio, non videtur satisfacere, quoniam substantia substantiæ non est contraria. Et etiam, quia videmus, quod quæ sunt substantia similiora, melius ac facilius nutriunt, vt dicebat Galenus *primo de facultatibus Naturalibus cap.* 10. nec daretur cibus medicinalis. In tertia opinione est illud, quod non poterit doceri ratio medicinæ temperatæ. Et ob id, quarta opinio videtur esse verior. Sed & illa multas patitur difficultates: nam primum bos melius nutritur plantis, quàm carne, & tamen caro est similior. Et si dicas, quod caro non est ex alio ordine, dicam contra, quoniam canis nutritur ex carne meliùs, quam ex planta. Et etiam homo nutritur melius carne hœdina, & pulli quam accipitris aut canis: & tamen caro canis, & accipitris est propior carni humanæ, quam hœdina aut pulli. Accidit quòd quædam ex ordine remotiori (vt lactuca) meliùs nutriunt, quàm caro struthij: & pisces absque dubio quadrupedibus, vt aliàs declaraui. Et pisces etiam sunt dissimiliores substantia, & qualitate & ordine, carne maximè porcina. Præterea caro humana nutrit hominem & suilla suem, & tamen sunt eiusdem ordinis. Item animalia ex putri materia genita, non sunt alimentum, & plantæ sunt alimentum, & tamen sunt remotiores ordine ab homine, quàm animalia. Item plantæ crudæ sunt meliores carne animalium cruda? Respondeo, quòd similitudo est causa attractionis, & hæc in qualitate, & substantia: & etiam perfectioris alimenti, & hoc simpliciter. Facilis autem transmutatio sequitur ad similitudinem per se, sed per accidens alia concurrunt, vtpote tenuitas substantiæ, & quod sit friabile, & bene præparatum, & non excrementosum, & comminutum, & pauci alimenti: Et quòd facilius concoquitur, melius concoquitur: Et quod melius concoquitur perfectius assimilatur. Et ideo caro piscium quorumdam, & perdicis melius concoquitur suilla, quamvis hæc sit similior: & ob id perfectius etiam, ac melius exhibent alimẽtum caro piscis petrosi, ac perdicis, quàm suilla. Quòd ad ordinem, attinet caro bouis est media ordine inter plãtam, & hominem. Canis autem est in eodem ordine cũ humana, licet non sit ei similis ob temperamentũ. Ideò nullũ animal, quod carne vescitur, cum vescitur est gratum, & vtile homini. Et si dicas leo vescitur pantheris & canibus. Respondeo, quod propter famem, non tamen sunt adeò suaues ei, vt carnes eorum animalium, quæ plantis vescuntur. Nam (vt dixi) & homo catulis vescitur, vt testatur Hipppocrates *secundo de diæta pag.* 6. De lactuca & carne struthiocameli est propter duritiem illius, & intemperiem: est enim maximè terreæ, & exustæ substantiæ. De piscibus dixi, quòd sunt facilioris coctionis, ideò melius exhibent alimentum, suilla. Si tamen suilla assimiletur, melius alit, & plus restaurat, ac robur magis addit. Ideò Galenus *septimo Methodi cap.* 6. primum dat pisces, post carnem suillam. De carne humana, & suilla dico quòd ob coctionem fiunt dissimiles, ideò nutriunt: crudæ non. Et hoc fecit naturæ credo, vt species animalium carniuorarum seruarentur. Cùm enim necesse esset ob generationem, & educationem filiorum, vt simul versarentur, si simile simili nutriretur, cum ratione careant, & eisdem armis vtantur, & iisdem moribus prædita sint, & voces agnoscant, & odore locum vbi versantur percipiant, & necesse sit, vt sint diuersarum virium, & sæpissimè fame laborent, vnum aliud ederent, & in breuissimo temporis spatio, ne vnum quidem eorum superesset. Ob id natura efficit vt carne eiusdem speciei animalis, talia gaudeant. Verum dices quid de piscibus & muribus, quorum vnum aliud edit? Et si quis dicat quòd hoc accidit, quoniam plurimum multiplicantur, vt lucij magni, qui paruos edunt, id non satisfacit. Quia adhuc quæstio relinquitur, quoniam carnem suæ speciei erudam abhorrere deberent: Dico, quod talia animalia cessante fine periculi defectus speciei, sunt adeò voracia, vt non abstineant à sui similibus. Impossibile tamen est vt carnes aliorum animalium non magis eis placeant, quam sui similium. Sed homo cum ratione vtatur, non subit periculum defectus speciei: & cùm edat carnes coctas possunt placere: & ideò Athropophagorum genus in tota India maximè Occidentali diu viguit, & nunc etiam est in aliquibus locis. Dico ergo quòd familiaritas nutrimenti est inter simillima, modo tamen sint propinqua ordine, & non in eodem. Et hæc propinquitas extenditur homine vsque ad tertium ordinem, ideò animalia sanguinea melius nutriunt ipsum exanguibus, & exanguia plantis. Et licet terrea animalia exanguia non sint alimento, hoc non contingit eis, quia exanguia. Nam & pisces

plerique

plerique sunt exangues, seu quia ex putredine genita. Quod autem crudæ sint meliores, & facilioris coctionis carne animalium, & sanguineorum, & exanguium, hoc accidit: quia caro animalium cùm sit similior humanæ, quàm plantæ, plus nutrit, ideò est difficilioris coctionis, ideò cruda non bene nutrit: quare neque iucunda gustu. Naturaliter enim vnumquodque alimentum tam est gratum, quam idoneum sit, ita enim à natura commodè comparatum est, ad salutem animalium, vt tam iucundum esset, & tum, quantum, & cum prodesse posset illis. De Attractione dico, quòd pendet vt supra dictum est ex solutione primi, & secundi dubij, quia trahit vt optimum. Velut frigidus ventriculus, bile repletus appetit aquam, tanquam optimam ratione bilis, non suæ temperaturæ, maximè si esset præternaturalis. Et etiam trahit communi ratione vacui, quæ dicta est: nam priorem sensus, docet cum homo gaudeat respiratione frigida, potiùs quam calida, cùm tamen pulmo calidus sit.

Septima quæstio an corpus trahat alimentum simile solum in genere, an in specie; & respondeo, quòd vtroque modo: vnaquæque pars enim trahit, quod sibi similius est. Primum substantia, inde qualitate: inde, quod minus simile, & est doctrina Galeni in *tertio de facultatibus naturalibus cap.* 13. 14. 15. satis clara. Vnde non malè dixerunt vnumquodque membrum nostri corporis confirmari ex esu similium: tum quia coctum est simile, & substantia, & qualitatibus, & molle, & plurimum exhibet alimentum ei particulæ, à qua eius plurimum attrahitur. Ex quibus authoritatibus liquidò apparet, quòd attractio cordis, & arteriarum est mista ex attractione pulmonis comparatione ad aërem, & aliorum membrorum ad alimentum. Trahunt enim priori attractione aërem: secunda proprium alimentum: mista ex vtrisque sanguinem vt calidum & humidum, & corporeum similem naturæ propriæ. His intellectis, apparet sensus verborum Hippocratis: pulmo trahit contrariũ naturæ suæ cum trahit aërem, nec tamen corrumpitur ab illo, quia semper laborat in temperie simili naturali, seu præter naturam: alia autem membra trahunt sibi simile substantia & qualitate, & ordine præcedente proximo, aut altero, quod est potestate simile. Et quantò similius, tantò libentius idipsum trahunt. Cor verò & arteriæ triplicem habent attractionem: vnam prorsus similem pulmoni, qua trahit aërem: aliam omnibus aliis membris, qua trahunt alimentum. Tertiam ex ambabus mistam, qua trahunt sanguinem. Ideo cor trahit sanguinem trifariam: primùm continuitate corporis, seu ne detur vacuum: & vt nutriatur propria caliditate: & præparet sanguinem per fibras. Et id. ò cor habet vim attractricem validissimam, cum sit robustissimum in trahendo singulis modis: est enim præditum validissimis febris calore copiosissimo, & facultate attractrice naturali admodum potenti. Sed & arteriæ validæ sunt, sed non adeò. Ad horum autem declarationẽ subiicit.

LECT. LII.

Super

TEXTV LIV. LV. & LVI.

Principium alimenti spiritus nares ὀς βρόγχος, pulmo, & alia transpiratio.

TRia genera principiorum alimenti, in his tribus textibus. Quamuis possint etiã dici quatuor. Nam superius declarauit esse spiritum, ideſt, aërem & vocatur ἀὴρ Græcè, & sanguinem illum tenuem Græcè αἷμα, ideò cùm dicat σπέρματος, liquet, quòd spiritum intelligit cibum membrorum, potum humorum, sed cibus, & potus eadem via transeunt: & tertium alimentum, quod per vmbilicum, & abdomen ingreditur. Huc alludit pro primis duobus alimentis seu tribus, quod dicitur *sexto. Epidemiorum Sect. 8. post princip.* Et ideò nunc declaremus quatuor membra hic connumerata. Nam de alia dictum est supra, quòd corpus transpirat per cutim ex tertio de Facultatibus Naturalibus. Si quidem ad illam terminantur ora arteriarum: & hoc est, quod dixit, & alia transpiratio. Cur autem arteriæ respirent in corporis ambitu? Dicit Fracantianus, quod ibi inchoatur generatio spiritus vitalis, vnde sanguis ille ad cor delatus, facilius in ipsum transit. Et sanè expirationis causa est manifesta, vt etiam necessitatis inspirationis. Verùm cùm natura semper necessitati coniungat vtilitatem, verisimile est quod dicitur. *Nares* ab hic incipit, vt seruet ordinẽ. Vnde notandum, quod ant qui. Homerus, Hesiodus, & Hippocrates magis ordinatè sua scribebant, quoniam cum carerent charta, & scriberent primum in tiliæ tabulis, (vt Galenus recitat *In lib. De his quæ in Medicatrina fiunt in proœmio.*) demùm credo in coriis hœdinis, quæ vocarunt pergamena, vt reor, quod Pergami inuenta sint, antequàm quidquam scriberent, prius experiebantur in tabulis ligneis, obducta cera leui alba, cum stylo, seu graphio, à scribendo dicto. Atque hunc fuisse existimo primũ scribendi modum: postquam inuentæ sunt tabulæ ficulneæ, quæ hoc habent præcipuũ, vt neruis careant, inter omnia ligna, & ob id maximè leues sunt, quas ossibus animalium exustis, ac in puluerem redactis, illinebant quod constat ex elogio illo M. Marcelli, qui occisus fuit ab Annibale. Qui vult patum viuere Mediolanum inhabitet, vbi iura scribentur ossibus mortuorũ (quanquam vt video Mediolanũ multis in locis sit ætate nostra.) Fuit autem Annibal post Alexandri Magni tempora annis fermè cxxx. & ob id post Hippocratem ccxxx. Vnde quod legitur apud Galenum annis ccc. ego potius legerem cccc. Nam post Hippocratem cum non multo tempore, vel ante pergamena inuenta esset, cœperunt scribere in charta Ægyptia, quæ ex foliis quibusdam latis

constabat, atque in eo, quæ satis commodo prætio vendebatur, plerique libri nobilium authorum, vt Platonis, Aristotelis, Theophrasti scripti sunt. Homerus in pergamenis. Nam illa semper nobilitatem suam retinuit: adeò vt etiam nostra ætate cum habeamus chartam ex lini linteis, ac frustis veteribus tantam, quæ vili prætio ob copiã nunc habetur sola philira, seu philura nobilior, habita ipsa pergamena, de qua apud Plinium: sed tempore Imperatorum inuenta, raráque cuius vsus iam diu exolenit. Est autem magis formæ nomen, quam res: fiebat enim ex tiliæ medio cortice, vt potuerint libri Hippocratis non in tabulis, sed philuris tiliæ esse descripti. ergo veteres primum tentabant, quæ scripturi essent cum in cera obducta tabulis, tum in tabulis ipsis siculneis obducto tenuissimo puluere, ossium animalium vt etiam nostra ætate forsan, nec latuit eos lapis ille niger, qui eiusdem frustis inscribitur, vocant obsidianun, vt sæpiùs experirentur delendo, reponendòque cum singula liceret: & maximè in siculneis, & lapidibus tollere, atq; rescribere vt difficultas, & pretium chartæ ex vna, facilitas reponendi ex altera parte, contrarium peperierit eius, quod sperari debuerat, scilicet, vt nil nisi diu meditatum, atque emendatũ scriberent. At Galeni temporibus ex Ægyptia, quàm papyrum vocabant, & linea nostra quarum maxima copia est, fuitque & vile prætium cum delere non tam facilè sit ac reponere, neque pluſquam semel, nisi operosa lachrymæ iunipeti negociatione, factum est vt tædio totiens rescribendi minus sæpe corrigerentur. Et ex tædio inde repetito, consuetudo facta, vt vix ter, aut quater relegere, & castigare scripta velint. Vnde neque grauitate sententiarum, nec emendatione verborum, ac structuræ nostra, possunt antiquioribus conferri. Itaque etiam post impressionem multò minus effusa colluuie sordidorum ingeniorum, ita contingit semper vt vtilia inuenta malè administrata iacturam commodi loco peperierint non mirum sit si nos tamen diligenter nacti occasionem opportunam Hippocratis scripta interpretamur, tam maximè quod vt (aliàs dixi) in paucis multò plura cõtineantur in multis necessario pauca. Hac igitur ratione, vt ad propositum reuertar Hippocrates longè ordinatus, & verius scripsit *in initio Dialecti.* in illa breuitate, & longè plura complexus est, quàm posteriores tot editis libris. Licebat & liceret antiquorum beneficio vti in hac copia chartæ. Neque enim quicquam nocet: sed vt voluptates obruunt virtutes, nec tamen impediunt per se, imò recreant animos, si vsus modestus esset, ita liceret siculneis, aut lapideis tabulis institutum antiquum reuocare. Et si facilitatem quæras, dixi hunc esse vnum modum, vt omnibus breuiter præscriptis membrum vnum diligentissimè, exactissimèque, atque ordinatè pro exemplo explicetur: vt breuitati simul, atque ob id grauitati, multitudini, perfectioni, rationi, seu demonstrationi, atque memoriæ, & tamen cum summa facilitate satisfaciamus. At nunc non facilitas, sed prolixitas quæritur, & de his nimis.

Reuertamur ad Hippocratem: Natium duplicem vtilitatem Galenus exponit *otlano de vsu partium cap.6. iuxta finem* scilicet, excrementa cerebri purgandi, & odores attra hendi: inde vocalium, instrumentorum autem dissectione dicit os, nares instrumenta sunt attrahendi spiritum. Idem in Timæum *cap.2. tex.15.* per os & nares fit respiratio. Declarat autem, quo modo in libello de causis. Respirationis seu potius fragmento, dicens: Per nares minor pars spiritus fertur ad cerebrum, per os maior ad cor. Et *in libro de vsu pulsuum cap.2*, ait per nares trahitur aër ad cor, maximè conseruandi caloris naturalis cerebri causa, & minùs ad nutritionem animalis spiritus. Dicebat etiam *quæriodecimo de vsu partium cap.1.* cùm quædam partes factæ sint vitæ necessitatis causa, aliæ commodi, & enumerat nares. Nam etiam sine illis aër, ad cerebrum trahi poterat. Constat tamen (& miror de Galeno, nisi ille, qui vertit malè vt reor verterit) quod per nares etiam pulmones aër defertur. Et ideò legendum existimarem per os, & nares spiritus ingreditur, sed minor portio ad cerebrum maior ad pulmones fertur. Si non stulti sumus, & Grammaticorum more sensa amittere volumus ob inanes voces res perspicua est. Quidam enim solo ore obturatis naribus, sed maior pars hominum, naribus concluso ore respirat.

Os autem factum est, & cibi gratia, & respirationis & vocis, causa, in hominibus, vt Aristoteles docet *tertio de Partibus. Animalium cap.1.* dicit. Os etiam tutelæ causa, in quibus discissum est, vt cani lupo. Quibus autem ad respirationem, & vocem angustius, vt in homine. Galenus docet *11. De vsu par cap.10.* os non esse necessarium ad respirationem in sano homine; sed cùm vel nasus est impeditus, vel homo laborat spirandi difficultate. Sunt enim tria hominum genera. Quidam qui prorsus benè se habent dum vigilant, & dum dormiunt, spirant per nares. Quidam per vigiliam spirant ore aperto, dum tamen dormiunt, os non hiscit manifeste, quoniam etiam per nares spirant, quidam verò spirant dum dormiunt aperto ore, qui etiam omnes stertunt. Nam aër plurimus confertim attractus, & pituitam siccat, & musculos arteriæ refrigerat, & confertim emittitur, vnde stertorem affert. Sed omnibus tamen os est via spiritus, quoniam qui per nares transit: aër etiam per os remigrat ad pulmones. Aduertendum quod Galenus *lib.12. contrad.43.* non contradicit Aristoteli, quia non negat os esse respirationis causa, sed os apertum. Βρόγχος potest interpretari guttur, & guttur gula, sed de hoc in Contradictionibus. Pulmo est instrumentum trahendi aëris, atque etiam vocis dicebat Galenus *sexto de vsu partium cap.2. in prin.* Pulmone quæ carent, neque aërem trahunt, neque vocem habent. Vox enim ex aëre fit, quæ ergo carent pulmone, vt pisces, neque respirant, neque vocem habent. Vbi etiam dabat regulam pulchram,

quod

quod cauitas pectoris parum minor est ipso pectore, quia dicit costæ tenues sunt. Et ideo homines, qui habent amplum pectus, habent etiam amplam cauitatem. Vnde verisimile est in eis adesse etiam magnos pulmones. Sunt enim duo vnus, hinc inde à lateribus, & cum in eis sint tria vasa, cum suis propaginibus per asperam arteriam trahitur aër, qui postmodum transit in leues, & ex leuibus in sinistrum cordis ventriculũ. Dicebat rursus *in tertiodecimo eiusdem cap.6.* pulmonem necesse est æquari arteriæ asperæ diuisioni, quoniam quousque illa diffunditur, necesse est etiam pulmones extendi. Est enim pulmo caro, vt ita dicam asperæ arteriæ cartilaginibus circumducta, & iam pulmonem consequi magnitudinem pectoris ostendimus, quoniam in quibus paruum est pectus, fieri non potest vt pulmo magnus sit, si magnum (inquit) melius est repleri cauitatem, quam inane relinqui. Et similiter aspera arteria vocis causa facta est: quibus ergo vox magna, & quibus amplum pectus his magni pulmones: vt contra parui formam autem nanciscitur pulmo à pectore, non pectus à pulmone, cum pulmo informis sit. Par est igitur (inquit) Vesalius *libro.1. cap.*19. formam potius ab alio adipisci, quam dare. Eius etiam causa collum factum est, vt Aristoteles 4. *De par. An. cap.*10. censet. Quoniam respirare quædã animalia melius fuit, vt vocem ederent: at si ob id, & asperam arteriam, quæ deduci posset: ideoque non opertam, sed liberam: igitur, collum, quo tegeretur indicium est, quæ non respirant, collo carere: At pulmo cum mollis esset cordi ob vasa circumpositus est, nisi procul abesset frangeretur.

TEXTVS LV.

Principium alimenti humidi & sicci, os, gula, ventriculus.

OStendit tria membra, quæ sunt principium alimenti tam humidi, id est, potus, quam sicci, id est, cibi. Est autem quoddam vtriusque particeps, quod vocat sorbitionem *libro de veteri medicina pag.3.* Et est notandum, quòd hæc membra non solum sunt principia, vt via per quam defertur alimentum, sed os, & ventriculus per quæ mutatur. De ventriculo notius est, quam vt probem, de gula, quod sit solum via; dictum est superius: sed de ore, quod non solum sit via, sed etiam principium coctionis, & mutationis, dicebat primùm Princeps *Doc.4. cap.2. in prin.* prima primi [Nutriens in ore dum manditur concoctionẽ recipit,] & accepit à Galeno hanc sententiam *in tertio de Naturalibus facultatibus. cap.7.* Post subiicit tertium principium dicens.

TEXTVS LVI.

Antiquius autem alimentum, per abdomen vmbilicus.

INfans dum in vtero matris, neque comedit, neque bibit, neque respirat, & tamen viuit, nutritur, & augetur, hoc beneficio duarum venarum, & arteriæ modo vnius, modò duarum simul cum venis complexarum, & venientium à placenta matris, & ingredientium per vmbilicum fœtus, & penetrant abdomen, & venæ quidem in truncum venæ cauæ penetrant, arteriæ autem, aut arteria in arteriam fœtus, quæ è regione loci, ossis sacri posita est perueniunt. Deriuantur autẽ riuuli hi non secus ac fontium ex montibus perexigui, ac quasi capillares ex placenta ad conficiendum vas, quod vmbilicum ingreditur: ita placenta, quasi humi venulæ illæ, qua instar radicum plantæ, vndequaque humorem, & sanguinem, atque spiritum exugunt. Ergo vbi venæ vmbilicum fuerint ingressæ, in vnum coeunt, at arteriæ diuisæ manent, donec ad infantis arterias, quæ vt dixi sub osse sacro iacent, peruenerint. Exteriùs autem vbi prodierint dextra dextris, sinistra sinistris, fœtus procedunt, & corpori circumducuntur, donec ad ceruicem illius peruenerint, qua superata, & iam in aduersam partem delata, placentæ inseruntur dextra, vt dixi ex sinistra parte, sinistra ex dextra, atque interim circumuoluuntur in se, vt longiore processu maternus sanguis, ac spiritus elaboretur pro illo. Vnde fit, vt quidam haud explicatis his vasis, circa collum nascantur. Quos mulieres appellant diuersa superstitione felices, quasi rete obducta ceruice aliæ infelices, cum solis vasis magnis, quasi laqueo detinentur. Certè non paruo periculo subiiciuntur strangulationis, quod & vidit Hippocrates. Sed est cum vasis illis vmbilici meatus quartus seu quintus in ordine medius, quem vocant vracum, per quem defertur vrina ex vesica ad spacium inter membranas, quæ fœtum circumcingunt. Et hoc non est necessarium, nisi vt intelligamus illud, quod pertinet ad vasa, quæ per abdomen penetrant in vmbilicum.

Fracantianus videtur satis rectè sentire de causa fæcum, quæ in intestinis inueniuntur, in infantibus etiam, dum sunt in vtero matris. Licet enim nil ingrediatur per os, tamen vbi nati sunt nuper, & antequam lac sumant, quod debent sumere, non ante sextam horam ab ortu, & non vltra vigesimã quartam, differre aliqui emittunt fæces. Et dicit quod est excrementũ melancholicum transmissum à liene se expurgante in ventriculum. Et non est absurdum, quod etiam ex iecore ipso per venas mesaræi pars in intestina deriuetur, & ita vel ex hoc, vel illo, vel ambobus simul. Illud tamen hîc quærere non erat necessarium, sed habeatur loco appendicis.

LECT. LIII.

Super

TEXTV LVII. LVIII. & LIX.

Radicatio venarum iecur.

Πίζωσις Latinum nomen, nisi fictum non habet, id est, radicationem vt Cornarius 1. *lib.* 50. & Fracantianus verterunt. De hoc habetur contradictio satis longa inter Philosophos, & medicos. Nunc satis sit duo explicasse. Primum quod alia est medici, vt est artifex consideratio, alia vt est philosophiæ pars medicina. Nam cum artificis intentum, finisque sit operatio, quæ in medico est, sanatio. Dicemus quod ad hanc vsque diem latuit medicos omnes, quod iecur est venarum principium, ob hoc tametsi cor etiã illarum esset origo: quia iecore calefacto, refrigerato, humectato, roborato, debilitato, vi attractiue, concoctrice, reliquisque huiusmodi mutatis venæ idem patiuntur. Et curatio iecoris pertinet ad venosum genus: Et si iecur sit robuctum, homines sanantur ex febribus, & educendo sanguinem iecur refrigeratur. Medici ergo disputatio contra aliũ medicum de principatu venarum, seu origine conuenit Galeno vt medico; quia stultum esset, vt seruaremus dogma perdere gloriam artis, & ægros. Et ita in memoria recuperanda, & in insania debemus applicare auxilia capiti, & non cordi, & in obstructionibus venarum auxilia aperientia, iecur quærere, & ita etiam ex vrinis coniectari coctionem, & generaliter ita venæ coniunctæ sunt iecori, vt eo affecto totum genus earum afficiatur. De Principatu autem & origine non erat necessarium Galeno disputare cum Philosopho, sed potius illud erat vtilius quærere, cur si cor est principium venarum, consensus ipsarum venarum sit totus cum iecore, & non cum corde? Hoc enim erat decens & pulchrum. Et ideò, sic vt ego ostendi aliàs (quia argumenta medicorum, non sunt comparanda rationibus Philosophorum, & tamen sensus, & operatio videntur fauere opinioni Galeni) Iecur oritur ex venis, & non venæ ex Iecore, & venæ oriuntur ex corde. Ergo Iecoris affectus si debent communicari cordi, quia affectus non est affectus, nisi communicetur ipsi animali & toti, & totus homo pendet à corde. Ergo si Iecur debet communicare affectum homini oportet, vt prius communicet venis, à quibus oritur, & hoc modo nulla est difficultas: neque in operatione, neque in aliis: sed obstant duo solum. Primum quia Galenus conatur ostendere *in libro de Generatione Fœtus cap.* 3. quod iecur generetur ante cor, & venæ etiam anteipsum cor, quæ omnia cum sint vana, & contra Hippocratem, etiam nõ est, vt de hoc dubitemus. Nam primum principium in tempore est, quo non est aliquid antiquius. Primum autem in natura, quod habet primam operationem, & perfectionem, sed cor est primum, quia simul generatur cum aliis duobus principiis, vt testatur Hippocrates. Igitur tempore nihil est prius corde, sed naturâ cor est antiquius, quia habet operationem primam, quæ est pulsatio: nisi cõcederent, quod possit generari animal sanguineum sine dilatatione, & constrictione & esse perfectissimum. Ergo cor est primum natura, & tempore in generatione, comparatione aliorum membrorum. Est enim prius perfectione, & operatione, & ideò natura. Tempore autem simul cum sint ambo: Ergo prius natura, & tempore, id est, quia & si simul sint, fuerintque, semper præcessit cor reliqua membra. Sed aliud quod posses obiici *com tex.* 54. est, quoniam Iecur generat sanguinem, saltem illum imperfectum. Ergo videtur esse principium venarum, quia generat ipsum per vim carnis, propriè & non venarum. Respondeo quod ambo concurrunt, imo istud ostendit, quod iecur cùm sit factum à sanguine, & contineat venas, & sanguis est in venis, quod principium sint venæ, & auxilium caro iecoris, & maximè, quia videmus, quod etiam venæ mesaraei habent vim aliquam generandi sanguinem, vt est opinio Principis ponentis quartam concoctionem.

Secundum quod declarandum erat summa breuis distributionis venarum, quam declarare in præsenti loco opportunum reor: nam minutiora illa, & si pulchra sint, tamen eorum obliuiscimur. Venarum igitur quatuor sunt differentiæ, seu species, seu origines, quæ ex caua Iecoris prodit in bilis vesiculam, lienem, ventriculum, intestina, mesenterium, & omentum. Secunda ex gibbis Iecoris bifariam distribuitur, in supernam partem attensã cordi, inde ad venas iugulares, & ad caput ascendit ex qua aiuga etiam costas nutriens, dextra ex parte oritur, vtrinque tamen emittit ramos, & in infernam, quæ omnia membra præterquam superius dicta, & pulmones nutrit. Nam pulmo ex vena arteriali, & ex dextro cordis ventriculo, vbi vena caua ingreditur nutriri solet. Et scias quod secunda, id est, caua ipsi primæ, id est, portæ committitur, tãm subtiliter in media carne Iecoris per venulas, quasi fibras capillares, vt vix stylo aditus ex vna in alteram pateat. Ergo Iecoris caua medium, quasi perambulat secut transuersum secans: inde parte superiore neruosã septi transuersi partem permeat, duosque ramos distribuit post inunctum etiam penetrat, ac ad dextrum cordis basis latus ei coniungitur, cingitque ramo suo eandem, neque verum est, quod loco pulmonis caua le immiscat. Ideò sputum sanguinis, non à caua vena, sed arteriali, aut arteria venali, necessatio contingit citra periculum omnino, ne caua fracta sit. Postquam verò caua à corde discedens, aiugam emisit ad iugulum, conscendit diaphratundis suffulta, & glandosum corpus in iugulo substratum, nacta post diuiditur in venas geminas, dextra, atque sinistra, quarum altera interior, altera exterior omnes ad ca-

put

put aſcendunt: interim verò ad brachia duos ramos magnos emittunt; quorum alter interior, ſcilicet iecorariæ nomen obtinet, alter cephalicæ, id eſt, capitalis. Intereſt hoc, ne quicquam à vobis neceſſarium deſideretur, quod ad iugulum diuiditur caua in dextram atque ſiniſtram, & vtraque pars in duas in iecorariam, quæ per brachium fertur, & eſt inferior: & ſuperiorem, quæ iterum in tres ramos diuiditur: inferiorem, qui ex vena cephalica, ad brachium extenſum: ſuperiorem, qui eſt interior iugularis, & medium, qui eſt exterior iugularis, ambo hi rami (vt dixi) per collum ad caput aſcendunt. At verò caua pars, quæ deſcendit ad medium dorſi, fertur deinde ad renum inuolucra, atque ipſos renes, quas emulgentes vocamus, ab iiſdem rami ſinguli coëuntes ſingulis ex eadem parte ramis, ex caua inferius deductis vaſa ſeminaria efficiunt. *cap.* 10. Tertia vena arterialis, quæ à dextro cordis ventriculo in pulmones dirigitur. Quarta ab vmbilico (ante ortum fœtus) ad iecur.

TEXTVS LIIX.

Radicatio arteriarum cor.

TRiplici nos alleuat labore ratio, nam neque difficultas eſt eadem in arteriis, quæ eſt in venis. Omnes enim fatentur eas ex corde oriri. Sed neque opus eſt illas deſcribere, cùm rarò, vel nunquam medici ex eis ſanguinem mittere ſoleant, quod ſi contingat, poterit, qui eo opus habet, Veſalium cõſulere. Accedit, quod vt Galenus docet in libro de diſſectione venarum, & arteriarum, quod vbi venæ ſunt, plerumque etiam ſunt arteriæ, trium ſolum meminiſſe oportet. Primum quod arteriarum duo ſunt germina tantum. Vnum quidem aorte quod ex corde parte ſiniſtra in totum corpus deducitur ſurſum atque deorſum. Alterum quod ex eodem ſinu in pulmones, vocaturque arteria venalis, eumque in omnibus partibus, quod eſt ſecundum (quod proponere voluimus) arteria ſit ſextuplo, aut octuplo maiòr vena in pulmone contrarium contingit. Nam vena, quæ à dextro cordis ventriculo procedit longè craſſior eſt, quam arteria, quæ eſt ex ſiniſtro. Tertium eſt, quod cum in exterioribus partibus venam ſemper ſupra arterias natura collocauerit, ſolum in capite poſt aures, & ad tempora arteriæ ſub ipſa cute ſtatim ſunt. In interioribus verò partibus conuerſo modo ſe habent, nam intus vena caua ſub arteria ſpinæ iacet, vt nil incommodi ab externis cauſis pateretur. Nam ab inteſtinorum ſorditie vapor effluens, magis perturbaret puriorem ſpiritum.

TEXTVS LIX.

Ex his aberrans ſanguis, & ſpiritus in omnia, & caliditas per hæc permeat.

GAlenus *in primo de locis affectis cap. vlt.* oſtendit differentiam inter influxum cordis, & iecoris ſupra totum corpus, quia dicit delegant materiam alimenti, & etiam calorem, ſed facultatem minimè. Hoc autem (inquit) per venas, & arterias, cerebrum autem contrario modo, delegat enim facultatem, & non calorem, neque materiam. Nam facultaté vitalem, & nutriendi vnumquodque mẽbrum dicit habet ex ſeipſo innatam, & de naturali manifeſtius eſt, de vitali autem magis dubium. Similiter *in libro Artis medicæ cap.* 50. dicit, quod totum corpus ſortitur temperiem à corde, & iecore, quoniam & materiam alimenti ſubminiſtrant, & etiã calorem. Videmus enim idem membrum modò frigidum euidenter, pro vt ſanguis plurimus, & calidior influxerit, aut deſeruerit. Vnde timor extrema refrigerat, & pallida reddit. Hinc manifeſtum eſt Hippocratem cognouiſſe tum multis etiam aliis in locis arterias, & pulſum. Qui enim fieri potuit vt eum ignorauerit, ſed confiſus in reſpiratione, non ei vt poſteriores diligentius operam præſtitit.

Duo verba ponderat F. quod dicit aberrare arterias ſeu ſanguinem per illas, atque venas, cum potius diſtribuere aut permeare dicere debuiſſet, ſed fallitur, exiſtimans ipſum per iniuriam ſcripſiſſe *ἀποπλάνησιν* id eſt, aberrare. Nam ſanguis quidem aberrat modò plus, modò minus, & caſibus multis tranſmittitur, non à natura ſola, ſed natura, & caſu: arteriæ autem, & venæ à natura ratione ſolum ſunt diſtributæ, ſic & nos aberramus in quotidianis noſtris operationibus, ſenſibus, meditationibus: ſenſuum tamen & mẽbrorum conſtitutio & mentis, & memoriæ certa ratione facta eſt in nobis. Dubitatur & in alio verbo de venis, aut arteriis, quoniam non à corde, ſed à ſimilibus, & à parte ſeminis, & à ſanguine vteri oriuntur. Ideò dicit metaphoricè iſta oriri, ſic dicta cùm non oriantur ab illis. Verum duplex eſt ortus: vnus ſecundum tempus, & hoc modo omnia oriuntur quæ generantur, alius eſt ortus formæ efficientis, & finis. quomodo omnia pendent à Deo, *duodecimo primæ Philoſophiæ, tex.* 37. quem omnia, quæ ſunt in hoc mundo ſeruant. Si enim mundus oritur à Deo, tanquam effectus eius: Ergo omnia quæ ſunt in eo, quamuis facta ſint, & genita adhuc fiunt, & originem ducunt, velut cœlum à Deo, elementa à cœlo, & quæcunque alia ab elementis, & viribus, quæ in mundo ſunt reguntur, & mouentur, viuunt, & tunc ideo merito oriri, & non minus, quam quæ generantur ab alio dicuntur. Sed hæc ad Philoſophos.

LECT.

LECT. LIV.

Super

TEXT. LX. & LXI.

Vis vna, & non vna, quæ omnia hæc & alia gubernat.

CVm constet altissimum fuisse Hippocratis de rebus naturalibus sensum non tam simpliciter eius dicta interprætari conuenit, vt gratia exempli pro vi animam intelligamus. Illud enim absurdum est dicere animam esse vim: & si modo concedatur esse simul vnam, & non vnam simpliciter sumptam, quod enim est vnum, quatenus vnum est plura esse non potest. Quadruplicem ergo sensum tribuere his verbis licet. Primus est vt loquatur de tribus animabus Platonis. Constat enim Platonem constituisse tres animas vnam quidem irascibilem, in corde animosam, & virilem. Secundam in cerebro intellectiuam, & rationalem. Tertiam in iecore apetitiuam, vt ita dicam, & voluptuosam, de quibus in libris de dogmate Platonis, & Hippocratis diffuse actum est. Est ergo perinde, ac si dicamus, velut dicebat Galenus *nono ar.cur. cap.* 10 quod istæ tres animæ sunt ita connexæ inuicem, vt vna patiente, reliquæ etiam afficiantur. Sunt tamen plures, sicut liquet, quoniam diuersis funguntur officiis, & diuersas habent vires ac facultates. Secundus sensus est, vt vna sit anima, & vna vis prima; quia vnius substantiæ est vnum primum accidens, reliqua autem se subsequantur, velut ignis est calidus, & propter caliditatem dissoluit, & propter dissolutionem attenuat, & attenuando attrahit, quoniam corpus quod attenuatur magis extenditur, & ita ordinatim vnum fit plura, velut in numeris ex vno producitur vnum, ex quibus iunctis fiunt duo: ex vno autem, & duobus fiunt tria: exempli gratia sit pater vnus, & filius vnus, & nepos, & pronepos, & abnepos, & atnepos, erunt sex, & si colligantur vires horum fient sexaginta tres coniugationes. Sed animaduerte quod in corpore humano hæc defluxio est connexa, sicut si Sol illustraret vrceum aqua plenum, & ex illo faceret itidem in muro: ex ea obiecto speculo visionem: istæ operationes & producta sunt connexa inuicem, ideo vt si disiungerentur, non essent; & ideo possunt, & sunt vnum, & plura, non ita de generatione filiorum à parentibus: nam sunt plura, non tamen vnum quia sunt disiuncta. Sed quia istud erat vulgare, & Hippocrates non scripsit quicquam, quod esset notum plerisque, ideo hic sensus non est legitimus, vt neque primus, quia mens Hippocratis non est, quod sint tres animæ, aliud est de Platone, neque opus erat Hippocrati, vt medico tractare de animarum multitudine. Est ergo sententia eius, quam etiam superius explicaui, scilicet, quod est vna vis tantum in anima, sed iuxta præparationem videntur esse plures, velut lux solis, est eadem, & in aëre transit, & facit per spiritum, seu claritatem: & in speculo reflectitur, & reddit formas rerum: & in speculo concauo facit ignem, & in aqua efficit spendorem magnum: & in vrceo vitreo aqua pleno facit irides, vt in pariete aduerso, & in ipso muro, & in linteis colorem, & in limo efficit exhalationem: & plura alia, & tamen est eadem lux, & lumen. Voluit ergo vt intelligeremus, quod & si caloris substantia & lumen sit, idem ita de animi vis est vna per se, non vna ratione præparationis, & propterea subiecit, quæ omnia hæc & alia gubernat per hæc intelligit iecur & cor; & forsan etiam vt in textu præcedenti intelligit spiritum & sanguinem, & caliditatem, adeo vt vis illa censeatur caliditas, & non anima: & hoc est consonum his, quæ dixit *in libro de carnibus, & in sexto Epidemiorum pag* 2. *part.* 5. *tex.* 5. nec existimo, quod ibi, per etiam alia intelligat à corpore humano, quia transgrederetur metam propositi sine vtili, & sermo esset magis dubius. Per calorem ergo potest intelligere tria, qualitatem solam, & qualitatem cum substantia coniunctam. Vt cum dixit. 1. *Aph.* 14. [Qui crescunt, plurimum habent caloris innati] & potest intelligi vehiculum ipsius animæ, & caloris quod ponitur æthereum & æternum, & velle omnia prosequi singillatim, est nimis longum. & ideò credo quod eatenus intelligat, quatenus sufficit medico Velut cum dixit. Qui crescunt,] scilicet substantiam elementarem coniunctam ei de quarto modo, qui pertinet ad Imperium, dicemus infra, quoniam non est de mente Hippocratis hic

TEXTVS LXI.

Hæc idem ad vitam totius & partis, hæc verò ad sensum totius partis.

DVplicem habet interprætationem hæc verba vnum vt per vitam intelligat cor, & iecur: per sensum autem cerebrum, neque dignum est, vt disputemus an sit verum apud Hippocratem, an illud potius maluerit intelligere, quod sensus sit in corde, & vita in iecore: sed potius de veritate rei, quæ vsui apta est: nam illa habita conuenit explanatori fideli, traducere verba authoris potius ad illum sensum, quam imitando Grammaticos nostri temporis, qui primum quærunt sensum verborum, deinde illi volunt aptare rem, de qua tractatur. In quo trifariam peccant. Primum quod fallendo lectores in arte adeò vtili, & necessaria sunt causa mortis hominum: secundò quia præponunt homunculum Deo, & sapientiam homunculi sapientiæ Dei: quod quam sit impium, nedum absurdum, quisque intelligit. Tertio quoniam si res, & sensus authoris conueniunt, nihil amittimus, quia vtrunque verum est. Sin autem discordant, quam grati viri est factum vindicare authorem ab infamia,

famia, vt censeamus potius bene dixisse, quã errasse. Quæramus igitur quodnam sit principium vitæ totius & partis? & sensus? & dico quod sensus principium est in corde, quia ibi est actus & homo non dicitur sentire, nisi cùm percipit, & non percipit, nisi cum cor, & anima percipit, & cerebrum est instrumentum percipiendi generale, & sensus in eo vt oculi, & aures, & nares, & lingua sunt specialia instrumenta. Si ergo oculus est instrumentum cerebri ad videndum; quia cerebrum habet alias facultates, vtpote olfactus, & auditus, & memoriæ. Ergo cum cor habeat alias facultatus, vtpote vitam, & pulsum, necesse vt cerebrum sit instrumentum cordis. Quia sicut in mundo omnia reducuntur ad vnum scilicet Deum, ita & in homine, & quibuslibet aliis, non enim possunt esse duo prima principia, aut enim necesse est, vt cerebrum sit instrumentum cordis, quod verum est, aut cor cerebri (quod est absurdissimum: neque aliquis ausus est dicere) aut vt sint duo principia æquè prima, ad quod sequuntur mille inconuenientia. Primũ quia ideo non sentiret, & viueret. Secundum quia vnus homo essent duo homines. Tertium quia non fieret transitus ex vita plantæ ad vitam animalis, & etiam quia voluntas non esset in intellectu, nec timor in eo, qui recordatur, & multa alia. Indicium autem maximum huius est, quod etiam Galenus fatetur, & postmodum nescio, quomodo quasi obliuiscitur: quoniam cogitantibus nobis, & maximè de re terribili, aut tristi: aut amara, aut iucunda, vel odiosa vultus manifestè mutatur. Sed de iecore maior longè est dubitatio apud me, an in eo consistat vita. Primum, quia si fœtus viuit vita plantæ, ergo oportet vt habeat principium vitæ in se? Secundò quia multa animalia viuunt, quæ carent corde, imo etiam plantæ viuunt manifestè, ergo oportet vt habeant principium aliquod suæ vitæ, & hoc non potest esse, nisi iecur. Tertiò quia videmus quod habet suas facultates saltem concoctricem absquæ auxilio cordis, quia posito iecore, ponitur concoctio, & hoc magis esset euidens, si verùm esset quod dicitur, quod creator ante cor. Quartò quia constat quod in mortuis augentur vngues, & capilli: quæ sunt functiones ipsius iecoris, adeò vt Affaytatus credat hominem multo post mortẽ viuere. Vita plantæ præterea si naturalis esset in corde, esset duplex vita in illo, sensus & motus, vna & alia nutrimenti. Quæritur igitur quæ esset prior, si sensus, & motus sentiret moueretur animal antequam nutriretur, generaretur, & augeretur quod omninò est impossibile. Vel dicendum esset, quod prius viueret vita plantæ, quàm propria quod est absurdum. In oppositum est, quod videmus vitam illam in iecore perfici viribus cordis, & etiam non esset vnum animal, & Philosophus in secundo de Anima, dicit vegetatiuum esse in sensitiuo, & sensitiuum in intellectiuo: sicut trigonus in tetragono: ita etiam de facultatibus dicendum est, & vita. Dicendũ est ergo, quod vita est in ipso corde in habentibus cor: etiã vegetatrix & illa non est eiusdem rationis cum vegetatrice plantæ, aut vermis, quia illæ per se manent, & vita in iecore, non potest manere, vel momento extincto corde. Et hoc confessus est Galenus *quinto de locis, cap.* 1. sed vita, & functiones iecoris in fœtu non sunt ex genere vitæ plantæ, quia & si possent esse (quod tamen valdè dubium est in iecore, nondum corde genito) tamen non potest ibi esse sine motu pulsatili, qui est in arteriis. A primo enim momẽto generationis adest pulsus in embrione, per quem conseruatur, & vitalem spiritum, iecur, & omnia membra genita, & hæc declarata sunt alibi.

LECT. LV.

Super

TEXT. LXII.

Lac alimentum, quibus lac alimentum secundùm naturam, aliis verò non: aliis verò quibusdam vinum alimentum, & quibusdam non alimentum: carnes, & aliæ plurimæ alimenti species, & pro regione, & consuetudine alunt.

LAc absque dubio alimẽtum est omnibus infantibus, imò etiam omnibus animalibus, quæ animal pariunt, adeò vt etiam vespertilionibus, atque id iure: nam cum in ventre sanguine parum mutato alantur, verisimile est vt postquam nata fuerint, eodem in lac mutato gaudeant: quomodo ergò dicit Hippocrates, aliis vero non, cùm secundùm naturam omnibus sit cibus? & certè difficilis nodus est, propter anteriora verba [quibus lac alimentum secundum naturam.] Dicendum meo iudicio Hippocratem hic loqui de genere animãtium, & non de homine solo. Aues enim non vescuntur lacte, quia non est eis secundùm naturam, & similiter pisces. Non negauerim aliquos non esse qui abhorreant lac, quanquam paucissimos, sed illud casu non natura contigit post ablactationem: reliqua omnia possunt esse non secundùm naturam, quod manifestum est de illo Normano, quem dicit Brueryus se agnouisse, qui nec panem, nec carnes, nec pisces, nec caseum comedebat, sed solas vuas, vnde mustelæi nomen inditum Qui verò oderunt vinum, & caseum innumerabiles sunt, & adeò vt nec odorem sustinere possint, sed plures tamen sunt qui vinum oderunt, quàm caseum. Allium Iacobus Foroliuiensis egregius explanator medicinæ, adeò abhorrebat, vt si ederet ipsum veneni symptomata sequerentur. Mirum dictu est solùm panem non tantum homines, sed etiam animalia pleraque non deuitare, non dicam tamen omnia, sed primum quadrupedia, nisi feras non cicuratas excipias, velut leones & tigrides, pisces omnes primum pane gaudent, quod pamphagi sint inde omni gene-

re

re iumentorum, oues, capræ, boues, equi cameli, elephantes, capræ, hinnuli, canes, feles, mures, picæ, sed in vino : psittaci etiam absque vino. Est autem lac, vt ad eum redeam (nam Hippoc. proponit tria pro exemplo, lac, vinum, & carnes) temperaturæ æqualis in actiuis qualitatibus, in passiuis non parum humidum, cuius substantia manifestè in tria diuiditur, aquam, butyrum, caseum. Aqua est frigida, & humida : butyrum calidum & humidum, temperatura caseus declinat ad calorem, sed parum, & est etiam humidus, habet & alias partes, sed quæ ad has reduci possint. Dictum autem est de illis in libris de Tuenda sanitate à nobis è quibus præstantissimæ duæ sunt. Vna quæ vocatur spuma lactis, dulcis valdè & candida exigui alimenti, sed facillimæ coctionis: altera est pinguedo obæsa (quam vocant caput lactis Veneti) è genere butyri pinguioris, Quare autem de pane sermonem non habuerit causam esse reor, non quia in dubium vocari non possit, nam si comparetur ad hominem : nec lac est semper alimentum, (vt dixit) ad animal: neque panem omnia animalia edunt, & ideò poterat introduci, vt alimentum, & non alimentum. Sed hoc reor fecisse, quoniam panis est res artificiosa, reliqua tria sunt naturalia. Atque hæc est nostra expositio. Fracantianus *cap.* 6. *pag.* 2. alium dat sensum, qui innititur dictis Galeni *septimo & decimo Aricen. cap.* 11. scilicet, quod lac quibusdam conuertitur in nidorem, id est, ignem & fumosam corruptionem, velut in his, qui calido, & sicco sunt ventriculo, quibusdam autem gelascit in ventriculo, & in ambobus his hominum generibus, non solum alimentum non est, verum magnum affert detrimentum : adeo vt inter venena connumeretur à Conciliatore *in libro de venenis. cap.* 77. Sed & lac quod in fumidam materiam transit, magna affert incommoda: adeò vt non ignorem, quosdam obiisse mortem ex eiusmodi cibo, potuue : sed non id modo, quod cunctis manifestum est quærendum fuerit, vt neque cur cibis aliis adiunctum, facillimè corrumpatur : adeò vt Princeps affirmet ex esu lactis, & piscium generari elephantiasim : quod & nos audiuimus dum in Scotia essemus : idque frequenter accidare, non tam ibi, quam apud Ibernos, qui Britannis occidentaliores sunt. Ea solum commemorare operæ præcium esse duxi, quæ aut egregiam vtilitatem habent, aut admirationem continent. Constat etenim Galenum lacte moderatè sumpto coctionis spatium tribuisse sex horarum : atque id intelligendum in his, qui medicamenti causa assumunt humanum, vel asininum: quæ duo genera inter reliqua facillimè concoquuntur : si tamen excipias camelinum quod non habemus : & equinum de quo aliàs valde dubitaui. Præter id enim, quod in eiusmodi viris, qui hæctica laborant vires sunt imbecillæ, & aridus habitus : Contrà puritas ipsius lactis, maior quouis alio cibo, & paucitas, & tenuitas, vt dixi, ad coctionem faciunt vlteriorem, hæc volui dixisse memoriæ causa. Auerroes enim *sexto collectaneorum cap. de cura hectica ventriculi* statuit mensuram, seu mensuræ initium à cochleari: deinde ascendit sensim per dimidium vsque ad tria, vel quatuor cochlearia, & cochleat quidam duplex est minus: quod continet vnciam, & quadrantem. Maius autem, aliquanto plus. An verò super lac dormiendum, vide quinto Contradicentium. Sed omittamus hæc maior est difficultas de secunda quæstione, scilicet cur sit, quod tam multis etiam optimum lac sumentibus purum, & opportunè noxium sit, infantibus autem omnibus vtile modò secundum naturam fuerit. Nam & infantes vidi animalium lacte alitos, qui superuixerunt & maximè caprarum, in quibus nihil desiderabatur, præterquam ingenij vigor : nam eiusmodi pueri vbi adoleuerint, quasi stupidi sunt, atque stolidi, quod manifestam habet rationem : at vt dixi non ita illud. Dicamus ergo quod causa, quare lac in adultis facilè corrumpatur, atque in pluribus, non autem in infantibus est. Primum paruitas vêtriculi infantis, vnde melius concoquitur, & similiter calor naturalis similior, atque humidior, quam iuuenum : vnde ad coctionem paratior, id quoque quod alitur magis simile est, in adultis autem remotius. Quarta causa est motus intempestiuus. Quinta verè est, quod iam consueuerint corrumpi sæpius sumptum præter rationem: atque id probo duplici experimento. Primum quod cum semel malè me habens comedissem portulacam, antea mihi innoxiam, tum verò ob multitudinem, & ventriculi frigiditatem vomitum mihi magnum excitauit: ab eo tempore si essem portulacam : imo si vel viderem, vomitus excitabatur. Aliud exemplum est de his, qui volunt facere abstemios seruos vel ob auaritiam, vel vt modestius viuant : indita enim anguilla vino, si copiosè biberint, ex eo in vini fastidium deuenerint.

Postmodum dicit illud idem de vino: nam vinum est alimentum, & celerrimum, vt colligitur à Galeno *tertio de Temperamentis cap.* 2. sed tamen neque omnibus, neque semper vtile est, quia non est alimentum, præsertim autem lædit extenuatos, & bilioso habitu ac corpore, & quibus cerebrum est imbecille, ideo infantibus maximè nocet, & præcipuè antiquum, & potens atque odoratum : adeo vt quibusdam phreniticis idem statim excitauerit, aliis insaniam, aliis conuulsionem, quorum etiam maximam partem perdidit.

Succedit caro, cuius tres sunt species (vt inquit Auerroes *primo Colleti. neorum c* 10) vna quæ est mista cum neruo, & chorda, quæ vocatur musculus, quæ propriè editur, vt à Galeno colligitur *in libr. de cibis boni & mali succi, c.* 4. & maximè nutrit talis caro, vt scilicet, dicamus carnem musculorum seu musculosam, id est, separatam à nervis, & ligamentis, in medio tamen etiam habet aliquid horum, sed non effatu dignum. Et dicebat *in tertio de Alimentis cap.* 1. tales carnes sumuntur ex hœdis, & vitulis, & ouibus, & animalibus etiam feris quæ tamen plantis vescuntur. Variantur autem vt idem dicebat *in eodem libro cap.* 19. & 21. penes ætates, & penes victus rationem ipsorũ animalium

&c

& præparationem: Deinde addit penes partes ipiorum animalium: ita ergo erunt sex differentiæ ipiarum carnium: à natura animalis, ab ætate, à victu ipsius animalis, à partibus, à præparatione, & à genere carnis. Secundum genus est carnis puræ, quæ pauca est admodum in corpore, & dicit quod caro membri humani, & quæ est circa gingiuas, & quæ est in libro occulto dorsi, ille vocatur caro pura, quæ ad considerationē huius propositi parum conducit. Tertium est glandosa, & hæc est testiculorum mammarum, & in mesaræo, & generaliter vocantur lactes etiam. Quartum genus est substantia propria mollis vniuscuiusque membri, velut intestinorum, & ventriculi, ex quo genere propriè est illa, quam Galenus vocat parenchyma in iecore præcipuè, & in pulmone, & etiam in renibus, & splene, *decimo Art. cur. cap. vlt.* vbi dicit, quod substantiam intestinorum, & ventriculi non vocant, neque carnem, neque parenchyma. Omnia igitur ista palam est alimentum posse dici, & non alimentum iuxta rationem regionis, & consuetudinis etiam.

LECTIO LVI.

Super

EODEM TEXTV & LXIII.

DIxit igitur Hippocrates in præcedenti Textu, quod carnes, & plurima alia pro regione, & consuetudine alunt. Regio & consuetudo quoquomodo affinia sunt, quoquo modo differunt, quia in eadem regione diuersis temporibus necesse est alias, & alias consuetudines induci. Primum quidem fructibus quibusque vesci homines cœperunt: paulò post glandibus, ac eiusdem generis alimentis, vnde etiam illud glandem ructante marito: post ad lac, & carnes: & tum greges habere boum curarunt, tum ouium atque caprarum. Quadringentis aut quingentis annis ante Hippocratem panis inuentus est: Sed apud cultiores Græcos, & Troianorum tempore iam in vsu erat. Sed in Thessalia, & Arcadia, ac montibus adhuc leguminibus vescebantur, & segete cruda, vt idem testatur, non solùm in Epidemiis, sed in libro de veteri medicina: cùm in Italia pollenta ex farina, & farre vescerentur, additis pauculis carnibus. Et hæc quidem verissima sunt, atque ab omnibus tradita & excepta authoribus. Ægyptij loto, aliique magis, vt qui lotophagi ob id appellati sunt. Milium & hordeum Sarmatis, vt auena Germanis, pannicum Aquitanis, Nasturtium, sed pro obsonio cum sale (cuius etiam meminit Xenophon) Persis in vsu fuit. Indi ferarum carnibus crudis, arundinum germinibus, foliisque viuebant. Hunni sole tostas carnes, alij nucibus cuiusque generis alebantur. Quidam etiam frigore, vt nunc salpar, vel fumo vt aleces, non tã vt comederent durabant, quàm vt seruata comedere possent. Qui totam eam regionem, quæ ad Austrum posita est colunt, hi camelorum carne, lacteque vitam ducunt, aut palmulis. Olim hæc magis in vsu, nunc panis, sed sordidioris, quàm apud nos copia est, apud omnes gentes. Scythæ, Sarmatæque equina carne, farina cum lacte, vel equorum sanguine mista. Olim referunt gigantes vesci solitos simis: vnus cuique suus Deus vnum alimentum. Romanæ mulieres vino abstinebant, nunc tota Asia penè atq; Africa, & Europæ pars Mahometho præcipiente abstinent. Ichthiophagi piscibus tantum viuebant. Nunc totus orbis fermè oriza vtitur, sanè vtili, vili & commodo cibo: velut & butyro, ac melle. Puls Romanis olim, quasi propria cum apud Græcos polenta cum succo maluæ, & Asphodeli in vsu esset. Maza quoque in precio fuit apud illos.

Velle suum cuique est: nec voto viuitur vno.

Taceo & prætereo nefandas & spurcas, ac fœdas dapes: hoc vnum difficile visum est, vt aliàs dixi cur non antiqui omnia cocta ederent, quippe suauiora longè futura, cum nec ignotus esset ignis, & tanta lignorum copia? Aliud etiam ridiculum cur nutibus agerent, vix enim persuaderi potest, quod qui seruati sunt sermone, non communicaverint, quanquam neque de hoc certum habeam authorem. Constat in quam multis deceptos esse, velut cum olim crederent homines hanc solam partem habitari, verùm videri potuit olim, nunc cum dentur Antœci, & Antiscij, & Antipodes, manifestum est secundùm naturam vbique posse simul interire humanum genu: Diuini verò peste atque sterilitate (nam terræ motum, bellum, serpentes esse causam interitus humani generis, vix quisquam dicere audeat) & reparatos fuisse homines.

Hoc vnum explicandum est, quod dicit de alimento; pro consuetudine cibus, consuetus propter familiaritatem melius concoquitur, teste Galeno. Est enim primum suauior, & ideò ventriculus illum melius amplectitur, & se constringit, & non subuertit ipsum: ergo semper cibus consuetus melius nutrit, quàm insuetus. Hic ergo cadit difficultas, vtpote de fungis, aut malis insanis, vtrum magis noceant in sueto, an consueto? & dico quod quantum ad murationem plus nocent insueto, quia non coquuntur & peruertunt ventriculum: sed quo ad stabile detrimentum plus nocent consueto, quia natura amplectitur familiariter pro cibo amico. & ita augetur intemperies plurimũ, & remouetur homo à dispositione humana, & ideò oportet distinguere trifariam alimentum bonũ, iuuat & in præsenti, & in futuro. Malum autem vel est remotum à natura humana, & abominandum (vt dixi) de his, & de carnibus semiputridis, de fructibus corruptis, de leguminibus carioſis, de piscibus olidis, & lutosis: valde ac quasi nigris de herbis agrestibus, maximè ex apij genere, & nascentibus in sterquilinijs, & olidis, & rebus salitis antiquis, quibusdam generibus ranarum carnibus: quarundam piperum, quas dicunt esse sine veneno: dico quod omnia talia plus nocent consuetis,

sue is, quam insuetis duabus rationibus. Prima quod recipiuntur amicè à consuetis, & ita inficiunt omnia membra principalia, & ità fit paruus rumor, vt dici solet, & magna iactura: in insuetis autem contra, solus enim ventriculus lædituꝛ, & fit turba multa, nausea, fluctuatio, vomitus, anxietas, sitis, doior, vertigo, abominatio, cibi os inficitur nihilominus, quia recipitur vt hostis, parum tandem sequitur detrimentum, aut nullum in membris principalibus. Alia causa est imbecillitas corporis, per quam consuetum debilitatum ex vsu, & corruptum minus resistit, & magis patitur. Si quis tamen assumeret maximam quantitatem, & non euomeret, & esset impeditus in negotiis, neque posset auxiliari, his stantibus plus læderetur, & posset mori, quàm consuetis vti. Tertium alimenti genus est, quod est simpliciter malum, sed non valdè malũ, vt caro caprina, & suis veteris, & bubula, & fructus horæi, & herbæ domesticæ, & cibi ex farina, & legumina, & pisces non squamosi, recentes tamen, & ex bonis aquis, & castaneæ, & cucurbitæ coctæ, in his consueti non læduntur, aut longè minus, quàm insueti, & hoc quia excipiuntur amicè ab vtrisque, sed à consuetis concoquuntur propter familiaritatem: & detrimentum illud euanescit ob perfectionem coctionis: & ideò in isto casu plus læditur, & manifestè ille, qui est insuetus, quam consuetus. Ideò verò obseruandum laborantibus contraria bifariam conuenire vno modo, qui notissimus est quoniam tollendo iuuant, & non lædunt. Et quod tollendo minus imprimunt, quoniam substantia membri minùs patitur à contrario, vt in manu frigida igni admota, nam & minùs non solum patitur, sed etiam minùs sentit calorem.

TEXTVS LXIII.

Hæc quidem ad augmentum, & ad esse, hæc verò ad esse solum, vt in senibus: hæc autem ad hæc, & ad robur.

ID est, Alimentum aliquando est ad alendum augendum, corpus & robur, scilicet, in pueris: Aliquando ad alendum solum vt in senibus: Quandoque ad alendum, & augendum robur non corpus, vt in ætate iuuentutis. Quomodo autem sit ad alendum solùm dubium non est: neque quomodo ad augendum corpus, & robur: dubium est, quomodo ad augendum robur, & non molem, & dicit quod in conualescentibus & athletis. Est etiam dubium de re ipsa scilicet, an consistentes in ætate sint robustiores iuuenibus? Et dubium non est quòd ob consuetudinem non sint validiores, quoniam facilius omnia tractant, & maiore dexteritate, & minus lassantur: sed an sint verè robustiores ratione corporis ipsius? Respondeo robur quadrifariam augeri, substantia membri aucta: quia in maiore mole plus est virium. Secundo ex instrumenti siccitate, *vt tertio de symptom. causis cap. 3. in fine* Tertio ex exercitatione consolidatis mẽbris, ac condensatis tedditis siccioribus, & agilioribus, & in fluxu caloris ad eam partem. Quarto ex incremeto caloris naturalis 2. *De Tuenda Sani.* Dico ergo, quod in ætate consistentiæ membra magis consolidantur multiplicata carne, & pinguedine, & etiam sicciora redduntur, & ideò homines fiunt robustiores. Hæc est expositio F. vt diuidatur ratione ætatum in dùo tantum, & tertium quod additur sit præter naturam. Alia videtur literæ magis conformis, quoniam Hippocrates alium sensum refert: & est quod alimentum ad alendum solum: quibusdam ad incrementum etiam corporis. Quibusdam etiam præter hæc ad incrementum roboris.

LECT. LVII.

Super

EODEM TEXT. LXIII. & LXIV.

QVoniam quod de naturis, & ætatibus, & consuetudine. & regionibus dictum est, etiam de sexu, de tempore anni, & constitutione, deque arte ac cæteris similibus intelligi potest: ideò cum alimentum (omissa modò ratione aëris, in qua contrarium semper quæritur, vt in æstate biliosо fabro ferrario, iuueni frigidus) oporteat, vt sit simile substantia (de temperato dubium non est, quin alimentum temperatũ exigat) quæritur de intemperiebus inæqualibus, an similia, an dissimilia exigant. Accurrunt omnes ad contraria, vt fiat temperamentum, distinguentes modo, quod si conseruare volumus similibus, si mutare contrariis vtendum sit. Si verò similibus vtendum vbi excessus fuerit magnus, & in actiuis qualitatibus, contrariis moderatè, ne vltro progrediatur: in passiuis, aut vbi excessus non est, magnus in actiuis prorsus similibus. In contrariis etiem pedetentim progrediendum ad æqualia contraria, ne scilicet temperatura magna mutatione euertatur. Hic certè non animaduertunt tria esse dubia. Primum, quòd si contrariis vtendum est in qualitate illa, non possunt esse similia in substantia, & maximè si qualitates sint passiuæ *sexto de tuenda sanitate cap.* 2. igitur non erunt alimẽta prorsus sub hac ratione. Secundum quod senes indigent semper humidis, *quinto de tuenda sanitate c.* 8. igitur contrariis non similibus. Et hæc etiam est quæstio necessaria rationi vitæ. Tertium quod si mutare volumus, contrariis vtendum est: non igitur semper in passiuis similibus: nam si hæc distinctio de passiuis & actiuis vera esse debet generaliter, non poterit illa generaliter etiam esse vera de cõseruatione, & custodia, aut mutatione in melius. Neque enim mutabitur à similibus: neque si cõseruandum sit temperamentũ à contrariis poterit cõseruari,

uari. Ad primum dico esse semper vtendum similibus in substantia, contrariis tamen in qualitate, & substantiæ similitudo est multiplex, vna quidem in genere, vt substantia animalium est similior substantiæ humanæ, quàm plantarum. Substantia verò piscium est propior humanæ substantiæ, quam chamarum, & ostrearum, & caro auium carne piscium, & caro quadrupedium carne auium, & si quis dicat, quod Galenus præfert carnem perdicis omni quadrupedi? Dico quod ipse existimat, quod carnes auium sint magis elaboratæ: sunt ergo tria, quæ sunt quasi similia, & tamen non sunt idem similitudo in substantia, similitudo in temperamento, similitudo in elaboratione: Et similitudo substantiæ intelligitur ratione ordinis, vt dictum est, & naturæ, vt caro carni magis, quàm ossi, & in temperamento proprio, quod est ex mistione elementorum, sed temperamentum simile, aut contrarium in qualitate est, vt tale sit potestate ad generandum bilem, vel pituitam, postquam est destitutum à propria anima: illud verò, quod est elaboratum, est vt deductum sit ad perfectionem in eo genere à calore naturali, velut caro auis est similior carni humanæ, quia est magis rara, & magis elaborata propter calorem vehementem auium. Cùm ergo volumus reducere corpus ad aliam temperiem, faciemus id per similia in substantia, & laborata, velut per carnes auium, aut quadrupedium, quorum mistio & substantia, & operationes, & perfectio conueniãt homini, sed sint calidiora, & sicciora, &c. Caro enim equi est similior in vita carni humanæ quàm caro suis aut bouis, tamen mortua, est dissimilior. Mixta enim quantò magis recedunt in ordine viuentium, tantò qualitates illorum differunt à qualitatibus primorum elementorum, & hoc propter diuersitatem modi recipiendi, & etiam multitudinem caloris cœlestis, & illius diuersitatem, & quamvis ille calor esset similis, in gradu tamen adhuc multum differret ratione substantiæ acquisitæ in hora, qua viuebat, & ratione differentiæ caloris cœlestis, quia alius est calor Solis, alius Saturni, & maximè iuxta densitatem, & raritatem, & ideò benè dicebat Philosophus *octauo Physicorum text.* 55. quod rarum, & densum sunt, quasi principia omnium, quia coniungitur cum calido, & frigido cum graui, & leui cum molli, & duro, & cum mistione. Et etiam ratione eius actionis, quæ prius fuit dum viueret, vtpote attenuationis, resolutionis, mistionis æqualis, vel inæqualis ad minima mutuæ actionis, & talium. Ad secundũ senes indigẽt calidis, & humidis, quia temperatura iam redacta est ad frigidum, & siccum, & ideò habet duos scopos ratione huius, & etiam tertium, & quartum ratione coniunctorum, & propter hoc Galenus adeò inuoluit hanc rem, vt nunquam potuerit se explicare: aliàs dixi de melle, quod maximè conuenit senibus, cum tamen sit valdè siccum, & ideò dico, quod siccum intelligitur bifariam: vnum quod caret humido pingui, vt olera, & radices, & ista nullo modo conueniunt seni, aliud quod abundat humido pingui, sed potestate humido, & hoc non minus alienum est, à natura senis, quam primum, vt adipes, caro suilla: præparant enim ipsum ad hydropem, & copiam flatus. Reliqua duo genera sunt, quæ vel abundant humido pingui, sicco, sicut caro auium, & illa est optima seni, aut habent parum de humido sicco pingui, vt mel, & saccharum, & ista etiam conueniunt, & vt iuncta aliæ, non sola per se. Et ob id pisces, & carnes ouillas debent senes edere cum melle, aut saccharo: nam per se non tantum exhibent alimenti, quantum sufficit. Licet autem spectare in cibis, quæ sunt humida humido pingui, bono omnes differentias in tribus, quæ proponuntur à Galeno, vt optima pisces petrosi, & sunt frigidi, & humidi, & in carnibus suillis: nam in his humidum pingue est magis elaboratum: & in carnibus perdicum. Nam harum humidum est etiam magis elaboratum: quia in transitu à frigido, & humido ad calidum, & siccum transitus fit per calidum, & humidum, quia res priùs incalescit, quàm ficcetur, vt etiam ligna iuxta ignẽ. Primum ergo alimentum est frigidum, & humidum: secundum calidum, & humidum: tertium calidum & siccum. Et omnia sunt similia eodem ordine naturæ humanæ, non simpliciter temperamenti ratione: imò secùs, sed elaborati humidi, & refractorum elementorum, & quia senex est imbecillis, indiget cibis facilis alimenti, & ideò senes habent quatuor scopos ad alimentum spectantes. Primus vt alantur siccis, tum quia similia similibus minus distant, tum quia corpus eorum postulat duritiem: secundus vt humectentur, quia solida exsiccantur, & refrigerantur, & ideò oportet, vt cibi abundent humido pingui. Tertius vt sint facilis alimenti, quia sunt imbecilles. Quartus vt adsit substantiæ similitudo. Senes ergo debent conseruari per similia in substantia, & per habentia humidum siccum, & elaboratum ad facilem coctionem, & abundantia humido pingui, & hæc est conseruatio per similia iuxta rationem ætatis. Ad tertium, dico quod conseruantur corpora per similia in substantia, & in qualitatibus passiuis, intelligendo quantitatem pro qualitate, & quantitate, vt sit hæc similitudo semper. Iuxta verò mutationem temperaturæ in ficco, & humido fiet per contraria in quantitate, & etiam in qualitate iuxta temperaturæ modum, sed non sic in actiuis. Oportet enim semper esse contrarias qualitates. Concludendo dico, quod pro conseruando debemus vti moderatè contrariis in actiuis, in passiuis autem similibus, in quantitate, & qualitate, & ita hæc non repugnant vt liquet. Et cùm vita humana potissimùm consistat in hoc, adeò neglectim hæc tractata sunt à præcedentibus, vt erroris causam solùm subministrauerint.

TEXTVS LXIV.

Dispositio athletica non natura: habitus salubris, melior in omnibus.

CVM declarasset, quòd alimentum in quibusdam est ad augmentum corporis, & virium, & in quibusdam solum virũ, vt in athletis, in quibusdam neutro modo, docet quod in his, in quibus est incrementum virium, solum est malum. Et ratio est, quoniam necesse est, vt membra durescant plus iusto, & calor multiplicetur, & ideò venæ, & arteriæ supra modum impleantur, & ita fiunt obnoxij morti repentinæ, vel per suffocationem, aut abrupto vase aliquo. Et ideò dicit, quòd dispositio athletica non natura est, id est, non potest esse secundum naturam. Appellat autem dispositionem non habitum athleticum, quia non est res firma, vt habetur prima Aphorismorum. Dicebat Galenus habitus Athleticus, non debet dici simpliciter bonus, sed athleticus bonus: sicut simia non pulchra, sed pulchra simia. Nullibi autem planè exagitat athletas tam eleganter, quàm in suasoria ad bonas artes: præcipuè autem quod Reip. corpore sint inutiles, & consilio nullo, nec sanitate bona, nec artibus idonei. vita quoque misera, & ærũnosa: ac breuis: tum corpus fœdum, & vitiatum: sub senecta: non opes, non authoritas apud cives: vt omninò abiecta sit eorum conditio, & infœlix.

LECT. LVIII.

Super

EODEM TEXT. LXIV. & LXV.

DIximus in præcedenti lectione de statu athletico: circa quod dubitatur, an robur partis auctũm supra naturam vt in his possit esse vtile? inde videbitur de habitu mutato. Dico ergo quod incrementum virium membri est multiplex, aliud quidem naturale, sicut in his, qui velociter currunt, aliud verò est aduentitium, & hoc aduentitium est, aliud in toto, vt in athletis, aliud in parte, velut in militibus, in manibus, & brachijs: in oratoribus in voce, & lateribus. Rursus quòd est non naturale, id est, artificiosum aliud est cum restitutione amissarum virium. Puta ex morbo vulnere aliud est pro additione eius quod est supra naturam, velut in funambulis, & in lusoribus armorum, & in his, qui exercent peculiariter aliquod membrum. Ex his tribus règulis generalibus fiunt octo membra, vt cuique liquet, illud etiam vltimæ diuisionis membrum primum, scilicet, de imbecillitate præter naturam contracta emendanda, potest diuidi iuxta naturam causarum, quia vel ab intemperie, velàcompositione, vel à continui diuisione? à compositione semper curanda est, si fieri potest, maximè à situ: quoniam curatio facilior est: etiam generaliter, quantò læsio est maior, tantò magis indicat de necessitate restitutionis, & minùs indicat propter periculum, & indicat maiorem difficultatem, & diuturnitas temporis est similis magnitudini dispositionis, & non adeò indicat de necessitate, & ideò magnitudo dispositionis magis indicat; de restitutione, quàm diuturnitas, quia æqualiter ratione impedimenti, & periculi, & magis ratione necessitatis. Sunt ergo duo, quæ indicant magnitudo, & paruitas, & diuturnitas, ac recens affectus, & per magnitudinem intelligimus duo: magnitudinem ipsam affectus, & nobilitatem actionis. Tria verò sunt, quæ indicantur, periculum, vel securitas iactura magna, aut parua difficultas, aut facilitas: ab his igitur sumuntur indicationes de faciendo, vel non faciendo, & etiam cum quibus, & quomodo: hæc igitur pertinent ad restitutionem. & morbi, qui sunt in intemperie magis indicant de curatione, quàm qui sunt in compositione propter facilitatem curationis, & etiam quia intemperies plerumque auget seipsam, aut saltem auget affectum, velut eadem intemperies frigida in ventriculo, indies magis auget cruditates: obstructio autem non auget obstructionem, quia non est ex principijs actiuis. Nihil autem est magis, quod indicet de sui restitutione, quàm diuisio continui, recens, & hoc quia habet tres conditiones magnas, & consentientes, scilicet, quia est prorsus contra naturam, & indicat magnitudinem affectus, & quoniam adducit symptomata praua secum plusquam intemperies, demùm, quia est facilis sanationis, & ideò in vulneribus, & in sputo sanguinis debemus occurrere statim, sicut docebat Galenus *in quinto Methodi cap.* 13. & 14. Qua propter vbi in celeritate præsidium est aspes, in his etiam à maximis auxiliis, ordine tamen seruato inchoandum esse nemo dubitat. Quod verò ad incrementum roboris præter naturam in toto, vel in parte distinguendum est de facultatibus. Nam de facultate motrice gratia Reip. dico quod expedit: at verò propter seipsos nequaquã: quoniam qui sunt iusto robustiores, quantò præstant corpore, tantò animi viribus sunt inferiores, & imprudentiores, & sugillantur à Poëtis. Vnde Achilles ponitur pro ferox, & iracundus: aliàs stultus, contra Vlysses, sapiens, & hoc est, quia immoderatum robur, aut est cum corpore valdè magno, & ita eiusmodi homines sunt immoderati circa actiones, & affectus, vt etiã principiũ, & si robur est supra corporis magnitudinem, tunc tales sunt calidiore & ficciore corpore, & ob id etiam asperiores, & minùs prudentes. In facultatibus autem naturalibus ille excessus non potest dici, si sit iuxta proportionem, quia natura non potest transgredi vltimam metam propriæ perfectionis. Ergo non meretur appellari

appellari excessus. Si autem sit in comparatione ad alias facultates, est potiùs cum iactura, quàm cum vtilitate, quia gratia exempli attractrix valida, si non habeat concoctricem, ac retentricem æqualem, & expultricem, est causa erroris in operatione principali: id est, nutritione. Sed in animalibus facultatibus melius est, vt excessus sit æqualis, & tantò minor, quibusdam tamen conducit propter naturam personæ, velut nomenclatori memoria Geometræ vis imaginandi: parùm enim indiget memoria Geometra. Generaliter autem illud, quod est naturale ex incrementis, est melius ac firmius, quam illud, quod est præter naturam, & quam illud, quod est artificiosum, & comparatum industria, sed ratione finis, aliquando melius est comparatum industria: quia ille indiget ea facultate, vt Orator memoria, quæ si sit naturalis in Geometra parùm, aut nihil confert.

TEXTVS LXV.

Magnum quantitas bona, coniectura ad virtutem adaptata.

QVum dixisset habitum salubrem esse optimum, & ideò meliorem athletico inter omnes vult docere causam: quia tametsi sit athleticus aliqua parte, melior, tamen periculum est, ne nimis, aut parùm dando ille offendatur, Et hoc est, quoniam quantitates rerum, tam alimentorum, quàm medicamentorum, solùm coniectura assequi possunt. Et hoc est, quod dixit *tertio Artis curandi cap. 3. ante finem* quantitas certa rei: nec dici, nec calamo scribi potest. Est enim quantitas principium vniuscuiusque, vt est vnum & materiæ coniunctum, de quo non habetur scientia, igitur opinio, vel coniectura tantùm. Alia expositio est nostra, & est, quod cum dixisset habitum salubrem esse meliorem omnibus, quoniam magnum est inuenire habitum hunc salubrem, qui consistit in moderatione quantitatis alimenti ad virtutem comparati. Quasi dicat, hoc est difficilius, ac rarius habitu athletico: tametsi athletæ in maiori pretio haberentur, quàm vir optimi habitus, & salubris. Et iuxta hoc videndum est, quod antè proposueramus, scilicet an operationes habitus à natura mutati (non dico restituti ad statum naturalem, cum de hoc dubium non sit) possint esse meliores operationis eiusdem naturalibus? Et dico primum, quod in vitio compositionis vtpote claudicatione potest esse melior, vt colligitur ab Hippocrate *in quarto de Articulis text. 2. 3. & 4.* Et ita in magnitudine, numero, & figura: & membris in diuisis. Et licet nolim tot mutare, dubium tamen non est, quin id ad quod pertinet ad continuum, non sit compositio: secundo in exuberantia: vtpote in caliditate nimia, & hoc dicebat Galenus sexto de tuenda sanitate, de temperatura calida, & humida, quæ in iuuentute multis morbis est obnoxia in senectute, euadit quasi temperata, & sana. Sed nos hîc non agimus de hoc, verum de mutatione temperiei cum habitu, velut impinguatione, & similibus. Et dico quod medicina non iuuat, nisi remouendo, quod prohibet. Et ideò auxilio ætatis licet mutare in melius: quia iam ætas mutat in melius, & ars prohibet impedimentum: atque hoc modo in infantibus pueris, & adolescentibus iuuat medicina operationes: in aliis solum minuit detrimenta: aut tollit, quod præter naturam patitur.

LECT. LIX.

Super

TEXT. LXVI.

Lac, & sanguis alimenti redundantia.

QVoniã declarauerat anteà *tex. 62.* quod lac est alimentum, vult declarare, quid sit ipsum lac, & dicit quod lac perinde est redundantia sanguinis, & F. dat duas expositiones, quarum neutra est vera. Prima est, quod lac generatur in mamillis, & sanguis generatur in iecore. Vt habetur à Galeno *4. de vsu par. cap. 11. & 7. Eiusdem cap. 12.* propter membra, quæ generant ipsum, vt nutriantur ex eo eo. Deinde quod superest, in vno est ad nutritionem fœtus, in altero est ad nutritionem corporis totius *cap. 3.* Et hæc fuit sententia in adductis locis superius non solum, sed etiam in tertio de facultatibus naturalibus. Omne membrum sibi concoquit, reliquum distribuit ad corporis nutrimentum, & ita sanguis, qui superfluus est à iecore, est alimentum totius corporis, & lac quod superfluit à mamillis, est alimentum fœtus, & similiter semen, quod concoquitur in vasis testiculorum, est postmodum materia generationis embryonis, & eodẽ modo chylus, qui generatur in ventriculo, & quod superest ad nutritionẽ eius est ad nutritionem mesaræi, & iecoris, & videtur pulchra expositio sed tamen pace ipsius F. non est vera: neque iuxta sensum ipsius Hippocratis, quia non est ab eodem: neque enim sanguis resecatur à iecore, vt sit alimentum corpori eodẽ modo, quo lac infantis. Hoc enim est per accidens, illud per se. Sanguis enim nutrit corpus semper, lac autem non semper: sed possunt nutriri infantes lacte animalium, vt referunt fabulæ de lupa, cerua & capra: & hoc est certum. Referunt etiam (sed credo quod sit periculosissimum) quod ex pulte. Vtcumque sit hic non est verus sensus, neque nutriunt vt redundant, sed vt sunt alimentum concoctum: aliter iecur non nutriretur ex sanguine neque mamillæ ex lacte. Benè tamen illud animadoersum est, quod lac non est excrementũ, sed redundantia περιττωματικός. Vnde notandum, quod in omni eo, quod fit in corpore nostro tria sunt, quæ resecantur:

secantur: redundantia: excrementum vtile & inutile. Redundantia est, quæ non assequitur perfectionem rationis primi finis: velut pars in sanguine, quæ supereſt nutritioni iecoris. Cum enim iecur generet sanguinem vt nutriat se ipsum, quicquid effugerit, dicitur redundantia ipsius sanguinis. Quæ aliquando est perfectior, quàm sit ipsa res, quæ gignitur. Quod manifestius apparet etiam in chylo. Pars enim chyli, quæ delegatur ad iecur est melior, & vtilior, & subtilior, quàm illa, quæ nutrit ipsum ventriculum. Secunda pars propriè vocatur excrementum, & imperfecta, non solùm ratione finis, sed ratione formæ, & non potest transmutare in vtile, & est in chylo duplex: aquea, ex qua fit vrina, terrea ex qua fit sedimentum vrinæ. In sanguine genito, in iecore bilis flaua, ratione spumæ, & partis tenuioris, & nigra ratione terræ: & vtraque miscetur sanguini, sicut duæ illæ ventriculi ipsi chylo. Et in vltimis chyli coctionibus in intestinis fæx est, ex hoc genere. Tertia pars est, quæ est imperfecta & ratione finis & ratione formæ: tamen potest transmutari ex successione alterius coctionis ad bonum: & eiusmodi sunt succus fæcum, aut succi, qui cum sunt in intestinis, coquuntur, & trahuntur à mesaraici venis, & permutantur in sanguinem, etiam in iecore. Et quod sit verum, quia frustra peruenirent venæ mesaraei, non solum ad intestina crassa. scilicet, colon & cœcum, & tenuia, vt est inuolutũ, seu ileon; sed etiam ad intestinum rectum, quia fæces illæ, seu succi potiùs ex mora in intestinis, & calore conformi ipsius iecoris transmutati sunt in materiam vtilem, licet ab initio imperfecti, & in sanguine idem accidit, & est excrementitium spumæ, & fæcis sanguinis, quod transit ad vesicam felis, & ad lienem, & permutatur in succedenti coctione ad rem vtilem corpori, fæx quidem ad nutriendum lienem, & ad confirmandam vim ipsius ventriculi. Non dicam de excitanda fame, quia incertum est mihi, an illa fames sit naturalis, & ego non soleo miscere res dubias certis, in quo vnico lapsu solet damnari princeps: sed illud contigit ei, quia Dialecticam non habuit exquisitissimam, quod etiam refertur ab Auerroë: vel quia non potuerit castigare suum opus: vel saltem recognoscere. Dico ergo quòd etiam in vesica felis præbet vtilitatem illud excrementum, non solùm in eiiciendis fæcibus, quia tunc est iam forsitan mutatum in purum excrementum, sed verisimile est, quod etiam aliqua ex parte alat ipsam vesicam: quia cum sit membrum naturale, non potest trahere, nisi alimentum, vel quod sit coniunctum cum alimento, quamuis medici hoc negent, & non medici, sed potius anatomici: qui dicunt adesse in vertice venas, per quas manifestè nutritur. Sed vbi ratio generalis est, dummodo non contradicat sensui, non valet argumentum contra eam ex sensu deductum. Quòd in pluribus experimentis, & exemplis aliàs ostensum est, imo istud est, quod est causa erroris medicorum: vnde postmodum perueniunt in quædam manifestè falsa: & quæ repugnant ipsis sensibus, propter quos reliquerunt rationem veram. Certum etiam est, quod bilis illa calefacit iecur, & ita iuuat multum ad conseruationem concoctionis, & caloris innati. Alia etiam est vtilitas, quia attenuat sanguinem delegatum ad vesicam ipsam felis loco arteriarum, quæ delegantur ad lienem in auxilium concoctionis nigræ bilis, & fieri potest, quod tota bilis trahatur ad vesicam, & tamen pars tenuior eius, & magis dulcis transeat: per venas ad nutritionem eius reliquæ resecetur vena, & eadem operatione, tãquam excrementum: & ita erit attractio vna, & eadem, & ratione nutritionis, sed in actione ipsa fiet separatio.

Secunda interpretatio F. est sumpta ab Aristotele. *Primo de Generatione Animalium cap. 19.* dicente, quod menses sunt excrementum ipsius sanguinis: & ideò, quod loquatur hic de sanguine menstruo, qui est redundantia ipsius sanguinis, sicut lac est etiam redundantia, sed in grauidis, aut quæ iam peperierunt vna materia, scilicet, sanguis, vnum excrementum, scilicet, ipsius sanguinis seu redundantia, vnus modus reiiciendi ex corpore: sed diuersa tamen ratio, quia vnus reiicitur, sub forma sanguinis propria, & est tuber: alius permutatus ad albedinem: vnus est ad nutriendum fœtum, dum est in corpore, alius ad nutriendum fœtum postquam ortus est: vnus præterea semper adest, scilicet, sanguis menstruus, cùm potest generare; alius solum, cùm iam genuit, scilicet lac, neque enim lac solet generari, antequam mulier conceperit. Sed ista expositio præter id quod non est ad mentem Hippocratis, cum hic loquatur de alimento: sanguis autem ille menstruus, qui exit non est alimentum: neque redundantia, sed verum excrementum. Alimentum enim fœtus, dum est in vtero, est sanguis, ex quo resecantur menses statis temporibus: & ipsi menses non nutriunt fœtum, prout bene animaduertit Hieronymus Acorumbonus in suo libro de lacte: Et ostenditur hoc, quoniam in partu effunditur, quantum est retentum in illis, nouem mensibus, & aliquando plus, igitur sanguis, qui est consuetus exire non nutrit fœtum: aliter, vel sanguis melior expelleretur, aut fœtus nutriretur deteriore. Mulier ergo gignit sanguinis quatuor species: sanguinem perfectum, Alimenti redundantiã, Menstruum & menstrui excrementum, quod expellit. Et ideò fluere multos menses virginibus, est signum imbecillitatis in concipiendo. Bene concipiunt, quæ parum, aut nihil purgantur, & tamen boni sunt habitus. Nam purum habent sanguinem. Ideò quæ non concipiunt, si boni sint habitus, ægrotant ob sanguinis multitudinem, tametsi bene purgentur. Quædam tunc alleuiantur ex Venere frequenti, vt meretrices. Ideoque hæ rarò concipiunt, sed hæc expositio non probatur ab ipso F. & ideò supersedeo ab ea.

Possent & aliæ expositiones excogitari: sed ad quid imitari fabulam improbi Tabellionis, qui & obligationem vni, & solutionem alteri ostendit, vt frustrà litigarent. Dico ergo, quòd sententia Hippocratis est,

quod

quod ſanguis, qui eſt in venis, eſt redundantia eius, quo alitur corpus ſicut lac eſt redundantia eius, quo alitur fœtus, dū eſt in vtero. Pro quo notandū eſt, quod vt habetur à Gal. & ab omnibus authoribus medicinæ, qui de his tractarūt. Sanguis qui delegatur ad fœtū tempore, quo eſt in vtero, in tres partes diuiditur: vna quæ tranſmutatur in ipſum fœtum, & ex qua fœtus ipſe generatur, & creſcit: alia quæ melior eſt poſt illam, ſed craſſior, & frigidior delegatur ad mammas, ex qua generatur lac: tertia retinetur vſque ad partum, & hoc eſt excrementum purum: quod tamen fouet fœtum calore ſuo: & effunditur totum in partu, non eodem tempore, ſed in maſculo in triginta diebus, in fœmina, in quadraginta duo, vt habetur ab Hipp. *in libro de Natura pueri, part. 5.* ex quo paret, quòd lac prægnantium, noxium eſt his qui lactantur, quoniam opima pars, & opima iam ſelegitur à natura in fœtus alimentum: non ſolùm ob finem præcipuum, qui eſt coſeruatio ſpeciei, ſed quia vterus ipſo longè potentior eſt mammis, atque calidior. Et etiam quia ad illum prius defertur ſanguis, qui in lac verti debet, inde redit ad mammas. Ergo optima pars neceſſariò ibi relinquitur, etiam ſi infans, & vterus debiliſſimi eſſent. Tum verò ſi mulier vtero gerens puerum lactet, vtrique magnum detrimentum accedet. Imò tribus ſimul infanti, qui alitur: quoniam quaſi caſeo, & ſine pinguitudine alitur: fœtui, quia pars alimenti ei ſubtrahitur, ob vehementiam exugendi: validior enim eſt infans, qui eſt extra, & qui ſugit lac, quam fœtus, qui eſt in vtero, & ideò fœtus defraudat infantem opima parte, quam trahit, infans fœtum ob multitudinē, & robur: vterque autem matrem, quia nimis trahunt. Lactatio igitur grauidæ noxia eſt omnibus ſimul. Veruntamen à matre minus eſt malum: natura ita comparante, vt quod frequenter accidit, aut frequenter accidere neceſſe eſſet, non valdè noxium foret. Eſt enim lac illud, tametſi caſeoſum, & opima parte deſtitutum, familiare tamen ob naturam. Sed vt ad rem redeam, lac generatur in mammis hoc modo, vt Hippocrates docet in libro de natura pueri.

Lac autem ob huiuſmodi neceſſitatem fit. Quum vteri tumidi pro puero ſunt, ventrem mulieris comprimunt: eius autem pleni vbi compreſſio contigerit, pinguiſſimum de cibis, ac potibus foras proſilit, in omentum ac carnem. Quemadmodum ſi quis corium illinat multo oleo, & imbibere permittat, & vbi imbibit, corium ipſum premat, oleum vtique exilierit foras ex corio compreſſo: ſic etiam ſi venter pinguedinem in ſe habeat à cibis, ac potibus, comprimaturque ab vteris, pinguitudo proſilit in omentum, ac carnem. Et ſi ratæ carnis mulier fuerit, citius percipit eius perſultationem: ſi non poſterius. Quin & pecora prægnantia, ſi non ægrotent ab eodem potu, ac cibo pinguiora propterea fiunt. Similiter autem & mulier. Et à pinguedine calefacta, ac alba exiſtente, quod edulcatum eſt à caliditate, quæ ab vteris acceſſit, expreſſum venit in mammas, & in vteros quoque parum venit, per eaſdem venas. Tendunt enim & in mammas, & in vteros venulæ hæ, & conſimiles aliæ. Et vbi peruenerit in vteros de lacte, puer ipſo paululum fruitur: mammæ verò pro lacte, impletæ attolluntur. Et vbi peperit mulier principio motus facto, lac in mammas ipſas procedit, ſi lactauerit. Sic enim res habet: Dum mammæ lactant, ac exuguntur, venulæ in mammas ampliores fiunt: ampliores autem factæ, à ventre pinguedinem trahentes, in mammas diſtribuunt.) Differt ergo noſtra expoſitio à prima. F. quoniam in illa fit comparatio redundantiæ ad iecur, ex quo fit ſanguis, & lactis ad mammas: ſed hoc non eſt proprium: quia ſub ea contineretur, & chylus, & ſemen, & etiam comparatio ex reſpectu diuerſorū, ſcilicet iecoris, & mammarum: at in noſtra expoſitione lac, & ſanguis ſunt redundantiæ eiuſdem, lac quidem infantis, dum eſt in vtero. Quod enim non poteſt nutrire fœtum, tranſit in lac: & quod non poteſt nutrire hominem iam adultum relinquetur in venis, & eſt ſanguis. Pro quo notandum eſt, quod ſanguis in venis perpetuo tranſmutatur bifariam: primum in alimentum corporis, & ſolidorum membrorum: & ideò hectici habent venas plenas ſanguine, quia ſanguis non tranſumitur in alimentum membrorum, propter imbecilitatem eorum. Secundò tranſmutatur in ſanguinem arterialem, dum ingreditur ſiniſtrum ventriculum cordis. & ex eo tranſmutatur in ſpiritum. Quod verò reliquum eſt paulatim per ſudores, & per vrinas, & in quibuſdam expellitur per hæmorrhoidas, & per nares, atque ita renouatur.

Hìc ſolū reſtat dubitatio, quomodo mammæ nutriantur in tempore, in quo puer non lactatur, neque ipſæ plenæ ſunt lacte: nam ſi lac eſt proprium alimentum earum quomodo nutriuntur ſanguine: & ſi ſanguis eſt nutrimentum earum, quomodo nutriuntur lacte? & cur trahunt ſanguinem vt dealbentur? Et ideo reſpondeo, quod ſolutio colligitur ex dictis Hippocratis: quoniam ſemper nutriuntur ex illa pingui ſanguinis parte dealbata, aliter non poſſent conſeruari in ſuo colore, & ſubſtantia, ſed tempore geſtationis vteri propter plenitudinem incaleſcit locus vteri: & propter conſenſum mammæ incaleſcunt: & tunc plurimum trahunt. Et ideo tempore geſtationis vteri, mammæ fiunt craſſiores. Et ponitur inter ſigna præcipua prægnantium. Et tunc generant lac multum, & magis album, quam antea. Illud tamen lac non poteſt eſſe perfectum propter cauſam dictam de fœtu, qui trahit opimam partem: & ideo mulieres prudentes, lac primum concretum tempore geſtationis vteri eiiciunt, nec exhibent infanti, quia eſt corruptum: tum ratione dicta: caret enim butyroſa parte: tum ob longam moram.

LECTIO LX.

Super

TEXT. LXVII. & LXIIX.

Circuitus ad multa consoni ad conceptum, & huius alimentum.

Hic textus sequenti est connexus, & dubium non est, quin duas sententias contineat, quarum vna pertinet ad cõceptus generationem, & ipsius incrementum: altera verò ad eandem causam, pro vt generat lac, & alimentum ipsius fœtus, & ad infantem coordinat: ergo vt in figura à latere vides duas series: vnam descendentem in qua continetur conceptus, id est, eius generatio: inde alimentum, id est, eius incrementum: demum redundantia, ob quam fit lac, vt in præcedenti textu. Post ascendit ex lacte, seu redundantia in alimentum ipsius fœtus, & ad infantem, vt declarabimus in sequenti commento. Et quoniam illud de conceptu non potest intelligi secundùm expositionem Fracantiani in secunda parte: neque audet ipsum verbum declarare, ideò tota expositio redditur vitiosa. Quotiescunque enim in expositione aliqua verbum vnum, velut superfluum relinquitur aut aliquid deest, necesse est expositionem illam, non esse ad mentem authoris, aut corruptum esse textum, sed non est corruptus, cùm enim dicat βρέφος id est, infans, vt & vertit Cornarius ipse, rursus conceptum vertit. Duo igitur hi textus duas continent sententias: & rursus duobus modis exponi possunt: quorum vnum Fracantiani, vt falsum relinquam, & Fracantiani iterum expositio circa cuius excrementum duplex est quod ad causam attinet: & vtraque vena est: & ideo non disiunctim, sed coniunctim accipiendæ sunt. Cum enim duæ expositiones circa causas diuersas ambæ veræ sunt, non sunt disiungendæ, imo necessariò coniungendæ. Et si quis disiungat eas, committit errorem, velut si quis dicat causa generationis hominis, est homo: & explicet de masculo solum, & post subiungat: vel de fœmina intelligendum esse, committit errorem: sed debet dicere coniunctim: & explicando quomodo masculus, & fœmina concurrant ad generationem hominis, quia vel coniunctio non debet apponi, ibi, inter ea, quæ simul non possunt esse vera, vt Callias occidit Theramenem, lata sententia. Debemus dicere die vel noctu: quia dies & nox non possunt esse simul. At si dicamus Themenem occidit Callias consilio & oratione: benè dicemus, consilio vel oratione, malè: aut saltem imperfectè cum necesse fuerit vtrumque adesse, & consilium quo quæsierit causas accusandi, & complicibus suaserit, vt illum occiderent: & orationem qua multitudinem tyrannorum ad suffragia aduersus illum ferenda impulerit. Et ita si dicamus, sol vel homo generat hominem, malè dictum erit: quia significabimus, quod Sol solus sine homine aliquando generat hominem: vel solus homo absque sole aliquando generet hominem: quorum vtrumque falsum est, neque enim alter eorum solus id facere potest, neque modo vnus, modo alter, sed cum generant semper ambo iuncti generant hominem, & ideo benè dixit Philosophus *secundo Physicorum tex.26.* Sol & homo generant hominem. His ergo intellectis vniuersalibus, facilè est declarare sententiam huius textus conformem sequenti: & est quod circuitus ad multa consoni, id est: plurima ex his, quæ fiunt in homine, certis circuitibus fiunt: vtpote: ad generationem, & ad alimentum: & iste circuitus potest intelligi trifariam, vel ratione ipsius corporis: & declaratur à Galeno *secundo de Differentiis febrium: cap.11.* vbi dicit, quod causa circuitus febrium est generatio humoris in membro in tanto tempore: vtpote, quia bilis tantum aggregatur in duobus diebus, & pituita in vno die, & melancholia in tribus, vt possit efficere febrem: quia in corpore humano plus generatur de pituita, quam de bile flaua: & de bile flaua, quam de bile nigra (quamvis nos aliam, assignauerimus causam) & similiter de causa circuitus in tumoribus, & inflammationibus. Et si plus generari contingat, diceret generari aliam febrem tertianam, aut quartanam, & ita duplicem, ita dicimus de conceptu in vtero, quod fit in certo circuitu: & suppeditatur alimentum sub alio circuitu, & redundantia sanguinis matris. Alia causa est ex numero ipso dierum sumpta ex lib. de Septimestri partu, & quia numerus est quantitas, & quantitas non est principium agendi, sed qualitas in substantia, vt caliditas, frigiditas, gravitas, asperitas, durities: ideò causam huius causæ ibidem in commentariis declarauimus. Tertia causa est ex astris *quarto de Generatione. cap.10.* Animalium expressè, vbi dicit, causa generationis istorum inferiorum, & corruptionis sunt circuitus astrorum, & maximè Solis, & Lunæ, & reliqua, quæ ibi declarantur. Quæ sententia etiam ab illo ponitur *secundo de Generatione, & corruptione A tex.56. ad 59. Maximè* 58. Accessus & recessus Solis, & Lunæ, & reliquarum stellarum errantium in circulo obliquo, id est, zodiaco) est causa generationis, & corruptionis in istis inferioribus Vbi docet, quæ tempora generationis, & corruptionis sunt æqualia secundum naturam, sed corruptionis fit persæpè, breuius propter alterius generationem, vel casum cum ille possit adiuuare corruptionem, & accelerare: generationem autem non ita.

TEXTVS

TEXTVS LX.

Rursus autem sursum repit ad lac, & ad alimentum, & ad infantem:

SEntentia est, quòd postquam alimentum peruenerit ad certam metam, tunc incipit redundare, vt diximus superius ex sententia Hippocratis, & post paulatim vt declarabat Hippocrates in libro de Natura pueri crescente fœtu, & ideo indigente maiore alimento, alimento autem decrescente, dicit Hippocrates cogitur infans iam absolutus calcitrare, & frangere membranas, quibus circumdatur, & ita quærere exitum tum propter famem, quia distituitur alimento, tum propter incommoda fractarum membranarum, & ideo tum circumuoluitur, & quærit exitum capite iam prono: in quo situ si diu permaneret suffocaretur à redundantia excrementorum, & ideo hic circuitus est ad generationem lactis primùm: inde ad alimentum, id est, perfectionem temporis eius, vt desinat ali fœtus: demum ad conceptum, scilicet perficiendum, quia vnum & idem tempus est, vt dixi, & defectus alimenti, & perfectionis fœtus, & exitus eius, quod si ista in vnum non coinciderint fœtus, non perfectè se habebit secundum naturam, sed causæ erunt impeditæ, & ideo vexabitur multis incommodis: & forsan ægrotabit: & aliquando etiam moritur. Sed quia de cæteris circuitibus dicemus inferius suo loco, ideo nunc sufficiat de lactis circuitu dixisse Philosophus *septimo de Historia Animalium, com. 76. & sequentib.* inquit: [intra septem dies conceptus fit: accidit autem purgatio ad triginta vsque dies, præcipuè in fœmina ad quadraginta, si mas.] De quo in Contradictionibus postmodum subiicit. [Post eos dies non item secundùm naturam sanguis inferius agitur, sed in vbera transit, & lac efficitur: cuius nota inter initia exiguo quodam, & araneæ propemodum specie apparet in mammis.) postmodum *in quarto de generatione animalium: (cap.* 8. Hominibus verò, quoniam plura sunt tempora) nam cæteris animalibus lactis concoctio tempore partus ad vnguem conuenit, vt neque deficiat, cum opus est, neque adsit, cum non est opus, (scilicet ante partum) primo adesse necesse est, quamobrem lac mulierum, cum ante septimum mensem inutile sit, vtile iam septimo redditur mense, causa etiam necessitatis propria concoctio lactis temporibus vltimis habetur?) principio enim decisio huiusmodi excrementi absumitur in fœtus generationem: omnibus autem alimento est, quod dulcissimum & maximè concoctum. Post subiicit. Lac verò res est concocta prorsus, nec lactantibus fiunt purgationes secundùm naturam, neque lactantes concipiunt: & si conceperint, lac extinguitur: quoniam eadem lactis, & menstruorum natura est. Liquet igitur circuitum lactis esse triplicem: initij generationis post trigesimam diem, aut quadragesimum, cum mammæ intumescere incipiunt: perfectionis cum iam vtile inceperit esse infanti: & est septimo mense: quia tum vitalis puer nasci potest primum: *vt in libro de septimestri parti. in prin.* Et si vulgus, & sensum cum iam mammæ valdè tument, & plurimum lac effluit, & satis album, & hoc contingit sexto mense: illud tamen lac non est perfectum ad alendum, vt videtur ex Aristotele. Vtrum verò infans alius ad motus vberibus possit ali tunc? & ante? Dico quod sic: quia est materia ad alendum: sed valdè malè aleretur: quia tunc nihil adest partis butyrosæ: & ideo infans, qui aleretur, maximum detrimentum pateretur: & etiam, quia est corruptum, ita vt neque sufficienter, neque benè: quod tamen alantur, ostendit experimentum in mulieribus, quæ vel nescientes, vel etiam propter paupertatem scientes, alunt priores infantes: & aliquando alienos vsque ad partum. Vt mihi contigit dum essem infans: qui nutritus fui à fine primi mensis vsque ad quartum, à muliere grauida. Vnde contraxi imbecillitatem innatam, & morbos exitiales in infantia: & iniuriam à parentibus passus sum, qui licet hoc nescirent, tamen malnerunt me procul ab vrbe alendum dare, ob vanam quandam verecundiam, quam securitati meæ, & vtilitati illa neglecta consulere, adeò vt si pro meritis reddere par pari deberem, Plotinum imitari conueniret, qui tametsi nulla iniuria affectus sit à parentibus, quippe qui vsque ad septimum annum lactatus sit, neque tamen patriam neque parentes vnquam prodere (magna illorum ignominia vltus quamcunque iniuriam) voluit. Redeundo ad rem lac prægnantium, quæ antequam conciperent, lactabant, non est adeo malum, quia continet aliquid butyrosi, & adeo minus malum infanti, qui lactatur, sed magis fœtui.

LECTIO LXI.

Super

TEX. LXIX. & LXX.

Viuificantur non animalia: viuificantur animalia, viuificantur partes animalium.

INter omnia, quæ ad hanc partem vsque enarrata sunt, nunquam tam longè à proposito discessit: quod est alimentum, & eius consideratio, quam nunc: nam vita ad alimentum, & maximè vt inducitur, non videtur pertinere: nisi esset, quod intendit docere alimentum non conuenire animali, vt animal, sed vt viuit. Et ideo alimentum animalibus conuenire, & partibus animalium, non vt sunt animalia, sed ea ratione, quatenus conuenit etiam non animalibus. Adeo vt alimentum non conueniat animalibus, vt

animalia

animalia sunt, neque non animalibus, vt sunt non animalia, sic enim non conuenirent vtrisque, sed vtrique conueniunt, non propter rationem, sicut sensus non conuenit animali, vt rationale, nec vt rationis expers, sed alia ratione. Et hoc est, quia non aliter animal, & plantæ, sed eodem modo viuunt. F. autem exponit *per vim efficientem*, deduci ad vitam, & per non animalia, intelligit semen, in quo est vita potestate. Nam ex semine fit animal. Exponit *per vitam partium*, quod partes vitam adipiscuntur primo principales, inde aliæ, & inter primas iecur dicit, inde cor, & cerebrum, quia animal viuit primò vita plantæ. Nec vult vt per non animalia intelligamus plantas, quoniam dicit, non est hic sermo de plantis, nec earum vita, sed animalium. Ac pari ratione est sermo hic nõ de animalium, sed hominum alimento. Igitur neque de animalibus esset intelligendũ. Deinde dicit frustra quæsitum, an animal sit, quod in vtero continetur, & inutile medico: ipse tamen suo modo cum sit impertinens eam diffinit. Et dicit quod antequam sensum recipiat, & cerebrum generetur, non est animal: cum autem cerebrum genitum est, iam mouetur, & sentit, quo tempore (vt dixi) inferius declarabitur. Credamus sic esse: nam vtilioribus est insistendum. Hippocrates (inquit) volens docere, quod alimentum non solum est animalium præter homines, sed etiam non animalium, & intendit plantas manifestè: de lapidibus non dixit, quia non erat adeò perspicuum. Et ratio est clara: alimentum est eorum, quorum est vita: sed vita est etiam non animalium, quia plantarum. Agunt enim opera vitæ, non solum quod alantur, hoc enim esset petere principium, sed quoniam frondes emittunt, & flores ac fructus, & semina, & post cum nihil horum efficiunt, moriuntur: & quod moritur, antea viuebat: igitur plantæ viuunt. Et post subiicit secundam rationem: quicquid conuenit generi, & plusquam generi, conuenit illi ratione communi: sed alimentum conuenit homini, vt etiam non est animal: quia alimentum conuenit etiam non animalibus: igitur alimentum conuenit homini: vt à natura, non ab anima, & propterea subiicit.

TEXTVS LXX.

Naturæ omnium indoctæ.

VErbum ἀδίδακτος id est, non edoctæ ab alio potius, quam indociles, quo etiam modo vertit, & melius Cornarius (nullo doctore) inquit (vsæ.) Sed F. vt in suum sensũ traheret indociles vertit, id est, quas quales sint, id est, quid vnicuique conueniat docere non potest. Et ideò est, ac si quis dicat, qualis sit natura vniuscuiusque, nemo tradere potest, & satis conuenit cum sequentibus: sed tantò minus copulatur rectè cum antecedentibus. Nam in prædente docuit, quod natura, quæ nos viuificat, non est anima, quæ docilis est, & cognoscit, sed natura, quæ non cognoscit, & non edocta est. Et hæc est secunda expositio F. quæ conuenit etiam verbis, & non mutat literæ sensum, vt sua tertia. Nam prima præter id, quod non conueniat literæ, vt neque tertia expositio, nec sequentibus verbis indigna est Hippocratis authoritate, vt nolit posse doceri causam, quare natura, aut motum, quo animalibus & aliis quæ non sunt animalia, vitam det. Dico ergo quod cũ Hippocrates de alimento multa tradiderit anteà, & in præcedenti admonuerit nos, quod vis, quæ alimentum trahit, est communis, non solum animalibus, sed etiam non animalibus, id est, carentibus sensu, & motu, hic docet, & infert vnum: ergo natura, quæ est causa vitæ, attractionis, alimenti, & concoctionis, & retinendi, quod bonum est, & secernendi inutile, tum generationis, nutritionis incrementi est res, quæ sensu, & doctrina caret: quomodo ergo ista facit, vt quasi admirantis sit. Et illud docet per ea verba, quæ subiungit in sequenti textu, quod cum ipsa agat hæc expers cognitionis, tamẽ secernit vtile ab inutili, & ideò hæc quæstio, quod ad conclusionem attinet, medica est, quod ad causæ inquisitionem Physica, & Philosophica: igitur hæc est prima propositio medica. Illæ enim sunt primæ propositiones medicæ, quarum cognitio medico est cognitu necessaria, causa illius tamen ab ipso reddi non potest, cuiusmodi hæc est. Ergo Philosophus in libro de animalium incessu hæc habet: (Natura nil frustrà machinatum, quemadmodum suprà demonstrauimus, sed semper in his, quæ fieri possint, semper ad id respicit, quod potius sit, & melius.) Hoc, sed non adeo perfectè, sæpius in libris de Animaliũ partibus repetit: & si quis diligenter consideret, videbit non nisi velut à prudentissimo opifice cuncta parata ad finem, & materia, & magnitudine, & partibus, & situ, locoque (locum dico simpliciter, vt caput hominis altum positum ad alias partes comparatione: nam & in cancris supra pectus est, quod capitis instar est, non tamen in sublimi) congruant. Sed & id clarissimè *secundo de Generatione Animalium*: *cap.* 4. *col.* 11. perindè enim (inquit) natura ac prudens paterfamilias nihil omittere solet, ex quo facere aliquid commodi possit. *Secundo* autem *Physicorum cap.* 8. & est à *textu* 75. *ad* 86. ex professo incipit: (Dicendum quidem est, naturam ex iis esse causis, quæ alicuius gratia faciunt) & quoniam duplex erat opinio: vna illorum, qui mente censuerant id fieri: altera Empedoclis, qui dicebat multa esse constituta casu, verum conseruata solum, quæ finem assequi potuerunt. Quæ opinio etiam fuit Lucretij, de qua aliàs sermonem habuimus. Refellit illud Philosophos, dicens, si domus à natura fieret, non secus quam ab arte fieri solet, fieret. Ergo in natura principium prudentiæ, atque sapientiæ constituit. Illud autem ostendit, & hirundinum, & aranearum, & formicarum exemplo, tum etiam plantarum in emittendis frondibus, supra gratia regendi fructus, & radices infra causa trahendi vberius alimentum. Declarat inde, quod natura est quoddam principium, quod agit, vt ars, ad finem assequendum.

dum. Et quòd licet non deliberet, tamen ex ratione agit. Nam ars etiam ipsa non deliberat, sed contingit, quod habens artem deliberet, non quia artem habeat, sed quatenus homo est. Et ideò vult, quod natura est, vt ars, & scientia, quæ absque deliberatione in vtramque partem agunt, quod agere necessarium est: atque ideò est principium, quod originem ducit à mente (vt dici solet) non errante. Non deliberat enim ars, neque diuinum: quia deliberatio est de dubiis: & dubium est ob ignorantiam. At dices; Natura quandoque omnia prauè facit, & plura malè, quam benè, vbi reddit rationem, cur domesticorum omnis generis aliquid ferrum inuenitur, non domesticum cuiusque feri? At ideò dicimus materiæ causa id contingere formæ atque principij nunquam. Auerroës autem clarius in duodecimo primæ Philosophiæ hoc dicit ex Themistio, [Natura licet non intelligat aliquid de his, quæ facit, id tamen agit iuxta aliquam intentionem. Et hoc docet nos, quod dirigitur ab aliqua nobiliore causa, vt anima, quæ est in terra, de qua Plato dicit, quod fit ex Diis secundis, & Aristoteles ex sole, & orbe aliquo] & post inquit ex propria sententia: [Omnes proportiones, & formæ sunt in potentia in Prima materia, & in actu in primo motore: Et assimilatur aliquo modo esse eius, quod fit in anima artificis, & in disputationibus contra Algazelem, & quoniam Philosophi viderunt ordinem etiam hîc in natura, & operationibus sequi ordinem intellectus, similem ordini artificiali, cognouerunt, quod intellectus, qui influit has potentias naturales, quarum operationes similes sunt operationibus intellectus: ex his duobus determinarunt, quòd hoc ens, quod est intellectus absolutus est illud, quod influit aliis entibus ordinem, & proportionem repertam in operationibus eorum.] Et rursus in eodem libro: [Credimus quod omne, quod est in Mundo, est scientia, licet deficiant vires ingenij nostri in multis ex eis. Nam scientia artificialis intelligitur per scientiam rerum naturalium. Et si mundi constructio ab vltima sapientia pendet, necesse est, vt hoc quod fecit, adeo sapiens sit, vt eo indigeat cœlum, & terra.] Sed dices Auerroës *in iisdem Disputationibus, 3. in fol. dub. 1.* vbi ponit quatuor differentias in actionem diuinam, & naturæ, dicit, quod actio Dei est cum cognitione, naturæ autem sine cognitione. Dico ergo ad hoc, quod naturæ opus est, quatenus in materia, & quatenus in forma. Sicut rotæ horologij mouentur ratione communi ponderis: sed vt directi à mente fabri, ita mouentur, vt in xxiiij. horis peragant circuitum, & moueant indicem, & ostendant horas, & malleolum, & horas pulsando doceant. Atque ita terra, & calor Solis sunt causæ communes, temperatæ verò ad proportionem, & magnitudinem, & qualitates generant parietariam, vel Veneris vmbilicum: & planta generat flores, & folia, & reliqua. Ergo dices natura docta est? Respondeo, quod mens Hippocratis est, quod illud, quod habet naturam, sit indoctum: velut planta, lapis, Elementum. Et hoc sufficit, ad comprobandum intentum suum. Quoniam quæ docta sunt, id est, quæ cognoscunt alia, imperfectam habent eam cognitionem, vt homo: & talia deliberatione agunt: alia perfectiorem, & illa sunt duorum generum: alia agunt sine mutatione, vt Deus: alia cum mutatione, & contraria, vt natura. Docet ergo causam eorum, quæ in sequentibus verbis scripsit.

Iam verò ostendamus illud, quomodo natura ipsa pareat menti, & habenti cognitionem per experimentum in nobis. Et dico, quod quatuor sunt in nobis facultates manifestæ, vitalis, naturalis, & motrix, ac sensuum. Et facultas quidem motrix per se primò obedit imperio voluntatis, adeò clarè, vt probatione non indigeat. Et tam celeriter (quod mirum est) volens, mouet digitos pedis summos, quàm cetuicem, tametsi ceruix propinqua sit multò magis digitis pedum. Facultates etiam sensuum interiorũ intelligendi, memorandi, ratiocinandi, imaginandi per se primo, & statim obediunt imperio voluntatis. At facultates cæteræ obediunt voluntati, sed non primo: necesse enim illi est, vt primo vim imaginandi moueat: atque ex illa cessant actiones sensuum, maximè visus, & auditus. Sed & olfactus, & gustus, & etiam tactus, quod aliàs in Physicis edocuimus: adeò vt sensus non in operando, sed in cessando ab opere subiiciantur vi imaginandi: atque hic vnus est modus. Alius verò est magis euidens, & frequens, velut erectionis membri, expulsionis seminis, somni, mingendi, egerendi, sed minus. Rursus autem, & vomitus in pluribus adeò manifesti, vt continere se non possint. Ita & oscitandi, & singultiendi, & tussiendi, atq; rigoris, & horroris. Tũ verò & aliorũ eiusmodi, vt edendi, ac bibendi. Tertius autẽ modus est facultatis vitalis, timoris, iræ, palpitationis, cordis, verecundiæ, lætitiæ, tristitiæ: hæ enim sunt in tertio genere. Occultius obsequium ad vim imaginandi est naturalis facultatis: primum quidem in generatione, vt de Iacob, & Laban, & ouibus varij coloris, aut candidis. Et de illa, quæ genuit Æthiopem, ob imaginem Aethiopis depictam. De facultatibus etiam concoctrice, ac similibus, idem est manifestum. Vnde Philosophi, & eremitæ ob suauitatem contemplationis, quamvis multa alia agerent vitæ inimica: præcipuè ieiunandò, vigilando, laborando, cibos duros, & praui succi sumendo, diu vixerunt, & centesimum annum plures superauêre. Quod ex voluptate, quam capiebant ex mente, tum imaginando spiritus dilatantur, temperantur, refocillantur, & calor naturalis viuidus euadit. Ergo manifestum est, quod omnia corporea, & incorporea, & tota natura obedit voluntati. Et eodem modo: ergo naturæ licet propriè indoctæ sint, tamen parent menti, omnia gubernanti. Et illa primum mouet animam cœli, iuxta Platonem, & anima mouet cœlũ: & cœlum per lucem, & lumen astrorũ, & animam Mundi, & præparationem, quæ est in materia regit corpus ad finem debitum: perinde ac nauta nauim. Aptat enim natura primum funes, vbi oportet, & postmodum regit nauim, & homines,

mines, qui sunt in illa medio rudentum, quãuis rudentes nihil cognoscant. Et homines, qui intelligunt, & equi, qui cognoscunt, reguntur à funibus, qui nil cognoscunt. Et hoc modo se habet natura. Est enim instar funium: & mens, quæ dirigit vt nauta.

LECT. LXII.

Super

TEXTV LXXI. & LXXII.

Sanguis alienus vtilis, sanguis proprius vtilis, sanguis alienus nocuus, sanguis proprius nocuus. Humores proprij nocui: humores alieni nocui: humores alieni vtiles, humores proprij vtiles.

QVi hunc librum seu alium huius authoris exponere aggreditur, palmamque referre velit, quatuor præceptorum meminisse oportet, quorum primum, ac secundum ad quemcunque librum traducere possumus, scilicet, vt sententia expositionis verbis authoris congruat. Absurdum enim est, nouam confingere doctrinam, ac quasi affuere, tametsi vera sint, quæ traduntur, & vtilia, neque enim est locus. Secundum, vt ea sententia, & prioribus, & sequentibus pulchrè connexa sit. Nam quis sensus conueniat abruptis sententiis? & *libro, ac compagini confarcinata? De Sec. ad Equi in ca.1.2. De diff. Sp. cap.7.* Tertium quod claris scriptoribus solum commune est, vt quæ traduntur, vtilia sint arti, non partim, seu contemplationi. Quartum, quod Hippocrati peculiare est, vt nihil vulgare sit, aut partibus, aut pluribus cognitum, ne dicam vllis, quamvis esset ad consequendum finem vtile. Nam alienas sententias suis inserere libris vanas, & inutiles, stultum est ob delectum, flagitiosum ob furtum. Vtiles verò & graues iniquum, vt fraudare velis gloria proprium inuentorem. Cum ergo dixisset naturam à nemine edoctam, assequi finem suum docet, hoc octo exemplis perfectis, enumerans singula mẽbra, vel vt clarior redderetur sententia: velut doceret regulam hanc, ne in vna quidem festuca aberrare: vel vt ostenderet, quonam pacto natura hæc operatur, vt vna, eademque regula cunctis satisfaceret modis: vel vt insinuaret nobis, quo pacto hæc adinuenerit, scilicet, via diuidendi: vel demum ob hęc omnia simul iuncta, omnes causas has insimul collectas. Vno autem membro diuisionis tam luculenter perfectè intellecto, dubium non est, quin reliqua manifesta euadant: Igitur hic sensus est cum tàm sanguis, quàm humores, seu proprij, seu alieni vtiles, aut inutiles esse possint. Natura tamen vno, eodemque modo se tuetur, solùm id spectans, vt quod vtile est, trahat: reiiciat inutile: vt in hac expositione solum illud indiscussum maneat, quid per proprium, aut alienum intelligat: nam si per proprium vtile dicamus frustrà alia diuisio adiicitur vtilis, atque inutilis: si proprium & alienum, id est, nostrum, aut alterius exponas in sanguine, & humoribus difficillimum erit ostendere, quomodo sanguis, aut humores vnius alteri vtiles, aut damnosi esse possint. Si ergo per alienum propriò temperamento contrarium, propriũ autem simile nihil errabit. Quoniam non ob temperamentum, sed ob substantiæ familiaritatem vult congruere alimentum. Et ideò à natura asciſci, aut reiici: non ob qualitates ipsas. Similitudo ergo est causa attractionis, retentionis, bonæ coctionis, nutritionis, roboris, & sanitatis: contraria natura refugit, vt videmus in tactu anguis. Hoc autem quomodo intelligat, exemplo supposito docet: ex quo ad animalium sanguinem, & humores transire licet. Ostendit autem hoc propter illos, qui existimant lac maternum solum, & maximè conuenire. Nam quandoque propriũ alieno minus salutare est. Quod etiam & medici præcipiunt, & fœmellæ norunt, iubentes vt infans acri succo plenus nutrici detur alendus, quæ filiam pepererit. Propterea inquit:

TEXTVS LXXII.

Consonans dissonans, dissonans consonans: lac alienum bonum, lac proprium nocuum: lac alienum nocuum, lac proprium iuuans:

POstquam docuit id in prima ætate, id est, de fœtibus, namque docuimus esse tres generales: primam generationis, in vtero, de qua est præcedentis exemplum: Fœtus enim iuxta illum in primo de humana natura, non solum ex sanguine, sed aliis tribus humoribus conformatur, hic transit ad secundam ætatem incrementi, in qua lac est præcipuũ alimentum, reliqua enim, vt sunt ouа, carnes, & panis, ac vinum sunt communia tertiæ, & ita relinquuntur illi lac solum, quod prosecunda in exemplo assumitur: & est quod lac proprium deterius est. Primum si mater sit prægnans, nam solum partem caſei continet butyrosa tota in fœtum exhausta. Secundo si sit valdè calidus, aut frigidus, fœtus aut acrium humorum, & mater simili intemperie laboret. Tertiò si mater sit ęgra, aut cacochyma, aut elephantiasi, aut lue Indica laboret. Quartò si vtatur prauo regimine, ex dolore animi, tristitia, labore corporis, sicut rusticæ, quæ tota die in agro ligonizant; quæ non dormiunt, vtuntur prauis cibis. Ideò qui filios dant ruri lactandos, videntur illos paruipendere, & odisse: tum etiam quod mores illarum sequuntur. Et ideo si sint ebriæ mulieres, nil potest esse deterius. Demum si non lac, quantum oportet gignant: Nam tabescunt fœtus si aliud non sumant,

sumant, si sumant, corrumpitur maximè vsq; ad primum annum. Præter has quinq; causas, sunt duæ aliæ, quæ huc possunt reduci, non tamen videntur sub eis contineri, quoniam sunt speciales, mala temperies, aut morbus in mamillis, & vsus frequens Veneris, per quem lac ipsum primum turbatur, inde etiam corrumpitur. Iam verò ex his tria alia membra diuisionis propositæ, in textu per se nota sunt: sed specialiter sunt examinanda, quoniam illa si voluisset solum generaliter interpretari, non adeò minutim distinxisset.

Primùm ergo dicamus, quòd lac propriæ matris præter reliquarum mulierum est vtilissimum: & ex mulieribus vtilius, quam animalium cæterorum. Non tamen inter illa licet caro suis, sit vtilior suillum, lac melius est. Nam aquosum, & crudum decimo de cimplicibus Medicamentis, & in secundo libro Princeps. Reliquorum animalium æquè cùm sit tenuius, quam asinæ, velut etiã camelarum, quòd careant propemodum parte caseosa: dicit ibidem Princeps, & tamen Scythæ faciunt caseum equinũ, vt refert Hippocrates in lib. de Aere, Aquis, & locis, quem appellant Hippacen. Verisimile aut est lac equinum ob id esse tenue, quod omninò careat butyro, postquam multum casei continet, non tamen quantum ouillum: vt etiam in nostris regionibus. Et ob id in vsu non sit in hecticis, quoniam infirmissimum sit. Et ideò humanum, quod est laudatissimum consumpti, & tamen propinquum natura asinino non prorsus butyro. Catere verisimile est. Camelinum autem hydropicis vtile est, quòd subtilissimum sit. Sed neque à Græcis, aut Latinis lac commendatur in ascite: ab Arabibus autem cum magna sit copia camelini, ob id ad ascitem nemo equinũ prætulit, cum tamen verisimile sit illud esse laudabile ob tenuitatẽ, & quia iecori auxiliatur, nutrit bene, purgat, sitimque extinguit. Vaccinum ergo cum butyro plus cæteris omnibus abũdet, & sit crassissimum, ouillum autem butyri minus habeat, casei plus, sed minus vtile visceribus, præterquam renibus, conuenit inter omnes, quòd loco humani in alendis infantibus palma caprillo, aut vaccino debeatur. Sed caprillum infame M. Varro *Lib. 2. cap. 3. l. 7. cap. 6. & 7.* reddidit. Neque Columella videtur illarum multum probare valetudinem, vt tutius sit vaccinum.

Hinc facilè est intelligere, quòd pueri debent ali propriæ matris lacte, cùm fuerit temperatura vtriusque proxima æqualitati, aut cùm fuerint etiam contrariæ naturæ, & non fuerit mater morbosa. Sed si mater fuerit morbosa, & lac fuerit malè temperatum, & non contrarium naturæ infantis, tunc melius est alienum: & maximè mulieris iuuenis boni habitùs, atque recta ratione viuentis. Et similiter cum infans est morbosus, nam maternum, aut est sanum, aut simile naturæ infantis, & in vtroque casu noxium est. Signum autem sumi debet ex habitu infantis, ex sanitate illius, & quòd libenter lac sugat. Si enim fastidit lac, hoc est malum signum: & si tabescit, aut venter inflatur, aut si color sit malus, aut si operationes sunt languidæ.

Consonans dissonans: Dissonans; consonans.) Docet per hæc verba, quod valdè intemperatis, quæ videntur esse mala, sunt bona, quæ autem similia sunt, & bona esse videntur, mala sunt. Et in hoc sensu dixit Galenus in libro de Cibis boni, & mali succi: *Cap.* 10. corpora densa humidiore cibo indigent, & tenuiore, & copiosiore, rara sicciore, crassiore, pauciore. Quanquam de hac tertia conditione dubium sit, ne illa litera contrario modo legenda sit. Cùm enim ex his, quæ magis perspirant plus resoluatur: plus etiam alimenti debebitur. Inde subiicit, & pariter, quibus sanguis frigidus est, & siccus, his alimentum calidum, & humidum: Pituitosis siccius, & calidius, billiosis frigidius & humidius. Ergo spectanda tria iubet in alimento exhibendo, quòd ad causas attinet temperamentum totius corporis: temperamentum partium: habitus, qui facilè, aut difficulter diffletur. Scopi autem dicit duo sunt, vt bene concoquatur, & vt concoctus, cum distribuitur partibus ad quas pergit conueniat, quod dictu facilius est longè, quam factu. Quæ verò dissonant, cum dissonare videantur, sunt quæ mala sunt, & corpori bene dispositio exhibentur: aut cùm excessus est manifestus, velut cũ piper febrienti damus: aut cùm cibos prorsus prauos, & difficilis coctionis. Propter hæc subiicit tertium exemplum.

LECTIO LXIII.

Super

TEXTV LXXIIII.

Cibus iunioribus parum maceratur:

HOc in textu, & duobus sequentibus, Hippocrates duo simul facit, explet tertium ordinem alimentorum, quæ dantur iam crescentibus. Nam lac habet rationem sorbitionis, non cibi: sanguis autem & humores, ex quibus alitur fœtus, neque sorbitionis, neque cibi, & transit ex natura cibi propria ad eam, quæ arte acquiritur. Atque vtinam Galeni liber de præparatione ciborum inueniretur. Alias dictum est de præparationibus specialiter: quia verò nunc locus id postulat, de illo generaliter agendum erit. ἀκρωμάτις vertit Cornarius leuiter putrefactus, alieno certè à veritate sensu, quasi ex ἄκρος summis, seu initiis & à σήπω quod est putrefacio. Sed hîc accipitur pro quodam sensu communi, qui non potest explicari, nisi duobus verbis, aut si vno, valdè remoto. Vt si quis dicat cuictus, ideò oportet circumscribere. Nam sensus est, quod oportet, quod sit subactus. Hoc & enim nomen etiam commune est ambobus sensibus: sed vt breuiter dicam subigitur res quæuis bifariam artificio, & sine artificio, dum matureſcit in planta, dum mespila, & sorba matureſcunt inter paleas,

dum caro fit friabilis mora. Alia vero artificio vt dixi. Proprie hoc autem triplex est ab igne, ab aqua, & ab vtroque. Scripsi opusculum de comparatione aquæ, & ignis Plutarchus, in quo fateor expectabam aliquid insigne magis: sed nihil inueni, & certe difficile est, quanquam præclaro ingenio, & iudicio excellenti, & forma dicendi insigni, quibus præditus fuit certè Plutarchus, aliquid tamen egregium in rebus naturalibus conscribere sine peritia peripateticæ disciplinæ. Nam cæteri Philosophi (cum venia dictum sit) nihil attulerunt ea in parte. Ergo his tribus, atque de his præcipuè modis intelligit Hippocrates subiungutur cibi. Quomodo autem primum dicam de igne, quem constat subigere duo genera ciborum, quæcunque nimis humida sunt, velut lac, carnes ouillas, vitulinas etiam, & cuniculorum, & pisces cuiuscunq; ferme generis, & ostrea: atque id quadrifariam prunis in vero, in crate, & in patina: sic etiam subiunguntur tortæ: atque hic modus duplex est. Namque in extremo liquida sunt vt lac, & tortæ, & oua moderatè concrescunt, & consistunt, quæ verò dura sunt ob lenorem fiunt friabilia, & ideò molliora, velut carnes assatæ. Aliud genus quod igne maceratur est eorum, quæ concreta sunt frigore, velut castaneæ, & ossa molliora, quæ postmodum cocta etiam magis mollia reddunturs, & genus omne ferme radicum, rapæ, poma, pleraque, & pyra, & cotonea. Ab aqua autem subiguntur solùm, quæ sicca immoderatè sunt, hoc norunt miseri epibatæ, & ad triremes damnati. Ab aqua verò, & igne quæcunque, & humido indigent, & calore, vel quia substantiam habeant nimis tenuem, velut olera. Nam illa sui ratione solo igne indigerent, sed quia exugerentur, ideò necesse est aquam adijcere. Dicemus ergo quod ea, quæ macerantur à calore, & humido in triplici sunt differentia, quædam, quia aliter non possint molescere, velut legumina, & carnes siccæ bouum, caprarum, & ouium, & cerebra, & sanguis. Alia verò, quia vt dixi exugerentur, aut corrumperentur ab igne, vt omnia, quæ nimis tenui substantia constant, olera, & fructus horæi: alia vt saporem bonum, & præparationem percipiant, vt quæ coquuntur in lacte, velut oua, aut in vino, aut in oleo, vel pinguedine. Alia in melle, vt fructus, qui seruantur vt cucurbitæ, & pepones, & mala Medica, sed frequentissimus vsus est olei, & adipis in his, quæ pinguedine carent, vt sunt: pisces, iecur, cerebrum, & offæ ex farina.

Nunc autem videndum est de vi præparationis. Dico ergo, quod ignis calefacit, & exsiccat, & sua natura tenuis est, licet ratione materiæ, in qua est, possit esse crassus. *Primo de simplicibus medicamentis, c.12.* non omnis ignis est tenuis, neque omne tenue ignis est, quia aër tenuis est, sed verius omnis ignis tenuis est, non tamen omne ignitum. Dicebat ergo Galenus *in libro de Theriaca ad Pisonem. C.28.* Multa reperiuntur velut panis, & pecudum, piscium que carnes, quæ quamdiu cruda sunt, ne appetuntur quidem: at vbi cocta fuerint, etiam in nutrimentum cedunt. Et similiter ex medicamentis, quæ donec priscam naturæ suæ rigiditatem seruant accerrima, & nostris corporibus inimica esse docet experientia, quæ ignis virtute temperata curandis morbis, idonea redduntur, inter quæ sal theriacus. integri enim serpentes cum sale exusti efficiunt medicamentum, quo si quis vtatur, primum quidem dentes ab omni putredine seruat affricatis illis, nec eos erodi permittit, labantesque confirmat, & defluctionem, si qua est astringit. Assumptus verò per os, sudorem copiosum mouet, & corporis putredinem purgat: quin etiam pediculos ea causa procreat. Quod verò ignis attrahat, & illud perinde clarum est, sicut quod & constringat siccando, & humidum aquosum absumendo: omnia enim hæc manifesta sunt. Vnde etiam, qui liquida sunt concrescere possint in quo genere sunt ouum torta, & lac. Hæc enim manifesta sunt, sicut & illud, quod absumpto humido aqueo, quod coctioni impedimento est, omnia facilius concoquat in ventriculo. Vnde perspicuum est, quæ molescunt bifariam, pleraq; etiam trifariàm celerius concoqui velut castaneas, & rapas, & radices, pleraque bulbosas, velut cæpas, & quia molliora sint primum, & quia humido aqueo priuata, quod coctioni semper impedimentum affert, & quod est humidi pinguis, atque vtilis iam colliquatum, & attenuatum, facilius melius, & copiosius nutriant: quæ verò dure cunt, vt oua, & lac, iecur, cerebrum, & sanguis: hæc enim quinque ex animalibus duriora, fiunt bifariam solum, scilicet, remoto impedimento humidi aquei, & attenuato pingui. Nam vt duriora difficilius concoquuntur. Facilius ergo nutriunt panis oua dura, quàm cruda verùm longè melius exhibent alimentum, & multo densius, ac copiosius. Spectanda sunt igitur quatuor, atque in his, quæ liquantur igne solo, & facilius nutrire consentaneum est, & copiosius, & melius, quia humidum illud pingue sincerius est. Vtrum vero densius? Dicimus quod sic, modo non sit exustum, sed tunc omnia forsan peribunt commoda, neque facilius, neq; melius, neq; densius, neq; copiosius alet. Melius dico nunc arq; intelligo, id est, purius. Nam sub alio sensu in dubitatione dicemus. Quæ verò conguntur à calore, & copiosius, & melius, & densius, exhibent alimentum, non tamen multo facilius alunt, quædam verò difficilius, etiam, velut oua dura, crudis: atq; id trifariam contingit. Primum si superfluè excoquatur. Secundum si ignei temperamenti ventriculus fuerit: nam ignea vis quædam in omnibus his relinquitur, quæ solo igne excoquuntur, atque ideò in igneo ventriculo, aut iecore, & præcipuè in febricitantib. omnia assata deteriora sunt elixis: & etiam crudis, quæ cruda manducari consueuerunt, longè autem deteriora: idque duplici ratione, si præter id, quod assata sint etiam dura effecta ob id fuerint. Præstimum est autem hoc in ouis, & iecore, quoniam hæc valde durescunt, & in cibis ex farina, velut crustæ, & tortarum diploides. Sed

&

& panis ſiccus, qui multis nobilibus in precio eſt, quamvis albus ac leuis malus eſt, & inferior mediocri. Quinque igitur in his, quæ aſſantur ſpectanda ſunt: tum verò in ſingulis ex duobus generibus ſingula hæc. Nam quæ humida ſunt valdè, præcipuè ſi frigida fuerint, minus incaleſcunt, minuſque exſiccantur, vt in eis vim vllam fermè deprehendas. Verùm quod dubium relinquitur, atque difficillimum eſt hac in contemplatione, de quo ſæpè dubitaui, ſcilicet, quomodo ex igne, cuius calor violentus eſt, pingue illud humidum, non ſolùm reddatur ad concoctionem meliùs, puriùs, ac (vti dictum eſt) multis modis aptius. Nam de hoc dubium non eſt, neque quod fiat, neque cur cauſis adeò manifeſtis, ſed quomodo verè melius. Namque apertè, & ſuauiſſimum redditur, & odoratiſſimum, adeò vt appetitum in non exurientibus etiam excitet manifeſtè, & non ſolum in ſanis, ſed & in ægris illis, quorum non omninò facultas appetendi concidit. Dicere autem quod non immutata ſint, ſed ſolùm ablato impedimento humidi crudi hæc contingant, magna quæſtio eſt: cùm interuallum, & differentia, neque obſcura ſit, neque leuis, nec mediocris dumtaxat, ſed magna, & euidens. Quomodo autem à cauſa præter naturam, qualis eſt ignis, poſſit induci præparatio, atque habitus quidam naturalis, illud difficillimum eſt: ac verè ob raritatem etiam admirabile. Etenim ſi ſuccurreret exemplum, vel vnum aliud in talibus, quod forſan de pane dici poſſet, iam facilius eſſet eius cauſam inuenire. At vt video quæſtio eadem manet, & ex quæſtione in quæſtionem eandem potius reuoluimur, quàm vt vna alterius cauſam doceat, & lumen illi afferat: Dicemus ergo quod eatenus bonum eſt edulium, quatenus per artificium optimum ſit: quoniam poteſtate tale eſt, & ad hoc à natura comparatum, vt fiat ſecundum naturam, & eſt mirabile. Nihilominus propter multiplicem compoſitionem iſtud contingere poteſt, & quanquam ſit diſſimile, tamen videmus id accidere manifeſtè in canibus, & ſelibus, qui arte fiunt meliores, pulchriores, & moribus præſtantiores, forſan quod non ſolum inutile aufertur, ſed etiam quod vtile eſt, melius redditur: non ſimpliciter, ſed in comparatione ad ſenſum, & hoc factum eſt ad vtilitatem hominis. Videmus id in coloribus expreſſè, qui fiunt ſplendidiores, & viuaciores, licet magis remoueantur, à natura propria, & eſt magna conſideratio: quomodo idem ſaltem genere poſſit fieri à natura & ab arte. Forſan accidit, quoniam iſtæ ſunt ſpecies rerum, & nõ res, odor, ſapor, color, calor, aſperitas: & iſtud videmus manifeſtè in ſonis, qui omnes fermè fiunt ad artificium, & tamen ſunt ſuauiſſimi. Dico ergo ex pluribus cauſis, quod ſuaue eſt ſapore, iucundum guſtu, euadere optimum igne, non tamen ſi ſit natura inſuaue aut iniucundum, niſi tunc miſtione, & hoc docet experimentum. Reſolutione humidi crudi, attenuatione concreti, vt penetret in ſenſum aſtrictione ac denſitate: nam ignis aſtringit, & denſat iam ſeparata, vt mox dicam: & calore ipſo, quo efficit vt penetret: vnde pleraque ad alia cum refrigerantur, gentiam amittunt, vt aſſata, & frixa præcipuè. Nam videmus vnguentarios dum volunt ſua pigmenta oſtendere, illa fricando calefacere. Eſt enim motus diſſolutio, & vt penetrent. Ob calorem etiam temperatum omnia iucundiora euadunt. Quoniam quilibet ſenſus tempore quodam gaudet, id eſt, inſtrumentum, maximè guſtus, tactus, & olfactus. Ignis præterea (vt dixi) aſtringit, vt in libro de optima ſecta ad Traſibulum. Dicit enim *cap.* 23. quod ignis aſtringit ſuperficiem rerum, ſicut etiam frigus, ſed diuerſa tamen ratione, & dubium non eſt, quin calor moderatus, non dilatet, ſed exiccando contrahit, ſicut etiam in loris. Attigit autem operationes ignis *in primo de Alimentis cap.* 2. vbi docet, quod panes illi optimi ſunt, qui moderatum ignem ſortiuntur longo tempore: Nam (inquit) ſi paruus fuerit, etiam quod ſi longum tempus, remanebit incoctus: ſin autem ignis fuerit: iuſto validior, duplex dicit erit malum. Exterius enim erit torridus, & exuſtus, & interiùs crudus. Coctura etiam liquidorum emendat vitia, velut in melle *tertio de vitijs in acutis cap.* 23. ſi prauum fuerit, ſed ſi bonum potiùs vitiatur, idem in conſilio de puero laborante comitiali morbo, & quod miſcet ea, quæ ſunt diuerſa ſubſtantia, & in homogeniis ſeparat.

LECT. LXIV.

Super
EODEM TEXT. LXXIV. & LXXV.

His intellectis, ſuppoſito quod maceratio in aqua emollit, & quod ignis educit, & miſcet: ſequitur quod in elixatione duo conſiderare oportebit, & humorem, quo elixamus, & rem, quæ elixatur. Si ergo humor fuerit ſuauis, res quæ elixatur, non ſolùm mollior, ſed etiam ſuauior reddetur: & ita facilioris coctionis, & melioris alimenti, & plus nutriet, & erit tenuioris ſubſtantiæ, & denſioris. Si autem ſit aqua ſola, fiet mollior, & ſolùm ſuauior in eo, quod facilius nutriet, non tamen plus nutriet, neque denſius erit alimentum. Oportebit & conſiderare proportionem eius, in quo coquitur ad id, quod coquitur, velut ſi coqueremus ſorba in lacte fierent mala, & ſimiliter piſces, & tamen vtrunque eſt bonum per ſe. Contrà cancri cocti in aqua ſalſa, ſunt boni, & tamen condimentũ per ſe non eſt bonum, neque res, quæ coquitur. Idem dico de oliuis, cum aqua ſaponis. Redduntur enim bonæ, cùm oliuæ ſint amaræ valdè, & aqua ſaponis tetra, & horribilis, & hoc contingit propter proportionem. Si verò ſuccus, in quo coquitur fuerit inſipidus, prorſus vt aqua, & res, quæ coquitur bona, quod coquitur fiet deterioris alimenti, & parùm ſuauis, & propterea ſolent addere ſalem aquæ, licet non neceſſario. Namincocta carne aquæ ſit ius ſua-

ue. At si quod incoquitur, fuerit malum, tunc reddetur melius, vtpotè si sit salsum, acre, amarum etiam. sed amarum ab insipido non multùm iuuatur, & si fuerit amarum valdè, remanet horribile: per talem tamen coctionem redduntur faciliora ad concoquendum, & molliora, & vt breuiter concludam coctio cum igne, & aqua reddit rem, quæ coquitur faciliorem, ad concoquendum: alimentum tamen est minus, & crassius, impurius, rarius.

TEXT. LXXIV.

Senibus verò summè immutatus.

DE senum regimine satis in secundo libro de Tuenda sanitate à nobis dictum est, immutantur autem multifariam: sed vt senibus tantum conueniunt bifariàm: nam temperamenti immutatio, & præparatio, & bonus odor, ac sapor tum superfluorum vt corticum, & similium detractio ad omnes pertinet: at quod sit molle, & secundùm substantiam, & potestatè istud ad senes pertinet. Carent enim dentibus aut inæquales habent, aut minùs ad mandendum robustos, aut stupidos, quæ quatur mala, ita solent aduenire senibus, præcipuè in vltimo senio, vt plures plurimis, pauciſsimi nullis vexent. Septem igitur cùm sint consideranda in cibo, tria ad senes pertinent solos. vt omnia sint eis necessaria ex reliquis quatuor tantũ, quæ peculiaria sunt senibus, est parua quantitas hanc omisit, quasi perspicuam, & cuique notam. Secunda vt sint comminuti ad minima, velut confusa, aut derasa tyrocnesti: demùm cocta sit vt mollissima sint. Conuenit autem maximè coctum in iure, aut oleo, aut adipe, aut melle, vel saccharo, aut lacte, aut si fieri non potest, vt aliquo horum modorum cum his, quæ humida sint, & calida, vel in vero impletis, scilicet corporibus maxime allio, vel in patina, cum diplois, vt dictum est ex farina, & sapa: intùs autem pinguibus referta. Quæ autem humida sunt per se, & valdè frigida, tamen vt rapæ, cucumeres, pyra, cotonea in clibano, sed superaspersa nuce myristica: hoc enim est aroma senibus proprium, velut & gingiber, & crocus, & piper longum sed (vt dixi) nux myristica, & crocus præcedunt: Reliqua verò non vt senibus, sed vt laborantibus, aut ob saporem adiiciuntur. Quod autem calida, & humida esse debeant ad præparationem pertinet, vt contrarium contrario, velut etiam quod boni saporis, atque odoris, vt melius concoquantur, sunt etenim hæ duæ aliæ conditiones generales. Præparationem autem, velut quartam conditionem adiecimus, vt diximus, ab aqua sola madefacta, vel in aliquo alio liquore incundiore ab igne solo super prunas in vetu, in craticula, in vestibulo, in clibano, & si qui alij modi sint præter hos quinque ab igne, & humido elixata iurulenta in patina cocta cum lacte, melle, sapa, atque huiusmodi. Quæ verò sub cineribus coquuntur, manifestum est, ad ignem pertinere.

TEXT. LXXV.

His qui in vigore ætatis impermutatus.

NEque enim impermutatum dicit, vt crudas carnes, & caules edant, sed quod ad tria illa propria senibus, scilicet mollitiẽ, & ideò exquisitissimam coctionem, ac vt diuisa sint minutim edulia, aut contrita, aut vt dixi, tyrocnesti comminuta, & in parua quantitate. Verum ex his tribus, cum propriè de secundo intelligat, solùm præcipit hoc mandato, vt qui in ætate consistunt, ij vtantur cibis non consuetis, coqui prorsus crudis, atque recentibus cæteris, quàm modicè coctis, quod optimum est. Et recentiũ, quidem omnium, dico carnium piscium fructuum, olerum, casei, etiam lactis atque onorum. & panis commune emolumentum est, vt sint ab omni putredinis nota immunia. Dum enim viuunt, naturalis calor illa tuetur, dum perfecte, seu animalia occisa, seu oua, & lac exempta à propriis locis, vbi à suo innato calore fouebantur: seu olera, vel fructus decerpta à planta (moriuntur enim & ipsa, cuius indicium est pulchritudinis, & coloris languor) & panis ipse siccessit extincta ignea vi: omnia ergo hac ratione deteriora fiunt. Quæ verò ex his superfluo humido abundant, nec facilè putrescunt, collecta meliora redduntur. Vt plerique fructus è nucum & glandium genere, castaneæ nuces, auellanæ, & amygdalæ: in medio autem, quasi sunt horæorum, & nucum vuæ, & ficus. Hæ igitur suspensæ in aura, fiunt meliores, quãdiu nullum putredinis signum contrahunt. Pineæ autem diuersam sortiuntur rationem, in cortice enim suo contentæ, fiunt meliores, siccantur enim solum: detractæ fiunt, deteriores etiam à prima die: quoniam incipiunt statim putrescere. Pistacia contrà cortice contenta, magis putrescunt, quam siccentur, à cortice enim liberata siccantur parum, sed putrescũt ob cariem: amygdalæ solum à cortice detractæ, minimè putrescunt, & neque plurimum siccantur: præsertim si in cumulis magis, & locis frigidis seruentur. Frigidum enim, & putredini resistit & siccat alienum humidum, & proprium conseruat, quod etiam Aristoteles 4. *Meteor. cap.* 2. docuit. Cæterorum etiam non vna ratio, nec æqualis iactura more, vt quod diuersis temporibus. Nam pisces, quoniam humida sunt valdè & minimè calidi paucis horis corrumpuntur. Maximè teneri delicatiores ex aquis dulcibus: & celeriùs ex nitidis, & currentibus: vt contra stagnantium, sed vt tardior corruptio ita deterior. Astaci etiam dum viuunt, putrescunt, vt anteà incipiant putrescere, quàm desinant viuere. Eadem de crustaceis omnibus, & etiam testaceis, aut conchis,

conchis, & chamis. Lac similiter facillimè, & intra vnum diem corrumpitur. Post carnes, & maximè humidè vt ouium, & magis agnorum, & quod non exerceantur, & humidum aqueum sit: nam porculi diutiùs durant, quod humidum eorum sit pinguius. Ætate quoque, & constitutione calida, & regione, & humidis omnibus temporibus, & locis cuncta putrescunt faciliùs: adeo, vt si omnia simul iungantur, vel ipsa hora corrumpantur. Signum initij accursus (ne quid propria vtilitate destituatur) mulcarum. Et cum putrescit iam agmen: super putrida agmina, & maximè magnarum, quæ etiam vermes in illam gerunt. Cùm verò apparent muscæ magnæ, coquere oportet statim. Assata autem diutiùs durant (nam Pauonem per mensem affirmet Beatus Augustinus non putrescere se expertum) & per annum. Post cocta in patina & frixa: inde virulenta celeriùs. Elixa autem an cruda dubito: parùm enim differunt. Carnes autem syluestrium animalium tardiùs corrumpuntur, & oua: quoniam illa exercentur, & frigore, & solibus eorum carnes densatæ sunt: (oua vt non antè putrescerent, quàm pullos producerent, dum fouentur) facta sunt difficilis corruptionis. Caseus vt mollior est, eò celerius corrumpitur: & multis modis: accessit, mucescit, putrescit, lapidescit. Sed putredinis indicium tumor ob feruorem, & rimæ, ac inæqualitas ob tumorem. Panis autem licet non tam diu vt assata seruetur incorruptus, diutiùs tamen, quàm elixa ex animalibus, & piscibus crudis, aut elixis. Olera vna die flauescunt, ideò cum humido pingui omni fermè careant, optima sunt statim à planta sumpta, velut & fructus horæi, cerasa præcipue dulcia, quibus nullus alius non diutiùs seruatur.

Maceratorum autem coctione à crudis discrimen est, in vtilitate præcipuum, suauitas odoris, atque saporis legitimi. Quò fit, & vt melius concoquantur, & vt melius præbeant alimentum, & natura, & gratia. Inde etiam commodum ipsum: tertium consuetudo: & vt Celsus dicebat, cauendum est, ne in secunda valetudine aduersa auxilia consumantur. Adest præterea mandendi supplementum: quod præter attritionem, & mollitiem, quam affert, etiam quid peculiare habet concoctioni simile, de quo aliàs diximus. Quæ ergo edi solent alia cum cruda, & cocta, alia cum cruda, alia cum cocta solùm, edantur velut castaneæ, cotonea, & pyra vtroque modo: cruda vt vuæ, & ficus, & cerasa: cocta verò, vt carnes, quærendum est in singulis cruda, vel cocta edantur à robustioribus quid præstent. Neque verò dubium esse debet, quin coctio validior non sit in ætate consistentibus, quàm in pueris, non solùm in rebus durioribus, & siccis, vt Galenus 3. *de Symptom. Causis. cap. 3. iuxta med.* ait, sed etiam mollioribus, & humidioribus. Nam si dura non debent præparari, molliora autem melius coquuntur duris, etiam à iuuenibus, necesse est, vt coctio nihil addat, quod absurdum est, aut quod verius est, vt & in duris, & in mollibus, superent pueros. Est enim mens Hippocratis hîc, quod iuuenes æqualiter, quæ cocta, & cruda ed. solent, cruda edant: quòd æquè bene illa concoquant, vt pueri cocta aliter iniquum, & fallax esset præceptum. Cocta igitur etiam meliùs, sed hoc meliori non indiget ob superuenturam ætatem, nec consuetudine langueſcat natura. Quare consulit, quod optimum est, vt idem tenor seruetur in crescentibus consistentibus, ac senibus: quoad fieri potest, hoc præcepto. Cruda igitur, quæ edi cruda solent, meliora sunt, & facilè concoquuntur, & meliùs exhibent alimentũ: cocta autem in suauiora deteriùs nutriunt, & nutrimentum languidius exhiber, licet faciliùs concoquantur. Quæ autem cocta edi solent, cruda si edantur, difficiliùs concoquuntur, & minùs alunt, & deteriùs. Cocta omnibus modis præstant. Quæ autem cruda, & cocta edi consueuerunt à validis corporibus, & ætatibus, quasi eorum, quæ solùm cruda edi solent, rationem subeunt apud eos, qui imbecilli sunt ventriculo eorum, quæ solùm cocta eduntur. Quæcunque autem dura substantia sunt, & eiusdem rationis, vt ossa, iecur, quantò minùs subiguntur ab igne, eò seriùs putrescunt: mollium autem non est eadem ratio: nam oua celeriter coquuntur, & tardè putrescunt: contrà pyra, & cotonea facilè putrescunt, & tardè coquuntur. Quæ verò de ætatibus dicta sunt, etiam ad temperaturas, tempora anni, regiones, consuetudinésque, & similia transferri possunt. Sed nihil similius ætati, habitu corporis, qui temperaturam ipsam etiam complectitur.

LECT. LXV.

Super

TEXT. LXXVI. LXXVII. ac LXIX.

Ad formationem dies triginta quinque, ad motum septuaginta, ad perfectionem ducenti, & decem.

SI quæ dicta sunt à nobis aliàs, hîc repetere vellemus nimis longa tractatio futura sit. Proponit pro icone quatuor modos integræ perfectionis fœtus, è quibus primus cum vltimo satis concors est. Diuidit enim in tria: corporis figuram, operationem, quæ ad animum pertinet, & perfectionem, quæ ad vtrumque. Ex duplaque ac tripla proportione tanquam simplicissimis perfecit eas. Inquit ergo quod ad formationem requiruntur xxxv. dies, quia vt habitum est *in libro de natura pueri pag.* 5. masculus in xxx. diebus formatur, fœmina in xlij. & quoniam alij, vt Aristoteles ponunt xl. loco xlij. vt quasi duo illi dies sint superstitiosi: ideò dixit xxxv. accepto medio inter xxx. & xl. Sed quod adiicit ad motum conduplicari tempus, seruit omnibus opinionibus, præterquam

Secundæ, in qua forsitan etiam error est. Rationem horum tradere difficillimum est: sumere autem oportet eam, vel ex natura rei, vel ex astrorum circuitu, aut numero ipso. Et de numero quidem triginta dies, sunt mensis: xl. autem numerus naturæ humanæ conueniens, vt in libris de septimestri, & octimestri partu. Verùm quia ista nec suscipiunt eandem rationem: nec numerus est ex principiis actiuis, melius est, vt ad astrorum motum talia traducamus, & maximè Solis motum, qui origo est omnium. Cum igitur Sol in cccLxv. diebus peragat totum circulum, & tertia pars se respiciat: & quæ ab ea profluunt integris lineis ob similitudinem: tertiæ partis pars tertia est xl. gradus quarta xxx. ideò in totidem generatur masculus: vt in xl. fœmina. xl. exigit enim robustiorem. Fœmina ergo vt infirmior, spacio xl. dierum, quod etiam longius tempus continet, eget, masculus xxx. tantum. Scripsit de his *secundo Epidemiorum: par. 3. iuxta finem*: labores in circuitibus. Quicquid in septuaginta mouetur triplicato perficitur. Post menses dextra, & sinistra hiant. Humiditas per prodeuntia requirit dietam siccissimam. Quod citius motum est, ac discretum, rursus augescit etiam tardius, & ad longius tempus. Labores circa quinquagesimum tertium diem, & circa centesimum sextum. Labores tertio, quinto, septimo, nono mense, & secundo, & quarto. Quæ noscere oportet vsque ad septimum mensem, aut mensium fluxu numerandi sunt nouem menses, aut à conceptione: & à septuaginta ad ducentos, ac septuaginta dies. Græci menses fiunt, & si quid amplius vltra hoc est: & aut masculis, aut etiam fœmellis, hæc fiunt aut contraria.

Triplicatus autem dierum numerus exigitur ad perfectionem, quoniam vtrumq; perficitur: & ratio sic constat ex monade: nam ad formam corporis exiguntur dies xxxv. igitur ad operationem, quæ est perfectior tantundem supra formam: dies autem xxxv. additi ad xxxv efficiunt lxx. Et ideò ad motum exiguntur dies lxx. Sed perfectio exigit duplum initij ab ipso initio: initium autem continet dies lxx, igitur perfectio continet dies cxl. sed cxl vltra lxx. efficiunt ccx. Igitur perfectio fœtus fit in diebus ccx. Sed quoniam numerus quadragenariarum est imperfectus, ideò natura plerumque retardat fœtum ad cclxxx dies, vt sint menses nouem, aut decem: & septem quadragenariæ numerorum Ideò bene dixit Frequentianus, quod hic loquitur de mente aliorũ, non propria. Dubitabit autem quispiam, quid si oriatur nono mense, quando formabitur? in xlv. diebus postularet ratio: & in xc. moueretur, & ita in triplicato perficeretur. Iuxta ergo hanc rationem masculus mouebitur in lx. diebus, & orietur in dimidio anni, *vt in libro de septimestri partu. tex. 1.* Fœmina verò formatur in xlij. mouetur in lxxxiiij. & absoluetur in cclij diebus: & pertingit ad nonum mensem: sed videmus, quod etiam masculi ad id tempus perueniunt. Et ista est forsan causa cur masculi plures euadunt septimestres, quam fœminæ. Nam earum formatio est longior. Sed non tenet conuersa ratio ab absolutione ad formationem, & motum.

TEXT. LXXVII.

Alij dicunt ad formam quadragintaquinque: ad motum septuaginta sex, ad exitum ducenti, & decem.

CConcordant hi in primo exitu septimestrium, quoniam est res manifesta, sed non in formatione. Sumunt enim sextã partem totius temporis gestationis veri, vt dixi, id est, mensium nouem, & sunt xlv. & in hoc tempore, volunt formari fœtum. Ad motum neutram sequuntur rationem, nec dierum ccx. natiuitatis, nec xlv. formationis. Et est absurdum falsis opinionibus enarrandis insistendo perdere charissimam rem, scilicet tempus. Et forsan, quòd ea ætate, & in regione Hippocratis oriebãtur plures septimestres, nostro æuo in Italia valdè pauci, nisi ex causa aliqua violenta, de quà non est sermo hic. Id de lxxvj. debet legi lxxix. vt ς legatur ϑ, quoniam tum productum ccx. in xlv. est fermè sexquialterum ad vj. Mccxlj. quod est quadratum lxxix. vt productum ccx. in xxxv. ad quadratum iiij. Mocccc. quadratum lxx. vel alia causa, non laboro: vbi non est ratio vera, existimetur vera.

TEXT. LXXVIII.

Alij ad formam quinquaginta, ad primum saltum centum, ad perfectionem trecenti.

HI putant infantes, nonnisi decimestres nasci, quod ab Hippocrate reprobatum est sæpè, sed præcipuè in libro de Septimestri partu: non enim in ccc. diebus absolutis decem mensibus, & quatuor etiam diebus, sed in cclxxxix. scilicet diebus, & dimidia fœtum compleri, ac nasci perhibent, quod hic numerus septem quadragenarias compleat integrè, & nouem mensibus cum dimidio ad vnguem æqualis sit: vt ratio luminarium etiam constet: siquidem luna ad oppositum locum cum Sole peruenit, vt si ab initio coniuncta illi fuit, dum genitus est, dum nascitur, fuit in opposito: vicissim si in generatione in opposito, in coniunctionem deueniet hora natiuitatis: & si fuit quadra dextra in procreatione dum nascitur, erit in quadra sinistra: & si in sinistra, perueniet vicissim ad dextram: & si in trigono dextro perueniet ad sinistrum sextilem, ac vicissim: & si in sinistro trigono ad dextram sextilem: & commutata vicissitudine, si in sextili sinistro perueniet, dum nascitur ad trigonum dextrum: & si in dextro sextili ad trigonum sinistrum. Præterea Sol ipse ex medio motu

peruenit

perſenit ac ſuperauit, quadratum ſuum dextrum, vt ex initio Arietis ad decimam partem ſagittarij, quod conuenit, & ex decima parte capricorni ad xx. partem libræ: ſed ex xx. parte libræ perueniet ad initium Leonis: & tum ſuperauit quadratum dextrum, & tendit ad ſextilem. Nunquam autem peruenit ad quadratum ſuum dextrum: quia illud omninò diſſidet natura, & in ambabus qualitatibus. His autem recenſere noluit propriam opinionem, vel quia nondum inuenerat, vel ne illam, quæ vera eſt in dubium reuocaret, vt dicam in ſequenti textu.

TEXTVS LXXIX.

Alij ad diſcretionem quadraginta, ad tranſitum octuaginta, ad elapſum ducenti, quadraginta.

EX minus abſurdis ad magis abſurdas opiniones tranſit. Cùm enim non vnus eſſet naſcendi modus in homine, velut in cæteris animalibus, ſed vt dicit Ariſtoteles. 7. *De Hiſt. Animal. cap.* 4. (pueri vitales naſcuntur, ſeptimo, octauo, & nono, plurimum autem ait decimo, ſed & nonnulli vndecimum attigere) & vellent quidam in diuerſis vnam rationem inuenire, propoſuerunt plures opiniones, ſingulaſque falſas, ſed vnam alia abſurdiorem, è quibus hæc eſt abſurdiſſima. Nam cum imparibus quadragenariis, ac menſibus infans naſcatur ſeptimeſtris, & nouimeſtris, aut impari quadragenaria, vt decimeſtris, licet non menſe, liquet eos, qui naſcuntur ccxl. diebus naſci ſexta quadragenaria, licet dici poſſint nati nono menſe.

Remanet ergo dubitatio de ortu infantis, quomodo dici poſſit naſci rectè in decimo menſe, in medio illius ſi multi ſunt termini pariendi? Reſpondeo quod Hippocrates proponit duo tempora pariendi. Perfectum in cclxxx. diebus, & primum quod etiam eſt perfectum in ſuo genere, & eſt à clxxxij. diebus, & horis xv. vſque ad cc. dies vt declarani ſuo loco, quia eſt quintæ quadragenariæ dies vltimus ducenteſimus. Eædem autem rationes ſeptimani validiſſimi ſunt cxc. die, aut circa, quia luna peruenit ad oppoſitum locum, in quo erat, velut ex coniunctione in oppoſitionem, ex oppoſitione in coniunctionem, ex dextra in ſiniſtram quadram, & ex ſiniſtra in dextram: Extrigono in ſextilem, & ex ſextili in trigonum commutata ratione, & dextri, & ſiniſtri.

Dubium modò relinquitur an conſtituto circuitu certo ortus infantis debeamus ſumere motum, & formationem iuxta eandem normam? Adeò vt ſumatur tertia pars pro motu, & ſexta pars, pro formatione. Et ita in eo, qui naſciturus eſt cclxxx. die, terminus motus erit xciij. dierum, & formationis xlvij. Hoc autem excedit metam. Et ſi dicas quod debet ſumi circuitus à prima perfectione, quæ fit gratia exempli in dimidio anni, erit tempus motus dies xcj. & hoc ſatis bene ſe habet, ſed formatio fiet in xxx etiam in fœmina. Et hoc eſt contra ea, quæ de hoc Hippocrates *tract.* 1. *cap.* 2. ſenſit, & affirmat in illa. De hoc igitur adiiciam ad verbum, quod ſcripſerit Princeps, dicens, (Et vnicuique conuerſioni, aut duabus conuerſionibus eſt tempus ſuper quod ſtatur, ſeu in quo fit conuerſio, & non eſt illud de illis, quæ non diuerſificantur, & hoc quidem diuerſificatur in maſculis, & mulieribus Embrionum, & in mulieribus eſt maior tarditas. Et facientes experimenta, & probationes in hoc non iudicant, quod inter ea ambo in veritate non eſt diuerſitas. Quoniam vnuſquiſque eorum nó iudicat, niſi per rem, quæ occurrit ei ſecundum experientiam eius, & non eſt impoſſibile, quod illud quod expertum eſt in fine, vel in tempore vltimo ſit cadens ſecundum illud, quod ei diuerſificatur: in toto enim illo eſt, quod eſt ſecundum plurimum proculdubio: & plurimum eſt in his, quæ generantur vt plurimum. Et ſpacium quidem ſpumæ eſt vj. dierum, aut vij. & in his diebus format informatiua in Embrione non ſingendo nutrimentum ex matrice, & poſt illud ſugit, & inceptio linearum rubrarum, & punctorum eſt, poſt tres alios dies, & ſunt nouem dies ex principio. Et quandoque fit anteceſſio die vno, aut poſtponitur die vno: Deinde poſt vj. dies alios, & ſunt xv. à conceptione, penetrat ſanguineitas in toto, & fit ſanguis coaggulatus, & quandoque antecedit die vno, aut duobus, & duodecim diebus poſt illud, fit humiditas, caro, & iam diſcernuntur fruſta carnis, & diſcernuntur membra tria manifeſtè: & ſeparantur quædam eorum à contactu quorundam, & extenditur humiditas nuchæ: & quandoque poſtponitur, aut antecedit duobus diebus, aut tribus. Deinde poſt nouem dies ſeparatur caput ab humeris, & extremitates à coſtis, & ventre: vt diſcernat ſenſus, in quibuſdam eorum, & latent in quibuſdã eorum, ita vt ſentiatur illud poſt iiij. dies, qui complent xl. dies, & poſtponitur ratò vſque ad xlv. dies: & minus in hoc eſt vſque ad xxxv. dies, & dicitur in doctrinis primis, quod quando poſt xl. dies ſcinditur ab abortu panniculus ſubtilis, in quo fœtus continetur, & ponatur ille fœtus expoliatus à pãniculo dicto, in aqua frigida, apparet res parua diſcretarum extremitatum, & maſculus eſt velocior in illo toto, quam fœmina. Videtur enim quòd ſit minus ſpacium formationis maſculorum xxx. dies, & minus parturitionis eſt medietas anni, & quod dicemus de proximo. Terminatio autem diſpoſitionis maſculi, & fœminæ in diſtinctione temporum, eſt res quam quædam pars medicorum iudicat temeratiè ſine ratione. Dicunt enim quod primum, quod embrio reſpirans inuexit, eſt reſpiratio: & primum quod operatur virtus formatiua, eſt locus in quo aggregatur caliditas innata, ſeu naturalis. Deinde operatur exitus & meatus: deinde poſt illud incipit nutritiua operari, & apud quoſdam embrio iam reſpirat ex ore: imo reſpirat cum eo maiori reſpiratione, cum com-

pletur in matrice, sed non est super illud significatio, & apud quosdam cum superuenit formationi embrionis duplum temporis eius, in quo formatur, mouetur: & cum superuenit motui duplum eius, in quo mouetur: ita vt sit à prima inceptione conceptionis, vsque ad motum eius triplum temporis tunc nascitur.]

LECTIO LXVI.

Super

TEXTVM XXC.

Non est & est: fiunt autem in iis plura & pauciora: & totum, & secundùm partem: nõ multo autem plura, vel pauciora: pauciora verò tot, & quæcunque alia his similia.

PRima verba F. ne atingit quidem, in quibus tamen continetur, tota vis sententiæ: scilicet, quòd non est ordo hic necessarius in omnibus: & est quandoque necessarius, ratione formæ. Et principium est in materia diuersum, ex se autem certum. Sed dices statim, quomodo an primus, an secundus modus est verus, & ista tertius, & quartus, & eodem modo dubitabit si semper in discretione sint quadraginta ad transitum octuaginta, & ad elapsum ducenti, & quadraginta, quomodo aliæ opiniones possunt esse veræ? Ergo vult, quòd cum statuantur quatuor principia aucta per quinque dies xxxv. vt in prima xl. vt in quarta xlv. vt in secunda l. vt in tertia, vt reliqua consequantur. Propterea dixit, non est initium hoc necessarium, sed neque consecutio. Primum ratione formæ, quia ex motu astrorum fœtus formatio diuersa habet tempora, sed dato principio necessaria esset consecutio, sed non est ratione materiæ. Et cùm dixit plura, & pauciora secundùm totum intelligit seruato ordine inter partes, & tunc stat ratio formæ: & secundùm partem, id est, ratione partium inuicem comparatarum diuersitas accidit.

Non multo autem plura, vel pauciora) Intendit quòd talis tamen excessus, & hæc diuersitas, non est libera, sed angustis terminis continetur, vt si absoluatur in xl. diebus, deberet moueri in lxxx. mouebitur quandoque in lxxviij. quandoque in xc. vel circa.

Pauciora verò tot) Docet quòd pauciora sunt tot, id est, magis determinata. Nam non potest puer nasci in sex mensibus, potest tamen in decem. Et non potest multò minus oriri in quinque, potest autem magis ad xj. peruenire. Et ita declarat, quòd ratio similitudinis in varietate est eadem, sed non in quantitate, quoniam natura facilius fert excessum, quam defectum. Vnde & in victus ratione. [Propterea in tenuibus diætis magis delinquunt ægrotantes, quàm in paulò plenioribus.) Neque enim intendit paulò crassiorem, id est, minus crassum, quam sit ille tenuis. Neque enim esse diæta Hippocrate digna, sed crassior longè, cum illa ad tenuitatem declinet, modo non sit in excessu.

F. in Commento multa adiicit, quorum primum est: quod ponit duas causas formationis fœtus. Vnam quæ constituit materiam & illa pendet à temperamento, & est virtus corporea: alteram quæ figuram præbet, & est diuina, *vt in primo de facultatibus naturalibus. cap. 6.* Et vtrumque subdiuidit in vitium facultatis, & materiæ. Sed hîc emergit dubitatio an facultas possit vitiari? si enim diuina est, non potest esse imbecillis. Item, quia si est in anima erit vt illa. Anima autem est impassibilis, ergo non potest vitiari facultas? Responsio est multiplex primum iuxta Peripateticos anima est in materia: est enim forma corporis: & ideò potest vitiari, non quo ad substantiam, sed meritò instrumenti. Secundùm Academicos autem neutro modo, sed solum ratione operationis, aut facultatis, vt est in materia. Exemplum iris in pariete apud Peripateticos vitiatur, provt lumen est in vreeo, vel in aëre, & ab eo pendet, non per se. Apud Academicos vt in vreeo, vel aëre non vt per se, neque vt ab eis pendet. Ita quòd Peripatetici arbitrantur, quod anima non esset, si corpus non esset. Academici autem quod anima esset etiamsi corpus non esset. Et facultas est in anima, antequam in corpore. Peripatetici autem quod simul non ante: neque integrè, atque vt principium. Secundùm Galenum autem (vt dixi) vult facultatem, quæ constituit substantiam esse naturam: quæ autem formam dat diuinam. Ideò prima potest vitiari, & vt in materia, & per se cum pendeat ex temperamento corporis: alia nonnisi, vt est in materia, cum sit causa diuina. Tertia differentia est iuxta nostram opinionem: facultas non vitiatur vnquam, quia est in anima, & in animatis non est alia facultas, quam quæ est in anima. Ideò vitiantur, solum functiones, sicut radius solis in nebula. Functio autem vitiatur, quia fit per corpus, vt per instrumentum. Et ideo materia non recipit facultatem, nec substantia, in qua est. Propterea dicemus, quod in nostra opinione vitium facultatis distinguitur à vitio functionis, vitiũ enim functionis est, cùm materia recipit facultatem, sed non potest exire ad opus suũ.

Secundò comparat formationem exitui: & dicit: si cotylidones sint validi, & fœtus languidus, tardè exit fœtus: si autem cotylidones languidi, & fœtus robustus, celeriter, quoniam opus fœtus est exire, cotylidonum retinere. Vterus autem fauet vtrique. Nam dum fœtus est imperfectus, retinet: quoniam à calore illo delectatur: & etiam quia aggrauatur multitudine sanguinis, exhauritur. Contra aduentante partu lancinatis membranis, trahitur ac dolet, & ideò conatur eijcere, sed multò magis postquam superuenit compressio illa tenesmoni similis. Et ideò rectè dicit, quod mulieri est multiplex tempus pariendi: cæteris animalibus non ita: & est Aristotelis sed non reddit rationem tamen huius: cùm cætera animalia

etiam,

etiam possint habere fœtum languidiorem, ac robustiorem & cotyledones. Et similiter vt mulieres, & tamen pariunt languidos eadem die, qua etiam robustos. Ideò dico, quod cætera animalia habent diuersa parieudi tẽpora, quò ad numerum dierum, sed non mensium, vt homo. Canes enim pariunt sexagesimo die (inquit Aristoteles) lxj. lxij. & rarò lxxiij. ante lx. minimè: ecce quod tertius mensis earum gestationi dicatus est, non, tamen dies certa præfinita. Quibus etiam assignat quintum mensem non certũ diem. Ita nulli animali certum pariendi tempus, quod ad dies attinet præfixum est: sed in homine, neque quoad menses. Et ita intelligi debet dictum illud Philosophi, nam se explicat, dicens: quòd homini, & septimo, & nono & decimo mense patere contingit. Cùm ergo in cæteris animalibus iam apertus sit vterus omnes eadem die prodeunt catuli quoniam contineri nequeunt alimento defluente: & etiam ob nixum vteri. Quia verò tempus gestationis vteri breue est plerisque, vt canibus, felibus, cuniculis, leporibus: non potest esse discrimen mensium in termino partus. In magnis autem animalibus, quæque pluribus mensibus ferunt Elephanto, camelo, equo asino, & boue. Etenim de equo fatetur *quarto de Generatione Animalium cap.* 10. quod nonnunquam decimo, nonnunquam duodecimo mense parit. De Elephanto quod biennio fert, ideò numerum mensium non determinat, sed annorum solum: in mensibus variare potest. Atque ibidem causas docet termini quidem & finis ex astrorum circuitu: varietatis autem propter materiam, quæ indefinita est, & impedit principij actionem. Ita camelus fert, vt equus, sed certius transit ad duodecimum mensem. Causam autem veram varietatis maioris in homine cum gerat solum nouem menses ex ordine alias diximus: scilicet quod homo non species verè sit, sed genus: recipiatque omnes differentias, licet occultius, vt etiam animal sanguinem, & exangue, & planta, & lapis, & huiusmodi. Cohibetur tamen naturæ legibus arctius, vt non possit in xx. diebus pro creari vt gallina: neque in lx. vt canis: sed tamen magnam varietatem suscipit.

Inde dicit quòd Hippocrates prætermisit differentiam formationis fœtus masculini, & fœminini in vtero, cùm mas formetur in xxx. diebus: fœmina autem in xl. Dicit autem quòd Peripatetici dixerunt ex abortuum testimonio marem in xl. diebus formari, fœminam in quatuor mensibus: Et hoc plurimum differt ab opinione Hippocratis. Nam in fœmina discrimen formationis in xl. diebus à xlij. vt refert Hippocrates posset silentio obliterari, quia Frac. forsan non curauit exactum numerum, sed hoc quod refert de Peripateticis scriptum est his verbis: (Mas qui xl. die exierit, si in quod vis aliud mittatur, diffunditur atque aboletur, sed si in aquam frigidam cogitur: consistitque velut in membranula, qua rupta fœtus, ipse appareat magnitudine formicæ manuculæ: & membra iam inde discreta, tum cætera omnia, tum genitalia constant, & oculi, quemadmodum in cæteris animalibus prægrandes. Sed fœmina, quæ intra tertium mensem eruperit, indistincta est, quæ autẽ quartum adepta est mensem, finditur, & reliquam distinctionis effigiem breui tẽpore accipit.) Dicendum ergo quòd Hippocrates veritatem refert, cum dicat genituram in sex diebus fuisse oui interiori similem, & iam pulsantem, & strepitum edidisse, dum in terram cecidisset, & nos vidimus fœtum ex abortu trimestri exacto, habentem omnia membra, vt infans, nisi quod esset totus ruber, & magnitudine palmi maioris, sed exilis: similem quippe his statuis paruis, quæ venduntur in foro pro pueris Quomodo ergo potest esse similis formicæ maiori: cum semen viri solum sit maius decem formicis? Et ideò credendum est, esse errorem in litera, cùm etiam alibi sententiæ Hippocratis ipse subscribat. Igitur meritò excusandus videtur F. qui cum maximo viro aberrat.

Subdit, quod mas mouetur in xl. diebus: ideò multo paucioribus, quàm in textu. Breuissimus enim terminus est lxx. dierum, vt habitum est supra, quomodo ergo potest moueri in xl. diebus? Quomodo etiam potest moueri tum si maior non est formica maiore: nam & si moueatur incertum erit? Respondeo, quod (vt dixi) illud de formica non recte se habet. Sed cum sit magnitudine passerculi mouetur, quia animal iam est, & sensum habet, & vbi sensus ibi motus: & licet non sentiatur foris, de quo motu intelligit Hippocrates cum manu superposita ventri subsistit. Aristoteles autem de motu occulto, quem sentit sola mater in seipsa, ideò sunt concordes. Propter continuitatem enim sentitur, quivis motus minimæ partis. Cùm ergo in xl. diebus formetur, membra iam sunt & instrumenta, ideóque sensus, vnde etiam motus.

Demum obiicit idem de perfectione, quæ hic ponitur ccx. dierum ad minus, cum vitalis infans nascitur: sed vt deprehensum est in lib. de Septimestri partu dicit, in clxxxij. diebus & parte diei, potest nasci infans vitalis: ergo non primum in ccx. Respondet quod Hippocrates loquitur hic de his, quæ vt plurimum eueniunt non raris casibus. Aliã etiam dat responsionem (nam prior est satis bona) quod commentarium hoc fuit memoriæ causa non exactum, sed oportet propria pro singulis loca consulere.

LECTIO

LECT. LXVII.

Super

TEXT. LXXXI.

Ossium alimentum ex confractione, naso bis quinque maxillæ,& clauiculæ,& costis duplicia: cubito triplicia: Tibiæ, & brachio quadruplicia: fœmori quincuplicia: & si quid in his magis,vel minus potest.

LVxatio fit in ossibus, & repositione statim curatur, aut quam breui. Fractura autem dicitur non solum cùm os ruptum est, sed cum è loco motum, cui per articulum non sit coniunctum. Vt si per suturam, velut ossa capite inuicem: vel aliter,velut nasi, cartilagines faciei. Tum verò tempore quodam vt conglutinẽtur,& restaurentur indigent. Restaurantur autem alimento ob quod tractatio hæc,non minùs prioribus pertinet ad hunc librum. Sed vbi os adhæret potest etiam seiungi citra fracturã partium, licet totum iure fractum dici possit. Fractura rursus vera duplex est: alia cum partes aliqua ossium depereunt,alia cum nullæ.Sunt & aliæ differentiæ plures, de quibus in Arte Medendi parua dictum est,sed hi sufficiunt, & de illis igitur agamus. Proponit ergo quinque genera diuersa tempore ad restaurationem ossa seu cartilagines, nasi vt consolidentur,seu loco,mota seu fracta bis quinque dies exposcunt, antequam ex alimento restituantur: maxillæ & costis, & clauiculæ duplicia, id est, dies viginti: Cubito triplicia, id est, triginta:tibiæ & brachio quadruplicia, id est, quadraginta, fœmori quincuplicia, id est, quinquaginta. Circa hæc notandæ sunt duæ regulæ: vna quòd membrum,quantò est mollius,tantò celerius consolidatur: quoniam velut caro neruo neruus cartilagine, ita cartilago osse. Hoc autem tribus causis. Primum, quia sanguis cum sit mollis admodum, copiam maiorem humidi alimenti subministrat:& ita celerius restauratur. Secundum est,quod in molle alimentum celerius agit, quàm in crassum, & magis operatur.Tertia quòd terminus ad quem deducitur vt pote caro est minus remota à natura sui alimenti, quam cartilago, & cartilago osse.Et minus spacium celerius pertransitur.Et ideò minor cum sit differentia in duritie, & corpore sanguis à carne, quam medullæ ab osse celerius sanguis in carnem, quam medulla in os transit. Est enim medulla nutrimentum ossis. *Tertio de Naturalibus facultatibus. cap.vlt.* Secunda est,quod membrum seu carnea sit pars,seu ossea,seu quæ vis alia, quantò tenuius, tantò celerius consolidatur: & quanto crassius, eò tardius. Hoc autem triplici ex causa prima per se,& primo,secunda per se non primo, tertia neutro modo. Vt cùm membrum magnum sit in tempore, dum consolidari debet, vel mouendo, vel lapsu proprio ob grauitatem funem,quoniã consolidari cœptum est,abrumpit & dissoluit. Minus etiam commodè,stricte vinciri potest, atque ita elabitur tum facilè,tum sæpè. Causa non primò sed per se tamen est, quod suppositis duabus figuris: altera quadrata, altera circulari paris ambitus, circularis serius, quia plus spacij continet impletur. Si enim ambitus sit xxij. dimentiens erit vij. superficies xxxviij. ℵ Sed si quadrata erit maior longitudo multiplicanda, seu latitudo v ℵ quare superficies erit xxx. cum quarta: at xxxviij ℵ superant xxx eum quarta, per viij cum quarta: igitur cum viij cum quarta sit maius quarta parte xxx cum quarta: vulnus seu vlcus A B sanabitur quarta parte tardius vlcere C.adeò quod si C.sanabitur in xl diebus A B sanabitur post l. diem, vt in lij. vel liij.diebus: Alia causa est, quod linea B A longior est latere C. Et ita tardius fiet transitus, & consolidatio etiam secundùm longitudinem. Est autem A b vt dictum est vij.latus C. tantum v ℵ & ita proportio vt xiiij ad xj. Et si dicas quod diagonalis C. est latus quadrati lx ℵ id est, duplæ superficiei C.dico quod diagonalis C. dico quod diagonalis C. est paulo longior A B: cùm AB sit vij ℵ.C.& xj partes ex xiiij. differentia, paruj ex vij verùm non fit consolidatio per eam lineàm,nisi nõ per se. Alia causa non primo licet per se est: quoniam natura redditur anceps in consolidatione. Est enim consolidatio circuli A B quasi quadrati circulum ambientis, tantum enim est fermè consolidare F G latus quadrati ambientis A B,quantum H K partem circuli interceptam eiusdem F G. Differentia autem inter has est magna & manifesta.Sed veniamus ad aliam causam non primam, & dicamus, quod absit dupla D E cùm fuerint ambæ figuræ similes,aut circulares,aut quadratæ,aut oblongæ erunt superficies in proportione quadrupla.Et si longitudo sit tripla erit superficies nonupla. Cum ergo superficies restauretur & alimento indigeat, non lineæ, multò tardior erit consolidatio A B quam D E, & quam existimabitur. Hæc autem nota sunt facilè Geometris.Sed de causa per se scilicet maiore longitudine, latitudine, vt dubium non est, quod maius exigit tempus, quam si membrum sit maius. Hactenus generaliter, nunc singula persequamur.



Animaduertendum igitur secundò est, quod triplex est consolidatio ossium: vera quæ fit per ossis generationem,mendosa quæ per callum: & media quæ appellatur ferruminatio, licet nec propriè dici possit, sed est nomen proprium primo modo, verùm,quoniam

riam ille accepit, aliud nomen scilicet consolidationis seu restaurationis: ideo hoc successit sequenti. Galenus ergo centet *in libro Artis medicæ, cap.* 91 quod ossa solum, & raro in pueris restaurantur. An verò callus per se fiat cum ossa vel immuta fuerint, vel separata, non exiguo spatio? Et tunc licet materia ossea sit, quid tamen, neque formâ, neque tempus idoneum nactum est, ideò non coaluit in eam duritiem. Vnde calli omnes sunt fragiles, recentes ob mollitiem: antiqui, quia non possunt bene nutriri, cum careant medulla in medio. Callus enim cauitate caret. Ossa autem ferruminata sunt, quæ in formam ferræ fracta, & compaginata inuicem coagulantur materia ossea, & cauitas seruatur, & nutrimentum, & ideò ab initio ob os commistum, & post ob alimentum fiunt duriora, quandoque osse eodem ante fracturam.

Circa tempora de fractura nasi dicebat hoc *secundo de Articulis, tex.* 45. sed adiicit quod frangatur ad inferiora: ad summũ enim in decem diebus restauratur: omnesque sanantur. Maxillæ in diebus xx. Ibidem. Sed de costis *in tertio* eadem, quæ hic, refert. De clauicula autem non definiuit tempus: sed *in primo de Articulis tex.* 71. dixit, quod breui coalescit, & subiungit quod ad sanationem pauci dies sunt necessarij. De cubito, quòd in triginta diebus consolidetur, dixit in primo de Fracturis. De Brachio quoque quod in xl. Secundo eiusdem, & quod in totidem tibia in eodem. De Fœmore autem in tertio eiusdem dicit, vt hic scilicet, quod in quinquaginta diebus consolidatur. Habes igitur (vt dixi) historiam perfectam: vt tolum deficiat clauicula, quanquam per breue tempus illud spatium intelligat, quod & alij exponant: præter id ponitur vnum, quod tardissimè coalescit, scilicet, calx confractum. Dicit enim Hippocrates in secundo de fracturis, quod in lx diebus. Nec vllum igitur aliud os tardius, reliqua in his terminis continentur: velut manus, & pes, sub mala costis, & clauicula, id est, in xx diebus, vt ibidem habetur. Hæc igitur quo ad textum.

Et si quid in his) Intelligit res naturales, & non naturales, & præter naturam: In puero primum celerius hæc omnia sanguineo, carnoso, robusto, in tempore Veris, moderato in cibo & potu, bene dormiente, in constitutione calida, & humida se exercente: contra in laborante febre, tabefacto, decrepita ætate, & in Autumno, cum cacochymia, vigili modico, & sicco cibo, & tenui vtente. Et si fractura magna sit, hoc enim plurimum refert. Et si iungatur musculorum ruptura, si multæ partes ossis perierint. Oportet igitur habere rationem omnium. Et maximè considerare curationem: nam si fuerit obliquè deligatus, aut non strictè, aut nimis strictè, aut æger nimium se voluerit, longè tardiùs perficietur curatio. Et si phlegmon antea superueniat magnum impedimentum affert. In initio ergo mittendus sanguis, purgandus, victus tenuis, & tamen ex his, quæ lentum efficiunt alimentum, dandus est velut far. Est enim valdè vtile, sed in pauca quantitate. Et in eo perseuerandum, donec dolor, & corporis repletio manserit: quo sufficienter euacuato, & doloribus cessantibus, & alijs malis symptomatibus, dabis pedes vitulinos, & suillos cum farre: post transibis ad carnes vituli, & apri, & castrati. Vinum autem nihil boni afferre potest, nisi ob consuetudinem, vel appetendi facultatem, ac concoquendi excitandam. Post etiam augenda est quantitas eiusdem, scilicet cibi. Et scias, quod restauratio ossium fractorum quantò tardiùs absoluitur, tanto est melior.

LECT. LXIIX.

Super

TEXT. XXCII. & XXCIII.

Sanguis humidus, & sanguis solidus: sanguis humidus bonus, sanguis solidus malus. Ad aliquid omnia mala & bona

QVi sit sanguis humidus, satis liquet, sed quem appellet sanguinem, difficile est intelligere: quoniam vni plura sunt contraria, velut densatus, & concretus, cum est extra venas: & vocatur trumbus. Et qui est crassus secundum substantiam: vel qui iam transiuit in humidum, ex quo membra nutriuntur, hoc non potest intelligi, quia tale persæpè bonum est, imò plerumque & naturà per se bonum est. Hic autem dicit, quod est malus ille sanguis. De sanguine autem fæculento, aut fibroso, aut denso est diuersa ratio: cùm talis possit esse in venis: densus quidem substantia bonus est, imò optimus, vt visum est? non ergo malus, fibrosus etiam bonus est. Nam cum sanguis concrescat, quia fibrosus, qui non concrescit extra venas malus est: igitur sanguis fibrosus non est malus naturâ. Fœculentus autem est etiam bonus, & vtilis, vt liquet *secundo de facultatibus naturalibus, cap.* 8. & etiam non potest dici solidus, igitur de nullo istorum intelligit. Intelligit ergo per sanguinem solidum illum, qui iam diu effluxit à venis. Et intelligit quod sanguis humidus est bonus. Primùm, quia est secundùm naturam, & quoniam venit à venis. Nam extra concrescit vt etiam in corde, & pulmone in animalibus, quæ ingulantur: tertiò quia est calidus, concretus autem est frigidus. Naturâ ergo semper sanguis humidus, seu liquidus est bonus, concretus malus. Sed quoniam sanguis cum sensu deprehenditur, quod sit humidus, seu solidus, necessariò est extra venas: ideò differendum est de sanguine concreto, & humido extra venas. Nam concretus est, vndequaque malus, humidus autem non. Tria enim considerantur in sanguine, qui exit, quod est vt exit, & vt exiit. Quod est sanguis humidus, est bonus naturalis fluens calidus, spiritu plenus boni caloris: solidus semper malus non fluens, frigidus mali caloris, præter naturam. Impediens igitur sanguis solidus semper malus, humidus bonus. Vt autem

exit

exit sanguis humidus, significat malum per se, quoniam exit, & concretus etiam seu solidus. Hoc enim est præter naturam exire è corpore. Non enim retinetur à natura cuius est thesaurus. Vt autem exiit sanguis fluidus est bonus, si secundum naturam exierit, aut præter naturam à principio non errante. Si autem à principio cogente naturam, & aberrante, est malus: vt in vulnere, & in sectione venæ, à medico aberrante in ruptura venæ: vbi natura cogitur, & vim patitur, atque iniuriam. Et ideò bonus est etiam, quod exeat. Nam quòd sit malus, est per accidens (vt dici solet) seu fortuitò. Cum enim sit fluidus, paret naturæ: natura autem (vt dixi) dirigitur à mente, quæ non errat: neque deliberat inter contraria, aut de illis. Sed solidus cum exit malus est: in exitu enim sequuntur, aut sanguinis profluuia, aut syncopes, & sudores frigidi. Et non alleuiatur æger, quoniam plus afficitur patiens in exitu, quam iuuetur ex exitu. Et hæc est natura sanguinis concreti. Et si exeat in fluxu sanguinis narium, significat deiectionem virium, aut profluuium sanguinis non cessaturum. Sed caue, quia sanguis, qui exit leuiter è naribus, non dicitur exire solidus: est enim refrigeratus extra corpus in nariũ cauitate, & fluxit è corpore liquidus, & ob frigus aëris concreuit, & de hoc non est sermo: sed de eo, qui iam concreuit intus & exit solidus. Nam omnis sanguis (vt dixi) qui exit, vbi exierit fit solidus: etsi non fiat est malum signum. Sed intelligitur de sanguine, qui exit concretus è corpore. Nam si exit protinus è vena, solidus non exit, nisi in fine, vt in suibus dum iugulantur: & tunc significat venas esse adeò sanguine vacuas, vt sanguis, qui relictus est sponte concrescat, & hoc est signum mortis: & tunc si quis suè relinquat: breui tamen per se morietur. Idem accidit reiectantibus sanguinem ex pulmone per tussim, aut ex iecore per vomitum, & per inferna: & etiam per hæmorrhoidas. Sed si exeat non protinùs ex vena, sed velut ex vesica, vtero, ventriculo adhûc est malus. Sed ex ventriculo deterior, inde ex vesica, inde vtero, quia cum exeat solidus ob refrigerationem loci: & refrigeratio loci fit eo deterior, quo locus est natura calidior, ideò deterior est, ex vesica, quam vtero, quiâ vesica est calidior vtero: & à ventriculo, quam à vesica, eadem ratione, & à cerebro. quam à ventriculo, & à iecore, quàm à cerebro, & à pulmone quàm iecore, & à corde, quàm pulmone. A corde etiam exiens sanguis concretus necessario mortem præsentem significat. Sanguis ergo solidus exit, à loco qui non est intra corpus, vt à naribus, ore, vteri, collo, & nil significat. Aut à loco, qui non est vena, vt à ventriculo, vesica, vtero, intestinis, & habent cauitatem magnam, & ille est deterior. Vel à venis loci, non valde calidi, vt à renibus, & liene, quia ibi sunt cauitates paruæ, & est deterior priore, & quasi medius inter illum, qui exit ex venis ipsis, præsertim magnis, & magis etiam arteriis: quemadmodum ex cerebro, pulmone, corde, & hic est pessimus. Nec ex hoc sequitur, quòd si sanguis ex ventriculo concretus, exiens, sit deterior, quàm ex vesica, quod sanguis concretus retentus in ventriculo, sit deterior: quàm retentus in vesica: cùm Galenus sexto de locis fateatur illum inducere lethalia symptomata, nec quenquam euasisse præter vnum. Et hoc accidit ob angustiam loci. Quod etiam euenit in retẽto, in cerebro: & pulmonibus, ob guttur quod est angustum. Vel si locus sit remotus à via: Alia causa est frigiditas vesicæ, quæ magis læditur, quàm pulmo, vel cerebrum causæ ratione, licet vt signum accidat contrarium (vt dixi) Sed si obiicias exiens malum significat: si retineatur peius. Dico quod debet exire dum fluit, si vires sunt validæ. Si non debet à calore validò verti in pus, & tunc exire, & hic est secundus modus.

Ad aliquid omnia mala, & bona) Id est, sanguis solidus in aliquo casu potest, dici bonus, si exeat vt liberat ægrum à maiore noxa. Sanguis humidus quandoque malus, vel cùm à causa violenta exierit: vel copiosior, quàm debeat. Sed hæc vicissitudo in hoc non est ex æquo: quia rarò humidus, & malus, & longè rarius solidus est bonus, licet quandoque accidat vtrunque ob materiam, & causas diuersas.

TEXT. LXXXIII.

Via sursum, deorsum vna.

HVnc locum non assecutus est. F. Non omnia possumus omnes: intelligit contrarium eius, quod dicitur. Nam cum via à Thebis, ad Athenas eadem sit, quæ ab Athenis ad Thebas, vt dici solet, & à naribus ad cerebrum, & à cerebro ad nares: ab ore ad anum, ab ano ad os, & ita de omnibus aliis, tamen dicit motus est diuersus, ac magis contrarius, quàm si ad latus declinaret. Et ideò dixit 4. *Aphor.* 25. sanguis qualiscunque fuerit suprà malum: infra autem nigra deiecta bonum est. Non est maior pugna, & nil magis contrarium, quàm quod ex eodem est: seu cum in diuersa tendit, seu in rectis, seu obliquis. Et ideò voluit nos monere, quod cum contraria sint in eodem genere, & iuxta idem, & via sursum, & deorsum sit vna, quod quæ sursum, ac deorsum feruntur, illa maximè contraria sunt. Et ideò maximè formidanda, vt in ileo vomitus fœcum. Et si flatus recurrant ad ventriculum: facilè tamen est ea, quæ sursum repunt, ad inferna deducere, eo quod via est vna, licet motus sit contrarius. Eo autem quo sermo est generalior plura dici possent: & tunc pauciora sunt dicenda. Non enim est hoc declarare authoris mentem, vt solùm id generale explicetur, sed capitulum in capitulum protrudere, & omnia confundere: cum non habeamus ducem, nisi ad illud generale.

LECT.

LECTIO LXIX.

Super

TEXT. LXXXIV. LXXXV. & LXXXVI.

Facultas alimenti melior, quàm moles. Moles alimenti melior, quàm facultas.

CVm alimentum (vt suprà declarauimus) sit quod mutatum est, aut mutari debet in id, quod nutritur expers sensilis alienæ qualitatis. Hic loquitur de futuro alimento, velut leguminibus, fructibus, oleribus atque proprio, id est, temperato, aut temperamento proximo, qualia sunt panis, & oua gallinarum, & maximè vitelli, & caro. Nam licet caro sit calidor, cùm tamen aliquorum animalium sit frigidior, vt cuniculi, testudinis, necesse est, vt aliqua sit temperata. Et ideò cadit difficultas de vino, & piscibus. Sed de vino dico, quòd cùm quædam sint calida vt flaua, prannium, phalernum: alia frigida, alba erunt media temperata, parùm vinosa & rubra, aut media inter flaua, & alba. Frigida vina vbi nascerentur Galenus non prodidit. In Germania iuxta Rheni ripam, & in Italia in locis aquosis. Sed de piscibus quomodo possint esse temperati, cùm sint frigidiores humana natura? Et ideò dico, quod pisces sunt frigidi saltem generali ex natura: tamen quia adeò celeriter petrosi ac mollis carnis concoquantur, & mare est proximum temperamento: & pisces eius ideò concocti deducuntur ad temperamentum, maximè in febricitantibus, in febre consumptis, in iuuenibus, in bilioſis temperaturis. Dicit ergo quod eiusmodi cibi, velut etiam caseus butirosus (vt sint sex propriè: panis, vinum, caro pisci, & lac, & oua, & non sunt alia generaliter) sunt vtiliores sub parua quantitate, & citiùs restaurant corpus deficiens cibis aliis, qui parum nutriunt, & in multa quantitate assumuntur: vt inter olera boragine, quæ proximior est temperamento, quam lactuca, & si vis, lactucam præferre non contendo: & vua ac ficubus, quæ inter fructus sunt, & ipsa proxima temperamento: & inter grana oriza, & inter legumina phaselus seu Faselus, & dolichi seu phaseoli, & faba vulgaris nostra, quæ est Ægyptia. Aut enim temperamento proxima, aut talia videntur ob substantiæ crassitiem, & inter furculos asparagi. Ex his igitur dicit Hippocrates non adeò bene nutritur à multo, sicut à prioribus à pauco. Tum quia difficilius conficiuntur: & ideò tardius, & deterius: ergo non adeò bene restauratur corpus: tum quia nutrimentum est excrementitium, & ideo non tam bene temperatum. In imbecillibus ergo & etiam benè sanis tales cibi sunt meliores, quàm copia parum nutrientium. Viuunt enim homines longiori tempore si sint densæ substantiæ, & minùs ægrotant, & à morborbo celerius restaurantur.

Moles alimenti melior est, quam facultas Tribus in casibus hoc accidit: ob consuetudinem, ob magnitudinem ventriculi, ob habitum pichrocolum. Ob magnitudinem ventriculi, si parum comedant, non constringitur ventriculus super cibum, sed remanet spacium inane, & fiunt flatus, & non concoquitur cibus, & ideò melius se habent cum plurimo cibo, licet non adeò bono: ob consuetudinem autem, quoniam consuetudo licet plus non possit quam natura in principio operationis, in modo tamen operandi plus potest. Velut consuetudo non potest facere vt homo melius canat philomela: tamen potest facere vt hominis vox sit propior voci philomele, quàm humanæ. Et consuetudo non potest facere, vt ventriculus hominis concoquat ferrum, vt struthiocamelus, tamen potest facere vt concoquat propiora ferro, quàm cibo humano, vt ossa & cornua. Et non potest facere vt alatur serpentibus vt ciconia, sed tamen vt possit concoquere serpentes: adeò vt natura hominis sit propior naturæ ciconiæ, quàm humanæ. Causa autem cur consuetudo tantum possit, maximè in ventriculo, & ratione concoquendi prima est familiaritas. Vt enim homines gaudent familiaribus, vt non possint esse sine illis, ita etiam ventriculus. Vbi continuerit cibum sibi familiarem amplectitur, constringit, & ita melius concoquitur. Secunda est, quod ex motu illo cor, & iecur transmittunt calorem naturalem vberiorem: vnde coctio melius perficitur. Ideò qui sine fame comedunt, nunquam bene concoquunt. Tertia est peculiaris etiam magis ventriculo, quàm duæ præcedentes. Et est quod ventriculus transmutatus est in naturam illius cibi, & ideò concoquit illum, quia iam simle simili celerius per se assimilatur, quam dissimili. Quarta quoniam natura iam consueuit ex eo cibo generare aliquem humorem gratum alicui membro, vtpote pituitam pro intestinis intestina iam assuera trahunt, & adiuuant ad coctionem rei, quam deliderãt. Ob habitum quoque pichrocolorum, aut febrem conuenit, vt cibus sit medicinalis: vtpote lactucas pro refrigerãdo & hnmectando. Cibus medicinalis non potest esse paucus si debet nutrire, quia iam pars medicinalis superflua est, ideo oportet vt sit plurimus. Inde subdit.

TEXT. XXCV.

Et in humidis, & in siccis.

TTria sunt geaera alimenti, potus, sorbitio, & cibus. Cibus dicitur esse siccus actu, vt potus humidus, sorbitio media. Sic enim intelligebant veteres Hippocrates in libro de veteri medicina. Et ideo dixit Philosophus *secundo de anima, pag. 3. text. 28.* quod fames est appetitus calidi, & sicci; potus frigidi, & humidi: cum ergo sorbitio liquida sit, specie est magis

humida,quum ficca:re autem cùm magis extinguant famem,quàm sitim,est magis sicca, quàm humida. Dicit ergo quod tam in potibus, quàm cibis plus refert qualitas, quàm moels. Et aliquando plus moles,quam qualitas. Hinc magni nodi dissolutio in medicina apparet. Nam cùm Hippocrates longo processu in *prima Aphorismorum de victu tenui à 4.vsque ad* 11.agat,existimarunt plerique, quod de victu loqueretur tenui etiã in quantitate, cùm tamen de senibus loquitur, incipit de quantitate loqui. Facultas enim mole in ægris præsertim plus potest. Nam de quantitate loquitur ibi. & quibus semel, aut bis, & quibus plura ne an pauciora dare oporter, considerandum. Cõdonandum etiam aliquid est : nam cùm sint duæ res,facultas & mores, non solùm non erat verisimile,sed neque rationi conueniens,vt de ambobus simul determinaret : etenim confusa fuisset doctrina. Si tamen quis secus contendat,neque litigabo, neque hic locus esset litigandi. Vnum tamen velim te scire, non esse quantitatem cibi in ægris adeò mutandam , vt qualitatem ad cibos,qui mediocriter nutriunt,& facilè & humidi sunt, ac etiam moderatè frigidi,è quorum numero est ptisana. Non enim tantam mutatione facere decet,præsertim cùm paucus cibus in eodem temporis spatio nutriat: & bonum præstet,aut malum nutrimentum, solidum, aut quod statim diffluat. Nam calidum, aut frigidum ad medicamenta potiùs, quam ad cibum pertinent. Inde sequitur.

TEXTVS XXCVI.

Detrahit & apponit. Huic quidem detrahit, huic verò apponit idem.

IDem cibus extenuat vnum, & alium impinguat:veluti cibaria leuia, & tenuis alimenti in corpore calidiore, & raræ cutis, & ventriculo calido extenuant ipsum, & nonnunquam etiam in eodem corrumpuntur: Vt docebat Galenus *in lib. Artis Medica.c.*62. At in corpore frigido, & humido:alunt plurimum,& bene vt oua auium,carnes.& quæ aromatibus condiuntur. Cõtraria ratione caro suilla,anatum,& caseus,& panis sine fermento, & castaneæ in calido, siccoque ventriculo, & homine robusto , & qui quotidie exercetur,bene alunt, & robustum faciunt, adduntque vires,& bonum habitum creant: at in corpore densæ cutis , sene imbecilli, pituitoso detrahunt,& vires & carnem,sanguinemque minuunt. Meminisse enim oportet eorum, quæ superiùs dixit : Alimentum quandoque ad incrementum , & adesse, hæc verò adesse solum, vt in senibus,hæc autem ad hæc , & ad robur. Sunt autem corpora quandoque extenuanda , quandoque implenda, quod est frequentius. Meminit Galenus de Nicomacho Smirnæo *in lib. de morborum differentiis,cap.*9.quem refert ab Æsculapio curatum. Et apponimus contraria ratione in tabidis conualescentibus, & his,qui diu in tritemibus fuerunt , vel fame enecti. Detractio igitur vni conuenit,alteri appositio. Sed cibus vni detrahit , alteri apponit. Rursus hoc fit facultate , aut male , & iam sunt octo modi ex tribus diuisionibus. Sed moles diuiditur in quantitatem,& numerum, & vtrumque vt consurgant xxiii. modi. Ac facultas in id,quod plurimum nutrit,& parũ: & facile, & difficulter, & tenue, & crassum, & bonum , & malum. Et sunt modi xcvi. ex alimentorum differentia:sed si singulos modos duxeris per contraria,fient innumeri. Cũ ergo considerauerimus alimentorum species, & etiam multiplicauerimus per differentias sicci, & humidi,habebimus potestatẽ illorũ, & finem. Ob tantam igitur multitudinem oportet rem ad pauca capita redigere. Primũ ratione finis si volumus augere corpus , aut minuere. Nam de viribus , non est dubitandum. Inde ratione agentis:calor enim,quantò maior,eò magis de aliméto indicat,& numero mediocri, seu consueto. Vires contra, quantò minores, eò magis indicant de cibo augendo etiam in numero. Et multitudo cibi ad mediocritatem referenda caloris:nam si plus, suffocat:si minus absumitur corpus, dicebat Hippocrates. Quintò vt consideremus an facultate potius, quàm mole opus sit:velut dictum est de pichrocolis,quibus quantitas potius,quã facultas vtilis est:contrà hecticis licet in vtrilque calida,& sicca intemperies dominetur. Sextò vt consideremus morbum, qui negat de cibo danda, & similiter causam eius,vt vires de dando:Symptomata autem vt comparantur diuersa ratione indicant:crisis enim,& coctionis negant:imbecillitatis vitiũ indicant. Septimò vt de forma cibus sanis , sorbitio mediocriter ægris, potus grauiter laborantibus.

LECT. LXX.

Super

TEXT. XXCVII.

Venarum constrictiones:& respiratiò spiritus secundùm ætatem : & consonantia & dissonantia : & ægritudinis & sanitatis signa : & sanitatis magis, quàm ægritudinis , & morbi magis , quam sanitatis. Alimentum etenim & spiritus.

AMbitiosa quibusdam videri posset hæc libri compositio, in qua non solum de causis , & effectibus alimenti Hippocrates *text.*53. tractat, sed etiam ad signa pertrãsit. Inquit enim quòd spiritus cũ sit alimentum, vt supra visum est, & de spiritu hic tractare potest:quoniã de Alimento tractat. Species enim sub genere continetur. Et duas species spiritus attingit, venarum (scilicet pulsatillum,

lium, quas arterias vocant) constrictiones supple, & dilatationes. Quod est dicere pulsus, qui in carpis habentur, & cæteris locis. Tangit ergo duo præcipua in vtroque comparationem ad se, & ad naturalem causam, quę est ætas. Et sub ætate intelligimus regionem, tempus anni, constitutionem, rationem victus, & habitū acquisitum, artem & exercitationem, sexum, tēperaturam. In masculo enim & regione calida, & sicca, & æstate, & fabro, & homine biliosō solicito, vtente multo vino, constitutione itidem calida, & sicca, qualis proximè ad Cometarum visionem recentē, viro macilento pulsus ac respirationes erunt altiores, maiores, celeriores, frequentiores. Itidem & respirationes, & pulsus si sint iusto bis maiores: tū significabunt intemperiē acquisitā, & auctam in corde per se, aut per cōsensum. Et si magis excesserit etiā febrem, aut aliquid simile. Et si multo magis magnam febrem, & causā illius vehementem. Et si accedat & recedat symptoma, & si adhuc magis mualeficat morbum grauissimū, & si magis mortem etiam proximam. Quia verò de pulsibus Galenus abundè egit in illis xvij libris; Hippocrates *in progno.* autem, & nos illum explanando differentiis respirationis, & nonnihil etiam Galenus in libris de Difficultate spirandi egit: ideò hic solum superest, vt doceamus comparationem spiritus, & pulsus: ex qua habebimus dignotionem vtriusque. Compositum enim & relatiuum, & cōparatiuum & similia, non possunt p rfectè intelligi, absquè intellectu partium, & eorum quæ comparantur. Sed enim differentia pulsus, & respirationis prima vt vna est: quoniam pulsus fit solum à facultatē cordis vitali, quæ est in illo, arteriis, vtq; ē communicantur reliquā: respiratio autem ab animali & vitali. Et licet Galenus concedat hoc ratione significari: negat tamen ratione causæ: & vult, quod sit motus voluntarius. Et post dicit mirabilia, quę nec suis, nec alienis principiis consentiunt, neq; experimentis. Nam dubium nō est, quod ea vis, quæ mouet hora somni profundi pectus, & thoracem, & dum homo est extra sensum, & prope mortē est vis vitalis communicata cerebro, & inde nervis, per quam, licet per obiecta exteriora cognoscit ea, quæ sensibus subiiciuntur, & de quibus deliberat: ita monetur à superiore illa vi absq; eo quod deliberet & mouet pectus, quantū satis est his tēporibus, modò possit. Et si nō ex alio persuaderis (ob sectas, ac Galeni nomen) saltem illud te moueat, quod ex longa cōsuetudine pectus didicit moueri, ex habitu perpetuo, & habitus ille habet principium à voluntate, sed tamen mouet etiā citra voluntatem. Et hoc est manifestum, quia sicut conuulsio est motus non voluntarius, sed corruptus, ita etiam adest suus motus naturalis. Forsan possumus absoluere doctrinam hanc omissa istiusmodi disputatione, transeundo ad principium motus, quod maximā partē sit dubio procul à neruis (naturalis enim, qui in attonitis seruatur, est valde paruus, & exiguus) & super neruos, ergo & vim cerebri significabit respiratio, tanquā super facultatem, & instrumentū: at vero super causam, supra calorem cordis, & pulmonis. Sed & hic etiam impedimentum obiicitur, quo inducto via adhuc occlusa manet: Est q; id, quod si calor cordis mouet respirationē, reddendo illam ampliorem, velociorem, & crebriorem, & idem in pulsu: nō videtur quod respiratio tota pendeat à cerebro, & etiā non videtur differentia pulsus à respiratione? Et dico quod respiratio pendet à cordē, aut à fine, non efficientes, sed à cerebro: pulsus autē à corde, & vt efficiente, & forma, & fine, sicut dicit philosophus *secundo de Anima. tex. com. 36.* Nec absurdum est etiam constituta vnica anima, licet ipsa sit omnium causa secundùm formam, finem, & efficiens, vt tamen ad corporeum principium comparatur, vt non sit primum principium corporeū, causa in triplici genere. Quod apparet de fine: nam nerui optici sunt facti propter oculum, vt finem, non propter cor, sed tamen ob visionem. Et si neges saltem non primo. Ergo simili modo ac differentia pulsus, & respirationis quòd ad medicum spectat est (hoc supposito principio, quod respiratio est voluntaria iuxta hunc sensum vt moueatur, vel vt à principio deliberante, vel vt voluntas mouetur à principio, non deliberante, vt docetur *secundo Physicorum 7. com. 86. A cap. 7. ad 10.*) ex Galeno primo de difficultate respirationis, quod aucta caliditate, primum in vtroque magnitudo, inde etiam celeritas, & frequentia, si magis augeatur, intenduntur. Caliditate rursus imminuta præter naturam contraria ratione rarior & inde tardior: si multum, minor fit, & pulsus, & respiratio. Nam neque viribus stantibus minui multum à naturali statu, alterum istorū potest. Atque hæc in omnibus causis, inquit Galenus seu augentibus, seu minuentibus caliditatem dicta sunt, modò facultas maneat illæsa. Velut ex ira, exercitatione, cibo, potu. Sed fit calor cum viribus decedat, & inspirationes, & distentiones, pulsus fiunt celeres, atq; frequentes: non tamen magnæ, imo paruæ. Melius autē est, non solum in pulsibus, & respirationibus, hæc seorsum considerare, sed Galeni exemplo magis etiā distinguendo ab inspiratione expirationē, à distentione contractionem, vt sit contractio exspirationi, distentio similis inspirationi. Non minus enim fermè hæ inter se differunt, quā respiratio ab ipso pulsu, quod ad causas vtrasūque attinet. Tria igitur sūt perpetuò in his obseruāda, similitudo & differētia inter pulsus & respirationes: inter contractionē & distentionē: inter causam solā, quæ mouet vires, & facultatē, tanquam finem, & quæ efficit motum, scilicet, quæ facultatē mutat. Ergo ætas, sexus, regio significāt penes incrementū caliditatis: sed ætas etiam manifestè minuit, aut auget vires. Eadem de balneis, somno, qualitatibus animi Venereis. Et in morbis quoq; non ipsi solùm, sed etiam causæ, & symptomata sūt attendenda. Et morbi quidem ac reliqua ex his; licet minuant vires, tamen intelligenda sūt in textu, scilicet vt magis, aut minus vires lædant. Nam parua læsio, vt in leui tertiana, & in ephemera, & parua habitus corporis mutatio, vt in quotidiana, pro nulla deiectione, aut mutatione habentur. Contingit ergo differentia, velut in magnitudi-

ne, celeritate, & frequentia tam contractionis, quàm expirationis, cùm corpus, aut humoribus, aut cibis, & potibus plenum fuerit supra inspirationem, atque extensionem in pulsu. Quod cùm contigerit citra cibum ac potum, pulchrum præbet experimentum, atque vtile conseruandæ valetudini, de humorum multitudine. Hoc autem & in febribus. Nam in quotidiana expirationes, & contractiones pulsus multum variabunt à distentionibus, & inspirationibus. Et hoc est quod dixit Hippocrates. [Et sanitatis & ægritudinis signa.] Sed iam ad propositum principale reuertamur, scilicet, in quibus differãt pulsus ac respirationes (nam vt optime dicit Frac. hoc loco clarè patet pulsum agnouisse Hippocratem, atque perfectè) primùm quidem quòd si instrumentum respirationis dolore quauis causa laboret: non dilatabitur, quantum oportet, ideò tantundem fiet celerior respiratio, & crebrior: eodem vt & naturali caliditati, & si qua præter naturam superaddita sit, satisfiat. Secundum quòd si delirium adsit, respirario fit rarior: vtpote natura oblita muneris sui, vt etiam in ambulantibus. Nam dum intenti aliis cogitant, remittunt de velocitate ambulationis. Sed augetur tantò plus magnitudo, quantò frequentia facta est minor. Interdum tamen cũ magnitudo aucta non sufficit ad raritatem compensandam, eueniunt alta suspiria, in quibus multum aëris præter solitum dilatato pectore, & celerius quam pro consuetudine trahitur. Sed si natura non intenta obliuiscitur naturalis frequentiæ, cur meminit insolitæ magnitudinis? Hoc sanè mirum est, sed credamus Galeno ita volenti, postquam aliã causam non habemus verisimiliorem eius, quod certè euenit.

Inde tertiũ ex his contingit: nam cum pulsus quidẽ ad magnitudinem deueniat, in primo casu fiẽt rariores & tardiores respirationibus data ratione: in secunda frequentiores etiã, & celeriores respirationibus, iuxta proportionẽ. Nã respiratio in me tripla est pulsationis, cũ sim naturæ sanguineæ ætatis annorũ lxxiij. exactorũ. Vidi & in puero boni habitus annorũ circiter xiij. qui etiam triplã seruauit hanc proportionẽ: & in quatuor respirationibus xij. pulsus eleuatus est. Et cũ ascendisset scalã, æqua ratione, cuncta facta sũt maiora, celeriora, crebriora. Vidi & in bilioso & melancholico, & alio pituitoso sanguineo, & in omnibus fuit par proportio. Si tamẽ pectus angustũ fuerit, & arteriæ magnæ erit minor; si latũ, & arteriæ angustæ maior.

Et sanitatis magis, quàm morbi) Id est, quia corpora ægra etiam sanitate participant: & sana licet morbosa nõ sunt, tamen ægra: quoniam ægra appellat, in quibuus morbus vincit: sana, in quibus sanitas. Cum ergo tria sint causa, quæ est finis, instrumentum, & vires. Quòd ad causam, quæ est finis, partes sunt respiratio, & pulsus, licet in pulsu sit euidentior differentia, quia est causa etiam efficiens: sed in viribus est variatio vitalis, & Animalis. In instrumento verò etiam manifesta: & planè in pectoris affectibus. Sed & inter inspirationem, & expirationem, contractionem, ac dilatationem.

LECT. LXXI.

Super

TEXT. LXXXVIII.

Humidum alimentum facilius transmutatur, quàm siccum. Siccum alimentum facilius humido transmutatur.

LOqui ipsum de alimento potestate, seu, quod futurum est alimentum, cum Fr. sentio. Humidum alimentum, id est, quod est humidius temperamento, difficile transmutatur, quia tardè assimilatur, vt siccum in sicco. An verò per humidum, & siccum intelligat actu tale, an potestate. F. dicit actu, id est, liquidum: ac sic falsum esset quod ab Hippocrate dicitur: in talibus potestate cum hæc vera sint, nemo est, qui ambigat sic debere intelligi. Verum quid sit humidum, ac siccum, cum à pluribus disputatum sit, omninò adhuc incertum est: quoniam neque Philosophi supponunt, quæ supponere debent, neque Medici integrè ratiocinantur. Vnde quid de Anima, mente, cœlo, materia prima, & incorporeis loquantur, credendum sit, quorum natura nostris sensibus abdita est, intelligere pores, cum in hoc ipso, quod sensibus est obuium, atque tanquam primũ, ac simplicissimum, plurima dubia sint: certi nil plus, quàm quod cuique opifici notum est. Nam esse humidum, & siccum bifariam, potestate ac actu id dubium non est: sed iam quale sit in ipso primo ingressu cespitans. Quod etsi notissimum adhuc esset, plurimas relinquit difficultates, & quæstiones non definitas. Demùm etiam illis adhuc cognitis, non licet eadem medico dicere, de illis, atque sentire, quæ Philosophi censent: cùm hæc hi ad totam naturam comparent. Medici verò ad hominis solum. Propterea vt tantam rem, & obscurum chaos aggrediamur, ordinem quemdam instituere oportet. Primùm definientes omnia secũdum Philosophos: quoniam vniuersalis doctrina propriam præcedit, & illi est necessaria. Secundùm vt Principia ipsa à sensibus discamus, & illis Philosophi verba accomodemus. Tertium vt videamus in quibus differt medici, ac Philosophi consideratio. Quartum vt Principia pro medicis rursum accipiamus ex sensu, illisque dicta medicorum adaptemus. Demùm vt omnia dubia, quæ in hac materia oriri solent, aut saltem præcipua doceamus. Est autem hoc principium non solum medicis doctrinæ, de Alimento (quam præmanibus habemus) sed generationis, nutritionis incrementi curationum, & medicinarum notitiæ necessarium. Et cum dico necessarium; valdè etiam vtile intelligo. Sic & Philosophis de omni corporea mole, aut mutatione, quæ fit, aut per qualitatem, aut substantiam, aut densitatem, ac raritatem loquentibus: cùm etiam nonnihil ad localem motum appellatum conducat. Disputat autem

tem Philosophorum Princeps de his præcipuè in duobus locis Metheororum, scilicet quarto & secundo de partibus Animalium: vt quicquid hic retulerimus, ex altero horũ locorum, ne toties illum, illiusque libros adducere cogar, dictũ putetis. Definit ergo primum quod notius est, scilicet humidum atq; siccum actu, dicens. Humidum id esse quod alieno termino continetur, siccum verò quod proprio: adeò verò extendi actum hunc, vt etiam naturam actus mutet. Nam terram dicit humidam esse, & cinerem aquæ mistum: cùm tamen non solùm potestate, sed actu etiã vtrumque horum siccum sit. Et humidũ quidem, quod terminum sumit ab alio, *vt in secundo de Generatione & interitu cap. 2. seu tex. com. 9.* ait: sic etiam pulueri tenuissimo competere videbitur, si aliter intelligeremus siccum esse quàm quòd propriis finib. circũscribitur humidũ quod non potest. Nã pulueris quælibet pars primã suam habet figurã, quamuis vix sensu perceptibilem, & etiam si ad reliquas partes conferatur, formam quãdam retinet. Concretus enim ad formã Cylindri aut pyramidis, inde subducto vase formam eam retinet: aqua autem & oleum non sic. Quædam autem (vt necesse est in huiusmodi) naturam mediam habent, vt mel, & oleum frigore concretum. Aqua verò in puluere à natura vniuersi formam retinet rotunditatis, non nisi à vi siccã, quæ in illa vasis gerit vicem adipiscitur, & retinet. Hydrargyrium autem, & si rotundum fiat, non forsan prorsus humidum dici debet. Sed non est locus hic disputationi, tum quia non de singulis sermonem instituimus, tum quia (vt dixi) ad hominis naturam comparationem facere decet. Est ergo siccum actu, quod propriam sine alio auxilio retinet figuram: humidum quod non potest retinere, nisi cum auxilio aliquo. Vnde glacies quamuis potestate sit humida, actu sicca est: contra acetum siccum potestate, licet actu humidum. Siccũ etiam ferrum igni liquatum, & alumen, & chalibs potestate licet actu humida sint. Quod autem humida, & sicca qualitas actiuæ non sint, sed solùm passiuæ, quamuis vtroque modo appellentur, cum alibi disputatum sit in Contradicentium primo libro: nunc autẽ eatenus statuendum est, vt humidum ac siccum propriè patiãtur vt substant ã definiunt. Calor enim & frigus non mutant substantiæ naturam, nisi tempore, & vt humectant, aut siccãt (sed neque liquabilium, aut non liquabilium formæ sunt) sed agentia tantum. & neque etiam semper, nam adamantem non liquant. Humidum verò & siccum mutant substantiam, & diuersam illam esse ostendunt, & per se, & absque tempore: atque hæc sufficiũt ad intelligendum, quomodo humidũ, & siccum dicantur solum passiua; quia substantia patitur, quatenus humida est, aut sicca in eo, quòd mutatur: calidum autem & frigidum per calorem mutant, aut frigus, & substantia per illas qualitates in alias agit. Cæterum & humida qualitas, per se, & sicca agit, sed parùm. ita calor, & frigus patitur, vt ille agunt. Neq; enim patitur, quia non est adeò adhærens substantiæ, vt manere possit illa mutata: sed corrũpitur non mutatur. At si hæc non planè percipis, quæ sanè longa declaratione egerẽt, eatenus saltem intelligas, vt Galenus docet *sexto de tuenda sanitate, cap. 3.* cùm dixit calidum & frigidum qualitates esse, quasi aduẽtitias: siccum & humidum penè ipsam substãtiam sanè illi coniunctissimas. Differt autem Philosophi contemplatio à medici contemplatione, vt ait Galenus *tertio de Simplicibus medicamentis, cap. 5.* quòd Philosophus considerat hæc ipsa in comparatione ad vniuersam rerum naturã: medicus verò ad hominẽ solùm. Potentia ergo tale dicitur in comparatione ad animata penes Philosophum vt plãtam, & animal (apud medicum) ad hominẽ, sed nunquam etiam ad inanimata dici põssit, potentia tale dubium est. Acetum enim humectat oui corticem, & mollem reddit: aqua autem siccat. Ita in phialam angustioris oris ouũ intruditur, nec inde post extrahi potest. Humidum etiam potest dici hydrargyrium, quod aurũ emollit: omne autem quod aliquid emolit, & lentũ. tamen manet, vt cortex oui, & aurum humidius dici potest. Sed hæc dicta sint. Vtrum ergo potentia dicendum sit, quo inanimatum humidius dicitur? Forsan quòd sic: nam actus ad eadem etiam refertur. At verò cum si actus aduenerit, potentia cessat, si potentia actus: neq; enim eiusdem esse possũt *tertio Physicorum tex. com. 7. & 8.* est enim actus motus eius, quod potentia est, potentia autem quies: nihil autem potest moueri simul atq; quiescere, non igitur eiusdem, & ad idem actus est, & potentia sicci, atq; humidi, præsertim cum persæpè cõtingat actum potentiæ esse contrarium. At eorundem semper est actus, & potentia tam sicci, quàm humidi: cũ igitur eorundem sint, non erunt ad eadem. Igitur actus quidem erit eius, quod est, potẽtia autem ad aliud. Velut aqua humida est, quia ipsa fluit, potẽtia autẽ comparata ad salem: ipsum enim liquefacit. An verò potentia ex actu profluat, dubium est, cum acetum humidum actu sit: corpora autem nostra siccet. An ideo, quod hæc in viuentib. euarient, in mortuis autem & vita carẽtib. nõn? Sed coria de cocto rhois, & gallæ condẽsantur: melius est ergo, vt dicamus primam actionem, & potentiam actui similem esse: subsequentem autẽ quæ fit auxilio caloris, aut frigoris proprij, aut alieni, persæpè dissimilẽ, maximè in viuentibus, ac præcipuè animalibus. Videtur autẽ omnis eiusmodi potẽtia dici cõparatione ad habentem actum: nam ad quod potentiã dicitur habere, actus est. Veluti ignis actu calidus est, potestate actui simili lignũ calefacit: calor in ligno iã calefacto talis actu est. Et acetum siccat ventriculum potestate aceti, in ipso autem ventriculo siccitas ipsa actu est. An verò tale potẽtia fiat istud aliud tertium est quæsitum, aut si mauis quartũ. Ferculum ex endiuia feruens actu est, potestate inquam duplici: vna qua ventriculum calefacit, alia qua refrigerat: sed primum quidem statim, vt quod ab actu proficiscatur: alterum multò serius, vt quod à potestate frigido: horum tamen vtrumque actu est. Quartum est, de quo diu litigarũt Philosophi, vt rursus, caro gallinæ, endiuia pastæ refrigeret humanũ corpus, quod illa vescitur assiduè; nec de hoc dubium est, cùm etiam elephas in homine

cretum esu gallinarum depastarum & viperarum carnibus. Sed hoc etiam mel usu a generatione contrahitur: vetum potentia tale appellare consueuimus, quod efficere aliud tale potest, vt sit actu, non potestate, quandam & id vt dixi) contingat. Philosophus ergo humidum, ac siccum considerat, & vt alimẽtum actu quidem omne humidum: potestate autem tale, quale id, cui assimilatur, vt ossi quidem potestate siccum, sanguini autem humidum: talia enim actu, hæc ipsa sunt. Nutrimur autem omnes humidis ac siccis & actu vt dictum est, & potentia. Sanguis quidem actu humidus, cum concrescit siccus, potestate iuxta diuersarũ partium rationem.

LECTIO LXXII.

Super

EODEM TEXT. LXXXVIII. & LXXXIX.

MEdicorum autem opinio est, quod ossa humectari non possint, vt Galenus *primo de tuenda sanitate cap.* 1. & 2. si enim humectare possent solida membra, senum redderet ad iuuentam, neque naturaliter mors nobis vlla præscripta esset: quomodo igitur alimentum humidum dici potest, cum nullum tale sit quod humidius, quam sit, reddere possit. Quamobrem dicemus alimenta primum esse, quæ humectẽt tripartiam, quarto autem modo nullum. Primum humidum dico alimentum, quod humidum potiùs, quã siccum generat alimentum, velut caro vituli: declinat enim ad humidum comparatione humani temperamenti. Secundum humidum quod humectat & impinguat corpus & partes humidas auget, atque ita corpus humidius reddit & vsque ad vltima humida naturam suam seruat. Tertio quod humectat membra solida, sed non tamen potest tantum humectare, quantum exiccantur à calore naturali. Qui modus si inueniri posset, daretur regressus ad iuuentam. Corpora igitur humectantur ab alimento, sed non fiunt tamen humidiora: sicut homo, qui plus impedit in sumptum domus ex redditibus quidem ditatur, non tamen ditior fit, sed pauperior in dies. Alimentum autem mutat animalis substantiam ad calidum, & frigidum, & siccum, & humidum, quia carnem plurimùm mutat: & lac etiam, sed sanguinem magis vtroque. Caro autem iecoris est proxima facti & ideo pro infantibus & tabidis multum refert quo cibo asina alatur aut mulier: & ita de nutricibus. Item de hydropicis pro iecore. Solida autem membra reliqua parum mutantur. Post iecur est ventriculus.

Cùm ergo humidum alimentum potestate datur senibus (nam actu semper est melius, saltẽ moderatè, dicebat autem Galenus de hoc *tertio de Symptomatum causis cap.* 3. *iuxta mediũ.* pueri æqualiter concoquunt alimenta humida, vt iuuenes, sicca autem deterius) & siccum puero vtrorumque corpus extenuatur: sed lõge plus nocet siccum puero, quam humidum senibus: nam tempore humidum siccatur, siccum non humectatur, sed siccius redditum; tamen detrimentum senis ex humido alimento, maius est, quàm sicci in puero propter virium imbecillitatem. Vtrum autẽ sit eadem ratio similitudinis in omnibus regionis, temporis, sexus, ætatis, temperamenti, partium corporis, dubium est. Nam temperamenta, quæ ab æquali distant, gaudent contrariis, ætates autem similibus. Vnde Hippocrates dixit prima Aphorismorum, quod pueris victus humidus conuenit: palam autẽ est, quod ipsi sunt humidissimi. Et tamen dicit Galenus, quòd senes à siccis maximè cauere debent: quomodo ergo sicca facile transmutantur in senibus, & tamen illis maximè contraria sunt, id est, noxia, & mala? Dictum est autem aliàs in contradictionibus de hoc *libro 2. con.* 4. vbi etiam de melle satis constat, quòd senibus sicca cõueniunt, non tamen exsiccantia, vt fames, vigilia, tristitia, Venus, exercitatio, aromata, acetum, neque sicca, quæ exiccant, vt pulegium thymus, caules, sed quæ humidum habẽt, pingue, siccum, vt mel, saccharum, lignũ sanctum amygdalæ, caro aurium syluestrium, gingiber, myristica nux, & destillatio, hæc apertiùs ostendit. Sunt autem neque excrementitia, neque excrementosum sanguinem gignant, nec crassi, nec plurimi alimenti, nec praui, nẽc difficilis coctionis: quapropter mel senibus, & saccharo optima sunt. Colligendo tandem omnia, & vt res ad pauca redigatur, triplex est substantia actu secundum Philosophos, humida quæ non habet ex se figuram, vt aqua: sicca, quæ non recipit figuram, vt lignum: & media, quæ recipit & habet vt lutum, & cera. Apud medicos humidum dicitur de actu, id est, liquidum: siccum, quod non per se liquescit. Nam recocta humida est, & potestate quod talem humorem generare aptum est. Quantum autẽ efficiat, non in humoribus tantum, sed in solidis alimentum, Galenus declarat tertio de Alimentis, & efficacius tertio de Symptomatum causis. Ergo Alimentum humidum, & siccum potestate tripartiam mutat substantiam, & ita debet esse simile, & bonum cum qualitate; atque ita debet esse humidum, vt senium retardet in senibus, & bene nutriat pueros: Et vt facilè concoquatur, & ita liquidum, & coctum dicebat Hippocrates. Melius verò est in senibus, vt sit tenue, vt mel. Nam sic commodè nutrit; & hoc est humidum. Quia ergo de facili transmutatione agit, & in sequentibus, de consumptione; manifestũ est, quod iuxta ætates, & labores victum instituere decet, vt docebimus *in opere de Tuenda sanitate lib.* 3. & 4.

TEXT.

TEXT. LXXXIX.

Quod diffi ulter mutatur, difficulter consumitur. Quod facilè apponitur, facilè consumitur.

Ἡ δυτελλοίωΘ δυτιξανάλωΘ ἢ ἐν πρίσβιτΘ ἐπιξάναλτΘ. Ab ἀνάλωτΘ inexpugnabilis, & inuictus, quasi bis cõposita dictione ac sensu δυτιξανάλωτΘ, id est, difficulter expugnabilis, & ἐπιξανάλωτΘ, id est, qui facilè & bene vinci potest. Simplicius autem deduci potest ab ἀναλόω verbo, quod est dissoluo, resoluo, consumo, vt sit sensus resolubilis, irresolubilis. Cùm vero duo assumat difficulter, mutabile in qualitate, quod quidam alterari vocant, & facilè apponi: hoc vnum docet, quod quatuor capita habet, seu continet difficile, in qualitate mutari, atque apponi, & id difficilimè consumitur, difficile mutari facilè apponi, idque mediocriter consumitur difficilè apponi, & facilè apponi, id rursus mediocriter, id est, mediocri in tẽpore consumi, facilè apponi, & mutari, idque facilè consumi. His tanquam claris suppositis, exoriuntur tres quæstiones: prima an cùm præponat mutationẽ appositioni, intelligatur idem de ea mutatione, quæ appositionem subsequitur, an non? Secunda an possint aliqua facilè mutari, & difficulter apponi, & contrario modo, vel sola ratione distinguantur, non autem re? Et quoniam de his, quæ sola ratione, non re ipsa distinguuntur, medicus nõ considerat differentiam: ideò omissa ea quæstione, causam, atque modum inuenire decet, quomodo distinguantur hæc. Tertia quid plus possit an mutatio, an appositio seu factlis, seu difficilis ad facilitatem, seu difficultatem consumptionis. Atque in hac omissis modis manifestioribus contingunt variæ coniugationes. Fieri enim potest, quod si facilitas mutationis plus possit facilitate appositionis ad consumptionem facilem, vt difficultas mutationis, seu coctionis (vt propius accedamus) plus possit difficultate coctionis, & sic erunt duo modi: & duo contrarij ferè illis, vt si facillisas coctionis minùs possit facilitate appositionis, vt difficultas coctionis plus possit, aut minus difficultate appositionis. Et rursus quatuor alij modi, vt si facilitas coctionis plus possit difficultate appositionis, plus tamen possit facilitas coctionis, facilitate appositionis simile simili comparatum. Vt sint quatuor modi à similitudine totidẽ à contrario. Erunt igitur octo modi. At coctio etiam differt à mutatione, vtpote in qualitate. Omnis enim coctio fit mutatione: non tamen omnis mutatio fit cum coctione. Quoniam poterit fieri mutatio à calore externo corrumpente: aut etiam à mistione, & quia coctio est perfectio quædã mutatio non semper ad illam peruenit. Quærendum est etiam an intelligat de mutatione externa: velut vitellus ouorũ difficilius, ac tardius mutatur à calore aëris, quam caro: interius autem celerius mutatur, & celerius concoquitur, & multò etiam, quam caro maximè bouis. Et ideò oportet, vt intelligat de interiore mutatione tantùm, & ob id etiam, quia de naturali, vt de sola coctione intelligat, & hoc est, quod volumus, vt sit sensus, quod facilè coquitur, & facilè apponitur, idem etiam facilè consumitur: & quoniam illæ regulæ sunt se consequentes, cessat secunda quæstio. Si enim non se consequerentur, quòd id, quod facilè apponitur si facilè consumitur, quod etiam difficulter. difficulter: & quod ex vno etiam cõparatiuè, aliud sequatur, vno verbo docuisset. Sicut igitur sequitur, quod facilè concoquitur, facilè consumitur: quod difficile difficulter: & quod facilè apponitur, facilè consumitur, & quod difficulter: ita etiam se consequuntur si plus potest coctio ad facilitatem consumptionis: appositione aut minus; ita difficultas coctionis plus poterit difficultate appositionis, ad consumptionis difficultatem. Relinquuntur igitur solum prima & tertia dubitatio. Sed oportet ostendere, quod non intelligat de mutatione externa, verùm solũ interna, id est coctione. Nam si ouum facilius consumitur, quam caro, igitur etiam facilius mutatur interiore mutatione: sed ipsum difficilius mutatur mutatione externa, vt dictum est: ergo si posset intelligi de externa mutatione: non esset verum illud generaliter: quod facilè mutatur, facilè consumitur: quia caro facilius mutatur & corrumpitur à calore externo, quam ouum, & tamen difficilius consumitur. Et quanquam posses dicere, quod istud contingit in carne, quia tardius apponitur, quam ouum non ob id, quod tardius mutetur: vel quod simpliciter verum sit, non comparatiuè, aut quoniam caro plurimùm nutriat. Dico quod hoc vltimum est falsum: ouum enim plus nutrit. Ad reliqua dico, quòd Hippocratis sermo est simplex, & non est implicatus tot cautionibus, & sophisticis inuentionibus. Et etiam discrimen in vtroque est magnum: ideò non potest ob paruam causam variari. Ouũ enim longè celerius consumitur postquam nutrierit carne, & loquor (vt dixi) nunc de vitello oui recenti, & teneto, & de carne bouis pinguis, sed senis. Imò quod euidentius est ouum, quantò recentius, tantò facilius concoquitur, & absumitur, & eo tardius: tamen in æstiuo aëre corrumpitur. Igitur manet ratio. Ergo causa est per se. Quare omnino opposita, non potest esse generalis scilicet, quod exterius facilè corrumpitur, facilè absumitur. Et quod difficulter, difficulter. Relinquuntur igitur solum prima & tertia quæstio, in qua illud primum occurrit, an voluerit ea, quæ facilè concoquuntur, facilè apponi, vt sit sensus, quæ facilè concoquuntur, scilicet, in primis coctionibus, facilè etiam consumuntur. Nam licet vt à Gal. habetur *ni primo de facultatibus naturalibus cap.* 11. differant appositio, & transmutatio, vt in leucophlegmatia, & impetigine. Nam in priore non bene apponitur, in secunda apponitur bene, sed non transmutatur. Et ideò corpus in priore intumescit, in secunda colorem mutat: & non potest transmutari bene, si rectè nõ apponatur: quod autem transmutatur bene, etiam apponitur, quia vitium non est ex

parte

parte agentis, ideò, si celeriter transmutatur etiam bene, quia celeriter ad perfectionem referri debet: igitur etiam celeriter apponetur, & transmutabitur vltima appositione. Solùm discrimen est de his, quæ multum nutriunt. Nam illa celeriter possunt transmutari in primis coctionibus, quia facilia concoctu, & vasa sunt ampla: non tamen celeriter apponuntur. Et ideò habentes iecur, & ventriculum robustum, vtentes multis carnibus, & ouis, & vino præsertim crasso, & pauco exercitio, facilè deueniunt in hydropem: aut si membra non trahant in febres aut abscessus prauos, & longos, ac difficiles aut destillationes. Nec quin incidant in aliquod eorum, quæ dicta sunt omninò effugere possunt: nisi habeant consuetam exonerationem.

LECT. LXXIII.

Super

EODEM TEXT. LXXXIX. XC. XCI. & XCII.

TErtia quæstio fuit, quid plus possit an coctio, an appositio? dixi consequi, nisi ratione multitudinis: & experimentum docet, quod cum hi, qui vtuntur vuis, & ficubus magis impinguentur, quia plus apponitur, quam qui carnibus, quod plus potest coctio, & appositio, quam resolutio ob multitudinem nutrimenti, si non exerceantur valdè: sed si exerceantur, contra accidit, qui enim vtuntur his quæ facilè apponuntur & concoquuntur, contabescunt. Hippocrates in secunda Aphorismorum inquit: Eorum quæ vniuersim nutriunt, & velociter, veloces quoque fiunt excretiones: & adducitur à F. Dicit ergo Hippocrates quod eorum, quæ affatim, & plurimum, ac celeriter nutriunt, veloces fiunt excretiones. Porrò cùm tria sint quæ hoc docere poterant, scilicet, quod quæ celeriter nutriunt, etiam celeriter excernuntur: idipsum, vel hîc sumi poterat, quod & facit, sed reprobat eum sensum, vel potius ratione ipsa. Natura enim nutritionem intendit corporis: excrementa necessario alimento consuncta sunt: illa vt inutilia expellere festinat, *primo de Tuenda Sanitate, cap.* 2. Excrementosa autem sunt non solum fæces, sed etiam vrinæ ac sudores, & muci, & semen: sed propriè intelligimus per excrementa alui. Ergo illa properat excernere: Causam autem Galenus huius celeritatis facilè poterat explicare. Excrementa enim cum proprium vas grauent, distendant, & cum eo totum corpus etiam, prauam qualitatem atque vapores emittunt; quæ noxia sunt. Ratione etiam finis ne diutius retenta, non possint postmodum cum necesse fuerit, eiici. Accidit sextum incommodum, ne flatus viam non inueniens dolorem moueat, quod sæpè contingit, etiam si excrementa liquida sint. Euenit enim id, cum tota, vel illorum copia vno in loco collecta sit. Accidit autem id maximè in coli intestini fornicibus, ac quasi cameris. Sed & id vt bilis à propria vesica detrusa exitum non inueniens, redeat ac regurgitet ad ventriculum, & pariat vomitum oris amariorem, fastidium cibi, sitim, capitis dolorem, & quod concoqui deberet ex cibis ac potibus corrumpat. Quæ sex mala propriè ex eiusmodi impedimento accidunt: maius autem est cum etiam ipsa iterum exuritur, ac bilescit vltra naturam suam, tumque diarrhœas & dissenterias mouet prauas, alias febrem, atque abscessus. Quod si non ad ventriculum, sed ad ipsum iecur redeat, efficit morbum regium. Ob tot ergo mala impedientia, natura solicita est, vt statim excrementa collecta extrudantur, modò celeriter nutrimentum ex illis concoctum, inde separatum: demum etiam sit attractum. Nam hæc sunt semper opera naturæ circa coctiones, tam noxij quàm vtilis, *quarta Aphorismorum. com.* 22. At secundum quod vtilissimum erat abundè ibi, tum sufficienter explicat: scilicet, indicia alimenti quod iam alere cœperit, scilicet robur additum vniuerso corpori: quod de tertia coctione intelligendum est: & pulsuum magnitudo, & vehementia. Magnitudo enim sola hoc non indicat, sed si cum maiore constantia sit: additque quod id experiri debemus, vel etiam promptum est in his, qui sunt dissoluti propter causas externas, velut euacuationem, inediam, laborem. Nam ex morbo dissoluti, non adeo euidenter ob cibum, neque tam promptè restituuntur. [Quæ enim longo tempore extenuantur corpora lentè reficere oportet,] vt ibidem habetur. Sed quomodo vniuersim, quæ nutriunt celeriter excernantur, non ad vnguem docuit. Nos autem cum ibi expicauerimus, satis erit si ex eo loco, quantum huic proposito necessariũ est, desumpserimus. Dicit enim Galenus vniuersim in pauco tempore: celeriter autem paruo post assumptionem tempore. Id est, vniuersim, quod quicquid habent exhibent, breui tempore, id est, postquam mutatum fuerit statim exhibent: celeriter autem quæ quàm breui tempore mutantur. Cum enim non nutriant, nisi mutata, mutata celeriter, celeriter nutrire poterunt. Et vt ibi dixi satis propè, & aliquid dixit. Verùm non adeò ænigmaticè loquutus est Hippocrates: sed sensus est, quæ plurimum celeriter nutriunt, celeriter deiiciuntur, quia reliquum est paucum ob id, quòd plurimum nutrierũt, & elaboratum, quia celeriter supponitur, quod nutrierit: igitur breui excernentur. Excrementa enim plurima non possunt excerni celeriter, tum quia multa, tum quia non possunt breui esse elaborata. Sed hæc alia sunt à præsenti proposito: potest enim esse, vt quod difficulter consumitur, celeriter illius excrementa, vel etiam tardè deiiciuntur. Idem de facili consumptione. Sed non solùm verum est de qualitate, sed etiam quantitate, quod facilè & breui apposita facilè & breui consumantur, vt pauca multis, & minus solida densis.

TEXTVS

TEXTVS XC.

Et quicunque celeri appositione opus habent, humidum medicamentum ad resumendas vires optimum.

DE humido in actu illum loqui manifestum est, vt etiam censet F. nam illud mutatur atque corrumpitur & quam celerrimè. Propterea patres familiàs iubent scindi ligna, vt comminuta celerius ardeant. In liquidis autem est non solum comminutio ad minima, sed & humoris adiectio. Cur autem humidum magis ac celerius patiatur causa est continuitas corporis. Ideò pumex, & arena tardius incalescunt. Tenuia substantia, & non rara facile incalescunt, vt aqua ardens rara & crassa: tarde vt lutum siccum & arena: facit & ad hoc natura plurimum: velut ferrum, quod serò incalescit, quia valdè frigidum. Proponit ergo tres ordines alimenti: celerrimum, de quo in sequenti textu: tardissimum, de quo in succedente: mediocre, de quo nunc agimus. Propterea humidum nutrimentum maximè conuenit febrientibus, vt etiam prima Aphorismorum, & hoc quia celeri appositione, & facili opus habent. Omne enim, quod celeriter fit facilè fit. non tamen conuersa ratione sequitur, vt quod facilè fiat, celeriter fiat: cùm voluntariũ fuerit, vel etiam ratione finiti. Sed cur ἰῶμα dixerit medicamentum pro ἴαμα Ionicè: exponit alimentum, quoniam de eo sermo sit non ita dictum, quoniam magnum lapsum corrigat, hoc enim medicamenti fungitur vice, & non quia eo vsi homines: sed ob opportunitatem dictam tale sit. vel quoniam tale velit etiam potestate humidum esse, vt ptisanam. Sed cuium magis reficit, an quia soleant his imponi quæ mutant, velut iuribus medicatis? vel quod velit, vt intelligamus etiam id in medicamentis, non solum alimẽtis obseruandum. Cumque vt in libro de Veteri medicina tria sint generà eorum, quæ assumuntur per os cibus solidus, potio, & sorbitio, intelligendum est per humidum sorbitio & potus. Et tunc ex generali regula, etiam de cibo solido, vt multa aqua, & igne subactus, sit redditus mollior, atque ideò etiam humidior. Idem vult in secunda Aphorismorum cum dixit (Facilius est impleri potu, quam cibo.)

TEXTVS XCI.

Quicunque verò celeriori, per olfactum.

SI non es oblitus superiorum, cum dixit principium alimenti spiritus, nares, os, & reliqua, intelligis esse triplex nutrimentum in nobis: solidorum, per cibum solidum & siccum: contentorum, per sorbitiones & potus: ac spiritus per aërem, atque vapores. Dicit ergo quod odor bonus scilicet, nutrit spiritum animalem. Et ideò dicebat princeps *in libro de Cura errorum. par. 2. cap. 5. tex.* 97. & 98. in sex rebus non naturalibus. Omnis bonus odor per se confert cordi, & cerebro. Idem in Cantica dum docet consumptos reficere: præcipit quinque cibum moderatum & intelligit etiam de potu & facilem quietem cum qua est somnus: iucundam conuersationem, & colloquia gratà: odoret bonos, & Musicam suauem. Et in tractatu *de viribus cordis* 1. *cap.* 5. & 9. proponit tria principalia ad confirmandum spiritum, lætitiam, dulcedinem, & iucundum odorem: sed quia lætitia est extra aleam tractationis, & de dulci superius dictum est, ideò hic duntaxat meminit iucundi odoris. Et meminit propriè syrupi ex pomis macianis, & sunt poma valdè odorifera: & post illa & certior est syrupus de succo cotoneorum sed oportet vt in eo vigeat odor. Idem in curatione morborum cordis, & omne quod est odoriferum est cordi vtile, & ipsum confirmat. Galenus in secunda Aphorismorum testatur hæc eadem dicens: citissima refectio virium fit per odores; post per humidum: vbi apparet huiusmodi restaurationem non esse paruam, quæ per odores fit, cum ad eam, quæ per vinum (ibidem enim tum alibi celerrimam, quæ per vina fit affirmat) comparet: meminitque ibi huius loci: vt nullius libri toties, quam huius fecerit mentionem. Aristotelis etiam verba *in libro de sensu & sensili pag* 13. idem significant, licet contrarium videantur, cum dixit: quòd odor iuuat salubritatem corporis, id est, confirmando vires, & spiritum nutriẽdo: nõ tamen confert in alimentũ quicquam, id est: quia nec humores, nec solida adauget aut nutrit. Diogenes Laërtius refert Democritum cum extremo senio (nam centesimum annum nouem vt dicunt alij, duntaxat superauerat) instaret mors, mœsta autẽ soror esset, quia imminebat dies celebritatis Cereris, in quibus vota persoluenda de more cum aliis esset, ipso autem mortuo cum esset in luctu non liceret: iussisse Democritum afferri panes calidos, quos odoraret, atque ita superuixisse ad tres illos dies, vt soror, quò minus vota persolueret, non impediretur. Et hoc rationem habet, & magnam vim etiam in quibusdam aliis causis, calidopani in esse scimus. Verum mirum est cum Hippocrates Abderitanum faciat Democritum, & illius vrbis ciuem, vbi de illo agit Diogenes *in Epistolis*: hunc eundem dicat esse Milesiũ: cumque sex enumeret eiusdem nominis, nec ex aliis quinque, quenquam Abderitanum fuisse memorat.

TEXTVS XCII.

Quibuscunque verò opus est tardiori appositione, solido alimento.

AN cuiquam esse possit opus tarda appositione dubitare liceat? & quanquam dicere aliquam non negauerim, locum hunc defendentem, posse scilicet in fame canina, vel nimium repletis *aut iuxta Aphorismum 2. par.* [quæ longo tempore extenuantur corpora lentem reficere oportet.] Opus esse tardiore appositione, non est tamen hæc mens Hippocratis, nam si repletio ex humoribus sit crassis, tale alimentum haud conueniet. Verum hoc voluit dicere quod ad illud sequitur, scilicet, quod sicut opus sit nutritione solidorum, quæ per sicca alimenta fit, aut moram nutritionis ferre queat, huic ipsi conuenire solidum alimentū: vnde cum quotidie his tribus indigeamus, vt ex dictis superius apparet, palam est triplici genere alimenti oportere nos vti.

LECT. LXXIV.

Super

TEXT. XXCIII. & XCIV.

Musculi solidiores difficilius aliis reficiuntur, præter os & neruum.

VErbum Δυσδιάπεπτα magis ad rem vertit Cornarius, colliquantur, quasi dixerit Δυσπεπτότερα. Fregit sic posse verti Δυσεξαίρετα: ideo lentius ambos explicare propositum est. Annectemus autem sic sequentem præsenti Musculi solidiores difficilius aliis colliquantur, præter os & neruum. Ægrè transmutabilia denudata. Secundum genus ipsa seipsis fortiora, quam deceat: quapropter ipsa seipsis difficilius colliquantur, id est, cum sint duo genera membrorum quædam quæ subiiciuntur sunt vt ossa, cartilagines, membranæ: alia quæ nectunt vt ligamenta, nerui, musculi, molliores sunt ossibus, & vinculis cæteris, & facilius cocquuntur, verùm ad reliquas partes collati, sunt duriores, atque hoc genere. Situ autem quæ carne omninò denudata sunt, vt sunt robustiora cæteris naturâ, velut pedes, manus, intestina, ventriculus, cerebrum, vesica, cartilagines, vt in suo de genere sunt duriora, id est, ossa ossibus, neruca neruis, ita concoctu sunt difficiliora. Et ideò etiam ex huiusmodi difficilius consumitur. Et talia conuenit hecticis & biliosis. Et ob id tum etiam temperiem caro cochlearum, testudinum, ranarum, astacorū, ex aqua dulci optima est huiusmodi laborantibus, & etiam temperaturis, ni quid aliud obstiterit. Est autem pro his intelligendum, quod caro habet tria significata generaliter. Primum pro eo quod integit ossa, tam in exanguibus, quàm sanguineis. Et ita dicimus carnem piscium, ranarum, serpentū, equorum, boum. Et ita accipit Aristoteles. Secundo modo in sanguineis solum, sed pro omni eo, quod ossa integit, vnde musculos appellamus, & neruos carnem. Tertio modo pro eo solum, quod integit ossa. & regenerari potest. Et sic est caro musculorum, sed musculus caro non dicitur, neque ventriculus, neque iecur, aut vesica, sed parenchymata, seu affusiones quædam vocantur. Huius carnis (vt dictum fuit alias) tres sunt species communes musculorum: rubra & purima, & quæ omnium maximè nutrit: pura in præputio & gingiuis, & glandosa alba & suauis vt lactes, testiculi præcipuè gallorum. Dicendum est igitur de alimento singulorum.

Et primùm dico, quod ossa, quæ medulla carent omnū minimè nutriunt, nec sunt cui apta: post sunt cartilagines, quæ non nisi ex animalibus iunioribus, & humidis, vt porculorum, & agnorū diu elixatæ nutrire possunt. Post sunt ossa, quæ sunt loco apophysū spongiosa, & plena succo. Omnia tamen hæc fermè inter alimenta non numerantur. Vincula autē ossium diu elixata, & extrema plus nutriūt membranis, quia crassiora. & humidiora: quidem omnia, quæ nutriunt vt humida sunt, alimentum exhibent. Extrema igitur animalium quadrupedum sunt loco alarum, id est, ossium cum suis integumentis in illis, quia pedes sunt eis valde arridi. quamvis quidam pedes perdicum assatos fumine cadere, inter delitias reponant, satis inepte. Igitur suum pedes non antiquorum dabat. & cerebra, in primo ad Glauconem, *in Textu 10 tuo text. 9.* sunt enim lenti, & pauci succi & frigidi, & humidi & qui non facile consumatur neque putrescat. In libro de Attenuante victus ratione exhibet etiā suillos pedes domestici suis in eo, qui exercetur tāquam parum excrementitios, & lenti succi, qui nō facilè absumatur. Intelligo per excrementum ū (vt alias dixi) non quod parum nutrit) quamvis id ni omninò defluatur, vt caro pollerum, & saccharum multum, necessario relinquat excrementi) sed quod vbi aluerit sanguinem, generat serosum, aut piceum, vel œnosum: vt urina alba, caro boum salita, & tincarum magnarum elixatarum. His verò qui non se exercent, nec commodi sunt suū sylvestrium (iuquit) pedes. *Septimo etiam Artis, curandi cap. 6. pag. 4.* post alicam ptisanam. pisciculque saxatiles in cura multiplicis illius siccitatis ventriculi, quæ pro exemplo omnium membrorum ponitur, dat pedes suillos, post cura eorundem. Docet autem in ptisana coquendos pedes, vt non solùm pedes euadant meliores, sed etiam ptisana ipsa hordeacea. In cura etiam ventriculi ab atra bile inflati, exhibet octauo de Compositione Medicamentorum secundùm locos, pedes, & rostra, & ventres:

ventres: Videtur autem magis intelligere de auibus, quam quadrupedibus propter rostrũ, quanquam rostri nomine etiam suillum apud Latinos intelligatur. In libro autem de dissolutione continua dicit, quod pedes parũ nutriunt, & alimentum crassum exhibent, & quod difficilè corrumpitur: manifestum est autem, quod suilli naturã eius trahent, velut & vaccini, qui post suillos tertio loco sunt, & de quibus dat exemplum cum medij sint inter illos vitulini, in libro etiam de cibis boni & mali succi, enumerat inter extrema caudã, & oculos præter dicta, & oculos nõ nisi suillos probat, & eorum musculos tantum non substantiam. Caudas autem ob motum frequentem non improbat: sunt tamen pauci, & crassi alimenti, sed non excrementosi, vt sunt intestina, ventriculus, & vterus, quæ durę coctionis. Sunt pauci & cõtumacis alimenti, vt caudæ sed etiam excrementosi, in quo differunt à caudis. In vniuersum ergo per extrema pedes, & alas intell genus, & crura, & colla auium, quæ dicit esse similia intestinis, quò ad naturam, modũque alimenti: oculos, aures, caudas, intestina, ventriculum, vterum, vesicam, rostra, quibus vesci permittit maximè suillis, vt in lib. de Attenuante victus ratione affirmat, & nos iam hic docuimus, tum cutem ipsam, sed & cerebrum, vt sint quatuordecim, quæ non multum differunt, nisi quod caudæ tam in quadrupedibus quam piscibus etiam teste Hippocrate 8. *De Diæta* & pedes, & alæ facilioris sunt coctionis: cerebrum autem alimenti. Per naturam igitur alimenti intelligimus bonum, aut malum, tenue & crassum, lentum & friabile, siccum & humidum, calidum & frigidum, facile dissolubile, & quod difficulter dissoluitur, densum adde, & rarum: quod facile corrumpitur, quod difficulter excrementosum, non excrementosum, quamvis hoc malo & bono comparetur à Galeno, multum atque paucũ. Per modum autem quod celeriter concoquitur, aut tardè, idque multipliciter iuxta vnãquamque concoctionem. *In tertio autem de Alimentis cap. 4.* pedes præponi rostro, rostrum auriculis, & suum partes partibus aliorum animalium. Cutem verò ob pinguedinẽ, quæ subest facilè descendere per aluũ docet. Cæterũm esse pauci alimenti & lenti, & quæ difficilius subigantur. Peculiariter autem de cerebro, quod sit crassi, lenti alimenti, difficilis coctionis, inimici ventriculo, & quod nauseam moueat. Dico etiã exigui, & astringentis nonnihil habentis: Medulla autem ossium suauior, melius nutrit, nauseam tamen, & ipsa mouet: sed est proxima temperamento, cui par est medulla spinalis, sed nauseam non mouet, plus verò cerebro ipso nutrit. Minus cerebro autẽ pinguedo; intestina verò & ventriculus durioris sint coctionis, & frigidioris, ac ficcioris alimenti. Sanguis autem melancholicus generaliter, & qui difficulter subigatur. Optimus tamẽ leporinus, inde hœdinus, demum suillus. Pessimus boum, præcipuè antiquorum, & macilentorum. Volucrium autem partes fermè quadrupedũ partibus similes sunt, præterquam quod ventriculus. Primum quidem anseris, inde gallinarum vtilis est, & boni, & non pauci alimenti: cerebra quoque cerebris quadrupedum sunt meliora, & nauseam non mouent, neque sũt lenta. Et vnumquodque ex his, quæ ei proportione respondet etiã ex veterum sententia iuuat. Carnes autem glandosæ, & testes in quadrupedibus, sunt inferiores auium præcipuè gallinarum testibus: ita sanguis auium inferior est sanguine quadrupedum illorum trium, quorum sanguiné laudauimus. Mammæ verò & similia, testibus, glandosisque carnibus, sunt vrina vtiles. Sensus igitur est, quod cum musculorum carodurior sit huiusmodi partibus, est tamẽ boni alimenti & suauis: partes autem hæ minus boni alimenti, & paucioris, difficiliusque concoquuntur, non genere, sed quia carnibus sunt destitutæ. Subalterno autem sensu posterioris textus sententia manet eo modo, quo dicta est.

TEXTVS XCIV.

Ægrè transmutabilia denudata, secundum genus ipsa seipsis fortiora, quam deceat: quapropter ipsa seipsis difficilius colliquantur

IAm totum est declaratum, quod extrema difficile concoquuntur: & alimentum etiã eorum difficulter dissoluitur. Est enim crassum, lentum, solidum, sed paucum: & minus bonum comparatione carnium, cuiuscunque generis, præcipuè musculorum. Nam alimẽtum harum est plurimum, & optimum, sed in ægris cùm multo facilius concoquantur, & etiam quia frigidiores, & non adeò putredini sunt obnoxiè: tum quia suauiores carnibus musculorum præstant glandosæ, & albæ. Sed prior textus intelligi debet, quod musculi difficilius alimento restituuntur, seu extenuati morbo, seu vulnere comminuti (cum antea de ossium fractura hoc docueris) cæteris partibus præterquam ossibus ac neruis, atque similibus. Nam cartilagines ossibus adhærent, aut vbi non adhærent, de natura eorum sunt, & in illa transeunt, vt cartilago in basi cordis magnorum animalium. Vnde illa, quæ vocatur os cordis cerui, & euidentius in elephanto. Et per neruos ligamenta, quæ non nascuntur à cerebro, & tendones qui ex neruis, & ligamentis componuntur.

* * *

LECTIO LXXV.

Super

TEXT. XCV. XCVI. & XCVII.

Pus ex carne. Purulentum ex sanguine, Et ex alia humida substantia

LOcus in carne cum afficitur seu duriore parte, aut tumore suppurante, aut vlcere in priore, quòd collectum est à duobus caloribus, naturali ac præternaturali, aut loco eius non naturali, qui ab aëre ambiente inducitur, permutatur quanta vi, ac celeritate fieri potest, tanquam de communi præda contendentibus, in posteriore autem alimentum primo de differentiis Febrium: Et si naturalis calor plurimum præualuerit, fit pus absolutum: si plurimum, qui præter naturam? sanies mala si prorsus virus: & putredo, qualis in corporibus mortuorum. Differt quod fit in his, id est, absoluta putredo à viru, quoniam in hoc calor minuit prauitatem odoris, & fœditatem substantiæ, & generationem vermium: si autem calor naturalis parum dominetur, fit non absolutè bonum: si verò nullus adsit calor, præter naturam (hoc autem dum tumor est, aut vlcus esse non potest, aut vix scilicet cum sanatur) transit in membri naturam alimentum. Sunt ergo sex genera maiora finis alimenti, nutritio, pus optimum, non optimum, sanies, virus, putredo mera. Quæ autem vitiosa sunt, sunt autem quinque omnia fiunt, aut ob vitium imbecillitatem, aut materiæ prauitatem, aut impedimentum coctionis. Sunt igitur puris duo prima genera, quod fit ex alimento remoto, id est, sanguine in tumoribus: & ex propinquiore in vlceribus, & rursus quod ex carne, osse, cartilagine, membrana, neruo, ligamento, parenchymate. Notæ sunt odor non fœtidus in bono putè substantia æqualis, & lenis color subalbidus, non albus vt nix: tale enim pus malum est, & putridum. Differt à crudo humore, colore, quia candidius est: substantia non adeò cohæret: odore magis fœtet, maximè sanies, cuius etiam intentum est à crudo humore discrimen dignoscere: velut & à crudo humore putrefacto: quod & in aqua descendit, & super carbones iniectum fœtet, vt pus ac sanies. Sed pus vt distinguitur à crudo humore, alias diximus: nunc quod præ manibus habemus doceamus, scilicet, vt pus à membro solido distinguatur, à pure ex sanguine. Tria enim sunt puris genera, quod ex membro solido deciditur mistum ex substantia propria, & sanguine, vt in tumoribus suppuratus: quod ex sanguine extra venas delato, vt sexta Aphorismorum, & quod ex alimento, & humidis mutatis membri: vt in vlceribus. Et hoc etiam duplex vt liquet cum substantia putrescit. In vrinis autem, qui subsidet humor crudus, neque malè olens est, neque lentus: atque in hoc differt ab eo, qui in sputis: quoniam is cum muco admiscetur. Qui verò in vrinis subsidet puri colore, ac crassitie assimulatur, dicebat Galenus *primo de Alimentis. cap.* 2. Ex his autem, quæ dicta sunt, in quarto Artis Curandi deuenimus in cognitionem puris ex membro, & à sanguine: cum enim membri partes duræ sint, nunquam adeò putrescere poterunt, vt lentorem magnum non retineant, præcipuè ex cartilaginibus, membranis, ligamentis, partibusque neruosis, assimilatis, vt ventriculo, intestinis, vesica, sed etiam carne: pus verò ex horum alimento minus tenax erit: quod autem ex sanguine adhuc minus, & quantò vetustius erit eo friabilius, & deterius olebit recens contra. Fit ergo pus à quadam putredine vt ibi dicit: putredo à calido, & humido: & ob id emplastra ad suppurationem ducunt. Sunt enim actu talia, quod si etiam potestate sint, eiusmodi optimè, & celerrimè ducent. Siccata verò non facilè suppurant: quid igitur quando neque putrescunt, neque suppurantur? Dico corrumpuntur tamen, & macorem, vt in lignis suscipiunt malam mercem. Sed si à calore externo putredo fit, putredo autem mala, cur augendus calor, & humidum cum emplastris? Idcò dicimus eum calorem potius conformem esse naturali, quam putredo. Indicio quod manus catuli lana, & similia veram coctionem adiuuant. Galenus autem secunda Aphorismorum censet pus esse tanquam cinerem post lignorum exustionem, & ab eo facto cessare febrem, ac dolorem, quod dictum satis verum est: & pro nunc admittendum de pure sanguineo. Sed est (vt dixi) sanies: & sanies ex solidis, quæ cineris, aut non habet rationem, aut cum reliquo humore necessario sociata, velut venenum quoddam inficit. Pus autem ex substantia membri fieri prorsus non potest: sed quod fit sanies, aut putredo, aut virus. Virus cùm exustum est: putredo cùm pessimè olet, & crassior fuerit: sanies cum tenuis malè olensque, sed non vt putredo. Quod verò dixit ex alia humida substantia: intelligit vt dixi alimentum membri, quod est sanguis sæpius mutatus non sanguis.

TEXTVS

TEXT. XCVI.

Pus vlceris alimentum.

HOc declarat quod iam dixit, id est, quoniam ex vlceris alimento suppurato fit pus: ideò tum vlcus non alitur, sed siccatur: siccatum verò denuò à succedenti alimento restauratur: & si cauum sit, repletur: atque demum obducitur cutis, & consolidatur: quod verò de carne dicitur, de cute, osse, neruo intelligendum est. Cum ergo pus bonum fuerit, dupliciter salus, & consolidatio melior speranda est: & quod facultatem membri significet dominari materiæ, & alimentó: & quod dum retinetur, non corrumpit, neque dolores mouet in vlcere ipso. Namque si sanies praua sit, tria principalia mala facit: Primum dolorem mouet, ex quo materia ad membrum fluit, quæ & tumorem excitat, vel si etiam non retineatur prohibet, & mutationem, & consolidationem. Secundum erodit vlcus, & ita maius reddit, quomodo ergo restaurabitur? Tertiò creat in illo malam intemperiem vt alimentum quantumcunque bonum, non possit transire, neque in substantiam membri, neque saltem in bonum pus, vlcera ergo recentia Hippocrates *in libro de vlceribus pag.* 1. iubet sæpe atque minutim incidenda circumcirci, & hoc vocant scarificare: veteribus autem, & sectio venæ, & purgatio vtilis est, vt alimentum ad locum pœnum, atque salutare deferatur. Cur autem siccata vlcera carnem generent, quæ humida est, humefacta non dignum est consideratione. Supposito enim alimento æquali dubium non est, quin hoc accidat, quoniam cum càro generatur alimentum, non transit in pus: & etiam, quia humor alienus impediat consolidationem, quam si iuuaturus esset à natura, non excerneretur, sed in substantiam membri conuerteretur. Non ergo tam siccitas vlceris est causa, quam signum consolidationis. Vnde etiam vlcera sicca persæpè non consolidationem, sed mortem significant ægrotantis. præsertim profunda, & capitis. Facit tamen & siccitas ad consolidationem, non per se, sed quoniam ab humido consolidatio minimè impeditur. Eatenusque medicanda est. Natura enim est, quæ consolidat, medicus impedimenta tollit. Impedimenta sunt si humor praua à toto deferatur, seu membro, cuius quod vlcus paritur membrum pars sit: velut caput, oculi: seu in ipso loco sit pars corrupta, vt contusa, vel iam suppurata, aut mala intemperies. Medicus ergo ne vlceris alimentum in pus vertatur prouidere debet, totum purgando, aut sanguinem mittendo, & iecur, & membrum cuius pariens membrum sit pars ipsum corrigendo, & bonam victus rationem instituendo. Si sit Elephantiasis, aut Gallicus morbus ligni Indi, Sarzæ, Pariliæ, Cynæ radice decoctis, argento quod vocant viuum, & huiusmodi. Et Cataposis è cœruleo lapide. Sed si locus ipse contusus sit ad suppurationem deuenire oportet. Hoc enim ipso locus absque molestia postmodum euacuabitur. Si partes putrefactæ & maximè ossium, quæ suppurari nequeant, abscindendæ, vel vrendæ, vel vtrunque. Si intemperies: errare non possumus medicamenta applicando naturæ ægri, & partis, & ætatis habita ratione correspondentia: ita alimentum vlceris in pus non vertetur.

TEXTVS XCVII.

Pus alimentum, venæ & arteriæ.

VT visum est primo de Differentiis febrium, quod in apostematibus, & vlceribus est pus, idem puta esse Galenus *cap. 6.* sedimentum in vrinis bonum, aut malum. Et sanè, res est magna, si ante statum, vel in initio eius, vel etiam ipso procedente materia euicta est, & denuò per crisim, vt vincatur, necessarium est. Nam dubium non est, quod in crisi bona coctiones in vrinis præcedere debent. Oportet ergo pugnam hanc fieri inter naturam, & reliquias morbi, iam per coctionem euictas. Altera maior est dubitatio, quam vtinam docuisset Galenus de hypostasi in sanis, quæ non est à materia putrida euicta, quomodo posset esse similis ei, quæ fit concocto morbo cum à duabus materiis prorsus dissimilibus, etiam mutato agente non videatur similis effectus posset produci. Quod autem hic dicit præcedenti coniungitur: Nam velut pus est alimentum vlceris, quod partis coctionem subterfugit, ita sedimentum in vrina est alimentum, quod à membris defertur per venas, & arterias: nec potuit in illis superari vt à membris traheretur, atque in illa mutaretur. Certum est aliàs me dixisse sedimentum esse excrementum quodiam in ventriculo genitum, quod vt non euictum, nec in iecore, neque in venis, aut arteriis expellitur per vrinas. Ex hoc loco patet, quòd Hippocrates vult vrinam & sedimentum excerni, non solum à venis, sed etiam ab arteriis. Videtur ergo mihi quòd dum ægrotat homo, maximè in febre: materia quæ haud dubiè, & in venis, & in arteriis si in cinerem, quasi redacta sit venenosum, inficiet vrinam, & propriè sedimentum, vt corpulentius, atque tenacius & mortem significabit. Si verò non inficit, & hypostasis bona est, duorum indicium est, & quod materia illa aliena à natura non est, quæ non inficiat vrinam prorsus, & quod neque per feruorem illum, quo concocta est, neque per annexam sibi partem impedit naturam

turam, quò minus fungatur perfectè munere tuo concoquendi alimentum corpori: atque ita quasi per accidens, vt dicunt, salutem promittit.

LECT. LXXVI.

Super

TEXTVS XCVIII. & XCIX.

Medulla alimentum essis, quapropter callum contrahunt.

AN medulla sit ossium alimentum cum duodecimo contradicentium visum sit, reliquum est vt exponamus textum. Dicit enim indicio esse huic, quod vbi fracta fuerint, si partes iungantur, callum contrahunt: & non ex ossa substantia, cum dura sit, & præterea oporteret tantò eam minui, quanto callus augeretur, quod non euenit in calli generatione. Neque ex carne propinqua, quia tum pariter minui necesse foret, quod non contingit: præterea ante fracturam nulla ratio est, cur idem accidere non debuerit. Ergo vel ex alimento carnis, & tunc illud non esset idoneum, quia ex sanguine tenui, rubro & quod breui mora non potest concrescere in tantam duritiem, nec ex alimento ossium quotidie adueniente ob paucitatem: nec multitudo tanta posset generari, quia alimenti portiones proportione sibi respondere debent: Ergo ex iam seruato conficitur callus. Et cum costæ in xx diebus. Callum contrahant, quæ nectunt spinam sternò, magna vi oportet, vt materia illa in decem fermè diebus coacernetur. Quare necesse est, vt ex partibus proximis, iam collecta: talis non potest esse, nisi medulla. Indicio etiam est quoniam partes ossium callo circumuicinæ extenuantur, proprio destitutæ alimento, & exsiccantur: ideo ibi facilius os rursum, quam callus ipse abrumpitur. Ergo medulla ossis est alimentum. Atque id deprehenditur argumento deductæ ex calli generatione, atque illius modo. Nam si callus ex medulla generatur: ergo cùm os sit callo duritiæ simile ex eadem necessario os ipsum nutrietur.

TEXT. XCIX.

Facultas omnia auget, & nutrit, & generare facit.

CVm declarasset munera alimenti ratione materiæ, & facultatis, vt trahit, retinet, concoquit, expellit: & hoc gratia principalium actionum, & ex fine intentarum per se primò: *vt in primo de Naturalibus facultatibus cap.5.* habetur, & sunt generatio, nutritio, & incrementum: docet quod præter alimentum, quod est materia necesse est, vt adsit agens, & quod illud agens est vna facultas, non solum vnum in substantia, sicut calor. Hoc enim declarauit *in lib. de Carnibus pag.1.* dum dixit: [& videtur mihi sanè id, quod calidum vocamus immortale esse: & cuncta intelligere, & videre, & audire, & scire omnia tum præsentia, tum futura.] At per calorem intelligit Hippocrates mistum ex hoc, & substantia calida; tum cum dixit *prima 2 Aphorismorum. par.5. tex.5.* Qui crescunt, plurimum habent calidi innati: Et in sexto Epidemiorum: hominis anima semper producitur vsque ad mortem: & si calor excanduerit depascitur. Ergo vt dixi facultas vna est, sed variatur opus, penes ordinem in propinquitatem ad finem. Intendit enim hominem deducere vsque ad perfectionem, sed materia offertur nimis humida. Efformat igitur eam secundum substantiam perficiendo illam, & secundum materiam duriorem reddendo. & secundum figuram delineando. Dum autem incalescit corpus illud attrahit augendo, quia & id anima desiderat, & partes apponuntur; fitque nutritio, ac generatio simul: post absoluta perfectione desinit generari, sed dum nutritur, augetur, cum autem fuerit, quantum expedit, solum nutritur, & tunc anima illa vacat operationibus, quæ sunt secundùm sensum, & motum. Et ideò exercitatio vt est actus voluntatis, & cum meditatione, & sensus, & doctrina impediunt, non solum incrementum corporis, sed vitiant nutritionem. Et hæc opera fiunt à facultate. Cur autem cum illæ operationes sint cum cognitione animæ, fiant nobis non cognoscentibus, cum anima cognoscat, seu homo cæteras operationes sensus, & motus. Et dico, quod id accidit, quia in homine operationes hæ licet sint animæ, sunt tamen naturales, id est, vt anima illa est communis coniuncta vegetatiui. Nam vt est à principio communi, quod est per se in corpore appellatur natura: natura autem non cognoscit. Sed sensus est in vita, & coniunctio animæ cum corpore per vitam est per rem, quæ cognoscit. Ideò animalia cognoscunt operationes suas. Et licet vita eorum interiret, & anima maneret secundum Hippocratem, sicut cùm lumen solis impeditur, & deperit:

deperit: lux autem manet in nobis, tamen est aliquid vita dignius, quoniam mens corpori per vitam communicatur. Et ideò anima ipsa, quæ percipit, à morte superest. Conueniunt operationes illæ omnes, quòd habent originem à iecore, & agunt per simile attrahendo, retinendo, concoquendo, & dissimile non attrahendo, nec retinendo, sed expellendo. Attrahit autem corpus dissimile, vel vi caloris præter naturam, vt in febribus: ideò tum fiunt facilè abcessus: aut quia membra sunt imbuti vi aliena, vt in medicamento purgante, & cum renes trahunt sanguinem ob cantharidas, vel necessitate fugæ vacui, vt in attractione spiritus: aut quia ab alio loco per vim impellitur, atque intruditur. In omnibus ergo his necessarium est alimentum.

LECT. LXXVII.

Super

TEXT. C.

Y'γρασία alimenti vehiculum.

IN hoc vltimo Textu tractat de Alimenti vehiculo, tanquam specie causæ, sine qua non. Non fit enim transitus alimenti sine vehiculo: dicebat *quarto de vsu Partium cap.* 5. non poterat chymus transire ex ventriculo in venas, neque ex venis cauæ partis in gibbæ venas, nisi admistum eis fuisset seorsum, humidum ac tenue, & hoc est commodum eius. Et de hoc memini me scripsisse contradictionem. Sed vt ad rem redeam, dubitari solet: vbi nam gignatur, nam non ex solo potu fit, sed etiam ex cibis; vt docet F. Dicebat Galenus tamen, quod in plerisque quantum potauerunt, tantum aut paulò minùs mingere soleant, plus non dicit. At cùm ipsa vrina non solùm sanguis transit ad renes; non modò teste Galeno, sed experimento ipso cùm salsa sit amara horridi odoris, & colore flaua. An igitur in venis talis sit dubium non est de colore, & ratio ipsa suadet, quoniam flos (vt ita dicam) flauæ bilis, vti qui tenuissimus sit, miscetur illi, vnde etiam si ea abluantur loca, digestionem efficit, maximè pueri impolluti. Addebat idem, sed priore libro, non vbique hoc humidum esse, adeò necessarium. Nam vltra iecur, & venæ latiores & sanguis tenuior ob cordis, & iecoris caliditatem, vt minimè opus sit hoc tam tenui, & aquoso humore. Verum aliquid semper, vel visu, haud sensile admistum inest naturæ in magnis rebus, aut omninò certæ rationi inuitenti, aut necessariæ; vt de corde, & cerebro: quorum vtrumque singulare creauit: quoniam secùs facere non poterat, aut geminis præsidiis tanquam cruribus. Quid igitur si desit omninò hoc humidum in venis, tabesceret corpus nouo genere tabis sine febre, aut omninò aliquod membrum, quod vix tanquam sine causa manifesta accidit, veluti dolore, vulnereve? Videtur autem ita prouidisse natura, vt hoc humidum, quod teste Galeno *primo de locis Affectis, cap. primo*, non nisi ad renes pertinet, vt separetur tùmque fit vrina, anteà velut serum lacti, ita sanguini mistum *primo de Tuenda sanitate capit. decimosecundo*, non deficit: cùm sanguis crassior fuerit. In quibusdam tamen deficit, vt in elephantiacis, vel etiam si non deficiat, non tamen alimentum transit. Aut si etiam transit, non nutriuntur, quia sanguis prauus est. Vnde tribus ex causis illi fiunt macilenti, & contabescunt. Vbi verò non secernitur, sed maior copia cum sanguine transit: hi facilè omnes in scabiem, aut pruritus, qui reuertuntur (etiam sanati sæpiùs) transeunt: quod serosum alimentum cum sit ad cutem transmittatur. Et si non transmittatur, in leucophlegmatiam, aut alcitem decidunt, aut per vrinam propellitur. Aut putrescit, & febres accendit: aut ascendens ad cerebrum oculorum facit morbos, aut ad intestina descendens diarrhæas. Quò circa morbi isti se consequuntur, atque circumuoluuntur, & in se inuicem mutantur: febris maximè intermittens, scabies, lippitudo, diarrhæa. At verò inter ætates senum sanguis serosior est puerorum, pituitosior iuuenum, purior ab vtroque, ita bilosior. Et fœminarum, quàm masculorum. Et pituitosorum, ac melancholicorum, quàm calidioris temperamenti. Et eorum, qui multùm comedunt ac bibunt, præterea vana leuia, aut nigra: vel aquam: quàm qui flaua: & potentia. Et segnium, quàm exercitatorum: præcipuè autem in his, qui assueti multæ exercitationi, vt venationi, & ludo pilæ inde quieuerunt. Et illorum, qui vigilant præter modum. Et in partibus inferiores ab vmbilico, quam superiores, quod etiam refert Galenus, cum partes illæ frigidiores sint, sanguisque crassior. Sed quoniam humidum hoc tam necessarium assiduè putrescet, præcipuè loco calido, & admistum sanguini, secumque in putredinem quoscunque humores traxisset: natura tantis periculis multis modis succurrit. Primum vt bili misceretur, ex quo salsum fit: & non putredini obnoxium. Et enim alienæ seruare possunt, nedum semet ipsa, quæ salsa sunt. Deinde per perpetuum motum, qui ab eo originem ducit, velut in mari. Euacuatur etiam quotidie pars deterior, atque putredini proximior, adiicitur pura. Præterea iuuantur sudoribus, scabie, exercitatione: nec exigua portio cum alimento transit ad membra: inde diffluitur per cutim: vel occultè, maximè æstatis tempore, aut per sudorem alia ratione. Porrò tale humidum, quamdiu manet in corpore, sanguini permiscetur: hoc enim vult Hippocrates hic: & etiam, quia sic alimentum vehit, & sanguinem liquidiorem

efficit: & neque tam facilè in minima diuisum putrescere potest. Et dum extrahitur sanguis, non separatur iuxta moram maiorem, aut minorem: sed cùm sanguis refrigeratur: ideò cùm in corpore nunquam refrigeretur, neque etiam separatur. Si autem refrigeretur, separatur, nec tunc à renibus trahitur, & ob id in eam incidunt meiendi difficultatem, quæ omni est auxilio destituta, & moriuntur. Sed cùm sanguini mixtum sit, & sanguis potestate, vt aliàs demonstratum est, alius sit biliosus, alius merus, alius pituitosus, aut melancholicus: dixit Galenus *in sexto Epidemiorum par. 2. com. 25.* totidem esse ichorum genera, quot sunt humorum. Vnde etiam diuersæ febres generantur. Nam si diuersæ febres, præsertim intermittentes, generantur, & illæ fiunt ichoribus putrescentibus, palam est, totidem esse genera ichorum, quot etiam humorum.

Cæterùm dignoscere qualitatem horum ichorum præstat. Idque tribus maximè coniecturis, vrina, sudore, & casibus. Nam si in sanguine multus ichor appareat, homo autem boni habitus, & coloris, & sanus humida temperies superhabundat: cum calore mediocri: si sæpè corripitur febribus, rata est substantia iecoris, & ipsum calidum est, & humidum. Si autem homo mali habitus, malique coloris, non tamen macilentus paratus est ad hydropem. Si mali habitus, malique coloris, & macilentus ad hydropem, & regium morbum. Si verò ichor paucus extiterit, aut nullus? homo boni habitus, & benè coloratus, hoc est optimum. Erit enim sanus ac robustus: si paucus & homo macilentus, boni tamen coloris est intemperies iecoris ficca; sed tamen homo valet. Si coloris plumbei, & mali habitus melancholicam temperiem declarat in iecore. Si macilentus, & arquatus, calidam, & ficcam intemperiem, fluxum multum, & obnoxium hydropi siccæ. Color ichoris cum à sanguine detrahitur iam congelato similis est colori vrinæ illius, si non fuerit morbus in renibus, aut vesica, cum fuerit dissimilis, significat morbum in altero eorum. Color ichoris cum sanguine iam congelato plerunque viridis videtur. Vnde manifestum est, viridem colorem oriri ex rubro, nigro, & paleari, siue corticis mali medici. Cùm verò parum vnus differat ab altero? scilicet, vt sit similis sanguini detracto, & paleæ colore, hoc accidit quia sanguis niger non est: ideóque melior multò.

At generatio quidem ichorum ex potu, & aqua: tum etiam ex horæis fructibus; velut peponibus, & moris, prunis, ac huiusmodi, tum etiam oleribus perspicua est: at ex cibis solidis, vt in quibusdam, & meipso carne, ouis, caseo, pane, fructibus, & nucum genere; melle atque huiusmodi non adeò euidentem habet rationem cùm non à calore hæc resolutio fieri possit, vt in distillationibus solet: nam hi senes melancholici. Vnde Galenus *quinto de tuenda sanitate cap. 8.* senes plurimum excrementi serosi colligunt. Quare necesse est si cibus in illud transire debeat coctionem frustrari, sed permisceri partes, non separari in coctione necessarium est. Id ergo in senibus fiet. Exemplum autem exterius nullum habeo melius, quam in lactis coctione: illud enim fit dulcius si densetur, & aquei etiam pars euaporet, vt *in quarto simplicium medicamentorum, cap. 17.* habetur: at si serum à reliquo separetur, neque vna, neque alia pars, adeò vt lac illud dulcis euadit, & modo etiam plus, modò minùs serosæ substantiæ colligitur scilicet frigore, exprimento à concreto iam lacte, quicquid inest serosi. Verisimile igitur est idem contingere in his humidis, & vt quadrupliciter fiant, sed de quarto modo hic non est consideratio, cum morbosus sit, scilicet à colliquatione, quæ à vehementi calore fit. Reliqui tres erunt, vt fiat ob imbecillitatem caloris, non concoquentis, & tunc velut in tortis crudis, non solùm humidum illud abundat, sed est spissum, turbidum atque confusum. Hicque modus pessimus est, & breuis vitæ, quæ supersit causa, & signum quo circa in decrepitis illum accidere necesse est, si non omninò partè, & cum delectu viuant. Secundus cùm aër in humidum transit, velut in humidis parietibus, quod accidisse aliàs commemorauimus ad miraculum vsque, qui modus ab humida, & frigida intemperie aduenit, & mitior est primo ex his tribus. Nam si immoderatus sit ad multos annos, & senectam vsque perdurat, vt in nobis, & aliis, qui cum recta ratione vixerunt. Nec tam curandus est, quàm vt non augeatur immodicè cauendum. Tertius etiam mitior est cùm à cocto alimento ob frigus, velut dixi de lacte concreto quicquid inest aqueum exprimitur. Hic etiam modus minus noxius est, & forsan ad salubritatem corporis, & vitæ longitudinem conducit. Atque hi omnes simplices. Nam compositi, qui quatuor sunt, ex his fiunt manifesti; quos omninò necesse est esse paruos, nisi si quis tertij cum secundo mistionem exemerit: quæ certè ratio malacst; si non immodica sit. Sunt etiam iuxta partes corporis differentiæ. Nam quæcunque magis abundant humido, aqueo vt pulmo, & cerebrum (de renibus modo non dicam, cùm id sit per se manifestum) ad eas minùs syncerum à vehiculo alimentum defertur. In iecore etiam semper adest excrementitium illud, cum ibidem generetur. Sed & in ventriculi prima, & interioris tunicæ nutritione. Ibi enim non adesse non potest: & vt huic, vel illi copiosius, ita magis morbis subiiciuntur. Maximè autem in cerebro, quod ob sui frigidatem illud generare potest, consumere non. Id quamdiu sola quantitate peccauerit, dumtaxat facit grauedines, & rauedines, & distillationes innoxias. Cùm autem corrumpitur,

&

& ſemiputruerit, quod ex quacunque cauſa accidere poteſt, vt vel ſolo Auſtri flatu, mutatione velaminis, aut galeri, aut cidaris tiaræ, vt vel pilei, vel diadematis, vel citare, aut vitra, vel ſola, aut plaga, vel petaſo, aut cyna, aut omninò aliquo huiuſmodi quodcunque id fuerit, vel ſole, vel pluuia, vel concitatione, motu, vel borea per antipariſtaſim, vel acrium quorumcunque ſeu, ophtalmiæ præcipuè, & dentium dolores excitari ſolent, & graues pro multitudine, & prauitate huius ſeroſi humidi, & iam acquiſita membri patientis, aut cerebri, aut vtrorúmque imbecillitate. Cor autem vt à pleriſque aliis etiam malis omninò immune eſt ab hoc humido, neque enim illo ad aliquod officium indiget: atque id tota vita, aut maiore parte ſi homo non grauiter, & longo morbo teneatur. Nam etiam in quibuſdam, qui poſtmodum tabeſcunt ineſt: vnde & cordis palpitationes, & atrophia, velut de ſimia illa Galeni *quinto de locis cap.* 2. Hactenus ad explanationem huius libri nobis ad vtilitatem communem contendentibus: neque Galenum, vt dicunt damnando, ſed iuuando. Verum mira quorumdam importunitas, & calamitas temporis, qui ex Grammatica ad medicinam pergunt nullis diſciplinis inſtructi damnant, quod non intelligunt: maledicunt de bene meritis: vltima primis, miſcent medicinam magna pernicie hominum exercent: iudicium ferunt cum omninò & arte, & iudicio careant, quibus ambobus indigerent, ſi ferre id deberent. Nec vllus adhuc princeps inuenitur, qui tantis malis manum apponat: vel ſaltem hoc leui præcepto, ne quis artem hanc vel profiteri, vel exercere, vel etiam in ea ſcribere quicquam audeat, qui Mathematicas non didicerit. Non quod Philoſophia, & Dialectica etiam opus non ſit medicinam diſcere volenti, imò magis, ſed quòd in his fucus garrulitate fiat. Mathematicæ non illum admittunt, medicumque efficiunt peritum, & ſanctum, collegiáque admonere pœna graui.

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google